
R.P
MARTINI
BRESSERI
BOXTELLANI
SOC. IESV
THEOLOGI
DE
CONSCIENTIA
LIBRI VI.
Ad omnigenas conscientias
dirigendas idonei.
ANTVERPIÆ
Apud Viduam
IOANNIS CNOBBARI
1638.
Conscia recti
Vtrimque pari
nutat
Nunc huc nunc vertitur illuc.
Sic error ab umbra

REVERENDISSIMO
AC
PERILLVSTRI DOMINO
DOMINO
GASPARI NEMIO
SEXTO
ANTVERPIENSIVM
EPISCOPO.



RODIT, ecce, in lucem, REVERENDISS. DOMINE, recèns è typographio meo editus, aureus de Conſcientiâ tractatus, & ad ſacros REV. DOMINAT. TVÆ pedes ultrò, me etiam invitâ, patrocinii inveniendi ergò, geſtit correpere. Orphanus, ah! eſt, tum parente, tum curatore orbatus. Parens enim illius & auctor MARTINVS BRESSERVS, immaturâ quidem ſæculo (miſerum!) ſed ſibi Deoque maturâ, morte hinc ad meliora abreptus, fœtum hunc ſuum, quem doctè conceperat, ſtudiosè efformarat, elaborateque expolierat, eatenus non vixit ut in lucem editum viderit, utpote

Cui nunc in æternam clauduntur lumina noctem.

Curator quoque illius, conjunx, heu! meus Ioannes Cnobbarus, eamdem mortalitatis ingressus viam, non potuit quod excudere cœperat opus, ad finem, fato præoccupatus acerbo, uti quidem optarat, perducere. Itaque mei esse muneris putavi, in partes utriusque succedere, & ἀπάτωρα hunc pupillum desertum ab omnibus de terrâ tollere, omnem curam illius in me suscipere, quoque tutò possit adolescere, ad Episcopi mei gremium deferre, ejusque patrocinio ac tutelæ committere: ut, quam à patre amisso, & curatore intercepto, sperare jam nequit opem, à dato sibi nunc tutore & curatore novo, certò sibi adfuturam exspectet. quæ in eo sita potissimùm erit, ut adversus malevolos, calumniantes, virulento dente maledicos, & æmulos omnes, auctoritatis Episcopalis umbone ipsum protegat: &, quò diffundere se possit, ac crescere in gentem magnam, fructumque amplissimum in Dei Ecclesiâ, ac fidelium animabus edere, protectionis paternæ clypeo ubique tueatur.

Non deerit hîc, vereor, qui nimiæ me coarguat audaciæ, & mihi nescio quam impudentiæ notam inurat, quòd REV. DOMINATIONEM TVAM, majoribus in hac Pastorali curâ negotiis, ad reip. nostræ bonum incolumitatemque spectantibus, occupatam, puerilibus hisce crepundiis interpellem, nam hoc

hoc pacto in publicum peccare bonum censebor. Si quid tamen hîc à me peccatum erit, veniam mihi spondet innata illa ac cuivis nota benevolentia, humanitas ac comitas Tua, quâ neminem, etiam qualibet de causâ ad Te accedentem, à vultu Tuo repellis; sed unumquemque & benevolè excipis venientem, & modestè audis loquentem, & comiter dimittis abeuntem. Quibus humanitatis argumentis ego mota, cum litterario hoc, è mediis Theologiæ scriniis deprompto munusculo ad sacra DOMIN. TVÆ genua supplex accedere præsumpsi. Isthoc verò majores hîc mihi animos facit, quòd proprium Episcoporum munus & partes olim fuisse constat, viduarum (proinde & pupillorum: rarò enim reperitur sine pupillo vidua) derelictarum patrocinium suscipere. Docet hoc me, ortum sub nascentis in Iudæâ Ecclesiæ primordia *murmur Græcorum adversus Hebræos, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum*. Vnde hanc à se curam amolientes Apostoli (quorum successores modò sunt Episcopi) septem constituerunt Diaconos, quibus hanc viduis de necessariis prospiciendi, reliquâ quoad spiritualia potestate sibi reservatâ, provinciam commiserunt. Hinc etiam Timotheum suum, Episcopum Ephesinum, & Asiæ Primatem, Apostolus *viduas* jubet *honorare, quæ verè viduæ sunt*. Hic autem honor non tam in externi cultûs delatione &

Act. 6. 1.

1. Tim. 5. 3.

ve-

veneratione, quàm in auxilio, protectione, tutelâ, ſolamine, conſilio ſitus erat. Erant enim in primitivâ Eccleſiâ, uti virginum, ita & viduarum honeſtarum cœtus & collegia, è quibus diaconiſſæ eligebantur, quarum munus erat mulieres baptizandas decenter ad baptiſmum componere, & alia Eccleſiæ neceſſaria curare. Quam conſuetudinem etiam multis poſt prima illa tempora ſæculis conſtat in Eccleſiâ viguiſſe, cùm civilium quoque controverſiarum inter curæ ſuæ concreditos exortarum, Epiſcopi eſſent diremptores ac judices, & ſimul viduarum protectores: ut hoc pacto & inter illos mutua vigeret concordia, & hæ Antiſtitum ſub curâ & tutamine agentes, nullius potentis paterent injuriæ, non cupidorum direptioni, non laſcivorum petulantiæ.

Tum verò maximè tutam fore me confido, & ſecurior comparebo, cùm ipſum BRESSERVM pro me interceſſorem & patronum, ac velut hoſpitii deſignatorem ad ſacratos DOMIN. TVÆ pedes præmitto: qui, ſi quod hîc à me crimen erit admiſſum, ſuâ auctoritate facilè reparabit, ac tum ſibi, tum mihi mollem apud eam aditum impetrabit. Cur verò is ad Te approperare, & ultrò in ſinum Tuum convolare geſtiat, multæ eum, & non contemnendæ, rationes videntur impellere. Cui enim tractatum & quæſtiones ſuas Conſcientiales deferat potiùs,

quàm

quàm Antiſtiti? cujus utique partes ſunt, omnium ſubditorum conſcientiarum quieti tranquillitatíque conſulere, ſi quæ ſcabioſæ perſanare, timoratas & anxias adjuvare, dubias firmare, nutantes conſtabilire, turbatas componere, nubilas ſerenare, ſecùs de fide ſentientes coarguere, increpare, rectè credentes porro edocere. Quod cùm ætate minor, cùm Viroviacenſem jam Parochum ageres, probè ſis executus, & univerſas ſolliciti Paſtoris partes illic perfectiſsimè expleveris (quaſi verò jam tum anguſto in opidulo, indefeſsâ curâ & diligentiâ Tuâ præludere videreris, cui in ætate ſenili regimini eſſes admovendus;) minimè dubitandum eſt, quin, ſuper præcelſum hoc Antverpienſe candelabrum poſitus, veri vigilantiſſimíque Paſtoris (abſit dicto invidia) exemplar & idea ſis futurus: cui jam pridem Rev. Dom. MALDERI P.M. calculo ſententiâque fuiſti deſignatus. In quo vanus ille augur non fuit.

Adhæc, convenientiſsimum putavi, ſi Theologi, & quidem multorum profeſsione nobilis, fœtus, Theologiæ pariter Doctori ac Profeſſori, & Seminarii Theologici, bonorum inquam Paſtorum, poſt eximium Duacenorum Theologorum decus Eſtium, ætatem ſuperante prudentiâ, & annos virtutibus, Rectori ac Præſidi dedicaretur: & nominatim Theologi Societatis IESV, ejuſque Ordinis, à quo cuncta quæ prodeunt tum calamo exarata, tum

** manu

manu gesta, tum industriâ adinventa, tum consilio suasuque inducta, & magni Tute facere soles, calculoque Tuo approbare, &, ut ab aliis etiam omnibus comprobentur, omnem operam dare. Deinde, non potuit Boxtellanus meliùs, quàm Buscoducensi, quasi civis civi, & eodem in territorio nato, defendendus propugnandusque committi: ut, cùm id pro viribus præstiteris, civicâ sacrum caput Tuum coronâ, præter lauream Doctoralem, & tiaram Episcopalem coronetur. Accedit & aliud inter REV. DOMIN. TVAM & BRESSERVM meum cõmunionis societatisque vinculum, non parvum aut mediocre passim haberi solitum, quod ipsa studiorum philosophicorum Duacenâ in Academiâ, & eodem in Collegio, paritas jam pridem conciliavit: hoc namque talem subinde sodales inter amicitiam & amorem parare consuevit, ut fraternum multis partibus exsuperet.

Tot igitur nominibus BRESSERVS meus sit Tuus; & ideo Tuus, quia meus: verumtamen nec Tuus, nec meus; sed reipublicæ, & mundi totius, cui laborem hunc suum & ipse conscripsit, & ego prodesse ex animo desidero. Tuum tamen esse & manere velim; minùs gaudens quòd eum habeam offerendum, quàm quòd REV. DOMIN. TVÆ eum liceat offerre. Ita namque jam pridem omnium suorum animos sibi Ipsa devinxit, & affectũ promeruit,

ut

ut nemo non quidquam ei deferre geſtiat. quamquam non omnes paria: eſt enim qui cultum & venerationem, alius filialem quemdam timorem, amorem & benevolentiam alius, non nemo affectum, & propenſioris voluntatis ſtudium, donare gaudet. Atque hinc colligere amorem eſt, quem exiguo Epiſcopatûs Tui tempore, apud omnis generis ac ſtatûs homines, tam ſacros quàm profanos, ſummos æquè atque infimos tibi conciliaſti: ut, cùm Te, & placidam vultûs ſerenitatem, verborum lenitatem, & decentem exterioris hominis compoſitionem, ac paſtoralem pro commiſſo grege ſollicitudinem reſpiciunt, Angelum cælo delapſum videre ſibi videantur..

Sed animus non eſt, in patentem laudum ac præconiorum Tuorum campum longiùs me diffundere; cùm temeritati propinquum eſſe cenſeam, tantarum virtutum decus, & tot geſtorum laudem ſcriniis chartaceis velle includere: tum quòd hæc audias invitus; tum quòd in ea inquirentes repellat objecta veneratio, &, ſi qui propiùs adierint, quod oculis in ſolem contuentibus evenit, præ ſtrictâ acie, videndi facultatem amittant. Præſertim cùm conſtet, nullam optari daríve poſſe eloquentiam, quæ dignam afferat aut tempori gratiam, aut materiæ copiam, aut meritis Tuis facultatem. Si quid hîc tamen ipſa præſumo, & tenui calamo magna complecti

connitor, paria numquam meritis Tuis verba repertura; veniam commissi haud difficulter me consecuturam spero, probè sciens eum qui victimis caret, farreâ litare molâ, & qui thura nequit, offerre posse frugem, atque apud cordatos munerum censores, pluris animum dantis, quàm dati pretium æstimari. Oculo ergo, qui cuncta placidè dispicit, ac bona malaque serenus explorat, animum hunc meum benignus admitte. Istud si mihi indignæ obtigerit, ut defæcati judicii Tui trutinâ hunc BRESSERI foetum expenderis, & Episcopalis auctoritatis calculo comprobaris, potestate defenderis; erit cur digniora & majora suo tempore dare contendam, meque in præsens Pastoris mei morigeram oviculam, & Patris obsequentissimam filiam profitear. Antverpiæ III. Kal. Iulias, anno M. DC. XXXVIII.

Reverendiss. & Ampliss.

DOMINATIONIS TVÆ

deditissima

MARIA DE MAN.

SYLLA-

SYLLABVS CAPITVM QVÆ HIS LIBRIS SEX CONTINENTVR.

LIBER PRIMVS

De Conſcientiâ in genere.

LIBER SECVNDVS
De Conscientiâ rectâ.

CAP.

LIBER TERTIVS

De Conſcientiâ probabili.

*** CAP.

LIBER QVARTVS

De Conscientiâ dubiâ.

LIBER QVINTVS

De Conſcientiâ erroneâ.

CAP.

LIBER SEXTUS
De Conscientiâ scrupulosâ.

CAP.

APPROBATIO CENSORIS.

LEgi R. P. MARTINI BRESSERI Societatis IESV Theologi ſex de Conſcientiâ libros: qui quia omnem quæ huc ſpectat, materiam doctè ſolideque pertractant, quæſtiones Scholaſticas hac ſuper re incidentes, dilucidè diſputant, atque omnem rei difficultatem exhauriunt; nihil autem communi Eccleſiæ Catholicæ ſenſui contrarium, aut à veritate alienum continent; dignos cenſui, qui ad multorum utilitatem, & publicum rei Catholicæ bonum in lucem prodeant. Ita cenſeo Antverp. die 29. Iun. 1638.

GASPAR ESTRIX *Plebanus & Canon. Antverp. librorum Cenſor.*

Facultas R. P. Provincialis.

Ego infrà ſcriptus Societatis Iesv *per Flandro-Belgicam Præpoſitus Provincialis, hiſce facultatem do Ioanni Cnobbaro Typographo Antverpienſi imprimendi* Opus P. Martini Bresseri *ejuſdem Societatis noſtræ Sacerdotis*, *de* Conscientia. *In quorum fidem has manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſolito officii noſtri ſigillo munitas dedimus, Bruxellis 15. Novembris, anno* 1635.

Fredricvs Tassis.

SVMMA PRIVILEGII REGII.

Philippvs Dei gratiâ Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſsimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis *R. P. Martini Breſſeri Societatis* Iesv *Sacerdotis libros de Conſcientiâ*, intra duodecennium præter Ioannis Cnobbari Typographi Antverp. voluntatem ullo modo in Belgio imprimat, aut alibi terrarum impreſſos, in has Germaniæ Inferioris ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & aliâ gravi pœnâ mulctabitur: uti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 15. Februarii, anno 1636.

Signat

Steenhvyse.

MARTINI BRESSERI
SOCIETATIS IESV
LIBER PRIMVS
De Conſcientiâ in genere.



QVATVOR hoc libro potiſſimùm explicanda. Primò, natura & obligatio conſcientiæ, adeoq́ue legis naturalis & ſyntereſis, ſine quibus illa non poteſt ſatis intelligi. Secundò, ejus officium, præſertim moralizandi ſeu dirigendi actus morales in genere. Tertiò, ejuſdem examen ac forum. Quartò, ejuſdem libertas in juſtis ac fidelibus, hæreticis ac infidelibus. Quæ non conveniunt illi conſcientiæ ſpeciatim, ſed conſcientiæ in genere, quæ proinde ſibi vendicat primum hunc librum.

CAPVT PRIMVM.

Quâ ratione Conſcientiæ author ſit & demonſtretur Deus, ejuſq; providentia.

I. [illegible]lici- [illegible] à Deo [illegible]et [illegible]cien- VT rem hanc ordiamur & explicemus à primis principiis; nota triplici ratione conſciētiam dependere à Deo.

Primò, tanquam à causâ efficiente, quia ipſe conſcientiam atque animam conſcientiâ præditam condidit ac creavit, quod nulla creatura potuit.

Secundò, tanquã à causâ exemplari; quia lumen conſcientiæ homini indidit, quaſi quandam particulam & radium, ut explicabo poſtea.

Tertiò, prætereà conſcientia innititur Deo, ejuſque providentiæ cognitæ vel creditæ, tanquam fundamento illam, ejuſque pondus ac vim ſuſtentanti ac confirmanti:

 quamvis

quamvis enim, ut postea item explicabo, conscientię licèt abstractę à Deo conveniat vis aliqua obligandi, ea tamen nimis debilis & infirma est, nisi à Deo ejusque providentiâ confirmetur.

Quæ causa est cur Athei censeantur carere conscientiâ; quia etsi nequidem in illis extinguatur lumē naturæ omnisque conscientia, hæc tamen nisi Deo nitatur, non videtur mereri nomen & tueri dignitatem conscientiæ; quòd & solum illud lumen naturæ nimis remissum sit, & ejus farinæ homines flocci faciant ejus dictamen, nisi suspiciant ac vereantur numen aliquod superius, ac vindicē conscientiæ Deum. Itaque paucis hîc ostendenda est, etsi sole clarior certiorque, primò existentia Dei, deinde providentia.

2. *Naturali ratione demonstratur Deus.* Dico primò: naturali & evidenti ratione ostenditur Deus esse: est certa & communis sententia, non tantùm Patrum ac Doctorū Christianorum cum D. Thoma primâ parte, quæstione secundâ, articulo tertio, sed & Ethnicorum, ut jam constabit, contra pauculos & innominatos fideles apud D. Thomam, contra gentes cap. 12. qui dicebant solâ revelatione id constare; & Politicos seu Atheos, quales infelici hoc nostro sæculo nimis multos tandem parit tot Hęreseon confusio, quibus fit ut dubii cui, tandem nulli fidei adhæreant, atq; adeò nequidem Deo.

Probatur primò ex Script. ad Roman. 1. *Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Verba: *manifestum, manifestavit,* & *conspiciuntur,* satis indicant evidentiam & certitudinem, ut & sequentia: *Ita ut sint inexcusabiles.* Meritò igitur Actorū 14. idem Apostolus, ac Barnabas: *Non sine testimonio seipsum reliquit benefaciens de cælo.* Sapientiæ decimo tertio: *A magnitudine enim speciei cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Nota verbum: *cognoscibiliter poterit videri.* Quibus consonant illa Psalmi decimi octavi: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentū.* Et Job 36. *Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.*

Probatur secundò ex Patribus, qui communiter verba Scripturæ eo sensu explicant. BASILIUS in caput primum Isaiæ qui de Deo: *Cælo, ait, enarrante innotesco, qui terrâ mariq; me exhibeo cognoscibilem; qui per solem, lunam, denique per omnem creaturam nulli non palàm significor.* ATHANASIUS oratione contra Idola, post medium, ostendit ex ipsâ animâ posse cognosci Deum, additque: *Quòd si animæ magisterium non sufficit, est tamen ei facultas ex iis quæ apparent, Dei cognitionē addiscere, rerum naturâ veluti litteris per ordinē & harmoniam, Dominum suum conditoremq; indicante, & altissimâ voce protestante.* CHRYSOSTOMUS homiliâ

miliâ nonâ, ad populum Antiochenum: *Neque Scyta, neque Barbarus, neque Indus, neque Ægyptius: neque ulla est gens, vel lingua, quæ hanc vocē omni tubâ clariorem intelligere non poßit.* Idem pulchrè ostendit AVGVSTINVS lib. 10. confeß. c. 6. & serm. 55. de verbis Domini. Ubi, *Interroga,* inquit, *mundum, interroga omnia, & vide si non sensu suo tibi respondent: Deus nos fecit; hæc & Philosophi nobiles quæsierunt, & ex arte artificem cognoverunt.* PROSPER, seu apud ipsum Author operis de providentiâ, initio poëmatis:

Quà jacet extremo tellus circumdata ponto,
Et quà gens hominum diffusa est corpore mundi,
Seu nostros annos, seu tempora prisca revolvas;
Esse omnes sensere Deum, nec desinit unquam
Authorem natura docens.

3. *…sen-…t …ici.* Ex quibus etiam apparet testimonio Patrū Ethnicos in eandem sententiam conspirasse. Quare etsi Gentiles apud JVSTINVM q. 1. ad illos, communi, inquiunt, consensu Deum omnes fatentur. Idem interrogatus quæstione 61. unde sciri potest sitne Deus omnino? optimè respondet: *Ex eorum quæ sunt concretione, constitutione, at stabilitate.* Idem disertè ostendit MINVTIVS FELIX libro cui titulus *Octavius,* sub medium, ubi præter alia: *Quid,* inquit, *quòd omnium de isto habeo consensum? audio vulgus, cùm ad cælum manū tendunt, nihil aliud quàm Deum dicunt.* Et, *Deus magnus est.* Et, *Deus verus est.* Et, *Si Deus dederit.* Vulgi ille naturalis sensus est (an Christiani confitentis oratio?) nec tantùm Christiani, sed ipsi Gentiles id testantur. CICERO primo de legibus: *De hominibus nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam ferrea, quæ non etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.* Quod de naturâ Deorum docet omnibus innatum atque insculptum. Quare MAXIMVS TYRIVS suâ dissertatione, dicit duos aut tres abjectos homines, certè indignos qui nominentur, vel invitos scivisse Deum naturâ docentem, etsi contrarium dixerint, & aliquantulo tempore fortè putarint. Unum tamen authorem tam impiæ sententiæ nominat LACTANTIVS de irâ Dei, cap. 9. his verbis: *Cùm sententiæ Philosophorum prioris temporis de providentiâ Dei consensissent; nec ulla esset dubitatio quin mundus à Deo, & ratione esset instructus, & ratione regeretur. Primus omnium Protagoras extitit temporibus Socratis, qui sibi diceret non liquere an esset divinitas nec ne: quæ disputatio ejus adeò impia, & contra veritatem & religionem judicata est; ut & ipsum Athenienses expulerint suis finibus, & libros ejus in concione quibus hæc continebantur exusserint.* Ecce quo sensu hæc sententia ab Ethnicis excepta, & damnata fuerit: quo igitur sensu & horrore deberet à Christianis?

4. *Demonstratur à posteriori.* Probatur tertiò reipsâ id ostendendo non quidē demonstratione à priori propter quid, & causam; quia certum est Dei existentiam propriè non habere causam, ut hâc ipsâ probatione ostenditur; sed demonstratione per effectus, hoc modo: Causæ essentialiter sibi subordinatę, quales dicuntur quæ actu necessariò coëxistunt & concurrūt, v.g. calor à sole productus, radius solaris, lux ipsius solis, sol, cælum, necessariò tandem reducuntur ad unam primam quæ à nullâ aliâ dependeat: atqui hæc est Deus, ergò.

Qui ab omnibus concipiatur Deus. Probatur minor: quia omnes gentes conveniunt in conceptu illo, ac significatione Dei, quòd scilicet sit ens aliquod supremum, increatum, ac cæterorum causa, cui clarum est deberi aliquem cultum.

Probatur major: quia aliàs daretur processus in infinitum in ejusmodi causis; & ultimus effectus calor, vel formica pendebit ab infinitis causis; quod apparet per se ridiculum, estque omninò impossibile. Vel enim tota illa causarum series pendet ab aliâ, vel non: atque hæc erit Deus. Si pendet, ergo ab aliquâ aliâ, quæ scilicet non ingrediatur illam seriem causarum pendentium, adeoque ipsa non pendeat, quæ eodem jure erit Deus.

Præterea si in illâ serie abiretur in infinitum, ergo nunquam sequeretur actio; quæ cùm sit singularis, deberet ab aliquâ determinatâ causâ inchoari, ad quam tamen nunquam posset perveniri: quia quælibet haberet supra se superiorem aliam; quo absurdo Aristoteles etiam probavit non dari processum in infinitum causarum sibi subordinatarum.

Idem discursus applicari potest causis per accidens sibi subordinatis, v.g. hominibus à sese successivè generatis; nam similiter debet tandem perveniri ad unū hominem, qui generationem inceperit, nec ab alio generatus sit. Peto enim an tota hominum collectio generata sit, vel non? si non, ergo aliquis non est generatus, sed creatus, scilicet à Deo: quia clarum est, nullum hominem esse increatum: si est, ergo ab alio qui etiam supponeretur nō ingredi numerum ac collectionem generatorum, adeoque non esse generatus; sed creatus à Deo. Qui discursus valeret etiam in sententiâ Aristotelis, si generationes durassent ab æterno, quia veniendum nihilominus esset tandem ad unum hominē, qui ab æterno creatus à Deo, generationes ab æterno cœpisset; quod aliqui putāt possibile, quamvis reverà impossibile, scilicet generationes seu quamlibet successionem, quæ essentialiter aliquid ante se supponit, esse ab æterno: nam hoc ipso quo aliquid supponunt ante se, non sunt ab æterno. 5. *Demonstratio applicatur causis per accidens sibi subordinatis.*

Unde sequitur ulteriùs, si Deus ab æterno quid creasset, quòd id ex naturâ rei debuisset durare infinito tempore, sine ullo motu successivo

in

in eo statu quo creatū fuisset. Quod ipsum quia repugnat naturæ cujusvis rei creatæ semper mutabilis, à posteriori colligitur probabilius æternitatem à parte ante, quæ aliquando transacta sit, qualis non est à parte post, omni creaturæ etiam permanenti repugnare. Sed hæc sunt philosophica, & ad dictam demonstrationem per se claram, non necessaria, quamvis eam illustrent.

...lla ...atura ...uit esse ...terno.

5. *Demonstratio applicatur causis per accidens sibi subordinatis.*

6. Supponitur autem hîc, duo sibi invicem non posse esse causas efficientes, quod etiam concessit Aristoteles, estque satis clarum; aliàs unum eorum esset altero prius, quatenus ejus causa, & eodem posterius, quatenus ejus effectus; idque in eodē genere causæ efficientis; quod apparet impossibile: quo posito juxta argumentum factum semper ascendendo, necessariò tandem veniendum ad unam causam increatam, à qua pendeant cæteræ, nempe Deum.

Ad eandem demonstrationem reduci potest, alia Aristotelis & Divi Thomæ:

Omne quod movetur, ab alio movetur; ita videlicet, ut hæc propositio æquivaleat huic, cui innititur præcedens argumentatio: Omne quod fit & pendet, ab alio fit & pendet; quod per se clarum est: sic enim necessariò veniendū ad primum aliquod efficiens, ac movens proximè, vel saltem remotè, quod item erit Deus. Aliàs si illa propositio restringatur ad solam motionem localem cælorum, est quidem efficax, sed non tam clara probatio; quia non videtur tam clarum, etsi longè verisimilius, cælum nō posse movere seipsum motu locali circulari, ut lapis potest recto.

Confirmatur dicta demonstratio; quia ut ex ipsâ, & aliunde constat, deveniendū est ad unum principium, quod alia creet, scilicet ex nihilo, non præexistente & concurrente subjecto, quod ipsum creari quoque debet; cùm clarum sit, saltem materiam primam rem tam imperfectam non esse increatam, & qui hoc illi, multò magis tribueret Deo. Principium autem cui convenit potestas creandi, saltem virtute propriâ, quidquid sit de instrumentali ac obedientiali, debet esse Deus: quia superius omnibus causis creatis & naturalibus: de quibus receptum est ab omnibus Philosophis axioma; *ex nihilo nihil fit*: de illis enim hoc satis probatur ipsâ experientiâ.

Soli D... conven... creare ... nihilo, saltem virtut... propri...

Quare non potest probabiliter illa potestas tribui Angelo, etsi substantiæ spirituali, & qui illam huic concederet, adeoque agnosceret verum spiritū, non negaret Deum; nam Athei negant omnes spiritus. Mitto alias ejusdem veritatis demonstrationes, quia illa sufficit, aliæque ad illam reduci possunt.

Dices: Demonstratum quidem esse in causis, vel effectibus necessariò tandem deveniendum ad unam primam, sed non eam necessariò 7.

esse Deum: possunt enim in quaq; causarum serie esse plures primæ.

Resp. Aliud est an sit Deus, aliud an sit tantùm unus; nam plures illæ primæ causæ essent plures Dii, quales agnoverunt gentiles. Contra quos eadem demonstratio extenditur clarissimâ aliâ ratione, quæ per se probat intentum. Nam præterquàm quòd malè eidem causæ, cui tribuitur vis creandi è nihilo aliqua, non tribuatur vis creandi omnia; sicut omnes effectus producti, adeoque hoc universum pulcherrimè, ac sapientissimè sibi apparet subordinatum: ita ejusdem causæ in eo producendo necessariò fuerunt uni alicui subordinatæ, quę tantam machinam derigeret, singulasque ejus partes tantâ symmetriâ connecteret, quæ causa haud dubiè est Deus.

Demonstratur nō esse plures Deos.

Nisi fortè dicas plures consilium, ac operas in unum contulisse: quod per se apparet ridiculum, & exponit periculo universum, si fortè unus ab aliis inciperet dissentire.

8. Verùm non immeritò ARNOBIVS libro primo contra gentes, ante medium, improbat nimium studium probandæ divinæ existentiæ: quia videlicet ea quantumvis certa & clara, magis involvi & obscurari posset nimis operosâ & subtili disputatione; ut sæpè contingit in aliis: addit; *Quisquamne est hominum, qui non, cùm istius Principis notione diem primæ nativitatis intraverit, cui non sit ingenitum, non affixum, imò ipsis pænè in genitalibus matris non impressum, non insitum, esse Regem ac Dominum cunctorum, quæcumque sunt moderatorem? Ipsa denique si hiscere animantia muta potuissent; si in linguarum nostrarum facilitatem solvi, imò si arbores, glebæ, saxa sensu animata vitali vocis quirent & verborū articulos integrare, & intelligerent esse Deum, & cunctorum Dominum solum esse clamarent.* Quæ confirmabuntur sequenti conclusione.

Improbatur nimiū studium divinæ existentiæ probandæ.

Ex dictis constat verè dixisse DAVIDEM Psal. 52. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*: quia nemo id sentit, nisi verè insipiens ac stultus; eò stultior quòd sibi præ reliquis videatur sapiens. Neque dicit ore, sed tantùm corde, ne reclametur ab omnibus creaturis, & luat pœnas justissimas, tam impiæ & abominandæ sententiæ, quę non potest cuiquā seriò persuaderi nisi nimiis peccatis excæcato, quibus non tantùm gratia exstincta sit, sed corrupta natura. *Exceptis*, ait AVGVSTINVS tract. centesimo sexto in Joannem, *paucis, in quibus natura depravata est, universum genus humanum Deum hujus mundi fatetur authorem.*

Dico secundò: idem dicendum est de providentiâ Dei, imò hæc quodammodo priùs incurrit in oculos, quàm Dei existentia; est item certissima, communissima, & clarissima. 9.

Probatur primò, & explicatur ex jam dictis: quia dupliciter potest formari præcedens discursus ac demonstratio.

Demonstratur etiam Dei providentia.

monſtratio. Primò præcisè ſiſtendo in ſubordinatione cauſarum, & effectuum certorum, abſtrahendo à reliquis; & ſic directè ac præcisè inveſtigatur & invenitur exiſtentia primæ cauſæ Dei.

Secundò, non ita ſiſtendo in certâ cauſarũ & effectuum ſerie, quin ſimul attendatur ad proportionem ac ſymmetriam tum illorum inter ſeſe; tum illorum aliorumque cum univerſo: unde exiſtit illa univerſi pulchritudo, ut indicavi in reſponſione ad objectionem; & ſic priùs videtur ac intelligitur providentia quàm exiſtentia Numinis. Etenim quia clariſſimum eſt tam aptam & ſtabilem rerum inter ſe convenientiam, & pulchritudinem non eſſe opus fortuitum, ſed ſummæ providentiæ; ex hâc ipsâ colligitur eſſe Deum, cui illa conveniat: nam clariſſimũ eſt nulli alteri tantam convenire poſſe. Atque hoc ſenſu accipiuntur pleraque dicta Patrum citatorum, imò & Scripturæ; quod magis expreſſit Sapiens & Juſtinus: priori ſenſu demonſtratur Dei exiſtentia præcisè ex efficientiâ, poſteriori etiam ex providentiâ.

9. *Idem [illegible]n- [illegible] P[illegible] & E[illegible].* Probatur hoc ſenſu, Secundò ex Patribus: ex AVGVSTINO, lib. decimo, de civitate Dei, cap. decimo quarto, ubi non tantùm ex ſuâ ſententiâ id docet, ſed & Philoſophorum: *De providentiâ*, ait, *Plotinus Platonicus diſputat, eamq; à ſummo Deo, uſque ad hæc terrena, & ima pertingere floſculorum atque foliorum ſimilitudine comprobat*: quod de aliis Philoſophis docet 22. contra Fauſtum cap. 19. Quare 3. de civitate Dei cap. 9. veriſſimè; *Confiteri*, ait, *eſſe Deum & negare præſcium futurorum*, id eſt, providum, *apertiſſima inſania eſt.*

Demonſtratur etiam ex providentia.

CLEMENS ALEXANDRINVS 5. Strom. ſub finem: *Nullum uſquam genus, neque agricolarum, neque paſtorum, neque eorum qui verſantur in civitatibus, poteſt vivere, niſi ejus quod eſt præſtantius ac melius fide preoccupatũ, præventumq; fuerit. Quamobrem univerſa gens Orientalium, & univerſa quæ pertinet ad Occidentem, Septemtrionem, & Auſtrum unam habet, & eandem anticipatam notionem, de principatu ejus, qui conſtituit, &c. Longè autem magis qui apud Græcos fuere curioſi Philoſophi à barbarâ moti philoſophiâ, ei qui non cadit ſub aſpectum, & eſt ſolus & potentiſſimus & artifex maximus, & eorum, quæ ſunt pulcherrima, author præcipuus, dedere providentiam.* EVSEBIVS CÆSARIENSIS libro ſeptimo de præparatione Evang. cap. 2. *Sicut domus ſine artifice, aut pannus ſine texente fieri non poteſt; ita neque univerſum hoc ſine authore.* MINVTIVS FELIX citatus: *Quòd ſi ingreſſus in aliquam domum, omnia exculta, diſpoſita, ornata vidiſſes, utique præeſſe ei crederes dominum, & illis bonis rebus multò eſſe meliorem. Ita in hac mundi domo, cùm cælum terramq; perſpicias, providentiam, ordinem, legem crede eſſe univerſitatis; parentemq; ipſis ſideribus, & totius mundi partibus pulchriorem.* Quare ſubjungit de providentiâ

dentiâ nullam esse dubitationem. Æquè pulchrè LACTANTIVS de falsâ religione lib. 1. paulò post initium: *Nec difficile sanè fuit paucorum hominum pravè sentientium redarguere mendacia, testimonio populorum, atque gentium, in hâc unâ re nō dissidentium: nemo enim tam rudis, tam ferus moribus, quin oculos suos in cœlum tollens, tametsi nesciat cujus Dei providentiâ regatur, hoc omne quod cernitur, non aliquam tamen esse intelligat ex ipsâ rerum magnitudine, motu, dispositione, constantiâ, utilitate, pulchritudine, temperatione: nec posse fieri quin id quod mirabili ratione constat, consilio aliquo majori sit instructum.* Idem capite illo nono, disputans contra Epicurum: *Etenim si est Deus, itaque providens est ut Deus; nec aliter ei potest divinitas attribui, &c. cùm igitur providentiam sustulit, & Deum negavit esse; cùm autem Deum esse professus est, & providentiam simul esse concessit; alterum enim sine altero, nec esse prorsus, nec intelligi potest.*

Tam luculentis Patrum testimoniis nihil habeo quod addam: tantùm ex iis, præsertim extremis verbis Lactantii collige, sicut antè dixi, ex providentiâ inferri Dei existentiam; scilicet à posteriori: ita vicissim ex Dei existentiâ inferri providentiam, quasi à priori; si enim sit Deus, manifestissimum est debere esse providum: aliàs imperfectior esset multis suis effectibus.

11. Neque tantùm Christiani, sed & Gentiles agnoverūt Dei providentiam, quod præter nominatos, expresè ostendit SALVIANVS libro primo de providentiâ, seu gubernatione Dei, initio de Scholis Pythagoricis, Platonicis, & Stoicis, &c. *Invenire*, ait, *aliquos qui ab istorum judicio discrepaverunt, præter epicuræorum vel quorumdam epicurisantium deliramenta non possum: qui sicut voluptatem cum virtute, sic Deum cum incuriâ & torpore junxerunt.* ARCHYTAS Philosophus apud Stobæum sermone primo: *Deus præstantissimus ac princeps est, hujusq; causâ reliqua prestò sunt bona; etenim exercitui præest Imperator, nautis gubernator, mundo Deus, animo mens, vitæ hujus beatitati prudentia.* Et ARISTOTELES 7. ad Eudemium capite decimo quarto, disertè docet Deum se habere erga universum gubernandum, sicut se habet mens erga corpus. Idem, vel certè Author libri de mundo ad Alexandrum, docet Deum esse in mundo id, quod est in navi gubernator, in curru agitator, in choro præcentor, Rex in civitate, Dux in exercitu. Et libro Ethic. decimo, capite octavo, ex sapientiâ & providentiâ Dei circa res humanas, probat sapientem esse Deo gratissimum; quippe ipsi simillimum: quare multi illū benignè explicant, quando alibi de providentiâ Dei minùs rectè videtur philosophari. De antiquioribus Philosophis Trismegisto, Platone, aliisque res clara est, ut ostendit AVGVSTINVS, EVGVBINVS, de perenni philosophiâ,

Reli-

Religiosè. PLVTARCHVS lib. de Iside & Osiride sub finem, hortatur nos, ut veneremur, non hæc elementa mundi, sed per illa ut clara Dei exempla, specula, ac instrumenta, divinitatē. Et de tranquillitate animi, in fine, docet hominem in hunc mundū, ut templum, introductum tanquam contemplatorem, & cultorem Numinis, per solem, lunam aliaque creata cogniti. *Templum, ait, sanctissimum & religiosissimum est mundus; in hunc introductus homo per generationem, non quidē imaginum manufactarum, sed quæ divina illa mens, ut ait Plato, sensibilia ad exemplum intelligibilium insitum vitæ & motûs principium habentia proposuit; solem, lunā, & astra, & flumina novâ semper aquâ exuberantia; terram quoque plantis & animalibus alimentū suppetentem.* Quare addit nos quasi ad festos vitæ nostræ dies invitatos, non debere eos deformare nimiis curis, doloribus, ac lacrymis; ipsumq; Deum nobis proponit hujus sollemnitatis, ac lætitiæ ducē ac præsultorem. Clarum est hos aliosque Philosophos Deum, ejusque providentiā agnovisse, non lumine aliquo supernaturali fidei, quo carebant; sed naturali & evidenti discursu.

Tertiò probata ea est conclusio non tantùm authoritate Patrum ac Philosophorum, sed simul ratione optimè ab illis explicatâ. Qui enim ratione præditus oculos corporis conjicit in hunc mundum, & vel leviter considerat ejus magnitudinem, speciem, ac pulchritudinem; partium inter se convenientiam; singularum ad finem suum utilitatem; tam constantem rerum ac temporum vicissitudinem; tam certum ac ordinatum cælorū motum; tam discordem, ut ita dicam, rerum diversissimarum, imò sibi contrariarum concordiam; vix potest quin statim oculos mētis conjiciat in Deum eorum omnium, non tantùm potentissimum authorem, sed sapientissimum moderatorem. Nam luce meridianâ clarius est, illa non posse fieri casu fortuito, sed summâ quâdam providentiâ, neque eam alteri tribuendam quàm Deo.

Certè credibilius longè esset pulcherrimam aliquam civitatem, aut palatium, vel opus Virgilii, aut Homeri, casu aliquo, nullo ingenio aut ratione conflatum fuisse, quàm hoc universum. Sicut ergo qui Homerum legit, aut Virgilium, non tantùm carmina, sed simul ingeniū & judicium miratur authoris; ita qui vel leviter percurrit magnum istum librum, totum mundum, tot litteris exaratum, quot sunt in illo creaturę, vix potest, quin agnoscat, & miretur sapientiam ac providentiam creatoris.

Neque potest hîc recurri ad rerum naturas, tum quia, ut constat ex demonstratione, & probatione superioris conclusionis, illæ ipsæ effectus, & signa sunt Dei: tum

quia illæ omninò diversæ, imò contrariæ, non possunt ita inter sese temperari, ac conservari, nisi potestate ac providentiâ aliquâ universali illis superiori.

Ex quibus apparet non esse hîc opus subtili aut operoso discursu, sed tantùm clarâ, facilique illatione omnibus obviâ, adeò ut aliqui hoc sensu dixerint per se notum esse Deum; alii ejus notitiam hominibus innatam, atq; insculptam esse: quare ne solem ostendam faculâ, aut hanc quoque rem tam claram obscurem potiùs quàm illustrem, aliis argumentis abstineo.

13. *Probatur Dei providentia ipsius cõscientiæ testimonio.*

Confirmo tamen dicta non tam novo argumento quàm ipsius conscientiæ testimonio, etiam à Patribus indicato: imò de eo librum scripsit TERTVLLIANVS, quem inscripsit de testimonio animæ. Præter reliqua, paulò post ejus initium: *Hinc ergo*, inquit, *tibi anima de conscientiâ suppetit domi ac foris nullo irridente aut prohibẽte prædicare: Deus videt omnia, & Deo commendo, &c. si Deus voluerit.* Addit: *Benedicat te Deus, tam facilè pronuntias*, scilicet Ethnicè, *quàm Christiano necesse est.* Paulò pòst: ejusmodi instinctus vel, ut eos vocat, eruptiones animæ docet doctrinam esse naturæ congenitæ, & ingenitæ, ait, conscientiæ tacita commissa. Quod probat, quia fuit ante litteras & Philosophiam studio acquisitum. *Certè*, ait, *prior anima, quàm littera*: & *prior sermo, quàm liber*: & *prior sensus, quàm stylus*: & *prior homo ipse, quàm philosophus & poëta*. Quamquam postea docet non multùm referre, *an*, inquit, *à Deo formata sit animæ conscientia, vel litteris Dei*; id est, an illi instinctus & dictamina conscientiæ sint immediatè à Deo, vel mediantibus litteris, ac scientiâ, quæ item à Deo sit. Eandem Dei providentiam ac curam, seu quod in idem recidit, iram ob malefacta optimè probat ex naturali nobis Deì timore. Unde igitur, inquit, *naturalis timor in Deum, si Deus non novit irasci?* cui timori respondet remorsus conscientię, post crimen, quo etiam cruciantur Ethnici & Athei, qui etiam frustrà esset nisi aliquod Numen crimine offensum illud esset vindicaturum.

Adverte primò ea accipienda esse de conscientiâ latiùs sumptâ, prout etiam comprehendit synteresim, juxta inferiùs dicenda. 14.

Naturali judicio de Dei providentiâ respõdet in voluntate pia quædã affectio.

Secundò ejusmodi naturali judicio ac dictamini de Dei providentiâ, auxilio, & cultu, respondere in voluntate piam quandam ac syntereticam affectionẽ, erga ejus cultum, ac venerationem; quod etiam constat experientiâ, & confirmatur dicendis capite duodecimo, conclusione secundâ.

Ex dictis utrâque conclusione apparet contrariam sententiam, vel potiùs insaniam, esse summè injuriam, primò ipsi Deo, quem fraudat cultu tot titulis ipsi debito, hujusque possessione ab origine mundi

mundi inchoatâ, omnibusque sæculis ac nationibus hactenus continuatâ, quam confirmat traditio nunquam interrupta, per manus omnium majorum nostrorum ad nos usque perducta. Secundò toti generi humano, quod accusat intolerabilis stuporis, & universalis idololatriæ; quia vereatur, colatque Deum tantùm imaginarium. Tertiò eandem exstinguere ipsum lumen & instinctum conscientiæ, regulam, ac mensuram omnis honestatis, adeoque occludere ipsum fontem, & ostium omnibus virtutibus, aperire autem omnibus sceleribus. Quantæ dementiæ, arrogantiæ, audaciæ, & impietatis est, id vel cogitare, quantoque magis dicere?

15. Dico tertiò: præterea Dei tum existentia tum providẽtia certa est, ac nota lumine supernaturali fidei.

Dei existentia & providentia nota lumine fi.

Probatur ex Apostolo ad Hebræos 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Prioribus verbis exprimitur Dei existentia, posterioribus providentia. Exodi 3. *Ego sum qui sum: qui est misit me.* Quibus verbis descripsit aptissimè Deus ipse naturam suam, quòd sit ens à se, seu non ab alio, juxta probationem conclusionis primæ: eo enim ipso, de eo affirmatur infinita implicitè perfectio, non tantùm actualis existentia, essentialiter ipsi conveniens: si enim non sit ab alio, ergo nec ens participatum, aut limitatum; quia à nullo limitari potuit, utpote nullius virtute contentum, aut determinatum: quæ sola est radix limitationis.

Deinde eo ipso, quo prudenter aliquid creditur ob Dei revelationem, in actu quasi exercito creditur esse qui revelavit.

Probatur etiam ratione: quia naturalis Dei cognitio, nõ est proportionata & sufficiens ad actus supernaturales, ac meritorios vitæ æternæ, ad quos proinde requiritur cognitio Dei supernaturalis, illa certior & sublimior basis ac fundamentum vitæ supernaturalis.

Concludam hoc caput verbis LACTANTII de irâ Dei, cap. 7. ubi cùm ostendisset in reliquis bestias habere aliquid humano simile, eademq; suo modo cognoscere quæ homines, subdit: *Quem*, id est cultum Dei, *qui non suscipit, hic à naturâ hominis alienus vitam pecudum sub humanâ specie vivet; cùm à cæteris animalibus hoc uno solo ferè differamus, quòd soli omnium divinam vim potestatemq; sentimus, in illis autem nullus sit intellectus Dei.* Quod paulò antè confirmat authoritate Ciceronis. 16.

Addo eadẽ ratione hoc pæne solo nos differre à cæteris animalibus, quòd homines præditi sumus conscientiâ non tantùm Dei, sed boni & mali, quâ carent illa. Unde etiam sequitur hominem non habentem vel sequentem conscientiam, non tam hominis quàm pecudis vitam sub humanâ specie vivere.

Homines à bestiis potissimũ discernũtur conscientiâ.

CAPVT II.

An Conscientia spectet ad intellectum vel voluntatem.

17. HIs præmissis propiùs ac distinctiùs investiganda est natura conscientiæ, ac primò hoc capite ad quam animæ facultatē seu potentiam ea spectet. Dubitatur autem solùm de intellectu & voluntate: in quâ quæstione abstraho an duæ illæ potentię sint realiter ab animâ distinctæ, vel ipsa anima inadæquatè significata; quod verius est, & conformius dicendis sequenti capite.

Conscientia spectat ad intellectum. Respondeo: Conscientia pertinet ad intellectum, non voluntatem, Est communis sententia: D. THOMÆ 1.parte, quæst.79. art.13. & 1.2.quæst.19. art.6. contra Henricum & Durandum citandos capite 12. quibus favent aliqui recentiores, qui loca aliqua scripturæ de conscientiâ infrà citanda, explicant de voluntate.

Probatur primò ex ipsâ scripturâ, quæ conscientiæ tribuit scire, non velle. Ecclesiastes 7.cap. *Scit enim conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis.* Unde sensu contrario eidem tribuitur nescire. Genesis 43. *Non est in conscientiâ nostrâ quis posuerit*; scilicet pecuniam in marsupiis nostris. Id est; nescit conscientia nostra. Similiter ad intellectum spectat quod Apostolus suprà citatus ad Romanos secundo, eidē tribuit *reddere testimonium legis scriptæ in cordibus nostris, & accusare ejus transgressores*: videlicet dictando & judicando illicita, quæ per dictā legem prohibentur, ideoque dignos vituperio & pœnâ, illius trāsgressores. Contrario sensu ibidem, illi tribuitur defendere; quæ non possunt convenire voluntati potentiæ cæcæ. Idem Apostolus ad Romanos 14. cùm ait: *Omne quod non est ex fide peccatum est,* per fidem intelligit conscientiam, ut infrà clarè ostendam: omnis autem fides spectat ad intellectum.

Probatur secundò ex Patribus. 18.
Singularis de conscientiâ est locus ORIGENIS, in verba Apostoli citati, in epist.ad Roman. capite 2. lib.2.paulò ante medium: *Testimonio sanè conscientiæ uti Apostolus dicit eos qui descriptam continent in cordibus legem. Vnde necessarium videtur discutere quid istud sit quod conscientiam Apostolus vocat? Vtrùm sit aliqua alia substantia, quàm cor vel anima: hæc enim & alibi dicitur quia reprehendat, non reprehendatur, & judicet hominem, non ipsa judicetur, sicut ait Ioannes: Si conscientia, inquit, non reprehēdat nos, fiduciam habemus ad Deum. Et iterùm ipse Paulus alibi dicit: Quia gloriatio nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ. Quia ergo tantam ejus video libertatem, quod in bonis quidem gestis gaudeat semper & exultet, in malis verò non arguatur, sed ipsam animam cui cohæret reprehendat & arguat;*

arguat; arbitror quòd ipse sit spiritus, qui ab Apostolo esse cum animâ dicitur, secundùm quod in superioribus edocuimus, velut Pædagogus & quidem sociatus, & rector ut eam de melioribus moneat, vel de culpis castiget & arguat. De quâ etiam dicit Apostolus: Quia nemo scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est, & ipse sit conscientiæ spiritus, de quo dicit: Ille spiritus testimonium reddit spiritui nostro.

...scien- ...st Pæ- ...ogus ...Rector ...mæ.

...alis ...tas ...veniat ...scien-

Proponit ORIGENES hîc eandem ferè quæstionem quam nos, quid sit conscientia? & ut alia hîc omittam sequenti conclusione explicanda; tribuit illi libertatẽ quan-
8. dam intellectualem, quòd reprehendat non reprehendatur, judicet non judicetur: qualis libertas non potest convenire voluntati, quæ non reprehendit & judicat; sed reprehenditur & judicatur. Ob eandem causam conscientia comparatur non domino δεσποτικῶς & efficaciter imperanti, quod est voluntatis; sed Pædagogo πειστικῶς & suaviter regenti, quod est intellectûs: cui item soli convenit, quod eidem cum scripturâ tribuit, scire, ut & testimonium perhibere spiritui nostro, scilicet per lumẽ aliquod spirituale. Idem sentit HIERONYMUS super caput citatum, tum quia intellectui tribuit synteresim, tum quia dicit cum Origene conscientiam reddere testimoniũ spiritui nostro. Clariùs BASILIUS in initium Proverbiorum: *Quoniam autem apud nos ipsos habemus judicium quoddã naturale, φυσικὸν Κριτήριον, per quod ab iniquis bona facilè discernimus, necessarium nobis in agendorum optione recta facere, rerum discrimina, &c. incestus & pudicitia apud te judicantur, & alta mens tua pro tribunali sedet.* Quibus clarum est tum agi de conscientiâ cujus est ab iniquis bona discernere, judicare, imò denique tanquam judicẽ pro tribunali sedere; tum de intellectu ut ostendunt verba: *Iudicium seu judicatorium, discernere, & mens.*

Idem probari posset ex DAMASCENO citato â Divo Thoma, aliisque, quòd dicat consciendiam esse lumen intellectûs nostri. Verùm cùm id in Damasceno non inveniam, nec citetur locus, suspicor illum nil aliud dicere, quàm ex illo referam cap.11. quòd nimirum illa sit lex mentis nostræ, atque à Doctoribus lectum fuisse: *Lux*, pro: *Lex*, saltem iis etiam verbis conscientiam refert ad intellectum.

Denique sensu conclusionis, de conscientiâ nunc agunt communiter Doctores cum Divo Thoma Thomistæ, cum Scoto Scotistæ, idemque significat ipsum nomen Latinum conscientiæ: græcum συνειδήσεως à consciendo, seu ἀπὸ τοῦ συνειδέναι. Quæ sola ratio sufficeret ad probandam conclusionem de modo loquendi. Adverte particulam: *Con*, significare quidem ordinem aliquẽ, ut docet Divus THOMAS 1. parte, quæst.79. art.13. sed verisimilius tantùm virtualem habentis 19.

Quid significet particula: Con.

bentis conscientiam, seu conscium cum seipso seu corde suo. Quo sensu Divus BERNARDUS libro posteriori de conscientiâ cap. 8. & de interiori domo cap. 22. *Conscientia, ait, est cordis scientia; cor enim & se novit suâ conscientiâ & multa alia. Quando novit se appellatur conscientia, quando præter se alia, nominatur scientia.* Ita dicitur quis secum considerare, sibi conscire, & sibi non alteri conscius esse, juxta illud Horatianũ:

--------- *Hic murus aheneus esto,*
Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

Confirmari potest illud, ex Hebræo לב quæ vox significat cor & conscientiam. Quare Ecclesiastes citatus: יָדַע לִבְּךָ, id est, novit cor vel conscientia tua: quibus semper involvitur aliqua scientia, ad intellectum spectans. Consonat his illud JOANNIS primæ tertio: *Charissimi si non reprehenderit nos cor nostrum,* id est conscientia nostra, *fiduciam habemus ad Deum.*

CAPUT III.

An conscientia sit actus, vel habitus?

20. *Conscientia actualis & habitualis.* RESpondeo: conscientia, ut scientia, significat aliquando actum, potestque dici conscientia actualis; aliquando habitum vel ipsam animam potentem habitualiter illum elicere, potestque dici conscientia habitualis. Sic conciliari possunt Divus Thomas citatus, qui docet eam esse actum, quem sequuntur plerique; & Scotus, Bonaventura, Durandus, qui dicunt esse habitum, ut & Gerson, de naturâ & qualitate conscientiæ initio.

Actualis est actus. Probatur prior pars de conscientiâ actuali: primò ex Divo Thoma, tum quia conscientia deponi potest imò sæpe debet, quod non convenit potentiæ aut habitui, sed actui: tum quia actui propriè & proximè conveniunt officia conscientiæ jam indicata, testificari, reprehendere, remordere, accusare, vel excusare, atque etiam ligare, & instigare, quamquam hæc etiam propriè, etsi mediatè, ratione actûs possunt dici de conscientiâ habituali.

Probatur secundò, quia conscientia dicitur recta, probabilis, dubia, erronea, ac falsa, & scrupulosa, eademque dicitur nunc opinio, nunc conscientia, quæ nec solent nec possunt propriè dici de habitu, sed actu.

Habitualis est ipsa anima. Probatur nihilominùs posterior conclusionis pars de conscientiâ habituali, ipsaque anima: Primò ex scripturâ quæ, ut jam dixi, conscientiæ tribuit: *Scire*, quod nec actui, nec etiam habitui solet tribui, sed animæ. Deinde conscientia dicitur pura, 2. ad Timotheum 1. & inquinata, ad Titum 1. & Sanguis Christi emundare conscientiam nostram, ad Hebræos 9. quæ etiã conveniunt animæ, non actui vel habitui.

Dices

21. Dices ex D. Thoma citato ad 2. conſcientiam, id eſt, cognitionem emundari objectivè, cùm deletur ejus objectum; id eſt peccatum. Confirmari poteſt ex dicendis poſtea, quòd conſcientia ſit liber; nam & libri expurgari dicuntur ſimili ſenſu.

Reſpondeo illam emundationẽ aut puritatem nõ ſufficere ad mentem Apoſtoli, & Chriſti fidelium, neque eſſe propriam: quia aliud verè eſt conſcientiam ipſam eſſe puram, inquinatam, vel emundatam, quàm ejus objectum illi extrinſecum. Aliàs ex iis locis probari non poſſet contra hæreticos, conſcientiam propriè & intrinſecè eſſe puram & emundatam Chriſti ſanguine.

Quod attinet ad confirmationem, dupliciter peccatum & immundities poteſt eſſe objectum libri, vel etiam cognitionis.

Primò ita ut approbetur; ſecundò ut tãtùm explicetur ac cognoſcatur, vel etiam improbetur. Priori modo liber dicitur impurus, ſi ſordes eo ſenſu contineat; & emundari, cùm illæ tolluntur. Poſteriori modo emundatione non eget, quia nunquam immundus fuit; aliàs ſordidi, & hæretici dicendi eſſent libri, qui ſordes ac hæreſes damnant.

Conſcientia actualis liber eſt poſteriori ſenſu, ut jam conſtat ex dictis; non priori. Itaque illa propriè nec immunda eſt, nec emundatur, aliàs enim conſcientia & cognitio Dei inquinata eſſet, quâ omnes peccatorum ſordes perfectiſſimè cognoſcuntur, illaque emundaretur cùm delentur peccata noſtra, quod nemo dixerit.

At verò conſcientia habitualis ipſa anima, ſimilis eſt libro priori ſenſu, & peccatis inquinatur intrinſecè, & ſubjectivè, non tantùm extrinſecè & objectivè: quare intrinſecè & propriè debet emundari Chriſti ſanguine: quibus confirmatur non objectio, ſed concluſio.

Probatur ea ſecundò ex Patribus, Origene & Hieronymo citatis ſuperiori capite: hic ſynteresim, quam diximus eſſe habitum, vocat conſcientiam: ille clarè ſupponit eam eſſe quid habituale permanẽs, imò ſubſtantiam, tantùmque inquirit, an ſit ſubſtantia diſtincta ab animâ, & corde, id eſt mente, ut ipſe hanc vocem explicat. Cùm autem reſpondet eſſe ſpiritum non animæ aſſiſtentem, ſed cohærentem, ſatis indicat non eſſe ſubſtantiam diſtinctã, ſed ipſam animam, ſcilicet inadæquatè ſpectatã. Idem docet BERNARDVS de converſione ad Clericos cap. 2. his verbis: *Aperitur ſiquidem conſcientiæ liber, revolvitur miſera vitæ ſeries, triſtis quædam hiſtoria replicatur, illuminatur ratio, & evoluta memoria velut quibuſdam ejus oculis exhibetur. Vtraq; verò non tam ipſius eſt animæ, quàm anima ipſa: ut eadem ſit & inſpiciens & inſpecta, contra ſuam ſtatuta faciem, & à violentis quibuſdam apparitoribus immiſſa-* 22.

immiſſarum utique cogitationū, coacta proprio interim judicanda aſſiſtere tribunali. Quibus expreſsè nō tantùm memoriam & rationem, ſed & conſcientiam, quam per illas quaſi partes explicat, dicit eſſe ipſam animam: cui proinde & conſcientiæ propriè conveniunt quæ ſubjungit verbis citatis. Idem planè ſupponit Bernardus paſſim alibi, tum capite ſequenti, quo conſcientiam vocat volumen grande, & repoſitorium, in quod velut ſentinam aliquam, tota decurrit abominatio: tum libro toto de interiori domo, id eſt, conſcientiâ ædificandâ, quo conſcientiam ſæpè vocat domum, in quâ à cap.7. erigit columnas ſeptē, quæ ſunt: voluntas bona, memoria beneficiorum Dei, cor mundum, animus liber, ſpiritus rectus, mens devota, ratio illuminata: quæ clarum eſt non convenire actui, neque etiam habitui, ſed ipſi animæ. Idem ſupponit libris de conſcientiâ: Priori ſtatim initio, dicit conſcientiam ædificandam & mundandam, tum ab homine per cogitationes & affectiones, tum à Deo, per miſericordiam & gratiam, quæ item conveniunt animæ, non habitui ab eâ diſtincto, aut actui, à quo illam apertè contrà diſtinguit: ut & poſteriori libro etiam initio, ubi cap. penultimo, & cap.22. de interiori domo, conſcientiam bonam vocat templum Salomonis, agrum benedictionis, hortum deliciarum, reclinatorium aureum, habitaculum Spiritûs ſancti: quæ aliaque conveniunt ſoli animæ.

Ex quibus etiam apparet contra 23.
mentem Patrum & Apoſtolorum, *Nunquā*
ut & ſignificationem vocis, recen- *conſciētia*
tiores aliquos conſcientiam bonā, *dicitur*
de quâ Paulus 1. ad Tim. & Petrus *voluntas.*
1.cap.3. explicare de actu, vel potentiâ voluntatis: nulli enim competit conſcientia cui non ſcientia. Itaque conſcientia bona eadem eſt quæ pura, ipſa anima expers peccati, ac prædita virtute. Auguſtinum, ex quo aliqui contrarium colligunt, citabo & explicabo libro ſecundo cap.16.num.151.

Probatur tertiò poſterior pars 24.
concluſionis de animâ, ratione; quia ut conſtat ex jam dictis, omnia ipſi propriè conveniunt quæ tribui ſolent conſcientiæ habituali, ut quòd dicamur habere conſcientiam, ſcilicet permanentem, etſi dormiamus, vel nil ad illam ſpectans cogitemus, aut judicemus; quod non intelligitur de actuali conſcientiâ quâ tunc caremus. *Conſcientia verò* (ait Bernardus de interiori domo cap.1.) *perpetua eſt, quæ nunquam finitur; ſicut nec anima, quæ cùm ſit immortalis, ſicut non poteſt eſſe non anima; ſic nunquam poteſt eſſe ſine conſcientiâ.* Quamobrem item ſatis indicat conſcientiam ab animâ non diſtingui, ſimiliter dicimur examinare, non conſcientias quales eſſent actus, atque etiam habitus diſtincti, ſed conſcientiam noſtram, ſcilicet ipſam animam. Eidem,

dem, nulli alteri, convenit, tum quies qualis conſcientiæ ab omni-
13. bus tribuitur, ut dicam libro ſequenti cap. 11. tum jus & forum, quale conſcientię convenire dicam hoc libro, cap. 20. tum etiam conſcientiæ libertas, de qua agam à cap. 22. Itaque convenienter vocatur ipſa anima conſcientia habitualis.

Confirmatur, quia ut docet D. Thomas hanc ipſam quæſtionem tractans articulo illo 13. conſuetum eſt quòd cauſæ & effectus per invicem nominentur; quod eâdem, imò majori ratione, dicitur
4. de animâ præcipuâ & ultimâ causâ creatâ conſcientiæ actualis.

5. Ex dictis tamen collige & adverte, animam eſſe conſcientiam habitualem, non tantùm quatenus eſt cauſa efficiens potens elicere actualem; ſed etiam quatenus eſt cauſa ſubjectiva potens recipere, imò recipiens, non tantùm ipſam conſcientiam actualem; ſed ejus objectum, virtutem & vitium, aut utriuſque cauſam & effectum. Hac enim ratione dicitur munda vel immunda, bona vel mala: neque mirum eſt hæc omnia inter ſe connexa ſignificari uno nomine conſcientiæ, uti reverà uni animæ conveniunt.

CAPUT IV.

Quid ſit conſcientia actualis.

SUperiori capite diſtinximus conſcientiam habitualem & 26. actualem, priorem ſatis ibi explicavimus, de quâ ſæpius agunt Doctores myſtici, ut & Scriptura. Poſterior hîc explicanda eſt, de quâ agunt cum D. Thoma Scholaſtici, & nos præcipuè hiſce libris acturi ſumus: ex cujus item explicatione pendet explicatio conſcientiæ habitualis, quatenus videlicet ejus cauſa eſt.

Dico primò: conſcientia actualis eſt dictamen practicum, quod aliquid ſit faciendum vel non faciendum, benè vel malè factum, eſt communis, nec eget probatione, ſed explicatione.

Actualis eſt dictamen practicum.

Dixi faciendum vel non faciendum, vel expreſsè iis terminis, vel tacitè æquivalentibus; ut ſi judices tibi aliquid præceptum vel prohibitum, ſcilicet omnibus conſideratis validè, multoque magis ſi judices bonum hoc facere, malum non facere, aut contrà; aut ſi judices v.g. te teneri ad reſtitutionem, non autem, ſi tantùm judices rem eſſe alienam quam ſervas; quia judicium hoc non eſt practicum; & nihilominùs potes illam aliquando non reſtituere, v.g. gladium furioſo, & agere non contra, ſed ſecundùm conſcientiam.

27. *Objectum conscientiæ commissio, & omissio.* Dixi: non faciendum & non factum; quia tam omissio est objectum conscientiæ ab eâ dirigibile, quàm commissio, ut satis clarum est. Ita conscientiæ dictamen est illud: *Quod tibi fieri non vis, alteri non feceris.* Si præsertim applicetur alicui in particulari, cujus etiam signum est, quòd illa æquè remordeat si omiseris id quod facere debebas; ac si feceris quod non poteras.

Dixi præterea: faciendum & non faciendum; non tantùm necessariò sub peccato, quale est dictamē legis; sed laudabiliter, quale est dictamen consilii, qua ratione comprehenditur conscientia non tantùm obligans, sed & consulens, cui quoque nomen conscientiæ solet tribui, & conveniunt ejus officia; nominatim quòd sit regula & mensura actuum bonorum.

Dixi denique: factum vel non factum, cùm scilicet conscientia versatur circa præteritam commissionem vel omissionem, accusando, vel excusando, probando vel improbando.

Restant explicandæ duæ definitionis primæ voces: *dictamen practicum,* quarum explicatio pendet ab aliis sententiis inter Doctores controversis.

28. Adverte itaque circa priorem, Thomistas concedere intellectui actum quemdam imperii, ab aliis ejus operationibus vulgò notis distinctum; cujusmodi actus videretur esse etiam dictamen conscientiæ, cui ut postea ostendam, convenit quoque imperare, seu obligare, atque ita aliqui per ejusmodi actum explicant speciatim rationem ac conscientiam rectam.

Non convenit intellectui quartus actus imperii. Suppono tamen hîc primò veriorem ac communiorē saltem recentiorum sententiam non convenire intellectui quartū illum actū antiquis etiam philosophis ignotum; sed imperium, sive œconomicum aut civile superioris erga subditum, sive monasticum ac privatum cujusque erga seipsum, nil esse aliud quàm practicam quandam enuntiationem seu locutionem tanquam ad inferiorem; ut oratio est ad superiorem, suasio & communis locutio ad æqualem. *Quid imperii.* Ad quod non est opus alio actu quàm judicii connotantis ac substantis impulsui voluntatis. Alius actus nec est necessarius, nec explicari potest qualis sit, cùm omnis actus intellectûs debeat esse aliqualis cognitio, non impulsus, qui spectat ad voluntatem.

Addo ejusmodi imperium erga seipsum non esse quidem necessarium, utiliter tamen aliquando exhiberi ac dirigi; non quidem ad potentias externas incapaces rationalis allocutionis, qualis illud est; sed ad ipsam voluntatem, quæ magis excitatur, si actu reflexo ipsiusmet desiderium, vel etiam judicium intellectûs ei proponatur & intimetur. Sic viri fortes solent seipsos animare in periculis, & pii 29. *Quisque utiliter, etsi non necessariò imperat sibiipsi.*

ad

ad laudandum Deum cum Psalmista: *Benedic anima mea Domino, lauda anima mea Dominum.*

30. Suppono secundò contra quosdam item Thomistas, neque imperium, neque aliud judicium, aut dictamẽ intellectûs admittendum esse, quo posito voluntas ad agendum determinetur; ità ut non possit actum suspendere: quia neque ejusmodi est necessarius, neque posset consistere cum libertate voluntatis; quæ est potestas agendi & non agendi, positis omnibus ad agendum prærequisitis, inter quæ censeri debet omninò prævia cognitio intellectûs. Quare ejusmodi conscientiæ dictamen everteret libertatem, fundamentum omnis moralitatis, neque esset regula, sed corruptela actuum moralium.

...actu ...lectûs ...ntas ...mi- ...r.

31. Suppono tertiò etiam ex primâ secundæ, ad movendam voluntatem probabiliùs non sufficere nudam apprehensionem; sed requiri judicium saltem virtuale, vel quòd bonitas tali rei conveniat, si proponatur bonum in concreto; vel saltem quòd ea sit bonitas, si hæc proponatur in abstracto. Aliàs non esset ratio cur voluntas erga rem sic propositam potiùs afficeretur, quàm quamlibet aliam illi directè oppositam, in quâ similiter apprehendi sine judicio posset bonitas, v.g. in miseriâ beatitudo.

...vea- ...pus ...dicio ...n ...li.

Quibus præmissis,

32. Dico secundò: conscientia actualis est actus judicii, seu spectat ad secundam operationem intellectûs. *Conscientia est actus judicii.*

Probatur ex D. Basilio superiori cap. citato, qui expresè conscientiam vocat φυσικὸν κριτήριον, naturale judicium seu judicatorium; idemque supponunt alii Patres, ut & Doctores qui conscientiæ non tribuunt actus & officia nisi ad secundam operationem intellectûs spectantia, ut constabit cap. 7. nominatim D. Thomas artic. illo 13. expresè per actum judicii ea explicat, etiã quod liget seu obliget, & instiget: qui tamen actus, si ullus conscientiæ, spectat ad imperium. Idem ad secundum vocat conscientiam mentis dictamen.

Probatur secundò ex dictis, quia non est actus imperii à reliquis distinctus; tum quia ille non datur; tum quia etsi daretur, non esset is conscientia, quæ satis explicatur judicio: quod inde etiam à fortiori constat; quia in eodem situm est dictamen legis naturalis. Obligat ergo & conscientia & lex naturalis in foro interno conscientiæ, ut ferè in externo judex non expresè aut in actu signato imperando; sed definiendo ac judicando. *Non est imperii.*

Clarius est conscientiam non esse apprehensionem seu spectare ad primam operationẽ intellectûs, quia illa, ut dixi, non est sufficiens ut moveat aut dirigat voluntatem; neque eâ dictatur quidquam faciendum aut non faciendum. Suf- 33. *Neque apprehensio.*

ficit ergo & requiritur judicium saltem virtuale, sive illud sit actus compositus, sive simplex: quod viderint philosophi.

Ex quibus sequitur, conscientiam ne quidē esse imperium quale jam explicui & admisi. De tertiâ operatione intellectûs discursu, nihil hîc dico, quia etsi sæpius ille conscientiam præcedat, clarissimum tamen est illam non esse.

34. Quod attinet ad alteram illam definitionis vocem: *practicam*, Adverte disputari etiam à Doctoribus quid requiratur ad cognitionem practicam, & quænam sit praxis, à quâ illa practica denominetur. SCOTVS aliique eum secuti à ratione praxeos excludunt omnem operationem intellectûs.

35. *Etiā actus intellectûs comprehenditur praxi.* Suppono iterum veriorem & communiorem sententiam, quæ actus intellectûs comprehēdit sub praxi; adeò ut una cognitio respectu alterius quam dirigit, dicatur etiam practica: quâ ratione Logica solet dici scientia practica, etsi dirigat tres operationes intellectûs. Ratio est quia etiam operationes intellectûs possunt bene vel malè fieri, non tantùm logicè, sed & moraliter, ergo & illæ egent directione prævià, ac cognitione eo ipso practicâ.

36. *Quo sensu conscietia sit practica.* Dico itaque tertiò: conscientia dicitur dictamen practicum, quia habet pro objecto & fine suo intrinseco praxin; qualis est quævis operatio interna etiam intellectûs, & externa quam illa nata & apta est dirigere.

Probatur: tum quia ut jam dixi, omnes illæ actiones indigent directione morali, ut scilicet fiant juxta regulam moralem conscientiam, ac prudentiam, etiam functiones mentales, studia, meditationes, ac contemplationes: tum quia in eo differt cognitio practica à speculativâ, quòd hæc non sit apta ut mutet objectum suum, sed sistat in solâ ejus contemplatione; illa verò sit apta ut objectū suum causet, mutet vel dirigat. Quod item significatur verbis definitionis; quòd aliquid sit faciendum: quò spectat etiam, quòd aliquid sit sic faciendum.

Unde collige non esse objectum conscientiæ actiones necessarias, v.g. motus primò primos, quia incapaces moralis directionis, eo ipso quo necessariæ sunt.

Dixi, fine intrinseco, qui videlicet non distinguatur ab objecto; quare non est practica scientia aut studium metaphysicæ, etsi extrinsecè destinaretur ad operationem seu praxim, v.g. conversionem animarum. Quia hæc non est objectū ejus & finis intrinsecus: quare nec ipsum est de se aptum ut praxim dirigat. Atque eo modo proximè praxim & actionem, præsertim voluntatis, dirigere maximè proprium est conscientiæ. Quo etiam sensu Divus Thomas 1.2.quæst.19. artic.5. & art.13.citato, docet con-

ſcientiam eſſe applicationē ſcientiæ ad actum, ſcilicet ab eâ directum. Dixi, quam illa nata eſt dirigere, etſi actu non dirigat; uti nō dirigit, cùm quis operatur contra conſciētiam. Imò hic ideo peccat, quia practicum conſcientiæ dictamen habet, nec ſequitur.

pra- a et- circa us præ- tos. Quia verò hæc dicta ſunt de primario conſcientiæ dictamine & officio circa actus futuros; addo eòdem ſpectare ſecundarium ejus dictamen, circa actus præteritos, quod ſcilicet ſint bene vel malè, non faciendi, ſed facti. Ejuſdem enim rationis ac facultatis eſt ante factum præſcribere, an & quo modo aliquid ſit faciendum, & poſt factum cenſere an bene vel malè ſit factum. Quod ſi huic judicio addatur; hoc quia bene factum iterandum, illud quia malè deinceps omittendum, invenitur nova directio & praxis.

7. ...an- nve- tiam Ex dictis collige conſcientiā quò ad primarium illud ſuum dictamen & officium nullam involvere aut ſupponere imperfectionē; ideóque convenire non tantùm hominibus & angelis; ſed etiam Deo: quare Petri ſecundo, Deo etiam tribuitur conſcientia probabiliter ipſi intrinſeca, ut numero 118. explicabo. Quoad ſecūdariū dictamen circa actus præteritos malè factos, manifeſtum eſt hoc ſupponere peccatum, ideóque non poſſe Deo convenire, neque etiam conveniſſe.

Concipit quidē Deus ejuſmodi dictamen circa peccata noſtra; ſed hoc non ſpectat ad conſcientiam, quæ verſatur circa actiones proprias, ut ſuprà indicavi ex ipſo nomine; quòd eâ quis dicatur conſcire ſibi, ſeu judicare, quid ſibi faciendum, non aliis.

CAPUT V.

Ad quam animæ partem ſpectet conſcientia.

Nota duplicem animæ partem diſtingui, ſuperiorem & inferiorem, & hanc diviſionem dupliciter explicari. 38. *Quæ ſit pars animæ ſuperior, quæ inferior.*

Primò quaſi ex parte ſubjecti, ut pars ſuperior ſit ratio, atque etiam memoria, ac appetitus rationalis, id eſt, voluntas; quibus tribus potentiis anima peculiariter aſſimulatur ſanctiſſimæ Trinitati, diciturque creata ad imaginem & ſimilitudinem ejus: Inferior eſt imaginatio, ſeu cognitio, & appetitus ſenſitivus.

Secundò quaſi ex parte objecti per diverſas regulas, ac motiva humanarum actionum: quo ſenſu ab Auguſtino duodecimo de Trinitate, cap. 7. pars ſuperior deſcribitur, quâ mens æternis rationibus inſpiciendis & conſulendis adhæſerit. *Inſpiciendis*, explicat D. Thomas 1. 2. quæſt. 74. artic. 9. ſecundùm quod earum veritatem ſpeculatur; *conſulendis*, ſecundùm quod per rationes æternas, de aliis judicat, ſcilicet etiam

etiam temporalibus. Pars inferior est quæ, inquit ibidem Augustinus, ad temporalia gubernanda deflectitur, scilicet eadem mens & ratio, quatenus se ad temporalia demittit: nec enim hoc convenit potentię sensitivę. Partem superiorem ibidem Augustinus comparat viro, inferiorem fæminæ.

Conscientia spectat ad partem animæ superiorem.

39. Respondeo jam: Conscientia spectat ad partem animæ superiorem, scilicet utroque illo sensu.

Priori sensu jam probata est conclusio cap. 2. quo ostendi conscientiam pertinere ad intellectũ, seu facultatem rationativam, & probabitur jam dicendis à fortiori. Posteriori sensu, probatur primò ex Patribus, citandis cap. 7. & citatis cap. 2. num. 14. qui conscientiæ tribuunt officium supremi judicis: quod haud dubiè spectat ad partem animæ superiorem: nominatim Basilius citatus de eâ: *Ita*, inquit, *mẽs tua pro tribunali sedet.* Idem est *alta*, quod superior mens sive animæ pars.

Probatur secundò ratione; nam rationes quibus conscientia judicat de bonitate, vel malitiâ actuum, non sunt temporales, sed æternæ: quia abstractæ à rebus temporalibus & sensibilibus; quare ipsa etjam bonitas & malitia juxta D. Thomam articulo illo nono, & sequenti, aliisque, & communem sententiam Doctorum, spectat ad rationem superiorem.

Confirmatur: quia ut dicam dè lege naturali, & de conscientiâ, utraque est quædam participatio sapientiæ & legis æternæ: quare conscientia non dictat quid expediat ad lucrum temporale, vel conveniat sensui; sed quid expediat ad honestatem, & placeat Deo.

Ex quibus apparet idem dicendum de synteresi, cujus est potiùs inspicere rationes æternas per universalia principia; conscientiæ potiùs est easdem consulere, vel sequi per practicas conclusiones. 40.

Idem dicendũ de synteresi.

Apparet secundò, conclusionem intelligi posse de utrâque conscientiâ; habituali, prout significat ipsam animam inadæquatè acceptam, quatenus rationalem circa rationes æternas; & actuali, prout significat ejus actum, & dictamen circa easdem.

Conclusio vera de conscientiâ habituali & actuali.

Adverte, quamvis conscientia spectet ad partem animæ & rationem superiorem, ut jam dixi, & hæc consentiat in actum peccati (ut docent Augustinus duodecimo de Trinitate, cap. 12. & D. Thomas citatus art. 7.) imò ad eam ut supremum tribunal spectet ultimum judicium, & consensus, saltem plenus in peccatum consummatum: conscientiam tamẽ nunquam consentire in ullum peccatum mortale aut veniale, internum vel externum; atque adeò in supremo illo tribunali manere semper judicem incorruptũ, & irreprehensibilem, ut optimè explicuit Origenes citat. cap. 2. Cujus ratio ulterior est, quòd 41.

Conscientia nunquam consentit in peccatum.

pars

pars animæ ſuperior includat voluntatem, cujus eſt in peccatum conſentire, conſcientia autem illam non includat.

Unde ſequitur primò, ipſam propriè non tantùm inſpicere & intendere; ſed adhærere rationi-
40. bus æternis, ut loquuntur Augu- *Idem d... endū d... ſynteresi...*
ſtinus & Divus Thomas.

Secundò, illam ſuperioris animæ partem, eſſe partem digniſſimam & integerrimam.

Conclu... vera de... conſcien... tiâ habi... uali &... ctuali...

CAPUT VI.

Ad quem habitum ſpectet conſcientia.

2. IAm dixi ſuperioribus capitibus conſcientiam non tam eſſe habitum ab animâ diſtinctum, quàm
41. ipſam animam: cum quo tamen conſiſtit quòd illa ad eliciendam conſcientiæ diverſa dictamina, actuſque, utatur variis habitibus, ad quos etiam ſpectare dicatur conſcientia. Atque hic eſt ſenſus hujus quæſtionis; quæ inſtitui etiam poteſt de utrâque conſcientiâ, habituali & actuali.

Dico primò: conſcientia ſpectat ad diverſos habitus, vel principia, pro diverſitate materiæ circa quam verſatur. eſt communis.

Conſcien... tia nu... uam... onſenti... n pecc... um.

Probatur: quia natura, ac dictamen conſcientiæ cap. 4. explicatum non reſtringitur ad certam materiam habitûs aut virtutis, ſed extendit ſe ad quamlibet, in qualibet; ergo egebit habitu materiæ proportionato, à quo, vel cujus auxilio ab animâ eliciatur.

Itaque ſi verſetur circa materiam fidei, ſpectabit ad fidem à quâ procedit; ſi circa materiam principiorum moralium abſque diſcurſu, ſpectabit ad ſynteresim; ſi circa materiam Theologicam, Ethicam, vel Juridicam per diſcurſum, ad Theologiam, Philoſophiam moralem, vel Juris-prudentiam.

Circa quamvis verò materiam poteſt procedere etiam à prudentiâ acquiſitâ, vel infusâ; vel aliquando à ſpeciali Dei auxilio habitûs vicem ſupplente, vel illum adjuvante: quare addidi in concluſione: vel principia.

Quibus confirmari poteſt, quod 43.
antè dixi, conſcientiam habitualẽ, non tam eſſe habitum, quàm ipſam animam; quia cùm illius actus ac dictamen ſpectet ad tam diverſos habitus, imò præter eos, ad alia principia; non videtur conveniens ad ea ſingula nomen conſcientiæ extendere; ſed ad unicam animam, quæ eadem cum ſingulis ſemper concurrit. Neq; id repugnat menti Doctorum, qui dicunt conſcientiam eſſe habitũ, per quem intelligunt aliquod principiũ habituale, ac permanens, ſive diſtinctum ab animâ, ſive non.

Obſervant hîc Doctores com- 44.
muniter cum D. Thoma in ſecundum diſt. 24. quæſt. 2. art. 4. ſynteresim ſubminiſtrare conſcientiæ præmiſſas

Synteresis subministrat conscientiæ præmissas communiter.

missas præsertim majorem, unde inferatur conscientia actualis, tanquam conclusio: v.g. hoc syllogismo: nullum malum est faciendum, atqui hoc, v.g. furtum, est malum, ergo hoc non est faciendum. Ubi major est à synteresi. minor ab eadem, si lumine naturæ nota; à Theologiâ, si nota ex Scripturâ, quâ furtum prohibetur; à Theologiâ vel Philosophiâ morali, si deducta ex aliis principiis per discursum: conclusio, est dictamen conscientiæ, quæ solet descendere ad particularia, hîc & nunc. Quæ vera sunt
45. & frequentia, etsi non necessaria. Primò enim non semper opus est ad conscientiam syllogismo, ut constat.

Secundò ipsa etiam synteresis ejusque dictamen conscientia est: quia illi convenit definitio conscientiæ. Quare in dicto syllogismo, utraque præmissa potest dici conscientia, cujus proinde dictamen procedit etiam à synteresi, ut jam dixi. Non fungitur tamen hæc conscientiæ proprio officio, quod est proximè & immediatè praxim dirigere: hoc enim convenit soli conclusioni, nisi quis furetur sciens vel assentiens tantùm minori dicti syllogismi: hic enim certissimè peccabit, agetq; contra conscientiam; non aliam quàm illam ipsam; hoc itaque casu, etiam synteresis conscientiæ officio fungetur, proximè actum dirigendo vel improbando.

46. Ex dictis colligo & dico secundò: tam diversa conscientiæ dictamina non gignunt aut intendunt unum aliquem habitum, sed diversos pro diversitate materiæ, circa quam versantur; scilicet eosdem à quibus procedunt.

Dictamina conscientiæ nō gignunt unum habitum.

Atque hæc vera sunt, non tantùm de conscientiâ rectâ & verâ, sed etiam falsâ & erroneâ, scilicet procedere à diversis habitibus erroneis, hæresi, aliisque, & illos eosdem gignere vel intendere non unum aliquem.

CAPUT VII.

Quod sit officium, ac dignitas conscientiæ.

Varia ejus officia jam aliâ occasione explicata sunt superioribus capitibus, paulò tamen 47.
fusiùs & distinctiùs ea hîc explicanda, eâdemque operâ ejusdē dignitas. Inprimis amplissimum ejus officium est, esse regulam & mensuram actuum humanorum, de quo agam cap.15. & toto ferè libro sequenti. Distinctiùs solent ejus officia designari & distingui à Divo Thoma, articulo illo decimo tertio; Gersone de naturâ & qualitate conscientiæ, aliisque, per diversa tempora ad quæ se conscientia extendit; extendit autem se ad omnia, futurum, præsens, quale etiam censetur paulò pôst futurum, & præteritum.

Versatur circa tempus præsens, præteritū, & futurum.

Primò itaque cùm versatur circa

futurum,

Dictamina conscientiæ nō gignunt habitum.

futurum, ligat vel obligat præcipiendo, cùm res est bona ac necessaria; si tantùm bona consulit, non obligat: utrovis modo etiam instigat, incitat ac stimulat; si res est mala, terret & retrahit prohibēdo.

Secundò, cùm versatur circa præsens, & res est bona, scientiam vel etiam voluntatem applicat & ordinat ad actum; si res est mala, resistit, repugnat, ac recalcitrat.

Tertiò, cùm versatur circa præteritum, testificatur, juxta Apostolum, atque etiā proverbium: *Conscientia mille testes*: si res bona fuit, defendit, probat, quiescit, atque etiam gloriatur, circumspectè tamen & sobriè: *Nam gloria nostra hæc est*, inquit Apostolus 2. ad Corint. 1.
47 *testimonium conscientiæ nostræ*: si res fuit mala, improbat, reprehendit, accusat, & remordet.

48 Luculentè hæc conscientiæ officia, præsertim postremum, explicant Patres, Augustinus libro contra secundum Manichæum, cap. 1. *Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.* Idem in illud Psalm. 37. *Quoniam in te speravi: Quando Deus judex erit, alius testis quàm conscientia tua non erit; inter justum judicem, & conscientiam tuam, noli timere nisi conscientiam tuam.* Refertur cap. custodi 11. quæst. 3. Gregorius lib. 6. epist. 14. & refertur cap. in cunctis iisdem: *Ad cor proprium recurrendum, ut nullius nos ibi lingua implicet, ubi conscientia non accusat: quem enim conscientia defendit, & inter accusationes liber est; & liber sine accusatione esse non potest, si sola conscientia accuset.* Idem lib. 8. epist. 45. & refertur cap. inter verba iisdem: *Quid enim si homines laudent, & conscientia nos accuset; aut quæ debet esse tristitia, si omnes accusent, & sola conscientia nos esse liberos demonstret? Habemus Paulum dicentem. gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Iob quoque dicit: ecce in cælo testis meus. Si ergo est nobis in cælo testis in corde; dimittamus stultos foris, loqui quod volunt.*

Verùm nobiliora ac diviniora 49
istis officia tribuuntur conscientiæ, nō tantùm à Patribus, sed authoribus Ethnicis: primò ipsius Dei, vel ut ita dicam, vice-Dei. Certè nil de eâ divinius, & augustius dici potuit, quàm illud Menandri: βροτοῖς ἅπασι συνείδησις θεός: mortalibus cunctis conscientia Deus. Quia videlicet ei tanquam Dei in animabus nostris vicariæ, omnes actiones conformandæ; eæque omnes ab eadem judicandæ sunt, finali & irrevocabili sententiâ, ut jam magis explicabitur. *Non minùs mirabiliter*, ait Lactantius, lib. 6. de vero cultu, cap. 24. *de Deo & de conscientiâ meminerit Tullius: meminerit Deum se habere testem, id est, ut ego arbitror, mentem suam, quá nihil homini dedit Deus ipse divinius*; ubi mens idem est quod conscientia. Quare addit Lactantius: *Purgemus igitur conscientiam nostram, quæ oculis Dei pervia est*, & ut ait idem: *Semper ita vivamus,*

Conscientia vice-Deus.

ut rationem nobis reddendam arbitremur, putemusq; nos momentis omnibus, non in aliquo orbis theatro ab hominibus, sed desuper spectari ab eo qui & judex & testis idem futurus est.

50. *Et Rector animæ.* Secundò: Origenes citatus tribuit num.14. conscientiæ officium Rectoris, & spiritûs animæ præsidentis, ac testimonium perhibentis, quòd sumus filii Dei.

51. *Ac Pædagogus.* Tertiò: Idem eidem concedit officium Pædagogi; imò Epictetus addit, hoc illi commissum ab ipso Deo, apud Stobæum sermone de conscientiâ: *Parentes*, inquiebat, *pueros nos pædagogo tradiderunt, qui ubique observaret ne læderemur; Deus autem jam viros insita conscientiæ custodiendos tradit: quæ quidem custodia nequaquam contemnenda est: quoniam & ipsi Deo displiceret, & conscientiæ ipsi nostræ hostes essemus.*

52. *Iudex.* Quartò: frequentiùs illi Patres tribuunt officium Judicis, sedentis pro tribunali animæ, ejusque supremi, & incorruptibilis, & perspicacis.

Pulchrè pleneque hoc officium aliaque explicat Bernardus meditationum cap.13. *Peccata mea celare non possum, quoniam quòcumque vado, conscientia mea mecum est, secum portans quidquid in eâ posui, sive bonum, sive malum; servat vivo, restituet defuncto depositum, quod servandum accepit: si malè facio adest illa; si autem bene facere videor, & inde extollor, adest illa: adest vivo, sequitur mortuum; ubique mihi gloria, vel confusio est pro qualitate depositi. Sic, sic, in domo propriâ, & propriâ familiâ habeo accusatores, testes, judices, & tortores. Accusat me conscientia, testis est memoria, ratio Iudex, voluptas carcer, timor tortor, oblectamentum tormentum.* Quibus verbis, etsi Bernardus tribuat officium Judicis rationi, ut & testis memoriæ, constat tamen hoc utrumque eidem convenire, atque illam ipsam inadæquatè, istis etiam verbis significari.

Adverte juxta Bernardum, aliosque Patres, imò & Apostolũ, conscientiam actibus, & officiis explicatis decorè agere personam Judicis, aliorumque ad judicium requisitorum; atque adeò legitimè exercere judicium, in foro ac tribunali suo. Primò enim ipsius conscientiæ testimonio proponitur factum aliquod examinandum. Secundò eadem examinat an illud bonum, vel malum, præmio vel supplicio dignum, idque cogitationibus invicem accusantibus, & defendentibus, juxta Apostolum ad Romanos secundo. Tertiò si bonum, non tantùm defendit & excusat; sed laudat & remuneratur quiete; si malum, non tantùm reprehendit & accusat; sed exercet vindictam, punitque remorsu. Hoc ultimum officium, aptâ similitudine canis, à qua conscientia remordere dicitur, explicat idem Bernardus, de interiori domo, cap.20. *Quòd si fortè, ut fieri solet, fur advenerit, qui non venit nisi ut furetur, & mactet, & perdat;* 53. *Modus judicandi conscientiæ.*

dat: si, inquam, fur venerit, id est, vel cordis elatio intrinsecùs oriens; vel appetitus humanæ laudis extrinsecùs adveniens; seu alia quælibet pestis, quæ domum istam machinetur perfodere: tunc rationis ira, quasi canis, thesaurum custodiens, evigilet, latret, mordeat, & jugulet, irruens in hostes, nemini parcat; nullum intrare permittat; sed clamitet, & excitet intùs habitantes ad arma capessenda. Undecumque vitium, sive clam, sive palàm nocere tentaverit, procul illud
53. *arceat, ut sit secura conscientia.* Hæc Bernardus.

54. Quintò, conscientiæ tribui potest officium Secretarii, vel libri fideliter secreta sibi commissa servantis, & suo tempore manifestantis. Imò ipsa Scriptura, hoc illi officium videtur tribuere Dan. 7. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt*, id est conscientiæ juxta communiorem & veriorem interpretationem. Simili sensu Job 13. *Scribis enim*, ait, *contra me amaritudines*, scilicet libro conscientiæ meæ, *& consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Quo item sensu in cordibus seu conscientiis descripta peccata dicit Jeremias cap. 17. *Peccatum Iudæ scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino*, id est, charactere indelebili, *super latitudinem cordis ipsorum.* Vide Bernardum citatum cap. 3. nu. 22. Idem de interiori domo cap. 22. vocat eam librum signatum, & clausum, & in die judicii aperiendum. Cap. 28. & posteriori libro de conscientiâ, cap. ultimo: *Unicuique est liber sua conscientia; & ad hunc librum discutiendum & emendandum omnes alii inventi sunt. Anima cùm de corpore egredietur, nullum alium præter conscientiæ suæ librum secum portare poterit; atque in illo cognoscet quò debeat ire, & quid debeat recipere. Ex his quæ scripta erunt in libris nostris judicabimur, & ideo scribi debent secundùm exemplar libri vitæ: & si sic scripti non sunt, saltem corrigendi sunt: conferamus itaque libros nostros cum libro vitæ, &c.* Ubi librum vitæ videtur appellare, non Dei notitiam, quâ descripta sunt nomina prædestinatorum ad gloriam; sed rationē æternæ legis ac sapientiæ, quâ descripta sunt media perveniendi ad gloriam, vel certè notitiam Dei clarè, & certò cognoscentis singula peccata nostra; quod videtur indicare posteriori loco. Plura alia passim habent de officiis & dignitate conscientiæ Patres, præsertim Bernardus.

...e conscientiæ officium ...Secretarii, ...libri.

Quid Bernardus intelligat per librum vitæ.

Tantùm dictis addo quæ is habet cap. 21. libro citato de interiori 55.
domo: *Multi quærunt scientiam, pauci verò conscientiam; si verò tanto studio, & sollicitudine quæreretur conscientia, quanto quæritur vana & sæcularis scientia; & citiùs apprehenderetur, & utiliùs retineretur. Cogitare namque de conscientiâ sensus est consummatus, & qui custodit illam, semper erit securus. Salvâ reverentiâ sapientiæ, utiliùs est currere ad conscientiam, quàm ad sapientiam; nisi sapientia illa sit quæ ædificet conscientiam; tunc enim se intelligit animæ,*

anima, tunc illustratur conscientia, tunc impletur cor bonâ conscientiâ cùm se in Deum, & in Deo mutuâ revolutione seipsam receperit imago creata. Creatrix imago in imagine creatâ nil est aliud nisi sapientia in animâ, nisi gloria in conscientiâ, nisi sanctitudo in arcâ. Eadem repetit libro priori de conscientiâ, cap. 2. ubi per imaginem creatricem videtur intelligere notionem, ac idæam divinam rerum creandarum, nominatim honestatis, ac sanctitatis, ac mediorum ad illam consequendam. Per imaginem autem creatam intelligit ipsam conscientiam bonam, puramque, increatæ quandam participationem, & illustrem radium: in quo proinde illa sit & reluceat ut sui imagine, non tantùm naturali, sed & supernaturali, per fidem & gratiam: quibus naturalis imago & lumen conscientiæ, etsi peccatis obscuratum, illustratur, perficitur, sibique restituitur. Quare cum Deo dicitur recipere seipsam mutuâ quâdã revolutione ac con-

Quid imago creatrix & creata.

56. nexione. Quæ sunt conformia tum dicendis cap. 11. de lege naturali, & cap. 13. de conscientiâ; quòd utraque sit participatio & imago quædam legis, ac sapientiæ increatæ seu creatricis; tum iis quæ à Sapiente libris Proverbiorum, & Sapientiæ dicuntur de Sapientiâ: quæ ut ibi sumitur, haud dubiè ædificat, imò comprehendit conscientiam. Quare meritò Bernardus, illa nominatim Proverb. 9. *Sapientia ædificavit sibi domum, & excidit in eâ columnas septem*, applicat conscientiæ toto illo libro, quem propterea inscribit de interiori domo, id est conscientiâ ædificandâ. Eidem conscientiæ, juxtà antè de eâ dicta propriè conveniunt: ad quæ idẽ alludit proximè citatus, præter alia hæc Sap. 7. *Vapor est virtutis Dei, & emanatio quadam est claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideò nihil inquinatum in eam incurrit: candor est enim lucis æternæ, & speculum sine maculâ Dei majestatis, & imago bonitatis illius.* Quibus nihil addi potest majus ac divinius de conscientiæ dignitate. Conveniunt autem conscientiæ actuali, atque etiam habituali animæ, quatenus illius causa est, non autem quatenus subjectivè potest peccatis inquinari.

Sapientia in scriptura comprehendit conscientiam.

Denique non possum quin his 57.
adjungam non minùs religiosum, quàm acutum dictum Generalis cujusdam religiosi Ordinis; qui ut suos hortaretur, ne minùs conscientiæ studerent quàm scientiæ; dixit majores suos, se vitamque suam direxisse *conscientiâ*: nunc autem abbreviatum videri verbum istud, ac mutilatum primâ syllabâ, videlicet succedente illi *scientiâ*; verendum deinceps ne & hoc verbum mutiletur primâ syllabâ, adeoque relinquantur sola *entia* rationis, circa quæ versatur sæpe speculativa tantùm scientia, ac nudæ speculationes.

CA-

CAPUT VIII.

Quotuplex sit conscientia habitualis.

8. IAm dixi conscientiam aliter sumi à Scholasticis, ut significet actualem, id est, actum intellectûs; aliter à Doctoribus mysticis, ut significet habitualem, ipsam animam. Utrique ut diversimodè illam accipiunt, ita dividunt.

Primò utraque conscientia dividi posset in eam quæ respicit futura, quæ præsentia, & quæ præterita, uti satis explicatum est.

9. Secundò mystici dividunt conscientiam, scilicet habitualem, imprimis ex ipsâ Scripturâ, in bonam & malam, seu mundam & immundam: nominatim Bernardus posteriori libro de conscientiâ, secundo & duobus postremis capitibus. De priori agit Paulus 1. Tim. 1. *Finis autem præcepti est caritas de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ.* Atque iterùm infrà: *Ut milites bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam.* Et 2. Tim. 1. *Gratias ago Deo, cui servio in conscientiâ purâ.* Bis etiam conscientiam bonam appellat Petrus 1. c. 3. De posteriori Paulus Tit. 1. *Inquinatæ sunt eorum mens & conscientia.*

[Con]scien[tia] bona [&] mala, [mun]da [&] im[mun]da.

57.

Quænam sit conscientia bona ac munda, mala & immunda seu inquinata explicui cap. 3. num. 21. Suppono autem juxta D. Bernardum citatum, & ibidem dicta, eandē reverà esse bonam & mundam, malam & immundam.

Quænam bona ac munda, & mala ac immunda.

Prior itaque est anima justa, id est, prædita & mundata gratiâ sanctificante sive justitiâ inhærente; posterior eadem anima iisdem destituta & infecta peccato mortali. Utramque subdividit Bernardus citatus cap. 2. in bonam tranquillam, & bonam turbatam; malam tranquillam, & malam turbatam. *Bona,* inquit, *namque est quæ & præterita peccata punit, & punienda committere refugit: quæ etsi peccatum sentiat, peccato non consentit.* Paulò pòst: *Tranquillam autem dixerim, cùm jam ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui ejus, quòd filius Dei sit.* Bonam turbatam sequenti capite vocat, cui dura videtur via rectior, & austerior vita; sed retinet se fræno timoris Domini. De malâ & tranquillâ: *Hæc est,* ait cap. 3. *quæ nec Deum timet, nec homines reveretur: quæ cùm venerit in profundum malorum contemnit. Mala autem,* ait cap. 4. *conscientia est sed turbata, quæ in actu peccatorum deprehenditur & comprehenditur,* scilicet testimonio & remorsu, seu ut ibi ait: *reverberatione ipsius conscientiæ.*

Tertiò etiam dividitur conscientia, seu dicitur cauteriata ab ipso Apostolo 1. Tim. 4. *Discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentes conscientiam.* Qua- 60.

 lem

lem aliqui putant esse illorum qui peccatis assueverunt; in quos quadret illud Proverb. 23. *Verberaverunt me, sed non dolui; traxerunt me, & ego non sensi.* Adeò ut ad extremum non possint avelli à peccatis; quia consuetudo vertitur in naturam, ut docet Bernardus, capite illo 3. quâ ratione cauteriata conscientia non differret à malâ & tranquillâ.

Quæ conscientia cauteriata. Verius tamen est, & verbis mentique Apostoli conformius, cauteriatam conscientiam non distingui ab hypocriticâ, id est foris palliatâ, apparente fuco bonorum operum, intùs verò injustâ & notatâ stigmate peccati.

61. Quartò dicitur à multis conscientia perturbata, ex illo Sap. 17. *Semper enim præsumit sæva, perturbata conscientia.* Sed, ut constat ex textu Græco, non dicitur ibi perturbata conscientia, sed nequitia seu nequam anima per conscientiam συνεχομένη τῇ συνειδήσει; id est, perturbata seu compressa per conscientiam; adeò ut conscientia sit ablativi casûs, non nominativi.

Ubi adverto juxta superiùs dicta, hæc aliaque similia, præcipuè & in recto, convenire conscientiæ habituali, ipsi animæ; quamquam sæpè connotet & involvat actualem in obliquo, quâ scilicet mediante illi conveniat perturbatio, similesque affectiones.

62. *Quæ Pharisaica.* Quintò simili sensu dicitur conscientia Pharisaica excolans culicem, & deglutiens camelum, id est, parva æstimans, & magna contemnens.

Sextò dicitur etiam conscientia tenera ac delicata, scilicet bonarum mentium, ibi etiam timentium culpam, ubi culpa non est; & illi opposita laxa, temeraria, & negligens, quæ ne quidem ibi culpam timet, ubi culpa est. Teneræ multa conveniunt, quæ libro ultimo dicam de scrupulosâ, quæ simili sensu solet etiam accipi pro habituali; ut eadem sit conscientia & anima scrupulosa. 63. *Quæ tenera. Quæ laxa.*

Denique dicitur quoque conscientia supina, nolentium intelligere ne bene agant: perplexa timentium peccatū quidquid agant, vel non agant. De utraque agam lib. 5. de conscientiâ erroneâ, sub quâ comprehenditur. 64. *Quæ supina, & perplexa.*

Ex dictis collige hasce divisiones non esse generis in species, sed subjecti in accidentia. Dividitur enim ipsa anima inadæquatè sumpta, prout afficitur variis qualitatibus atque affectionibus.

CAPUT IX.

Quotuplex sit conscientia actualis.

ALiter omninò conscientiam, scilicet actualem, dividunt Scholastici. Primò in rectam ac veram, scilicet practicè; secundò in probabilē; tertiò dubiam; quartò in 65. *Conscientia quotuplex.*

in erroneam ac falsam; quintò in scrupulosam. Quas quinque conscientias juxta mentẽ eorumdem explicabo quinque sequentibus libris illo ipso ordine. Siquidem illæ solæ expositæ sunt peculiaribus, ac moralibus difficultatibus, & ad illas reducuntur conscientiæ oppositæ: obliqua, improbabilis, certa, vera scilicet speculativè, & pacata; quæ ex oppositis satis intelliguntur, neque egent peculiari explicatione: quia non obnoxiæ peculiaribus difficultatibus; quare nec solent sigillatim explicari. Cæterùm non eget illa divisio probatione, quia communiter recepta est; sed brevi aliquâ hîc explicatione. Fusiùs enim singulas explicabo suo quamque libro.

63.

64.

66. Primò igitur recta conscientia, est dictamẽ prudens & practicum, de objecti bonitate vel malitiâ; quo ipso est etiam practicè vera, etsi speculativè falsa, ut apparebit in exemplo jam afferendo. Imò simpliciter potiùs est dicenda vera; quod sequitur ex dicendis cap. 11. conclusione primâ, & confirmabitur sequenti libro, doceturque à Suarez 1.2. tract. 3. disput. 12. sect. 2. num. 5. Vera tamen dici solet, quæ speculativè talis est; quia videlicet conformis objecto suo prout est à parte rei, non prout judicatur ab intellectu nostro: quali conscientiâ caruit Jacob dum accessit ad Liam: quia ejus judicium: licet mihi ad hanc, hîc & nunc accedere, quamvis practicè, verùm & prudens; speculativè tamen & abstrahendo ab ejus errore ac judicio, falsum fuit; quia illa non erat, sed putabatur uxor.

65.

67. Solet vera conscientia describi illa quæ infertur vel inferri potest ex principio aliquo synteretico, ut majori, & verâ minori; sed insufficienter; quia potuit talem habere Jacob, sic argumentando: honestum est accedere ad bonâ fide putatam conjugẽ: hæc est talis, ergo; nisi distinguatur & explicetur major practicè vera, speculativè falsa. Quod si ita argumentatus fuisset: honestum est accedere ad conjugem, hæc est talis, ergo; clarè falsa fuisset minor. Posteriori hoc syllogismo ostenditur eum laborasse conscientiâ falsâ atque erroneâ, scilicet speculativè: priori tamen, habuisse veram practicè, adeoque rectam.

68. *Conscientia recta est regula actûs boni*

Nota, conscientiam rectam ac veram practicè esse regulam ac mensuram actûs boni, ut dicam libro sequenti cap. 1. non autem veram tantùm speculativè: quæ differentia ipsis quoque nominibus indicatur; veritas enim adeoque conscientia vera abstrahit à praxi, tota speculativa; non autem rectitudo, scilicet moralis, adeoque conscientia recta, eo ipso practica. Cùm ergo rectè egerit Jacob, habuit conscientiam rectam; quia tamen accessit ad putatam, verè non suam, habuit conscientiam falsam.

sam, scilicet speculativè, quia practicè vera fuit eo ipso quo recta. Quæ operæ pretium fuit prænotasse, ne confundantur conscientia recta, & vera. Differentiam autem veritatis, ac probabilitatis speculativæ & practicæ, simulque concordiam in eâdem propositione pleniùs explicabo libro 3. cap. 7.

69. *Quænam probabilis.* Secundò, conscientia probabilis est opinio, vel assensus alterutrius partis, v. g. quòd aliquid sit, vel non sit peccatum, cum formidine de opposito.

70. *Quæ dubia.* Tertiò, dubia ut ab aliis distinguitur, scilicet negativè & suspensivè, significat potiùs carentiam veræ conscientiæ, & assensus in animo suspenso, & ad illam reducitur, ut negatio ad formam negatam: nam dubia positivè & opinativè, est probabilis, vel improbabilis, aut etiam scrupulosa.

71. *Quæ erronea.* Quartò, erronea est quæ opponitur veræ, jam explicatæ, estque difformis objecto suo, prout est à parte rei, non prout est in intellectu nostro.

72. *Quæ scrupulosa.* Quintò, scrupulosa est apprehensio vel judicium leve, quòd aliquid sit peccatum; leve autem est quod absque sufficienti fundamento.

73. *Conscientiæ dicuntur tales intrinsecè, vel extrinsecè.* Adverte primò, conscientias jam explicatas, vel dici tales intrinsecè ratione sui, id est, ultimi ac practici dictaminis de rei bonitate vel malitiâ; quòd illud sit verum, probabile, vel scrupulosum, aut contrà: vel extrinsecè, ratione remotioris fundamenti seu cognitionis speculativæ, quæ sit vera, probabilis, scrupulosa vel contrà. Ita in exemplo illo, judicium Jacob, quòd ad illam liceret accedere intrinsecè & practicè, verum fuit; extrinsecè tamen, & speculativè falsum; quia falsa erat opinio, quòd illa esset uxor. Similiter dubius an possideas rem alienam, certam conscientiã tibi formas, quòd non debeas restituere, scilicet privilegio possessionis: quæ conscientia extrinsecè ratione illius dubii, potest soletque dici dubia. Ita sæpè certò vel debes in necessitate, vel extra illam, non potes administrare Sacramenta, de quorum valore dubitas; verbi gratiâ, baptisare infantem in digito: cujusmodi conscientia de administrando, vel non administrando, certa est intrinsecè, dubia vel probabilis extrinsecè, ratione dubii vel probabilis valoris. Eâdem ratione scrupulosus, dubitans, vel putans probabiliter se non esse confessum certa peccata, certò potest credere se non debere ea confiteri, verbi gratiâ, ob authoritatem Confessarii. Quæ conscientia intrinsecè est certa, extrinsecè scrupulosa.

Unde collige conformi sensu, dividi conscientiam scilicet actualem antè definitam, vel intrinsecè & propriè, in specialia & practica dictamina; vel extrinsecè & impropriè, in speculativas cognitiones,

nes, in quibus illa fundantur; in quales opiniones intrinsecè dividitur conscientia latiùs sumpta, pro quâvis cognitione morali spectante ad directionem actuum humanorum, seu mores.

4. Adverte secundò, divisiones dictas esse partim generis in species, universalis conscientiæ dictaminis, in specialia dictamina ac membra opposita, verbi gratiâ, veram & erroneam, probabilem & improbabilem, scrupulosam & quietam: Partim subjecti in accidentia, nec in membra opposita; nam idem dictamen conscientiæ, vel opinio potest esse recta, & erronea, ut apparet in exemplo illo Jacob; vera & probabilis, vel probabilis & erronea, vel erronea & scrupulosa, ut clarum est. Sufficit diversæ illæ, etsi nō oppositæ conscientiæ acceptiones, vel affectiones, sint obnoxiæ diversis difficultatibus; ideoque exigant diversas considerationes, ac discursus, theologicos seu morales.

5. Adverte tertiò, aliis quàm explicatis modis conscientiam accipi & dividi à Nidero in consolatorio timoratæ cōscientiæ, ipso prologo, scilicet ut primò significet spem, secundò firmum judicium de aliquo faciendo vel non faciendo, tertiò judicium leve ac timidum. Sed primò meritò hanc divisionē rejicit Hallus de quinque partitâ conscientiâ, libro 1. cap. 7. ut insufficientem, ut satis jam constat ex dictis. Secundò, quamvis Niderus vocet eas conscientiæ acceptiones famosas; prima nec in Scripturâ, nec in Patribus aut Doctoribus est fundata. Tantùm Augustinus lib. 2. num. 151. citandus, præfatione in Psalmum 31. putat Apostolum 1. ad Tim. 1. verbis citatis cap. 8. nu. 40. conscientiam sumpsisse pro spe: sed hoc tantùm verum esset sensu & locutione causali, quâ conscientia diceretur spes, id est, causa spei, quod ipsum docet D. Thomas quæst. 17. de veritate art. 2. ad 5.

Deinde verius est Apostolum ibi per conscientiam intelligere quod nomen sonat, scilicet ipsam, sed habitualem conscientiam, ut jam explicui.

CAPUT X.

An conscientia sit lex.

COhæret hæc quæstio cum sequentibus de lege naturali, synteresi, & utilis est ad pleniùs explicandam naturam, officium, & potestatem conscientiæ, scilicet actualis; quamvis iis expresse terminis, à Doctoribus proponi non soleat, sed involvi aliis: an consciētia vi suâ obliget, vel tantùm alterius legis, cujus sit promulgatrix: posterius videntur docere multi. 76.

Nota, potissimùm quæstionem procedere de conscientiâ rectâ, non tamen ita, quin etiam de erroneâ, atque etiam scrupulosâ, &

 proba-

probabili, ut magis constabit ex dicendis, hoc & sequentibus libris.

77. *Resp. affirmat.* Respondeo: ipsa conscientia est lex, adeoque obligat vi suâ: ita expressè Hallus citatus, libro 1. cap. 9. & 16. Malderus 1.2. quæst. 19. disp. 84. init. Salas 1.2. tract. 8. disp. unicâ, sect. 3. num. 13. Imò ipse D. Thomas quæstionibus disputatis 15. de conscientiâ art. 3. ubi docet procul dubio conscientiã ligare seu obligare. Idem docet 1.2. quæst. 19. art. 5. etiam de conscientiâ erroneâ, scilicet simpliciter eam obligare. Alii etiam conclusionem satis indicant, cùm docent conscientiam simpliciter obligare; quia juxta communem Doctorum sensum, obligatio est vel differentia essentialis, vel proprietas inseparabilis, ideoque signum infallibile legis. Itaque qui simpliciter asserunt eam obligare, satis dicunt eam esse legem.

Probatur primò ex Scripturâ ac Apostolo ad Roman. 2. citando cap. 11. qui juxta Patres ibi allegandos, indicat ipsum dictamen ac opinionem nostram esse legem, quòd majori jure dicendum apparet de conscientiâ, de quâ id expressè affirmat Damascenus, citandus sequenti cap. num. 85. *Dicitur autem & conscientia nostra lex mentis nostra*. & Chrysostomus citandus num. 107. Idem Apostolus cap. 14. ad Romanos concludit his verbis: *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.* Fides hîc, etsi eam aliquando Augustinus & aliqui ipsum

Fides apud Apost. ad Rom. 14. est conſciẽtia.

secuti, putarint esse theologicam; est conscientia, ut clarè deducitur ex discursu Apostoli, & confirmatur communi interpretatione reliquorum Patrum, ac Doctorum, præsertim recentiorum atque Innoc. 3. cap. Litteras. de restitutione spoliatorũ; & capite finali de præscriptione, & ostendam infrà de conscientiâ dubiâ & erroneâ lib. 5. à num. 126. Sensus ergo est: quidquid non est ex fide, id est conscientiâ, seu secundùm conscientiam, vel quidquid conscientię non est conforme, sed difforme, peccatum est. Quibus satis innuitur ideò præcisè aliquid peccatum esse, quia contra conscientiam, atque adeò hanc habere vim obligandi.

Confirmatur argumento ejusdem Apostoli, cap. 4. *Vbi non est lex, nec prævaricatio.* Ergo à sensu contrario, ubi est prævaricatio, ibi est lex: atqui hîc est prævaricatio & peccatum, ergo lex; nulla nisi conscientia saltem sæpe, ergo hæc est lex. Magis hæc confirmabo ex eodem Apostolo citato, & 5. ad Galatas citando libro 5. à cap. 14. ubi certò ostendam etiam conscientiam erroneam obligare, atque adeò esse legem.

Probatur secundò ratione, quia lex naturalis est vera lex, & vi suâ obligat, ut ostendam, cap. sequenti. Ergo & conscientia, quæ propiùs voluntatẽ attingit, tanquam proxima regula actionum nostrarum, estque ejusdem rationis dictamen.

Probatur

Probatur tertiò, quia etsi sæpe verum sit, quod dici solet, conscientiam esse applicationem legis aliûs; quando scilicet aliâ lege, vel positivâ, vel naturali nititur; aliquando tamen nullam legem applicat & intimat, nisi seipsam; ut cùm versatur in materiâ solo lumine naturæ notâ, de quâ formetur unicũ tantummodò judicium practicum; quo casu contra illud agere, certò peccatum est, juxta Apostolum: ergo illud ipsum judicium est lex, & vi suâ obligat sub peccato; idem enim est sub peccato obligare, & esse causam cur peccetur, si contrà fiat.

9. Unde sequitur, quod pleniùs ostendam libro citato, cap. 16. conscientiam non esse tantùm quasi nuntiũ, aut præconem aliûs legis; sed quasi Vicarium, aut Principem, qui à Rege acceperit potestatem non tantùm denuntiandi, sed simul obligandi. Imò hinc confirmatur conclusio, quia communi modo loquendi nuntius, aut præco, nõ dicitur simpliciter obligare, sed Princeps aut legislator, quia videlicet aliud est obligare, aliud obligationem nuntiare; ergo conscientia quæ communiter, & simpliciter dicitur obligare, non tantùm obligationem nuntiat ut nuntius; sed causat, ut Princeps, vel legislator, vel potiùs ipsa lex.

CAPUT XI.

Quæ sit lex naturalis, ejusq; obligatio.

Lex naturalis tribus modis sumitur: primò latissimè, ut tam latè se extendat, quàm natura, & conveniat omnibus creaturis: secundò minùs latè, ut tantùm conveniat animantibus, seu naturæ animali: tertiò strictè ac propriè, ut tantùm conveniat hominibus, seu naturæ rationali. Primo modo aliquando sumitur non tantùm à naturalibus Philosophis, sed Patribus ac Theologis, ipsoque D. Thoma, 1. 2. quæst. 93. artic. 4. & 5. quatenus omnia necessaria, & contingentia, subjicit legi æternæ, cujus lex naturalis participatio quædam est: nec enim est causa cur quæ legi æternæ, eadem naturali subjici non possint. Secundo sensu accipitur à Jurisperitis §. 1. Institut. de jure naturali, gentium, & civili, & l. 1. ff. de justitiâ & jure, ubi à Justiniano jus naturale definitur, quod natura omnia animalia docuit. Verùm hæ legis acceptiones metaphoricæ sunt, cùm certum sit, nil propriæ legis, & obligationis capax esse, quod ratione & libertate careat. 80.

Tribus modis sumitur lex naturalis.

Tertio igitur modo communiter à Theologis & Patribus sumitur, prout humanæ menti seu animæ rationali naturaliter indita; discernit

cernit honestum à turpi, bonum à malo, de quâ Psalmo 4. ad quæstionem: *Quis ostendit nobis bona?* respondetur: *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* Et ad Rom. 2. dicuntur gentes, cùm aliam legem non habent, ostendere opus legis, scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum.

81. *Latè sumpta est naturalis vel animalis inclinatio.* Circa legem naturalem primo & secundo modo sumptam; nota primò, eam nihil aliud esse quàm naturalem, vel animalem inclinationem: per hanc enim juxta D. Thomam quæst.91. art.2. & art.4. citato: à creaturis participatur lex æterna, quæ est divinæ sapientiæ ratio, quatenus æterno decreto substans, omnia movet ad suum finem; idque mediante illâ naturali lege seu impulsu: de quâ naturali lege potiùs quàm æternâ, videtur intelligendum illud Proverb.8. *Legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Et modi loquendi similes: Nam *quando præparabat cælos, & vallabat abyssos*, ipso mundi exordio promulgabat quidem, sed non ponebat legem æternam. Simili sensu cùm Deus vel naturalem illum impulsum cohibet, vel præternaturalem imprimit, dicitur præcipere vel imperare. Sic Matthæi 8. *Deus imperabat ventis, & mari.* Verùm de hâc lege naturali impropriâ, non disputant Theologi in quo sita sit, sed propriâ tertio modo sumptâ.

82. Circa quam nota secundò, etsi ejus præcepta juxta D. Thomam citatum quæst.94. art.2. ad unum primum reduci possint: *Bonum prosequendum est, & malum fugiendum:* esse tamen duplicis generis. *Præcepta legis naturalis duplicis generis.* Primi sunt quędam principia morum per se nota ex solis terminis; & hæc vel omninò generalia, quale jam dictum est, &: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris,* & similia; vel magis particularia, ut: *Deus est colendus, amandus; vivendum est justè, temperatè, &c.*

Secundi generis sunt conclusiones ex his principiis, discursu naturali & evidenti deductæ, vel facilè, & ferè ab omnibus, ut: *homicidium, furtum, adulterium mala sunt, & fugienda:* vel non ita facilè, & tam multis, ut: *Vsura est injusta; mendacium nullo casu est licitum, &c.* quæ etsi certò & necessariò, non tamen tam clarè ex illis principiis deducuntur, quin & Theologi laborent in assignandâ earum ratione. Similiter omnia pręcepta Decalogi, etsi multò principiis obscuriora, certò spectant ad legem naturalem.

Nota tamen tertiò, prætereà ex iisdem principiis deduci alia, non omninò ut illa, sed ferè necessariò, satisque evidenter; neque ita ut quivis naturaliter judicet, sibi privato hoc faciendum, omittendum, vel permittendum; sed reipublicæ humanæ universæ, vel etiam particulari. Atque hæ sunt leges vel jura gentium, verbi gratiâ: non violandi legati; permittenda commercia cum 83. *Quæ sit jus gentium.*

Præcep legis na rales d plicu g neris.

rum non inimicis; respublica bello potest ulcisci sibi illatam injuriam; atque etiam : Deus colendus est, non quomodocumque, quod est juris naturæ, sed sacrificio : In quâvis republicâ sit genus hominum cultui divino dicatum; qualia à plerisque saltem gentibus sunt usu recepta.

llud vũ. na- le.

Unde obiter collige, quod fusiùs à variis disputatur, Jus gentium non esse naturale, sed positivum, juxta D. Thomam quæst. 5. art. 4. ubi in corpore jus positivum distinguit in jus gentium, & civile; & Justinianum dividentem jus in naturale, gentium, & civile, instit. de jure naturali gentium & civili: addit idem paragrapho : Jus autem gentium : *nam usu exigente, & humanis necessitatibus*, scilicet ad convenientius generis humani regimen, probante experientiâ, & naturæ lumine, *gentes humanæ jura quædam constituerunt*; ergo positiva & humana : quæ tamen sita videntur, in ipso usu, quo introducta sunt, & quodammodò consuetudinaria.

83

re um di- ri.

Hinc sequitur aliud discrimen inter jus naturale, & gẽtium; quod in hoc respublica humana, imò & Pontifex dispensare possit; in illo ne quidem Deus.

na s u ge m.

Quibus præmissis de lege naturali, prout etiam à jure gentium distinctâ: quæstio est inter Theologos utilis ad institutum nostrum, ideoque paulò fusiùs discutienda; an ea sit ipsa natura rationalis; vel rationis lumen seu dictamen.

Priorem sententiam sequuntur Vasquez 1.2. disp. 150. cap. 3. aliique recentiores. Posterior tamen sententia est haud dubiè D. Thomæ locis jam citatis quæst. 90. artic. 1. ubi docet de lege in genere, quòd sit aliquid rationis, idque quæst. sequenti applicat legi æternæ artic. 1. & naturali art. 2. quæst. 94. artic. 1. quæst. 91. art. 2. & in 4. sentent. distinct. 33. quæst. 1. artic. 1. *Lex ergo naturalis*, inquit, *nihil est aliud quàm conceptio homini naturaliter indita, quâ dirigitur ad convenienter agẽdum*; quæ clarũ est naturæ applicari non posse. Cùm D. Thoma sentiunt communiter Theologi, interpretes ejus in quæstionem citatam. Antiquiores, in magistrum lib. 2. dist. 39. quorum aliqui legem naturalem synteresim ac habitum dicunt, nemo naturam. E recentioribus Reverendissimus Malderus 1. 2. in quæst. 94. art. 1. quæst. 2. & Salas de legibus, disp. 5. sect. 1. qui addit eam esse communem. Suarez item de legibus lib. 2. cap. 5. num. 14. qui tamen addit ipsum intellectum seu lumen habituale, expeditum ad actum posse etiam vocari legem naturalẽ, etsi minùs propriè. Imò idem sentiunt Jurisperiti in tit. de jure & justitia. Quæ sententiæ, si prior bene explicetur, possent conciliari, ut vix re differant, si videlicet natura ipsa seu intellectus dicatur lex habitualis, & incompleta;

dictamen lex actualis, & completa; quam conciliationem indicat D. Thomas art. illo 1. quæst. 34.

84. *Propriè lex naturalis non est natura, sed lumen rationis.*

Dico tamen primò: simpliciter & propriè loquendo juxta posteriorem sententiam lex naturalis est lumen naturæ, seu dictamen rationis, quo naturaliter aliquid judicatur sub peccato faciendum, vel non faciendum, videlicet juxta notandum secundum. Dixi: judicatur faciendũ; non: judicatur bonum; quia hoc dictamen, cùm non inducat obligationem, potiùs consilium est, quàm lex: secùs quàm dictamen, quo aliquid judicatur malum; quia hoc ipso satis judicatur non faciendum.

Probatur primò ex Scripturâ, Psalmo quarto citato, quo videtur Propheta hanc ipsam quæstionem proponere & solvere: *Multi*, inquit, *dicunt quis ostendit nobis bona?* scilicet spiritualia, *sita in operibus legis & justitiæ*, ut indicant proximè præcedentia: *Sacrificate sacrificium justitiæ*; ea autem ostendere & sic dirigere, & illuminare legis est juxta communem D. Thomæ aliorumque, imò ipsius Prophetæ sententiam Psalmo 18. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Respondet: *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* Natura ipsa nec est lumen, nec quidquam ostendit, sed dictamen & cognitio. Huic ergo non illi convenit hæc conditio & ratio legis. Dicitur autem *lumen vultûs*, id est, mentis divinæ participativè, mediante lege æternâ, juxta dicenda probatione quartâ, & D. Thomam 1. 2. quæst. 19. art. 4. ubi expresè per: *lumen vultûs divini*, intelligit lumẽ rationis, quod in Deo est. Ad Rom. 2. *Cùm enim gentes quæ legem non habent*, scilicet positivam, *naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem*, scilicet dictam positivam, *non habentes, ipsi sibi sunt lex*, id est naturalis, *qui ostendunt opus legis*, jam dictæ naturalis, *scriptum in cordibus suis*, id est mentibus, *testimonium illis reddente conscientiâ ipsorum.*

85. *Quid opus legis*

Opus legis scriptum, non potest esse aliud, quàm lex ipsa, quæ juxta D. Thomam quæst. 90. art. 1. ad 2. *est aliquid constitutum per rationem, seu non est actus rationis in fieri, quatenus via ad terminum suum verbum mentis; sed opus in facto esse, quatenus illud includit, sive realiter distinctum, sive non.* Aliàs potiùs dicenda est legislatio quàm lex, sicuti domus opus artis, non est ædificatio, sed ædificium. Quæ verò lex potest esse scripta in cordibus nostris, nisi illud dictamen, seu lumen rationis signatum super nos? his enim verbis idem Propheta significat, quod illis Apostolus: Saltem natura non est lex scripta, sed summum quædam lex involuta, necdum scripta & explicata, quæ necdum obligat, ideoque non sufficit menti Apostoli. Præterea juxta eundem, legis naturalis ejusque obligationis testimonium reddit conscientia: atqui

qui hæc non reddit testimonium naturæ quam non percipit, nec cognoscit, sed dictaminis, ut ipsi experimur, ergo juxta mentem Apostoli, hoc, non illa, erit lex naturalis. Unde sequentia verba: *Ipsi sunt sibi lex,* explicanda sunt per sequentia, id est, absque externis legibus, vel legislatoribus, per legem naturalem ipsis intrinsecam nunc explicatam.

…5. Probatur secundò, ex Patribus, Hieronymo in capitis secundi Malachiæ verba: *Custodite ergo spiritum vestrum, & uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere*: quorum verborum mysticam aliquorũ explicationem refert, *ut*, ait, *uxorem adolescentiæ, naturalem dicant intelligentiam, & legem in corde perscriptam, quæ omnibus hominibus insita est. Unde & gentes non habentes legem Dei, ea quæ sunt legis operantur*; ubi saltem supponit legem in corde perscriptã, quæ haud dubiè naturalis est, esse naturalem intelligentiam, nõ ipsam naturam. Item Augustinus lib. 2. de sermone Dom. in monte, cap. 9. postquàm docuit ad omnem animam, quamvis perversam in conscientiã loqui Deum, subjungit: *Quis enim scribit in cordibus hominum naturalẽ legem, nisi Deus ipse?* Idque probat verbis Apostoli jam citatis, ubi apertè dicit Augustinus non opus legis, sed ipsam legem naturalem, scribi in cordibus hominum: atqui natura ipsa non scribitur in cordibus, sed dictamen; ergo. Item D. Ambrosius, de paradiso, cap. 8. ex iisdem Apostoli verbis, *ergo*, infert, *opinio nostra ipsa sibi legem facit.* Et, *opinio igitur humana sibi tanquã Dei lex est*: opinio non est natura, sed dictamen rationis. Idem clarè & luculentè docent ambo illi Patres citandi infrà cap. 14. Hieronymus ad Algasiam quæst. 8. Augustinus in Psalmum 57. & 118. ubi nominatum dictamen illud: *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris,* aliaque quæ inde deducuntur, expresse dicunt legem naturalem, & naturæ scriptam in cordibus nostris. Chrysostomus hom. 12. ad populum Antiochenum citandus, Legẽ naturæ dicit etiam legem conscientiæ; & addit Deum utramque naturæ inseruisse. Epiphanius hæresi 64. seu Methodius ab eo citatus & laudatus, qui de lege naturali clarè, inquit: *Eam legem mentis, dicit,* scilicet Apostolus. Damascenus lib. 4. de fide cap. 23. *Adveniens igitur Dei lex menti nostræ, attrahit ad seipsam, & stimulat conscientiam nostram, dicitur autem & conscientia nostra, lex mentis nostræ.* Utrisque verbis probatur conclusio, primis, quia lex Dei mẽti adveniens, & stimulans conscientiam, nullo modo potest dici natura, sed optimè dictamen mentis: secundis, quia ut Damascenus hîc affirmat, & posteà probabo, conscientia saltem recta, est lex naturalis; nemo autem naturam ipsam dixerit conscientiã, sed dictamen. Idem supponunt Origenes lib. 2. in epist.

Quid… …ui leg…

…na- …alis …pta in …ibus …ris.

epist.ad Romanos; Basilius,in initium Proverbiorum, aliique Patres passim.

Eadem confirmari possent ex Aristotele secundo Ethicorũ,cap.6. ubi definit, virtutem esse habitum electivum in mediocritate consistentem eâ quæ est ad nos definita ratione, & ut definierit ipse prudens: quibus totum tribuit rationi judicioque prudentis, præfigere terminum virtuti, & statuere mediocritatem: quod est officium legis. Disertiùs idem docuit Cicero primo de legibus: *Lex, ait, est naturæ vis, mens & ratio prudentis, juris atque injuriæ regula.* Et libro secundo: *Est enim lex nil aliud, nisi recta, & à numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibensq; contraria*; & tertiò de republicâ: *Vera lex, est recta ratio naturæ congruens.* Ergo nec secundùm Ciceronem lex est natura. Quæ ex illo refert probatque Lactantius lib.3.divin.Institut.cap.8.

86. Probatur deinde tertiò ratione, quæ ex dictis præsertim verbis Apostoli colligitur: hoc ipso quo judicas aliquid tibi faciendum, vel non faciendum, obligaris illud facere vel non facere, testimonium reddente & accusante te conscientiâ, si contra dictamen illud feceris. Cùm enim ut infallibilis sit Apostoli doctrina; accusatio & testimonium conscientiæ debeat esse infallibile; contra dictamen facere, infallibiliter peccatum erit, adeoq; illud habuit vim obligandi sub peccato, quæ est præcipua conditio legis. Nec quidquam aliud hîc à conscientiâ deprehenditur, quod obligare possit.

Confirmatur, ut hoc solo quo judicas bonâ fide, atq; hîc & nunc prudenter aliquid bonum seu honestum tibi esse, illud tale tibi est, ita ut illud faciendo bene ac laudabiliter agas; ita cùm aliquid judicas malum seu inhonestum, illud tale tibi est, ita ut illud faciendo malè ac probrosè agas, planè juxta Apostolum ad Rom.14. *Omne quod non est ex fide, id est conscientiâ, peccatum est.* Quod saltem verum est de judicio prudenti, hîc & nunc, juxta Aristotelem sexto Ethicorum cap.5. qui prudentiam definit habitum agendi circa bona humana, verâ cum ratione, juxta antè ab eodem dicta cap.3. ubi virtutem intellectivã in genere definit eam quâ anima dicit verum affirmando vel negando. Ut ergo virtuti voluntatis repugnat malitia, ita virtuti intellectûs speciatim prudentiæ falsitas: quâ de causâ Aristoteles opinioni negat rationem virtutis, quia potest fieri, ut quis falsum opinione dicat. *Virtu[ti] volunt[atis] repugn[at] maliti[a] intell. & falsi[tas].*

Unde necessariò sequitur primò dictamen, saltem prudentiæ, etsi speculativè, ut ita dicam, falsum, practicè, imò simpliciter verũ esse sensu dicto, quod pleniùs explicabo posteà. 87. *Dictam[en] prudent[iæ] semper verum.*

Secundò hoc ipsum habere vim obligandi sub peccato, quod ejus trans- *Habet vim ob[li]gandi.*

transgressione committitur: exempli causâ, cùm in materiâ temperantiæ, judicas errore inculpabili naturæ vel sanitati tuæ inconveniens, ideoque malũ, quod reverà est conveniens; eo casu, si illud nihilominùs velis, peccas, idque contra temperantiam, quæ, sicut & alii habitus, tendit in objectum suum prout à ratione proponitur, non prout est à parte rei, ut habitus intellectuales. Peto ergo hîc quid obliget sub peccato ad illud non volendum? non ipsa natura, quæ si ad aliquid, obligaret certè ad volendum quod sibi convenit, ergo dictamen rationis.

Sequitur tertiò, quod infrà confirmabitur, bonitatem vel formalem, vel objectivam non desumi à naturâ, sed à lumine seu dictamine rationis, tanquam propriâ mensurâ & regulâ. Atque ita corruit fundamentum sententiæ contrariæ.

Virtus ... volita ... repugn... malitu... ... ... tas.

Confirmatur: eo ipso quo aliquid est contra legem, est peccatum, ut jam dixi de rationis dictamine: atqui non omne quod est contra naturam rationalem ut sic, est peccatum. Aliàs stultitia vel amentia esset peccatum, & quidem quatenus stultitia, quia ut sic maximè repugnat naturę rationali: quare si accederet libertas, ut accedit in libero somno, esset peccatum formale.

87. *Dictam... ... ...*

Ex hâc probatione constat naturali illi dictamini convenire saltem præcipuam conditionem legis naturalis, obligationem. De aliis conditionibus.

...abet ...im ... ...andi.

Probatur concl. 4. Quia eidem convenit tota definitio legis, assignata à D. Thoma art. 4. quæst. 90. quòd sit *rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam habet communitatis promulgata.* Est *ordinatio,* scilicet supremi legislatoris Dei; ejus enim æternæ legis est quędam participatio, ut dixi not. 1. & irradiatio, ut loquitur D. Thomas art. 2. quæst. 93. *rationis* scilicet humanæ non naturæ, *ab eo qui curam habet,* id est, Deo, *communitatis*, scilicet universæ hominum ad bonum eorumdem publicum, & privatum, tandem æternam felicitatem. *Promulgata* quatenus naturaliter per seipsam, non aliam promulgationem singulorũ cordibus inscripta. Ipsa enim non tantùm Dei authoris naturæ vox quædam est, sed & lumen seipsum intimè insinuans, & manifestans, cujus defectu distinctâ à se promulgatione egent leges positivæ.

88. *Legi naturali cõveniunt omnes legis conditiones.*

Confirmatur; ad bonam ac prudentiæ legem, qualis haud dubiè est naturalis, requiritur sit explicata, promulgata, & clara, imò & locutio quædam superioris ad subditum: atqui natura non est quid explicatum, promulgatum, multò minùs locutio superioris, ergo ipsa non est lex; potiùs dicenda esset legislatrix.

Probatur quintò, conformiter debent explicari in Deo lex æterna, &

& in homine naturalis illius participatio; atqui in Deo lex æterna non est natura, sed ratio, seu dictamen, ut dixi antè, & clarè docet D. Thomas citatus quæst. 91. artic. 1. ejusque interpretes, imò & Augustinus lib. 22. contra Faustū cap. 27.

89. *Lex naturalis est propriè lex.* Ex dictis collige primò, quod fusiùs solet disputari, legem naturalem esse propriè & simpliciter legem à Deo latam, qualem simpliciter vocant Patres & Theologi; quod quia naturæ convenire non potest, malè ab aliquibus ea dicitur lex naturalis primaria, dictamen secundaria. Posset tamen ea dici lex prima, sed incompleta.

Ejus obligatio tandem refundenda in legem æternam. Collige secundò ejus obligationem refundendam esse, non solùm in dictamen mentis nostræ, sed & divinæ, legem æternam, cujus participatio & irradiatio est, tandemque in ipsam divinam majestatem, *Imò naturam divinam.* imò sanctissimam Trinitatē; quare etiam solet dici lex divina naturalis. Lex enim æterna actus est divinæ mentis essentialis, tribus Personis communis: quare D. Thomas quæst. 100. art. 8. rationem reddens cur Deus in lege naturali dispensare non possit, cùm ejus sit author, tandem recurrit ad divinam naturam, *Sicut*, ait, *Apostolus dicit: Deus fidelis permanet, seipsum negare non potest.* Unde item apparet primam originem & fontē legis naturalis, adeoque conscientiæ non tam esse investigandam in rebus creatis, aut naturâ humanâ, quàm Deo ipso.

Denique hinc collige & expende quantâ veneratione curâque lex naturalis, & suscipienda & observanda sit, nec tantùm in iis quæ sunt solius juris naturalis, sed etiam positivi, quod eget quasi ejus concursu universali: nam legis naturalis præceptum est: *Legitimo superiori legitimè præcipienti obtemperandū est.*

Dices: si judicium actuale sit lex 90.
naturæ, ergo verbi gratiâ, qui mentitur putans invincibiliter id licitum, ne quidem peccat materialiter contra legem naturæ, adeoque ne quidem facit peccatum materiale.

Respondeo negando consequētiam, quia materiale peccatum, idem est quod materia peccati, nata à lege prohiberi, nisi quid obstet, scilicet in casu nostro invincibilis ignorantia. In idem recidit, si dicas; peccatum materiale ut est peccatum incompletum, ita esse contra legem incompletam, quæ potest dici natura. Imò hinc confirmatur conclusio, quia in contrariâ sententiâ esset contra legē completam, ideoque videretur peccatum completum, & simpliciter. Quæ sunt conformia dicendis de bonitate ac malitiâ objectivâ libro 2. cap. 4. & 6. ubi hæc confirmabuntur.

Ex dictis colligo & dico secun- 91.
dò: Ad legem naturalem ejusque obligationem non est opus aliâ Dei voluntate, ac præcepto. Aliâ inquam quàm lege æternâ & decreto, *Lex naturalis non eget aliâ Dei præcepto.*

creto, quod illa connotat juxta Notandum 1. per quod Deus velit ferre simulq; sensu explicato, promulgare legem naturalem, & hominem per lumen rationis, ut reliquas creaturas per naturalem impulsum, dirigere naturaliter ad finem suum. Est satis clarè D. Thomæ quæst.104.art.1. ubi de præce-
90. ptis naturalibus, *Habent*, inquit, *vim obligandi ex ipso dictamine rationis, quia naturalis ratio dictat hoc esse debitum fieri, vel vitari.* Planè juxta dicta, quibus proindè opponit præcepta ceremonialia, & judicialia, quia habent vim obligandi ex institutione divinâ vel humanâ. Idem apertè docet Gregorius in 2. distinct.35. quæst.1. art.2. Gabriel distinct.35.quæst.1.art.1. Almainus tract.3. moralium cap.16. citans alios, contra aliquos recentiores. Quibus concedo tamen ad legem naturalem accedere aliud Dei præceptum, idque liberum passim in Scripturâ explicatum, legem naturalem servandi; ratione cujus, peccata augeantur, & includant peculiarem inobedientiam & contemptum divinæ majestatis: tantùm nego illud ad legem naturalem ejusque obligationem esse necessarium. Quo sensu,

2. Probatur conclusio primò ex
91. dictis, quibus omnia assignata sunt, ad legem & obligationem necessaria absque illo præcepto: ad quid est igitur illud necessarium? videntur respondere, ad hoc ut lex naturalis obliget sub peccato, saltem theologico & offensâ Dei; aliàs tantùm obligatura sub culpâ aliquâ morali.

Sed primò juxta communem Christi fidelium, & Patrū sensum, idem est culpa, quod peccatum; idem malè agere quod Deum offendere; atque solum naturæ lumen & conscientia satis testantur, eo ipso Deum offendi, quo malè agitur: tantùm illa duo viderentur posse distingui, si per impossibile lex naturalis non dependeret ab æternâ; quo tamen ipso casu Deo naturâ suâ bono repugnaret, & displiceret, omne malum & culpa illa moralis, quæ proinde etiam tunc esset quædam ejus offensio & peccatū, etsi multò minùs & aliùs rationis. *Nō datur culpa moralis, sine theologicâ.*

Secundò si considerentur dicta in fine probationis quartæ, non videtur dubium, quin de facto & planè necessariò sola lex naturalis æternā involvens obliget sub propriissimo peccato, quod receptâ ab omnibus definitione Augustini dicitur: factum contra legem æternam. Imò illâ solâ ratione transgressio legis naturalis, repugnat directè sapientiæ, decreto, imò naturæ divinæ, atque Deo ut legis naturalis latori, quod quis concipiat sine ratione peccati & offensæ divinæ?

Confirmatur: quia saltem Deus sibi ipsi non imposuit simile præceptum, qui tamen si, v.g. menti-

retur, vel nobis esset author peccati, ipse peccaret. Aliàs contra hæreticos evinci non potest, quòd Deus illud non possit. Peccaret itaq; contra dictamen mentis suæ, quod idem ipsi est, quasi lex naturalis, nobis æterna; ergo in illius solâ transgressione subsistit ratio peccati etiam in nobis.

93. Probatur secundò, quia juxta contrariam sententiam non potest explicari, quale sit illud præceptũ, liberum, vel necessarium. Non primum, quia sic, verbi gratiâ, odium Dei potuisset non esse peccatum, si Deus illud præceptum nõ tulisset: imò potuerunt, & etiamnum multi poterunt dubitare, an verè peccatum sit, quibus hoc præceptum dubium & ignotum est. Quâ ferè ratione rejici solet etiam ab adversariis sententia Scoti, quòd præcepta naturalia decalogi sint dispensabilia, quòd sic ante legem datam per Moysen non obligassent vi solius luminis naturalis; imò nec jam quando præcepta positiva veteris Testamenti cessarunt, planè contra mentem Apostoli citati. Quæ ratio æquè vel magis repugnat isti sententiæ; nam æquè vel magis dubitari posset, an Deus illud præceptũ tulisset, & in lege naturali dispensasset, quia neutrum sciri potest absque revelatione.

Quæ ratio etiam valet si dicatur præceptum necessarium, quia nihilominùs lumine naturæ ignotũ. Præterquàm quòd juxta communem Doctorum sententiam nulla absolutè voluntas Dei ad extrà sit necessaria; & hoc ipso quo necessaria, non videretur moraliter obligatura, etiam posito quòd Deus voluerit creare subditos ratione utentes. Si enim sine illo ex naturâ rei peccatum non fuisset Deum odisse, quid erat necesse peccatum præcepto facere? imò contrarium iis videretur optabilius, nec Deo, isto casu indignum.

Denique quid si inter peccandum nullo modo quis meminisset, istius præcepti liberi vel necessarii, vel putaret inculpabiliter non exstare, aut saltem eo non confirmari dictamen, aut conscientiam erroneam, dicendũ iis casibus videretur non magis illud obligare, quàm si non exstaret, adeoq; tunc odium Dei peccatum non fore. Ob quas causas tam certa doctrina de lege naturali, ejusque obligatione, fundamentum omnis Theologiæ moralis, non debet fundari in doctrinâ tam incertâ.

Ex dictis collige an, & quo sensu peccata ideò prohibita sint quia mala, vel contrà, ideò mala quia prohibita. Vel enim agitur de prohibitione necessariâ & naturali, qualis includitur in lege æternâ & naturali, & sic peccata ideò mala sunt quia prohibita, non contrà; juxta dicta conclusione primâ; vel agitur de prohibitione liberâ vel saltem non inclusâ in lege æternâ & naturali, & sic peccata ideò prohibita 94.

An peccata ideò prohibita quia mala, vel contrà.

hibita sunt, quia mala, non contrà; ut de adulterio docet Augustinus primo de libero arbitrio capite 3. juxta moderationem conclusionis secundæ. Quæ vera sunt de omnibus prohibitis lege naturali. Nam prohibita lege positivâ, ideò tantùm mala sunt, quia per illam prohibita.

CAPUT XII.

Quæ sit natura & inclinatio synteresis.

5. DIvus Hieronymus in illud Ezechielis primo, *quatuor facies uni*, præter alias explicationes affert istam: *Plerique*, ait, *juxta Platonem rationale animæ, & irascitivum & concupiscitivum, quod ille* λογικὸν & θυμικὸν ἐπιθυμητικὸν, *vocat, ad hominem & leonem, ac vitulum referunt, rationem, & cognitionẽ, & mentem, & consilium, eandemq; virtutem atque sapientiam, in cerebri arce ponentes: feritatem verò & iracundiam, atque violentiam in leone, quæ constat in felle. Porrò libidinem, luxuriam, & omnium voluptatum cupiditatem in jecore: id est in vitulo, qui terræ operibus hæreat: quartamq; ponunt, quæ super hæc & extra hæc tria est, quam Græci vocant* συντήρησιν, *quæ scintilla conscientiæ in Cain quoque peccatore, postquàm ejectus est de paradiso, non exstinguitur; & quâ victi voluptatibus, vel furore, ipsâq; interdum rationis decepti similitudine, nos peccare sentimus, quam propriè Aquilæ deputant, non se miscentem tribus, sed tria errantia corrigentem.* Et paulò pòst: *Et tamen hanc ipsam quoque conscientiam, juxta illud quod in Proverbiis scriptum est: impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit, cernimus præcipitari apud quosdam, & suum locum amittere, qui ne pudorem quidem & verecundiam habent in delictis, & merentur audire: Facies meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Hanc igitur quadrigam in aurigæ modum Deus regit, & incompositis currentem gradibus refrænat docilemq; facit, & suo parere cogit imperio; quam disputationem partium animæ, id est, hominis, qui minor mundus ab iisdem Philosophis appellatur, etiam nos attingemus.* Quibus verbis etsi Hieronymus non omnino probet, ut suam explicationẽ dictorum verborum, satis tamen probat doctrinam de animæ partibus ac nominatim synteresi, adeò ut idẽ homo naturâ suâ rationalis sit, eminenti quodam modo leo quatenus irascibilis, vitulus seu bos quatenus concupiscibilis, aquila quatenus, ut dicam, συντηρητικός, id est, præditus synteresi. Eodem modo visionem Ezechielis ante Hieronymum de partibus animę explicuit Origenes homil. 1. in caput primum, eo discrimine, quòd quartam illam & supremam partem vocet spiritum animæ præsidentem, ut & Hieronymus, non synteresim. Retuli ipsa D. Hieronymi verba, quia præcipuam dederunt occasionẽ & ma-

teriam Scholasticis disputandi de synteresi, aliàs ego neminem antiquiorum Patrum legi, qui de eâ agat hâc voce & sensu.

96. *Quo sensu de synteresi agat Scholastici.*

Scholastici eâ voce sæpiùs, sed non eodem sensu utuntur. Alexander 3.parte quæst.27. num.2. art.3. docet præcedere legem naturalem, secundò sequi conscientiam, tertiò synteresim, quam etiam vocat scintillam conscientiæ, quæ stimulet voluntatem; additque conscientiam esse regulam in ratione, synteresim in voluntate. Idem ferè de synteresi docet Henricus quodlibeto primo quæst. 18. dicens eam esse motorem voluntatis universalem, stimulantem ad exequendum legem naturalem; motorem autem particularem circa particularia vocat conscientiam. D.Bonaventura in secund. dist. 39. quæst. 1. vocat illam stimulum & igniculum conscientiæ, addens se tenere ex parte voluntatis, & denotare potentiam habitualem.

Itaque hi omnes constituunt synteresim in voluntate, vel tanquam habitum, vel tanquam actum.

Paulò aliter Durandus dist. cit. quæst. 4. num. 11. docet habitum principiorũ agibilium in intellectu non solùm, sed cum inclinatione illi respondente in voluntate esse synteresim, quàm proinde constituit in intellectu, & voluntate; habitum autem conclusionum ex iis principiis deductarum, etiam cum inclinatione voluntatis respondente dicit conscientiam.

Contrà D.Thomas 1.p.quæst.19. art. 12. docet synteresim esse habitum principiorum operabilium, in intellectu solo: quem communiter sequuntur interpretes. Imò cum D.Thoma hîc sentit Scotus distinctione cit.quæst.2.quem sequuntur Scotistæ. Ut autem quæstionem & doctrinã realem, quâ omnes conveniunt, discernamus à quæstione de nomine quâ differunt,

Dico primò: in intellectu est naturalis aliqua facultas seu habitus, quo cognoscantur principia morum indicata cap. præcedenti, notando secundo, v. g. bonum est faciendum, malum est fugiendum; bonum autem est quod lege naturali, vel etiam positivâ justâ præcipitur, malum quod eâdem prohibetur: imò bonũ quoque est quod naturali rationis lumine tantùm quasi consulitur, verbi gratiâ, Deus est colendus, atque festa, parentes honorandi, furtum non est faciendum, bonum est dare mutuum gratis cùm potes, etsi non teneris. Qualia principia Augustinus lib. 2. de libero arbitrio, vocat regulas & semina virtutum, vera & incommutabilia. 97. *Est in intellectu naturalis facultas cognoscendi principia mo[rum].*

Quæ doctrina est omnium Doctorum jam citatorum, & probatur à pari, quia juxta communem sententiam eorundem, ac Philosophorum, ipsiusque Aristotelis lib. 6. Ethicorum, cap. 6. est in intellectu habitus principiorum, quo cognoscun-

cognoscuntur principia speculationum, verbi gratiâ, quodlibet est, vel non est; totum est majus suâ parte; pars minor toto, & similia: quæ non sunt clariora, sed potiùs obscuriora principiis morum saltem primis.

Ratio communis est, quia intellectûs potentia intellectiva, debet naturâ ac vi suâ esse intellectiva aliquorum, ergo saltem dictorum principiorum, quia conclusiones inde deductæ necessariò obscuriores sunt. Ubi suppono quidquid cognoscitur, vel cognosci per se tanquam principium, vel ex alio tanquam conclusionem, quod clarum est.

Ob quam causam juxta Chrysostomum hom. 13. ad pop. in ipso decalogo, cùm dicitur: *Non occides: honora patrem & matrem tuam:* & similia, nulla ratio additur, quia videlicet illa sunt principia per se clara, & præcepta moralia naturaliter nota; at verò cùm dicitur Sabbathum sanctificandum, ac quiescendum die septimâ, ratio additur, quia hoc præceptum non est purè morale ut alia, sed partim ceremoniale, quæ solâ lege ac lumine naturæ non fertur, nec ostenditur.

Dixi facultas vel habitus, quia nolo hîc disputare, an & cujusmodi habitus ille sit, quod ad mores nil spectat. Verisimilius est ob rationem jam tactam, ex parte ipsius potentiæ, non requiri habitum, seu lumē ab eâ distinctum, etsi putent hoc recentiores aliqui Thomistæ; sed tantùm ex parte objecti, species terminorum, clarè repræsentativas, quæ ipsæ à pluribus vocantur habitus. Quod consonat sententiæ Aristotelis, & Philosophorum, quòd anima creata similis sit tabulæ rasæ, in quâ nil depictum. Quâ item ratione Bonaventura citatus rectè docet illum habitum esse innatum ratione luminis, acquisitum ratione specierum. Quod ob eandem rationem dicendum esset de utroque illo habitu, speculativo & practico. *Sed ex parte objecti.*

99. Addidi, naturalis, juxta communem certamque sententiam D. Thomæ, aliorumq; 1.2. quæst. 109. art. 1. & rationem jam assignatam, quia aliàs intellectus naturaliter nil posset cognoscere omninò, & si ad similia cognoscenda nullo modo naturaliter vigeret ingenium, non viriata esset, sed exstincta natura, ut benè argumentatur D. Prosper, cap. 22. contra Collatorem.

Unde obiter apparet, non posse dici juxta principia hæreticorum nostri temporis, ejusmodi facultatem, aliàs naturalem amissam esse peccato originali, quo, ut hîc suppono, nec naturam, nec ullam naturalem facultatem amisimus. *Facultas illa non est amissa peccato originali.*

Idem satis certò colligitur ex Apostolo citato præcedenti capite ad Roman. 2. *Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt.* Ubi vox: *naturaliter*, clarè indicat agi de gentibus, prout

prout operantur, adeoque cognoscunt viribus naturæ, idque quamvis ageretur de gentibus ad fidem conversis, ut putarunt plures Patres. Verius est ipsisque verbis ac menti Apostoli conformius agi de gentibus, id est, ut ipsa vox sonat gentilibus infidelibus. Quare damnata est hæc propositio Catholici Doctoris: cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Roman. 2. intelligunt de gentibus gratiam fidei non habentibus.

Eodem sensu explicandus est alter locus ejusdem Apostoli ad Rom. 1. ubi de gentilibus Philosophis, *Cùm cognovissent*, ait, *Deum, non sicut Deum glorificaverunt*. Itaque utrumque naturaliter cognoscitur, & Deum esse, & Deum glorificandum esse: prius spectat potiùs ad habitum speculativum principiorum, posterius ad practicum.

100. Dico secundò in voluntate est naturalis inclinatio ad bonum ab intellectu sic propositũ, & aversio à malo. Est D. Thomæ 1. 2. quæst. 71. artic. 2. aliorumque Doctorum citatorum præcedenti conclusione.

Facultati illi intellectûs respondet inclinatio in voluntate.

Probatur & explicatur ratione indicatâ à D. Thoma: *Hominis quatenus hominis, seu rationalis, inclinatio est voluntas; ut animalis quatenus animalis seu sensitivi, inclinatio est appetitus*; cùm ergo quælibet inclinatio suâ naturâ, debeat tendere in bonum rei cujus est inclinatio, voluntas debebit tendere naturâ suâ in bonum hominis quatenus rationalis; atqui bonum hominis sic spectati, est bonum morale seu honestum, quod ab intellectu modò nunc explicato illi proponitur, ergo in hoc naturaliter debebit tendere voluntas; seu, quod idem est, in voluntate est naturalis ad illud inclinatio: sicut appetitus naturaliter tendit in bonũ sensibile, quia hoc bonum est animalis. Si verò sit in voluntate naturalis inclinatio ad bonum, erit etiam aversio naturalis à malo, quia ejusdẽ rationis est, prosequi bonum, & aversari oppositum malum, ut apparet in virtutibus aliisque facultatibus.

Dixi, naturalis tum propter rationem jam allatam, tum propter dicta in simili, superiori conclusione; neque enim voluntas naturâ suâ, minùs potens est, ad prosequendũ bonum, quàm intellectus ad cognoscendum verum, neque per peccatum originale magis illa exstincta est, & in naturalibus læsa, quàm iste.

Deinde illa propensio aut volitio boni, non est initium boni operis, quale sine gratiâ admittebant Semipelagiani, multoque minùs bonũ opus, quale Pelagiani, quod scilicet spectet & conducat ad statum supernaturalem gratiæ vel gloriæ, quale passim negat Augustinus, aliique Patres & Concilia.

Dixi, *inclinatio* non habitus, quia 101.
habitus hîc ut innominatus, ita omnibus D. Thomæ, Aristoteli, aliisque Theologis & Philosophis ignotus

Non opus habitu ... volunt... distin...

ignotus est. Ratio ex jam dictis colligi potest, quia ad bonum ut sic, naturali suo pondere satis propendet voluntas, adeò ut habitu non indigeat. In quo est aliquod discrimen inter ipsam & intellectum, qui, ut superiori conclusione dixi, saltem indiget speciebus.

Præterea bonum ut sic seu genericè spectatum non objicit voluntati difficultatem habitu superandam, nisi restringatur ad particularem aliquam materiam temperantiæ, justitiæ vel aliûs virtutis; hinc autem orta difficultas superatur à particularibus habitibus virtutum, qui proinde etsi naturalem illam prosecutionem boni non coëfficiant, ad illam tamen disponunt. Similiter non videtur admittendus habitus ad prosecutionem mali in genere, quia malum ut sic, nemo potest velle nisi sub aliquâ ratione boni, ad quod satis inclinent particulares habitus vitiorũ, superentque difficultatem circa illud occurrentem.

2. Addo primò ab eadem naturali inclinatione promanare plures alios actus moraliter bonos, verbi gratiâ, quo pars vel caput vult se conformare suo toti, quia honestas hæc, valdè conformis est honestati in genere, nec involvit difficultatem quæ non superetur ab aliis virtutibus: similis actus videtur quo non tantùm vis nil facere contra honestatem, sed nec contra decorum, quibus aliisque proinde nec

[…]dem […] pro[…]nt a[…]oni.

101. Non e[…] opus h[…]bitu d[…] volunt[…] distinct[…]

Theologi, nec morales Philosophi assignarunt peculiares virtutes. Idẽ puto dicendum de actibus quibus vis alios esse non tantùm genericè probos, sed speciatim justos, temperantes, &c. tum quia nulla tibi in eo occurrit superanda difficultas, tum quia virtutes morales, verbi gratiâ, justitia & temperantia tantùm versantur circa actus, & refrænant passiones quasi suæ jurisdictionis, id est possessoris sui; seu tantùm extendunt vim suam intra sphæram activitatis suæ, ac potentiarum quibus inhærent, ergo non ad actus & passiones aliorum.

Addo secundò: quamvis ad ejusmodi actus naturales non requiratur virtus aut habitus distinctus à potentia naturali, ob rationes dictas, requiri tamen probabiliter ad supernaturales supernaturalem: ratio disparitatis est, quòd habitus naturales tantùm conferant facilitatem, superentque obviam difficultatem; supernaturales verò conferant ipsam facultatem; adeò ut sint quædam quasi supernaturales potentiæ. Quamvis igitur ad priorem effectum, juxta jam dicta, non sit opus habitibus naturalibus, erit tamen ad posteriorem, supernaturalibus; ne ad singulos supernaturales actus, ad quos constat non sufficere naturalem potentiam, recurrendum semper sit ad speciale auxilium gratiæ. 103.

Opus tamen est distincto habitu supernaturali.

Ex dictis sequitur, quoad sub-

 stantiam

ſtantiam utriuſque hujus concluſionis, non eſſe inter Doctores diſſenſionem de re; omnes enim admittunt in intellectu dictum habitum, in voluntate dictam inclinationem, quamvis vix explicent. Itaque tantùm ſupereſt non magni momenti quæſtio de nomine, an hæc, vel ille, aut uterque nominari debeat ſynteresis.

104. *Facultas illa intellectûs, dicitur ſynteresis.* Dico tertiò: facultas illa ſeu habitus intellectûs, communiùs jam & convenientiùs dicitur ſynteresis.

Probatur primò quia, etſi aliter locuti ſunt alii antiquiores Scholaſtici citati, ſic loquuntur, ut dixi, D.Thomas & Scotus, atque utriuſque diſcipuli, quare in ſcholis hic modus loquẽdi jam eſt communis.

Secundò quia idem eſt conformis D.Hieronymo citato, qui ſatis indicat ſynteresim ſpectare ad intellectum, potiùs quàm voluntatem; primò cùm eam comparat Aquilę, quæ ob vim ſingularem intuendi etiam ipſum ſolem, intellectui aſſimulatur, non voluntati: ſecundò cùm addit ea nos ſentirę, id eſt cognoſcere peccata, eandemque tanquam Judicem incorruptibilem corrigere ac reprehendere peccatrices alias animæ potentias: quod tantùm poteſt convenire intellectui, non voluntati, quæ maximè, imò ſola peccat.

105. Henricus citatus & cum eo alii ſynteresim tribuentes voluntati, decepti ſunt ab ipſa voce ſyntereſis, quam putant compoſitã ex σὺν & αἵρεσις, idemque eſſe quod coëlectio, quæ eſt voluntatis; cùm tamen Græcè dicatur, & à D.Hieronymo non συνάιρεσις ſed συντήρησις, id eſt conſervatio, ἀπὸ τȣ͂ συντηρεῖν, à conſervando: quia ſcilicet modo & ratione jam indicatâ, ipſa eſt quædam conſervatrix aliarum potentiarum, & virtutum. Præterea idem D. Hieronymus juxta concluſionem per eam intelligit potiùs aliquid habituale, quàm actuale, cùm confert ac præfert aliis animæ non actibus, ſed potentiis, rationali, iraſcibili, & concupiſcibili.

Fateor tamen nec D. Hieronymum nec antiquiores Patres συντήρησιν reſtringere ad ſola principia moralia, ut Scholaſtici. Juxta illum pars illa animæ ſuperior, quæ inſtar Aquilæ ſeſe erigit ſupra mũdum, convertitque mentis aciem ad Deum, ac conſiderat rationes æternas ſpectantes animæ ſalutem, Deique gloriam, videretur dicenda συντήρησις; non tantùm circa principia, ſed quaſvis veritates ſaltem practicas, circa quas ſuprà dixi verſari conſcientiam. Verùm cùm ſecundùm Hieronymum verſetur etiam, idq; potiſſimùm circa principia, nec vis intellectûs ea percipiendi aliud nomẽ ſortita ſit, convenienter hoc illi appropriatum fuit. 106. *Aliter ſyn-teresim accipiunt Patres, quã Scholaſtici.*

Quod attinet ad inclinationem voluntatis illi reſpondentem, hæc nullum peculiare nomen hactenus

conſecuta eſt, quia tamen ſyntereſi reſpondit, dici poſſet inclinatio ſynteretica.

CAPUT XIII.

An conſcientia ſit lex naturalis, & quî utraq; conveniat cum ſynteresi.

107. [illegible]ſcien-[illegible]ſt lex [illegible]uralis.

AD priorem partem quæſtionis Reſpondeo & dico. Conſcientia eſt lex naturalis. Hanc concluſionem ſupponunt, qui docent concluſionem capitis decimi.

106. Inter[illegible] reſim [illegible] capitu[illegible] tres, [illegible]ā Sch[illegible] [illegible]ltui.

Probatur primò ex dictis & Apoſtolo ad Rom. 2. & Patribus citandis capite ſequenti, qui ſatis indicant, quod exprimit Damaſcenus ipſam quoque conſcientiam eſſe legem, quam Apoſtolus dicit ſcriptam in cordibus noſtris, & oſtendit eſſe naturalem; unde argumentor. Juxta communem ſenſum Apoſtoli, Patrum & Doctorum, & expreſſam ſententiam D. Thomæ 1.2. quæſt. 94. art. 6. argumento Sed contra, lex quæ ſcripta eſt in cordibus noſtris, eſt naturalis, talis eſt conſcientia ergo.

Præterea D. Thomas quæſt. illâ 19. art. 4. ibique interpretes docent rationem humanam, quòd ſit regula voluntatis humanæ, habere ex lege æterna, & eſſe lumen vultûs divini, de quo Pſalmiſta Pſalmo 4. juxta dicta cap. 11. Quæ hîc docet de ratione, quòd ſit participatio legis æternæ, & lumen vultûs divini, conveniunt legi natu[illegible] certam & communē ſente[illegible] ergo ratio hîc eſt naturalis: [illegible] eadem ratio eſt conſcientia, ju[illegible] claram mentem D. Thomæ & interpretū dicto articulo præcedenti, ac ſequentibus; ergo juxta eoſdem conſcientia eſt lex naturalis.

Probatur ſecundò nominatim ex Chryſoſtomo homil. 12. ad pop. Antioch. ubi explicans Apoſtolum citatum, clariſſimè docet utramque illam concluſionem. Primò, cùm refert ac refutat ut omninò falſam hanc ſententiam: *Non eſt nobis aperta lex in conſcientiâ poſita, nec eam naturæ Deus inſeruit*: Et paulò pòſt addit è ſententia ſua: *Si legem non habuiſſent conſcientiæ, nec ipſos perire peccantes oportebat.* Secundò cùm ſubdit poſtquàm ex mente Apoſtoli, dixit *non habuiſſe gentes legem ſcriptam ſeu poſitivam: naturæ verò legem habebant.* Clariſſimè itaque docet & conſcientiam eſſe legem, ſive concluſionem cap. 10. & eſſe legem naturæ ſeu naturalem, ſive hanc ipſam concluſionem.

Probatur tertiò. eſt lex, ut jam probavi; non poſitiva vel divina vel humana, ut clarum eſt, ergo naturalis. 108.

Dicta de lege naturali cō veniunt conſcientiæ.

Probatur quartò & explicatur, quia quæ dicta ſunt de lege naturali cap. 11. conveniunt etiam conſcientiæ, quare utraq; definita eſt, dictamen rationis, quod aliquid ſit faciendum vel non faciendum. Addidi in definitione legis, ſub pec-

 cato,

cato, quia omnis lex eo ipſo quo lex, obligat; non autem omnis conſcientia, ſcilicet conſulens. Addidi in definitione conſcientiæ: *practicum*, quia ſcilicet ipſa proximiùs, determinatiùs, ac efficaciùs, voluntatem applicat ad agendum; ſed hoc eam nõ eximit à ratione legis, imò potiùs in eâ confirmat.

109. *Ordinariè in negotiis interveniunt varia judicia.* Adverte, in negotio aliquo conficiendo, vel etiam omittendo ordinariè, ſed non neceſſariò intervenire varia judicia, & dictamina: exempli causâ, antequàm ſuccurras pauperi, cogitas primò bonum ac laudabile, imò neceſſarium eſſe pauperibus ſuccurrere; item quod tibi fieri vis, alteri quoque faciendum; deinde magis determinatè ac practicè concludis, huic pauperi hîc & nunc ſuccurrendum eſſe. Quæ omnia dictamina ſunt legis naturalis; ſi tamen hanc preſſiùs ſumas, quatenus à conſcientiâ diſtinguitur, duo prima erunt legis naturalis, poſtremum conſcientiæ, quod etiam poſſet dici applicatio legis naturalis à ſe diſtinctæ. Similiter niſi conſcientiam preſſiùs ſumas, non tantùm poſtremum, ſed & duo prima dictamina, ſunt conſcientiæ, quia reverà etiam practica, etſi non proximè.

110. Dices, lex naturalis debet eſſe quid naturale, ſeu dictamen quo aliquid naturaliter judicatur faciendum, vel non faciendum, ut etiam conſtat ex ejus definitione: atqui conſcientia ſæpe eſt quid ſupernaturale, quando procedit à principio ſupernaturali, id eſt prudentiâ infusâ, vel ſpeciali Dei auxilio, ergo: quod argumentum ſolvi debet in quavis ſententia, etſi non dictamen aut conſcientia, ſed natura, dicatur lex naturalis; quia natura ob eandem rationem non videtur poſſe dici lex naturalis, quatenus eſt in potentia, vel explicatur dictamine ſupernaturali.

Reſponderi poteſt primò, concedendo conſcientiam ſupernaturalem non eſſe legem naturalem, quod nõ eſt contra concluſionem, quâ non dicitur, omnis conſcientia eſſe lex naturalis. Non videtur tamen hæc reſponſio, omninò ſatisfacere, quia ſi tantùm in intellectu præceſſiſſet unicum dictamen, idque ſupernaturale de aliquo faciendo, peccatum, quod contra illud fieret, eſſet etiam contra legem naturalem; non aliam quàm illud ipſum, ergo illud etiam eſt lex naturalis. Quod clarius eſt caſu quo Deus rei aliàs naturalis, verbi gratiâ, quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, inderet dictamen ex parte ſua ſupernaturale.

Nota, poſſe aliquid eſſe ſupernaturale ſimpliciter, in ratione talis entitatis, vel qualitatis, non tamen ſecundùm quid, vel ſub aliquâ aliâ ratione: exempli causâ, viſio beatifica eſt ſimpliciter ſupernaturalis, connaturalis tamen lumini gloriæ, imò & intellectui elevato: & actus quamvis ſupernaturales à ſuper- III. *Poteſt quid ſupernaturale ſimpliciter, non ſecundùm quid.*

ſuper-

ſupernaturalibus habitibus producti, veriſimiliùs producunt habitus naturales, ut docui 2. 2. unde ſequitur efficientiam illorum, ſeu illos ſub eâ ratione eſſe vel habere ſe tanquam naturales; quæ ſi vera ſint in phyſicis, multò magis eſſe poſſunt in moralibus.

2. Reſpondeo ergo ſecundò, diſtinguendo majorem objectionis ſeu vocem naturale, vel naturaliter, omni ratione, etiam ſimpliciter & in ratione talis qualitatis, nego: in ratione legis ſeu obligationis, concedo. Quia etſi dictamen illud ſit in ſubſtantiâ ſupernaturale, non aliter tamen obligat, quàm naturale; nec enim obligat quà ſupernaturale, ſed quà dictamen: quare peccatum contra illud, fit ejuſdẽ rationis ac ſi eſſet naturale.

Confirmatur: quia vis obligandi dictaminis etſi ſupernaturalis nititur naturali illo principio; quod voluntas quia cæca, debeat ſequi ductum & lumen intellectûs naturale, vel ſupernaturale: unde ſequitur obligatio illi proportionata ac naturalis. Quamvis ergo dictamen illud ſit qualitas phyſicè ſupernaturalis, moraliter tamen erit lex naturalis. Simili etiam ratione lex quamvis naturalis, obligat etjam ad actus ſupernaturales: horum enim culpabilis omiſſio, haud dubiè eſt etiam contra legem naturalem.

113. Ex dictis collige primò, quæ cap. 11. dicta ſunt, in commendationem legis naturalis; quòd ſit participatio, radius ſeu irradiatio; vel etiam applicatio legis æternæ; quod ne quidem à Deo diſpenſabilis, adeoque ſummâ quâdam veneratione ſuſcipienda & obſervanda; eodem imò majori jure valere de conſcientiâ, quæ eſt lex naturalis plenior & efficacior. Unde item patet cùm dicitur obligare vi ſuâ, non excludi ſed includi legem ęternam, cujus intrinſecè & eſſentialiter eſt participatio: quo modo explicandus D. Thomas aliique, cùm videntur à concluſione diſſentire.

Collige ſecundò conſcientiam non eſſe legem completam, diſtinctam ab ea quam intimat, & applicat, ſed cum hac, quamvis in ſuo genere completâ, unam abſolutè completam conſtituere, cui tantùm conveniat una completa obligatio; hoc enim omnes dicere debent de lege naturali. Ita nulla lex poſitiva, nequidem divina, completè obligat, niſi accedente lege naturali compleatur & homini intimetur. Quâ ratione lex naturalis eſt quoque complementũ & promulgatio ipſius legis æternæ; quod etiam dicendum de conſcientiâ. 114. *Conſcientia cum lege quam intimat unam legem complet.*

Unde ſequitur ulteriùs peccatum, quamvis contra duplicem illam legem commiſſum, unicum tantùm eſſe, juxta communẽ ſententiam; atque adeò non eſſe in confeſſione explicandum tanquam novum peccatum, quod contra conſcientiam factum ſit; quod ali- *Unicum peccatum ſit contra utramq.*

qui dicunt licèt immeritò, docuisse Adrianum. Ratio ejus alia est, quòd illa sit circumstantia generalis, qualis, verbi gratiâ, est contemptus Dei, & inobedientia; cujusmodi circumstantiæ non tribuunt peccato speciem, nisi directè & specialiter intentæ. Quare novum peccatum in confessione distinctè explicandum esset, exemplo Lutheri ideò repugnare & operari directè contra conscientiam, ut hæc tandem expugnetur. Quod tamen non repugnaret novæ speciei virtutis, sed tantùm inclinationi synterreticæ, juxta dicta cap. 12. conclusione 2. eademque esset ratio, si, juxta dicenda lib. 5. cap. 20. quis vellet malum in genere, non restrictum ad ullam speciem. Eodem capite ac duobus sequentibus plura alia deducentur ex præmissis hîc principiis; videlicet conscientiam saltem rectam imò & invincibiliter erroneam magis obligare, quàm legem positivam sensu ibi explicando, imò conscientię legem etiam à Deo esse indispensabilem.

115. *Qui inter sese comparari debeant lex naturalis, synteresis, & consciētia.* Denique ex dictis hoc capite, & præcedentibus collige quî inter sese comparari debeant lex naturalis, synteresis & conscientia, quæ est posterior pars quæstionis propositæ. *Conveniunt.* Conveniunt primò, quòd sint intrinseca subsidia data ac insita ab authore naturæ homini dirigendo fideli & infideli: secundò, quòd spectent ad intellectum: tertiò, quòd si latiùs sumantur, idem dictamen possit convenire omnibus; quod quatenus à lege naturali obliget, quatenus à synteresi illustret, quatenus à conscientia applicet ad agendum.

Differ[unt.] Differunt verò primò, quòd lex naturalis & conscientia potiùs significent actum, synteresis habitum. Secundò, quòd illæ latiùs pateant extendantque se, non tantùm ad prima principia, quibus se continet synteresis, sed etiam ad conclusiones inde deductas. Nam verè lex naturalis obligat, adeoque extendit se ad omne, quod cognoscitur naturaliter, sensu antè explicato, faciendū vel non faciendum; quamvis in particularibus, licèt supernaturalibus circumstantiis, & conscientia etiam attingit prima principia practica, si præsertim ante actum nullæ particulariores conclusiones inde inferantur. Si tamen sumantur strictiùs, & sibi opponantur, synteresis versatur circa prima magisque universalia, & nota principia, circa reliqua lex naturalis, circa conclusiones ex utrisque deductas conscientia. Quæ item causa est cur lex naturalis, ut & synteresis, dicatur una & immutabilis, quatenus scilicet versatur circa principia eadem & immutabilia; conscientia autē multiplex ac mutabilis, quia varia est pro varietate circumstantiarum, quarum quælibet, etiam minima totum consciētiæ casum ac dictamen mutat.

CA-

CAPUT XIV.

An conscientia, & synteresis nunquam exstinguantur.

Differ...

6. NOta variè in hac quæstione posse sumi conscientiam juxta jam dicta, primò pro dictamine synteretico seu versante circa universalia principia: bonum prosequendum, malum fugiendum, & similia: secundò pro conscientiâ presliùs sumptâ seu versante circa particularia seu conclusiones inde deductas, v.g. non licet furari, danda est huic eleemosyna, &c. tertiò, etiam post peccatum factum, pro dictamine actuq; rationis, factum improbantis, ac reprehendentis, ac dolore, pudore, & horrore, inde secutis. Sed de conscientia tertio hoc modo sumpta, commodiùs agemus lib. sequenti cap. 19. & 20. de primo & secundo modo sumpta agam his duabus conclusionibus.

7. ...resis ...am ...gui. Dico primò: conscientia circa principia universalia, seu synteresis nunquam in ullo exstinguitur: est communis D. Thom. 1. 2. quæst. 94. artic. 6. ubi docet non posse legem naturalem aboleri ex cordibus hominũ quoad universalia principia, posse quoad particularia quædam.

Probatur primò ex Patribus, Hieronymo cit. initio cap. 12. *Quæ*, ait, *scintilla conscientiæ*, sic illam vocat, *in Cain quoque pectore, non exstinguitur*. Et ad Algasiam quæst. 8. *Ista lex*, inquit, *quæ in corde scribitur, omnes continet nationes, & nullus hominum est, qui hanc legem nesciat: unde omnis mundus sub peccato, & universi homines prævaricatores legis sunt, & idcirco justum judicium Dei est scribentis in corde generis humani: quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris.* Et paulò pòst: *Per hanc naturalem legem & Cain cognovit peccatum suum.* Et infrà: *Pharao quoque antequàm lex daretur per Moysen, stimulatus lege naturæ sua crimina cõfitetur.* Idipsum variis locis luculentè ostendit Augustinus, lib. 2. confess. cap. 4. citato à D. Thoma: *Lex tua scripta est in cordibus hominum, quam nec ulla delet iniquitas.* De spiritu & littera ca. 28. *Non usque adeò in animâ humanâ, imago Dei terrenorum affectuum tabe est detrita, ut nulla in eâ velut lineamenta extrema remanserint; unde meritò dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere.* In Psal. 57. post multa in hanc rem: *Eja tu redi, redi prævaricator ad cor, ibi est scripta lex: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Et infrà: *Iudicis tribunal est in mente tuâ, sedet ibi Deus, adest accusatrix conscientia, tortor timor.* Paulò antè: *Testis est qui adest, non in cubiculo adest parietum; sed in cubilibus conscientiarũ vestrarum.* Iterum in Psal. 118. *Nullus est qui facit alteri injuriam, nisi qui sibi fieri nolit; & in hoc transgreditur naturæ legem, quam nõ sinitur ignorare, dum id quod facit, non vult pati.*

Quibus

Quibus apparet Patres primò clarè docere dictamen, seu principium hoc: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris:* aliaque quæ inde deducuntur evidenter, manere altè impressa & inscripta cordibus, etjam infidelium ac maximorũ peccatorum: secundò eosdem conformiter antè dictis, non distinguere legem naturalem, & conscientiam, nec utriusque officia, sed pro iisdem sumere. Cæterùm verba tantorum Patrum tam clara sunt, ut non egeant explicatione, & tam luculenta, ut non sit opus testimoniis aliorum Patrum.

118. Probatur deinde ratione & explicatur ex dictis cap. 12. quia facultas cognoscendi universalia illa principia, intellectui naturalis est, nec adempta per peccatum; cognitio autem ipsa cùm sit principiorum practicorum, est conscientia, idque quamvis nullæ conclusiones inde deducerentur; quod item ex dictis constat. Quare si quis post elicitum dictamẽ hoc solum: quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris; vellet alteri facere quod sibi fieri non vellet, etsi de nullo peccato cogitaret in particulari, haud dubiè peccaret, idque contra conscientiam, nullum nisi illud dictamen: itaque hoc etiam est conscientia.

119. *Exstinguitur aliquando consciẽtia circa particularia, etsi comprehensa lege naturali.*

Dico secundò: exstinguitur tamen in aliquibus aliquando conscientia, circa particulares conclusiones inde deductas, quamvis comprehensas lege naturali. Est D. Thomæ citati tota, & communis, exceptâ saltem ultimâ parte de lege naturali; cujus nulla præcepta putant aliqui posse ignorari invincibiliter; unde sequeretur aliquo modo debere ea cognosci, atque adeò non omnino circa illa exstingui conscientiam.

Probatur & explicatur: quamvis juxta jam dicta cuivis nota sint universalia illa principia, nullo tamen modo sequitur, à quovis inde deduci posse quasvis conclusiones, non magis in practicis quàm in speculativis, ut bene D. Thomas citatus. Quid ita? vel ob infirmitatem naturalis ingenii, vel ob rationem aliquam extrinsecam, aut falsam persuasionem, vel ob pravam consuetudinem, & excæcantem passionem, vel circumstantiam aliquam, verbi gratiâ, necessitatem quæ videatur excusare malitiam, sufficit ea talia sint, ut necessariò & evidenter ex primis illis principiis deduci possint, sed non semper nec ab omnibus ob easdem causas.

Varia n... tiones ig... noratum varia p... cata co... tra leg... natur...

Confirmatur experientiâ; nam testantur historiæ etiam à nationibus habita fuisse licita peccata aliqua contra legem naturalem, verbi gratiâ, à Lacædemoniis adulteria, à Germanis latrocinia: quos proinde oportet ignorasse legem naturalem vetantem. Aliàs præterea gentes barbaras ignorasse peccata iis clariora & crassiora testatur

etiam

etiam Hieronymus, lib. 2. contra Jovianũ sub initium, qui suo tempore refert se in Galliâ vidisse homines Europæos, qui solas delitias arbitrabantur carnes humanas: addit, illis nullas fuisse uxores proprias, sed omnes pecudum more communes. Scribit idem Persas, Medos, Indos & Æthiopes cum matribus & aviis, cum filiabus & neptibus copulari, Massagetas & Derbices miserrimos putare, qui ægrotatione moriuntur; & parentes, cognatos, propinquos cùm ad senectam venerint jugulatos devorare: Tibarenos quos dilexerint senes suspendere in patibulis, Hircanos volucribus ac canibus semivivos projicere, Caspios iisdem bestiis mortuos, Scythas eos qui à defunctis amati sunt, infodere cùm ossibus mortuorum, Bactros canibus ad hoc ipsum nutritis objicere senes. Subjungit deinde unamquamque gentem suo ritu & proprietatibus victitantem hoc naturæ legem putare quod didicit. Qui putant eam legem naturæ, necessariò ignorant veram, cui ea ex diametro repugnat; adeoq; exstincta in iis est verè lex, quamvis naturalis conscientia. Minùs crudum ac barbarũ est quod narrat Vasquez, se rusticum vidisse, qui pium semper existimarat ægrotum jam jam moriturum ne diu dolore mortis detineretur, in alterã partem versare, ut ita mors acceleraretur; additque facto sufficienti examine, sibi persuasum esse inculpabili illum ignorantiâ laborasse. Nõ tantùm imperitum vulgus, sed & sapientes iisdem erroribus imbuti fuerunt. Lycurgus suis legibus immiscuit, non tantùm castis auribus, sed lumini rationis, legique naturę omninò contrarias. Nec dissimilia in suam rempublicam transtulit Plato, adeò ut jam mirandum non sit turpiùs errasse alios aliarum nationum Sapientes: nec necessarium proferre quæ similia de Brasiliensibus, aliisque testantur nostri temporis historiæ, ac litteræ.

Adverte tamen circa ejusmodi quæ tam evidenter ex primis principiis deduci possunt, qualia sunt præcepta omnia Decalogi, non videri diu esse posse ignorantiam invincibilẽ, quod satis indicant ipse Hieronymus & Augustinus citati superiori conclusione; imò Apostolus ad Rom. 2. qui de similibus, *Ostendunt*, ait, *opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum,* & *inter se invicem cogitationibus accusantibus*: quia enim ejusmodi peccatorum turpitudo tam evidens est, non potest effugere lumen rationis, quod in nullo exstinctum est. Quod si ea aliquando occurrat, quamvis dubiè, desinit ignorantia inculpabilis, & resuscitatur quasi antè sopita conscientia, movetque, imò obligat ad accuratiorem veritatis inquisitionẽ; quæ cùm tam clara sit, facilè invenietur, si seriò quæratur. 120.

Circa præcepta Decalogi, & similia nõ extinguitur diu conscientia.

121. Adverte tamen primò, faciliùs latere veritates cæterùm claras, ac tegi malitiam evidentem, si vestiatur tegaturque prætextu, circumstantiâ, aut fine apparenter honesto, verbi gratiâ, furtum fine succurrendi proximo egenti: quo item prætextu potest aliquibus tegi, & invincibiliter ignorari malitia perjurii.

Adverte secundò, faciliùs exstingui conscientiam, & nasci, & durare in multis ignorantiam invincibilem peccatorũ minùs evidentium, quamvis reverà repugnantium lumini, legique naturæ, verbi gratiâ, delectationis morosæ, variorum contractuum usuræ, cambiorum siccorum, &c. atque etiam mendacii nunquam liciti, cujus tanquam medicamenti usum putarunt aliquando licitum, etiam sapientes Xenophon, Plato, aliique eos secuti, etiam Christiani.

122. *Nunquã exstinguitur conscientia in peccante.* Dico tertiò: nunquam omnino exstinguitur consciẽtia in peccatore cùm peccat. Sequitur hæc conclusio, imò coincidit cum conclusione cap. 17. lib. seq. ibi probanda; imò ex ibi dicendis sequitur contrarium implicare contradictionẽ; ut scilicet aliquis peccet, nisi aliquo modo conscius peccati sui; quia peccati natura, quam ne quidem Deus mutare potest, sita est in contrarietate seu difformitate à conscientia, scilicet quæ tunc sit & obliget.

Non refert autem an conscientia sit circa universalia, vel particularia; modò circa malum quomodocumque cognitum.

CAPUT XV.

Quomodo conscientia sit regula actuum moralium, & quid ad hos requiratur.

Amplissimum & maximi momenti est hoc conscientiæ officium, scilicet esse regulã & mensuram omnium actuũ moralium, & ab eo pendent varia dicenda sequentibus capit. & libris; quare hoc & sequenti capite paulò exactiùs est explicandum. 123.

Suppono tanquam certum & clarum in eodem numero actu distingui, esse naturale seu physicum, & morale. Physicè enim idem est, sive fiat contra legem sive non; moraliter autẽ omninò diversus, quia malus si contra legem, si non, bonus. *Distinguitur in uno actu esse naturale, & morale.*

Dico primò: ut actus sit moralis debet esse liber: est certa & communis. 124. *Actus moralis debet esse liber.*

Probatur, quia esse morale, seu moralitas in actu est id, ratione cujus censetur laude vel vituperio dignus, qualis non potest esse nisi liber. Atque hæc est causa cur visio beatifica, etsi alioquin actio perfectissima moralis non sit, eademq; est ratio de motibus primo primis aliàs malis; unde sequitur, etsi eadem physicè actio, possit esse libera &

& necessaria, non tamen eadem moraliter. Quia quemadmodùm libertas est prima radix & fundamentum laudis & vituperii, ita etiam omnis moralitatis: subtracto igitur hoc fundamento, corruit totum esse morale, quod illi innitebatur.

125. Ad moralitatem requiritur ratio æstimativa.

23. Dico secundò: præter libertatem requiritur ad actum completè moralem, ratio æstimativa honestatis vel inhonestatis morũ, adeoque consciẽtia in genere tanquam ejus regula. Dixi, completè, quia aliqui tam latè loquuntur de actu morali, ut omnem actum humanum seu liberum dicant moralem, ob rationem præcedentis conclusionis, quibus favere videtur D. Thomas 1. 2. in discursu quæst. 18. & 19. quod intelligi potest de esse morali incompleto. Ceterùm est communis D. Thomę quęst. illâ 18. art. 5. *Dicuntur*, ait, *actus morales secundùm quod sunt à ratione*. Et quæstione sequenti art. 1. ad 13. *Bonum in-quantum cadit sub ordine rationis, pertinet ad genus moris. Ratio enim est principium humanorum & moralium actuum.*

124. Nota particulas, *secundùm quod* & *in-quantum*, quæ significant locutionem formalẽ ac præcisam. Ex quibus proinde & verbo: *principium*, clarum est rationem non esse tantùm conditionẽ, sine qua non. Idem docet D. Thomas sæpe alibi. Quare art. 9. quæst. 18. actus indifferentes defectu illius conditionis proscribit extra classem moralium; quia videlicet non procedunt à ratione æstimativa boni honesti; sed tantùm sensibilis. Nec refert quòd D. Thomas aliique, id non exprimant de conscientiâ, sed ratione; quia nihilominus, ut dixi in simili cap. 13. conclusione primâ, hæc juxta claram eorumdem mentem est consciẽtia. Ratio enim quæ actum moralisat, debet esse ultimũ dictamen à quo ille procedat proximè, hoc autem, ut dixi eodem capite est conscientiæ, & quidem strictè sumptæ.

Dixi, conscientia in genere, & ratio æstimativa honestatis vel inhonestatis, prout scilicet ab utraq; determinatè sumpta abstrahit; sic enim est regula actûs moralis in genere, non autem prout est ratio, aut conscientia recta: sic enim est regula actûs boni; vel prout est obliqua, imprudens, ac culpabilis: sic enim est regula actûs mali. Quare etiam D. Thomas studiosè non exprimit hîc rectam rationem, ut alibi, sed rationem. 126.

Dixi morum, quales censentur singuli actus humani; quia videlicet frequentati faciunt ad mores.

Addidi, tanquam regula, scilicet etiam genericè sumpta, non tantùm obligans, sed etiam consulens; vel ut sic, ab utrâque abstrahens; aliquo tamen modo dirigens, scilicet ex parte suâ, saltem in actu primo tanquam dictamen practicum applicans scientiam vel potẽ-

tiam ad actum modo explicato cap.4. conclusione 3. Quare non sufficit hîc speculativa advertentia, ut velle videtur Suarez 1.2.tract.3. disp.1.sect.3.num.15. sed requiritur judicium aliquod practicũ seu morale sensu dicto. Aliàs posset actus noster, dici moralis ab ejusmodi cognitione, & advertentiâ Dei. Unde apparet non malè à Vasquez 1.2.disp.73.cap.9.aliisque, moralitatem actuum explicari per regulabilitatem sensu scilicet dicto.

Ad moralitatẽ requiritur judicium practicũ.

Non malè ea explicatur per regulabilitatem.

127. Probatur deinde conclusio sic explicata, ratione. Primò quia omnino verisimilius est pueros & amentes elicere actiones liberas, adeoque humanas circa bonũ sensibile & jucundum, antequàm circa rationale & honestum; quòd honestas sit quid sublimius & difficilius cognitu: ejusmodi autem actiones non dicuntur morales; ergo, ut sint morales, aliquid amplius requiritur, quàm libertas: atqui nil præter rationẽ & conscientiam explicatam, ergo.

Pueri liberè volunt jucunda antequàm honesta.

Probatur secundò actus moralis ut sic, dividitur quasi genus in species, in actum bonum & malum moraliter, idque adæquatè, ut clarè docet D.Thomas quæst. illâ 19.art.1. & passim supponit totâ illâ & præcedenti quæstione, ergo actus moralis ut sic, significat aliquid commune contrahibile per bonitatem, & malitiam, ut differentias juxta eundem D.Thomam. Illud autem commune non potest esse aliud, quàm ordo seu habitudo ad conscientiam seu rationem dictam: hæc enim habitudo congruè contrahitur per bonitatem, si est conformitatis cum ratione, per malitiam, si est difformitatis.

Actus moralis adæquatè dividitur in bonum, & malũ.

Ex dictis sequitur primò, quod bene advertit Conradus in art. 5. quæst.18.cit.actum habere à ratione esse naturale & morale: naturale quatenus per rationem voluntati proponitur objectum; scilicet ut per conditionem sine qua non: morale quatenus comparatur cum ratione directrice ac regulâ, scilicet tanquam formâ denominante. 128.

Sequitur secundò, quod in primâ conclusione indicatum est, libertatem esse primam basim ac radicem completæ moralitatis, non tantùm quia omninò ad hanc requiritur, sed etiam quia hæc ex illâ quasi quædam passio resultat: quia enim actus liber est, & bene vel malè fieri potest, à conscientiâ, circa illum voluntas dirigi potest, imò debet.

Libertas est radix moralitatis.

Unde collige eundem actum, si necessarius est à ratione ac conscientiâ dirigibilem non esse, nec ideò moralem: quòd si idem physicè incipiat esse liber, jam à conscientia dirigibilem esse, ideoque moralem: quod sæpè contingit in motibus primò primis, qui semper necessariò incipiunt, sed sæpè liberè continuantur.

Sequitur tertiò hæc omnia requiri ad actum moralem, seu completam

Requisita ad actum moralem

pletam moralitatem, realem ejus entitatem; secundò libertatem, atque adeò potentiam liberè elicientem; tertiò conscientiam seu rationem æstimativam honestatis vel inhonestatis, vel de utravis judicativam; quartò, quod in idem recidit, objectum à ratione sic æstimatum seu judicatum.

129. Tandem ex dictis collige quæ dicta sunt de moralitate actuum, applicanda item esse omissionibus, exceptis nimirum quæ actibus peculiaria sunt, qualis est realis entitas, & tendentia in objectum.

Requisita ad omissionẽ moralem. Itaque ad omissionem moralem requiritur libertas, & ratio æstimativa de ejus honestate vel inhonestate: quod etiam locum habet, in omissione purâ, quam verisimilius est dari, scilicet absque actu, qui ejus sit causa vel occasio; nec enim voluntas minùs potest pro suâ libertate non agere, quàm agere.

CAPUT XVI.

Quid sit actus, & entia moralia, & quomodo illi à conscientiâ pendeant.

130. POstquàm de re constat, quænam reverâ ad actũ moralem, requirantur; non videtur multùm ad praxim & mores referre, sed magis ad modum loquendi, quid sint præcisè actus morales, seu moralitas, & entia moralia. Quæ tamen operæpretium fuerit paulò distinctiùs hîc explicare; quia passim eorum incidit frequens mentio, totâ morali Theologiâ, & hisce de conscientiâ libris, præsertim sequenti, ubi eodem modo explicanda erit bonitas & malitia. Imò hæc quæstio, quamvis universalis, huc propriè spectat, ut intelligatur qua ratione conscientia actum moraliset.

Suppono dari entia moralia qualiacumque, quæ scilicet ad mores spectent, quod clarissimum est; cujusmodi primò sunt ipsi actus humani, ac morales, eorumque moralitas, bonitas, ac malitia, valor ac offensa, meritum & demeritum. Secundò ejusmodi etiam sunt dignitas ac potestas Pontificia, Regia, Sacerdotalis, valor pecuniæ & similia; quibus adjungi potest causa & effectus moralis. Quia verò entia moralia dicuntur à moribus, ut hi duplices sunt, Theologici, ut ita dicam, quibus placemus vel displicemus Deo: & politici, qui spectant ad politicam conversationẽ usumque; ita duplicia distingui possunt entia moralia, & nominari Theologica & Politica: utrarumque exempla jam assignavi. *Quæ dicantur entia moralia.* *Theologica & Politica.*

Prima sententia est, ea explicantium per entia rationis, quo sensu Vasquez 1.2.disp.129. cap.7.nu.23. ait relationes rationis à nonnullis entia moralia, dici consuevisse; & Lessius de gratia cap.3.num.8. speciatim malitiam peccati dicit esse moralitatem seu respectũ rationis. 131. *Quo sensu entia moralia dicantur rationis.*

 Sed

Sed hæc ſententia non poteſt ſic intelligi quaſi verè entia moralia ſint tantùm rationis; quis enim dicat peccatũ ejuſque malitiam eſſe tantùm quid ab intellectu fictum? ſed ita, ut illa à nobis concipiantur tanquam entia rationis; quod an ita fiat non diſputo. Theologica quæſtio eſt, non quomodo à nobis concipiantur, ſed quid verè ſint. Qua ratione peſſimè diceres Deũ eſſe materialem, quia à nobis niſi per modum rei materialis concipi nequit. Quamquam ego non video cur nos entia iſta moralia nobis non ſublimiora, nunquam poſſimus concipere ut ſunt, niſi fingendo ens rationis, quod ſcimus ea nec eſſe, nec eſſe poſſe.

132. *Quo ſenſu denominationes extrinſeca.* Secunda ſententia eſt explicantium ea per denominationem extrinſecam, quę eſt nominatim Suarez cit. ſect.3. ubi ex profeſſo eandem quæſtionem tractat, & plurium aliorum; ſed nec illa ſententia poteſt ſic intelligi, quaſi verè non eſſent niſi ipſe actus denominationis, vel etiam non eſſent niſi illo poſito; hoc enim æquè apparet falſum: ſed ita, ut vel denominatio accipiatur pro objectivâ, id eſt objecto ac fundamento denominationis formalis, vel denominabilitate, quæ à parte rei ſunt. Sic album ſolet dici denominatio intrinſeca, quod tamen certiſſimè eſt antequàm denominetur. Eodem igitur ſenſu dicitur denominatio extrinſeca, illo tantùm diſcrimine, quòd illa ſumatur à formâ intrinſecâ ſubjecto denominationis, hæc ab extrinſecâ; adeò ut ſicut illa, verbi gratiâ, album nil eſt aliud quàm ſubjectum, id eſt, paries, & forma, id eſt, albedo, intrinſecè illud afficiens inhærendo; ita hæc, verbi gratiâ, viſum nil eſt aliud, quàm ſubjectum, verbi gratiâ, paries, & forma, id eſt, viſio extrinſecè illud afficiens, realiter circa illud verſando. Unde clarum eſt denominationem extrinſecam, quando eſt à forma reali, tam eſſe realem, quàm intrinſecam.

Ex quibus apparet duas has ſententias reverà, à pòſt explicandâ non differre, niſi modo loquendi: neque etiam inter ſeſe, ſi præſertim illa denominatio explicetur per relationem rationis, in ſubjecto denominato, erga formam extrinſecè denominantem.

Tertia ſententia eſt explicantium moralitatem per relationem tranſcendentalem actûs ad objectum, vel rationem, quæ eſt Curielis 1. 2. quæſt.18. artic.1. dub.2. §.5. aliorumque, qui ſic explicant ſpeciatim bonitatem moralem: ſed cùm illa relatio ſit actui eſſentialis, neque ab hoc diſtincta, nec hæc ſententia differt à vera. 133.

Quarta igitur reverà diſtincta eſſet dicentium moralitatem, verbi gratiâ, actus eſſe aliquid reale actui libero intrinſecum, & ſuperadditum; quod aliqui Thomiſtæ videtur docere de bonitate, quam quidam 134. *Moralitas non eſt relatio, aut quid aliud ab actu diſtinctum.*

quidam dicunt esse prædicamentalem. Verùm hæc sententia rejicitur universali ratione, quòd entitatis vel formæ illius distinctæ nullum sit peculiare signum, aut effectus, & speciatim in actu morali non possit explicari, vel intelligi modus aliquis, vel forma ab illo distincta. Vel enim illa esset aut faceret majorem intensionē in subjecto, vel extensionem ad subjectum, vel habitudinem ad principium, vel etiam objectum: nihil autem eorum dici potest, ut bene ostendit Suarez cit. sect. 2. à num. 5. & colligitur ex superiori cap. quia illa omnia possunt convenire actui non morali, ut etiam vitalitas, imò & libertas, sive distincta, sive quod est verius, ab actu indistincta.

Quòd si dicas effectum ejus esse intensionem, vel habitudinem novam moralem, petis principium: quia in quæstione est quid sit illa moralitas; neque explicari potest, quo modo forma realis, & physica causet aliquid morale non physicum.

Quod attinet ad relationē prædicamentalem, neque illa hîc potest habere locum, cùm ad eam non sit per se motus, sed ad formam aliquam, ex qua illa quodammodo resultet. Cujusmodi forma nulla assignari potest, cùm actus, verbi gratiâ, antè necessarius fit liber & moralis, non ob novam aliquam formam, sed ob cessationem impulsûs extrinseci, verbi gratiâ, ad motum localem, qui illo solo cessante fiat liber, adeoque moralis. Eadem esset ratio, si Deus ipse cæteris non mutatis, desineret voluntatē impellere quam antè physicè ad aliquid prædeterminasset.

Addo & hanc sententiam vix à verâ differre, si relatio prædicamentalis juxta probabiliorem sententiam non distinguatur à fundamento, ac ratione fundandi.

Quinta sententia est aliquorum recentiorum, asserentium entia moralia, nec esse rationis, aut denominationes extrinsecas, nec realia, eorumque negationes; verè tamen à parte rei existere, independenter ab intellectu. Quæ sententia si de ullis entibus, maximè de actibus propriissimè moralibus, ipsaque eorum moralitate, sub quâ ut ratione genericâ comprehenduntur, bonitas, & malitia, intelligenda est. citantur pro ea aliqui, sed qui verè hoc non asserunt, sed contrarium. Hæc sententia nunquam potuit mihi probabilis videri. 135.

Primò quia hactenus Philosophi, & Theologi, putarunt ens adæquatè dividi in reale & rationis: ad hoc enim spectat etiam ex mente Scoti ac meliorum Scotistarum, ens quod ab illis vocatur diminutum, ut etiam docent Authores illius sententiæ, qui tamen dividunt ens in reale, morale & rationis; imò deberent conformiter admittere quartum imaginarium pro suo spatio

Ens morale non est quid medium inter reale, & rationis.

ſpatio imaginario, cui ſimilem aliquam entitatem tribuunt, nec realem, nec rationis.

Secundò, quia non videtur ſatis conformis Scripturæ Joan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt:* & Oecumenico Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & refertur cap. Firmiter, de ſummâ Trinitate, quo Deus dicitur unum univerſorum principium, creator omnium viſibilium & inviſibilium, ſpiritualium & corporalium. Peto, entia illa purè moralia ſintne creata, ac facta, vel increata; non videtur poſſe dici quòd ſint increata, ut magis conſtabit ſequenti ratione. Si creata, ergo primò videntur realia, quia Deus nihil creat, niſi reale.

Secundò, vel ſunt viſibilia & corporalia, vel inviſibilia & ſpiritualia: non primum, ut conſtat ſenſu; nec etiam ſecundum, quia hactenus inaudita ſunt entia creata ſpiritualia, præter naturam angelicam, & animam rationalem, & utriuſque accidentia realia: deinde entia moralia tam res corporales afficiunt, quàm ſpirituales, ergo ſunt tam corporalia, quàm ſpiritualia.

136. Nec ſufficit dicere Evāgeliſtam, & Concilium agere de entibus phyſicis. Primò, quia non minus ad inſtitutum ſpectabant, entia moralia, quàm phyſica, modò vera entia.

Secundò, quia apertè intendit agere de omnibus omninò rebus præter Deum, ut ſignificant voces: *Omnia, univerſorū, & omnium:* adeò ut quidquid prætereà adfertur, verè non ſit, ſeu nihil ſit, ut explicat ſe Evangeliſta verbis: *Sine ipſo factum eſt nihil:* juxta communē omnium ſenſum. Unde argumentor: quòd non comprehenditur ſub voce: omnia & univerſa, nihil eſt, ſeu non eſt, talia ſunt entia purè moralia, ergo.

Tertiò, ens purè morale verè à parte rei exiſtit, & habet ſuam peculiarem entitatē, ergo illam qualemcumque Deus creat, ac conſervat vero aliquo concurſu; cùm præſertim illud non ſit minoris, imò majoris momenti quàm phyſicum. 137. *Quidquid eſt pendet à Deo.* Aliàs ſecundùm entitatem qualem habet, eſt independens, & increatum: quod etſi videatur admitti ab Authoribus illius ſententiæ, nullo modo videtur dici poſſe, quia contra communem ſenſum Patrum Concilii ac Evangeliſtæ cit. à quibus entitas increata, & independens tribuitur uni Deo. *Niſi ſit Deus.*

Unde ſequeretur ens morale eſſe Deum, ſaltem moralem, quia in ſuo genere, ac ordine ſupremum & independens, juxta demonſtrationē allatam cap. 1. Aliàs non ſuppeteret nobis naturalis ratio demonſtrandi Deum. Quod argumentum valet, etſi dicatur, quòd conſequenter dici deberet, ens morale factum eſſe & creatum, ſcilicet moraliter à cauſâ aliquâ morali: quia deveniendum eſſet in

hoc etiam ordine ad unam primā, quæ esset Deus. Suppono autem ens purè morale non posse fieri à causâ & causalitate reali, ac physicâ, quæ pendet ac specificatur, nec fortè differt à termino physico. Fortius tamen argumentum hoc urget de spatio imaginario, quod insuper est ens omnino necessarium, æternũ & immensum: quale omnino videtur dicendus Deus. Ubi suppono quod omnino contendunt Authores illius sententiæ; illa entia verè & positivè esse, quod negant qui spatium imaginarium dicunt esse quid negativum.

Quartò: ipsa sententia videtur involvere apertam implicantiam; dicuntur enim entia moralia, verè à parte rei, & in rerum naturâ existere, & tamen non esse physica seu realia, vel realiter. Quid quæsò est esse realiter seu reale, nisi esse à parte rei, seu rerum naturâ? communi hæc æstimatione eadẽ sunt. Quare etiam implicant, responsiones illi fundamento innixæ, quòd ens morale verè sit à parte rei, nec tamen propriè aut strictè ens; adeoque nec propriè ens creatum, vel increatum. Nam quidquid verè & positivè à parte rei existit, etiam propriè est ens. Deinde illa responsio incidit in aliud extremum, & incommodum æquè grave, ac conatur evitare; quòd propriè & strictè entia moralia, non sint, v.g. bonitas & malitia, potestas Regia, ac Sacerdotalis, imò Majestas divina.

Quidquid verè est, & reale.

Dices illa sunt propriè entia moralia, vel moraliter. 138.

Respondeo, etiam ens rationis, est propriè ens rationis, seu per rationem. Petitur ergo, an, ut ens rationis est vox alienans, adeoque simpliciter non ens; ita etiam morale? Quidcumque dicatur recurrunt argumenta facta.

Multa alia dictæ sententiæ objici possent, & ab ejus Authoribus peti, an & quali actione fiant entia moralia? Nam aliquo modo, & actione videntur fieri debere, cùm esse incipiunt; & posteà conservari: an non saltem actione & concursu purè morali? secundò an & quâ actione illa agant? v.g. potestas Regia, an etiam purè morali? nec enim potestati purè morali convenit actio physica. Tertiò in quo proximè subjecto sint, corpore, an animâ? & an, & quâ unione mediante? an non purè morali? quartò an sint divisibilia, vel indivisibilia, seu pars in parte, vel tota in toto, & tota in qualibet parte. Quintò an etiam sint in Deo? videtur omnino dicendum, quòd sint. Unde tamen videtur sequi, quòd Deus sit compositus ex entibus diversissimis, esto non physicè, saltem verè ac moraliter. Denique cur entia moralia tam varia & pulcra, non sint etiam ab Aristotele, vel suis Authoribus redacta ad suas categorias ut physica? quæ aliaque explicanda essent novâ aliquâ philosophiâ.

Dico jam primò: entia moralia 139.

Entia moralia sunt entia realia vel eorum negationes. sunt ipsa entia realia, vel horum negationes moraliter, id est, in ordine ad mores spectata, seu denominata à formâ, vel formalitate aliquâ, secundùm quam ad mores spectant. Dixi forma, quæ sæpe est extrinseca, & significatur in obliquo, vel formalitate intrinsecâ imò indistinctâ. Est reverà communis, ut constat ex jam dictis; quod ostendi posset inductione de singulis entibus moralibus: tangam tantùm præcipua, abstrahendo à peculiaribus difficultatibus, quæ debent solvi ab omnibus.

Quid sit justitia. Primò, ita ab omnibus explicatur esse justum & sanctum; seu justitia & sanctitas habitualis, quæ est ens morale, & quidem dignissimum, si ullum, per qualitatē physicam, gratiam inhærentem; quatenus scilicet acceptatur à Deo, vel reddit ei hominem gratum; aut etiā quatenus est principium morum, actuum justorum, bonorumque: quâ item ratione omnes virtutes suâ naturâ sunt morales. Imò illud tam certum est omnibus, ut ideò putent fidei, vel fidei proximum, dari habitus infusos, & supernaturales, scilicet physicos. Quod argumentum nullum esset, si similia liceret explicare per entia moralia pura, seu non simul physica: sic enim posset imò deberet

140. consequenter dici, justitia esse ens morale positivū justo intrinsecum.

Quid sit potestas Sacerdotalis. Secundò, potestas Sacerdotalis ab omnibus etiam dicitur realis character, quatenus Dei decreto reddit Sacerdotem multorum potentem, ratione concursûs divini parati.

Tertiò, similiter potestas Regia, *Quid Regia.* quia non addit Regi quidquam physicum, est ipse Rex vel strictiùs, potentia ejus physica imperandi, scilicet positâ ejus electione, aliisq; circumstantiis, quibus subditi debent illi obedire. Eâdem ratione dicitur, & est Rex habetque jus, id est, potestatē physicam quidquam agendi iis circumstantiis, quibus alii debent obedire. Eidem ferè fundamento innititur ejus dignitas, quæ est ipse Rex, ideò ab aliis æstimandus & venerandus. Idem dic de Pontifice, duce Superiore aliisque. Similiter explicatur valor pecuniæ æstimabilis propter humanos usus.

Quartò: eodem modo explicui 141. *Quid valor operum.* suo loco dignitatem, meritum, ac valorem operū, nominatim Christi, ut nil sit aliud quàm ipsa eorum bonitas infinitè æstimabilis, & acceptabilis ad tale præmium seu effectum; quia scilicet moraliter informantur & procedunt ab infinitâ Personâ; adeò ut nihil hîc admittamus infinitum extra Deum, seipso opera afficientem & dignificantem: quâ ratione, meritò sunt infinitè æstimabilia & acceptabilia in satisfactionem pro infinitis peccatis, si darentur. Quibus ac similibus exemplis apparet, in obliquo significari seu connotari, æstimationem

tionem Dei, vel hominũ, tanquàm formam extrinſecè denominantem; unde apparet quid ſit valor meritum & dignitas operum noſtrorum.

142. *Quid cauſa & effectus moralis.* Quintò faciliùs explicatur cauſa moralis, ut ſit ea quæ phyſicè, ſed tamen liberè agit; vel quæ tantùm applicat, vel inducit aliam cauſam jubendo vel conſulendo: quibus item modis dicitur effectus moralis.

Quid obligatio. Sextò difficiliùs videtur explicatu, quid ſit obligatio remanens ex contractu, vel promiſſione: ea autem eſt, vel activa, quæ non diſtinguitur ab ipſo contractu valido, vel paſſiva, quæ non differt à debito; & eſt ipſe, vel ſtrictiùs voluntas ejus, qui debet, ligata per contractum, aut quamvis legem.

Quid contractus. Clarius eſt, ipſum contractum eſſe actionem phyſicam ſeu mutuum conſenſum, nõ retractatum.

143. *Quid peccatum habituale.* Similiter explicavi ſuo loco peccatum habituale non tantùm veniale, ſed & mortale, ut ſit ipſe actus habitualiter ac moraliter manens, quatenus non retractatus ac remiſſus.

Quare non omnino placet modus ejuſmodi entia moralia explicandi. Suarez cit. ſect. num. 4. ubi dicit illa eſſe moralia ſecundùm totum ſuum eſſe; quamvis addat nihil eſſe aliud quàm denominationes ex præcedentibus actibus. Aliud eſt ea tantùm eſſe entia moralia non phyſica, aliud nunc eſſe tantùm moraliter, non phyſicè: poſterius verum eſt, non prius; verùm ut iſtis aliiſque prætermiſſis redeam ad inſtitutum noſtrum.

Dico ſecundò, actus vel omiſſiones morales eorumque moralitas, nil aliud eſt quàm ipſi actus, vel omiſſiones phyſica & libera moraliter conſiderata, ſeu denominata à conſcientiâ, ac ratione æſtimativâ eorumdem honeſtatis vel inhoneſtatis, juxta dicta præced. cap. Quæ concluſio utroque hoc cap. jam ſatis probata eſt, & explicata de moralitate genericâ: de ſpeciali, id eſt bonitate ſitâ in conformitate, & malitiâ ſitâ in difformitate cum eadem conſcientia, idem oſtendam libro ſeq. 144. *Actuum & omiſſionũ moralitas eſt ipſe actus, vel omiſſio.*

Dixi, vel omiſſiones, ac præced. concluſione, negationes: quia ejuſmodi verè eſt moralitas ac malitia omiſſionis, ſcilicet, ipſa omiſſio eodem modo conſiderata: Imò à plurimis etiam putatur negatio ſeu privatio malitia commiſſionis. Similiter in quolibet ens quoddam ac vitium morale, eſt ignorantia ac carentia ſcientiæ, & virtutis ſibi debitæ.

Ultimò confirmatur utraque concluſio: quia dicta ſufficiunt ad mores, ac moralem conſiderationem, & debent admitti ab omnibus. Nec enim novum ens phyſicum vel morale ſupervenit, niſi præviâ aliquâ ratione fundandi. Si ergo petam quænam illa ſit? idem debebunt omnes dicere quod nos

vel æquivalens, præter quod certè superflua sunt nova entia quælibet. Quod inde etiam constat, quia si Deus per impossibile, vel potiùs possibile, cùm nulla afferri possit in eo implicantia, subtracto concursu aliáve ratione impediret nova illa entia, nihil propterea mutabitur in rerum naturâ, aut moralitate; egoque nihilominus bene agam, ac merebor laudem, & præmium amando Deum; malè agam, & merebor vituperium & pœnam Deum odio habendo. Quid opus ergo novis istis entibus, physicis vel moralibus?

145. Dico tertiò: actus morales pendent à conscientiâ essentialiter, scilicet tanquàm formâ sui constitutivâ.

Actus morales pendent à conscientiâ essentialiter.

Probatur, & sequitur ex dictis; quia actus moralis est quid concretum, adeoq; compositum ex subjecto, quod est ipse actus liber significatus in recto, & formâ constitutivâ, quæ est conscientia significata in obliquo: quo modo intrinsecè constituitur & denominatur album ab albedine, extrinsecè visum à visione.

Ubi abstraho à quæstione magis vocali ac philosophicâ, quàm reali & theologicâ; an terminus debeat dici de essentiâ relationis, v.g. an objectũ sit de essentiâ actûs: quia, ut dixi, conscientia non est terminus aut objectum, sed forma, & hac ratione, pars constituens actum moralem. Itaque etsi sit extrinseca actui secundùm se spectato, non tamen actui morali ut sic.

CAPUT XVII.

An & quomodò actus externus sit unus cum interno, hunc compleat, sitq́ue moralis.

Utilior ad praxim est hæc quæstio præcedenti; hîc autem eam subjungo; tum quia ferè nititur iisdem principiis cum præcedentibus; tum quia, ut in metaphysicis, unitas sequitur tanquàm passio entitatem seu ens metaphysicum; ita in moralibus unitas moralis ens, ac speciatim actum moralem: tum etiam quia hæc unitas eodem ferè morali conscientiæ judicio, mensuranda quo moralitas. 146.

Dico primò: actus externus ab interno causatus unum cum illo est opus morale, sive bonum, sive malum, est communis.

Actus internus & externus ab eo causatus est unũ opus morale.

Probatur primò, quia unica utrique actui inest libertas, quæ primariò est in interno, secundariò in externo, ut jam magis explicabitur, cùm ergo ea sit, ut dixi cap. 15. omnis moralitatis fundamentum, non potest hæc multiplicari sine illâ. Sicut non possunt multiplicari domus, nisi multiplicentur earum fundamenta.

Dices, cum eadẽ libertate consistit duplex moralitas malitiæ, ut si quis eodem actu velit furari in loco sacro, vel occidere ut furetur. Ergo ratio illa non concludit. 147

Respon-

In uno actu physico potest esse duplex virtualiter actus, & libertas.

Respondeo, in his & similibus casibus etsi, sicut physicè & actualiter est solùm unus actus; ita etiam sit una libertas, moraliter tamen & virtualiter esse duplicē libertatem, ut & actum: sicut ergo qui vult furari in loco sacro, dupliciter peccat ratione duplicis volitionis, quarum una est actualiter & formaliter furandi, altera virtualiter inhonorandi locum sacrum: ita etiam peccat ratione duplicis libertatis, quarum una potest etiam dici esse actualiter, & physicè, altera virtualiter & moraliter. Unde argumentor: ubicumque est eadem libertas & actualiter & virtualiter, est una solùm moralitas; sed in actu interno & externo, est hoc modo una libertas, ergo.

Ibi duplex moralitas, ubi cōscientia duplicem advertit.

Probatur secundò, & confirmatur præcedens ratio ex cap. superioribus, quia moralitas desumitur à regulâ seu dictamine conscientię, atque rationis, ergo etiam ejusdem unitas, ita scilicet, ut ibi sit duplex moralitas, ubi conscientia duplicem advertit & distinguit; ut contingit in exemplis jam allatis. Nam conscientia ratioque aliter improbat, seu aliud malū judicat furari, aliud inhonorare locum sacrum; quod adeò verum est, ut si alterutram malitiam illa non adverteret ac distingueret, non esset illud duplex, sed simplex peccatum actusque moralis.

At verò in casu nostro non distinguit conscientia aliam moralitatem in actu externo, quàm interno, neque aliûs rationis malitiam aut bonitatē, invenit in uno quàm altero. Quare etiam eodem actu, & per modum unius solet æstimare utrumque, expresè judicando tantùm de externo, & hoc ipso de interno, adeò ut non requiratur alia cognitio, aut advertentia malitiæ actûs interni, quàm externi.

Ex quibus sequitur, sicut anima & corpus sunt quidem duæ res, sed unum vivens, etsi in utroque sit vita; quia videlicet eadem vita primariò est in animâ, secundariò in corpore; ita etiam actum internum & externum esse quidē duos actus physicè, unum tamen opus morale: quia eadem moralitas primariò est in interno, & ab hoc in externum diffunditur, tanquàm moralis quædam vita: adeò ut in externo non sit alia moralitas quàm interno, sed eadem extensior. 148.

Dixi tamē ab interno causatus; alias enim cessant rationes allatæ, cùm eatenus tantùm externus libertatem, & moralitatem ab interno participet, quatenus ab illo pendet & causatur. Quam ob causam, etsi quis velit & desideret efficaciter inimicum occidere, & eodem tempore casu aliquo, inscius, nec vi hujus volitionis occidat, occisio mala non erit, etsi volitio pessima sit; quia ab hac non causatur. Unde à fortiori apparet idem dicendum, si volitio illa tantùm fuisset conditionata.

Si quis inscius inimicum occidat, etsi antè id voluerit, non peccat.

149. *Vnus actus externus capax est duplicis moralitatis.* Unde collige si idem actus externus à duplici interno seu volitione causetur, adeoque informetur, posse unum opus morale, cum utraq; constituere, & sic duplicem participare moralitatem, bonitatem, vel malitiam. Exempli causâ: jubet dominus famulo det eleemosynam, hic dat etiam pio motivo; eadem datio prout procedit à jussione domini habebit unam moralitatem, seu bonitatem, prout à bonitate famuli, alteram. Imò potest eadem datio, prout procedit à domino esse bona, prout à famulo mala, ut si hic det malò animo, quod ille bono jussit, vel contrà. Similiter passio Christi, prout à Judæis, fuit pessima moraliter, prout à Christo optima ac infinitè meritoria. Quorum ratio eadem est, quia cùm actus externus ex se libertatem & moralitatē non habeat, inde participat unde causatur; si ergo à pluribus internis moraliter distinctis causetur, plures item moralitates participare poterit.

150. *Moralitas primariò convenit actibus internis, secundariò externis.* Ex dictis colligo & dico secundò: moralitas primariò convenit actibus internis, secundariò externis. Per internos cum D. Thoma 1.2. quæst. 20. intelligo actus voluntatis, per externos cujusvis aliûs potentiæ contra Medinam, dictâ quæst. art. 3. qui & actibus intellectûs & appetitûs sensitivi primariò dat moralitatem. Ceterùm conclusio est communis, nisi quòd Vasquez 1.2. disput. 73. cap. 6. malitiam primariò tribuat actibus externis, etsi bonitatem internis.

Probatur primò ex dictis, quia eidem debet primariò convenire moralitas, cui libertas; atqui hæc primariò convenit internis, ut jam dixi, ergo & illa.

Probatur major, eadem ratione qua conclusio prima, cap. 15. quia moralitas est id, ratione cujus præcisè meremur laudem vel vituperium; atqui alterutrum meremur præcisè quatenus liberè facimus vel omittimus aliquid boni vel mali; ergo libertati proximè conjuncta est moralitas, scilicet in eodem subjecto actuque. Imò ob eam rationem juxta conclusionem secundam super cap. libertas intrinsecè ingreditur moralitatem, sive constituit actum moralem; hujus enim concreti subjectum est actus liber.

Confirmatur: illi actus sunt primariò morales, qui sunt primariò dirigibiles ac regulabiles à morali mensurâ, ac regulâ conscientiæ; imò illa duo eadem sunt, ut etiam dixi: atqui actus interni sunt primariò dirigibiles, quatenus videlicet primariò liberi possunt bene vel malè fieri; ergo etiam sunt primariò morales: quæ rationes æquè procedunt de omni moralitate, atque adeò tam de malitiâ, quàm bonitate.

Dices cum Vasquez, actus ex- 151.
ternus secundùm se & primariò prohibe-

prohibetur lege; ergo etiam primariò est legi difformis adeoque malus.

Lex positiva primariò prohibet actus externos, naturalis internos.

Respondeo distinguendo Antecedens, de lege positivâ concedendo, de lege naturali negando. Ratio disparitatis est, quia lex positiva respicit tantùm bonum communitatis, cui obsunt peccata externa, imò fortè ideò non potest prohibere actus internos, (aut saltem non prohibet, cùm de iis non possit judicare) atqui lex naturalis & respicit etiam bonum singulórum & judicat; adeóque prohibet etiam actus internos; quare in Decalogo non tantùm dicitur: *Non furaberis*: sed etiam: *Non concupisces.* Addo prohibere ut primariò malos, solos actus internos, prima mali semina; quia lex naturalis, ut conscientia prohibet dictando vel judicando, eosdemque primariò dirigit & judicat primariò morales ac malos, etsi id ipsum faciat ordinariè versando proximè circa eorum objecta actusque externos ut magis obvios: quo ipso hos dictat atque etiam prohibet ut malos, sed tantùm materialiter & objectivè, ut magis constabit libro seq.

Ex quibus confirmatur conclusio speciatim de malitiâ; quia hæc est difformitas à lege non positivâ,

52. sed naturali conscientiæ, quam nunc dixi primariò convenire actibus internis, non externis.

...s externus per se non auget moralitatem.

151 Dico tertiò: actus externus per se non auget moralitatem, sive bonitatem, sive malitiam actûs interni, ex parte suâ efficacis; sed sæpe per accidens, eamq; semper complet & multùm facit ad moralem considerationem.

Posterior conclusionis pars est omninò communis; prior quòd non augeat per se, ferè est communis, D. Thomæ quæst. illâ 20. art. 4. contra Scotum quodl. 18. art. 3. & Alensem p. 4. quæst. 77. memb. 3. art. 5. in fine.

Probatur prior pars etiam ex dictis; quia actus externus in se non habet moralitatē, saltem propriam & formalem, sed tantùm objectivam ac materialem, ergo illam non potest per se augere: quemadmodùm quia paries ex se nil habet albedinis, nō potest efficere magis albūm, nisi augeatur ipsa albedo.

Confirmatur quia actus externi positâ volitione internâ efficaci, necessariò sequuntur, ergo non possunt augere moralitatem, seu bonitatem, seu malitiam.

Dixi: ex parte suâ efficacis, quia constat volitionem inefficacem, minùs moralem ac perfectam esse actu externo, quatenus substat interno efficaci, sine quo non fieret.

153. Hinc sequitur quod per se apparet rationabile, si in exemplo antè allato dominus det aliquid famulo pauperibus distribuendum, hic autem non distribuat, illum nullâ meriti parte defraudandum. Contrarium dicendum esset in contrariâ sententiâ. Similiter si quis rem

Si dominus jubeat famulo dare eleemosynam, hic non det, ille nil meriti perdit.

verè

verè suam, sed creditam alienam accipiat animo furandi, non minùs peccabit, quàm si res illa verè esset aliena: non committet tamen furtum externum.

154. *Actus externus moralitatem auget per accidens.* Probatur jam, & explicatur posterior pars conclusionis. Primò actus externus solet esse occasio cur internus intendatur, renovetur, ac diutiùs duret. Siquidem in exsecutione boni operis sentiuntur incommoda; non in solo proposito: quare ad illam opus est majori gratiâ ad tentationes superandas: ob quas causas plus solent mereri, qui reipsâ pro Christo subeunt tormenta & mortem, quàm qui desiderant; sicut etiam plus demereri, qui reipsâ vivunt, quàm qui solùm consentiunt, aut volunt libidinosè vivere. Itaque ob has aliasque rationes actus externus internũ augere solet per accidens.

Eandem complet. Secundò, quando actus externus conjungitur interno, moralitas ab hoc ad illum diffunditur, adeoque extenditur, etsi non intendatur; quâ item ratione extenditur vita, cùm ab animâ diffunditur in corpus.

Præterea actui externo secundùm se competit moralitas quædam, bonitas vel malitia objectiva, secundùm quam opus morale potest integrare. Itaque ob utramque hanc causam actus externus meritò dicitur complere, vel opus morale vel etiam moralitatem actûs interni.

Multum confert ad moralem considerationem. Tertiò ædificatio & scandalisatio proximi, obligatio restituendi censuræ omnes ecclesiasticæ consequuntur actus externos, non internos; ob quas etiam causas confessio instituta est, quâ explicarentur peccata externa, non interna, scilicet more humano ac facili; quia nimis difficile esset præsertim simplicioribus explicare sigillatim interna. Ob quas similesque causas clarum est actus externos multum facere ad moralem considerationem, & valde variare morale de rebus judicium. Addo insuper Sacramenta, ut & externum martyrium peculiariter conferre gratiam ex opere operato, scilicet externo.

Juxta posteriorem conclusionis partem facilè explicatur Augustin. lib. 13. de Trinitate cap. 5. aliique quidam, qui videntur repugnare priori.

Objicies, si solus actus internus sit tam bonus & meritorius quàm simul externus, sequitur voluntatem dandi eleemosynam infinitis pauperibus esse infinitè bonam ac meritoriam. 155.

Probatur sequela, quia tam esset bonum velle dare infinitis, quàm reipsâ dare, atqui hoc esset infinitè bonum; quia meliùs dare duobus quàm uni, tribus quàm duobus, &c. ergo dare infinitis esset infinitè bonum, igitur etiam velle dare.

Respondeo breviter missis aliis responsionibus partim falsis, partim insufficientibus, negando primam

mam sequelam; majorem probationis distinguo, quam infinitis reipsâ dare, ceteris paribus & unicâ tantùm volitione, concedo; pluribus ac infinitis volitionibus, nego. Ad minorem dico consequenter non fore infinitè bonum, nisi fieret infinitis volitionibus: quia unica volitio non exhauriret totam bonitatem objectivam. Itaque cresceret quidem ejus bonitas proportionatè, ratione plurium quibus daretur eleëmosyna, non tamen æqualiter, ut in multis aliis dici debet: quare nego ultimam consequentiam.

Dare infinitis eleemosynam non esset infinitè bonũ, nisi fieret infinitis volitionibus.

Addo, ejusmodi volitiones non esse nisi inefficaces, indeque etiam minui earum bonitatem, quòd objectum, secundùm omnes circumstantias cognosci non possit, quòd non sentiatur ea difficultas in desiderando, quæ in exsequendo, vel etiam volendo efficaciter hîc & nunc.

Ob easdem causas idem dicendum de similibus, v. g. voluntate patiendi omnia, quæ tulit Christus vel Sancti.

156. Dico quartò, ut actus externus dicatur moralis, & unus cum interno, debet quamdiu talis dicitur, manere liber. Non dico solùm formaliter de novo peccari non posse actu tunc non libero, quod dicunt omnes, sed illum ne quidem moralem denominari debere.

Actus externus nõ est moralis nisi quàm diu liber.

Quod autem dico de actu, intelligi etiam debet de omissione.

Neque omissio.

Colligitur ex Adriano in 4. de Eucharistia, quæst. 3. in solutione septimi, & docetur à Majore dist. 17. quæst. 8. concl. 4. Suar. de pœnit. disp. 22. sect. 5. num. 31. & Vasquez disp. illâ 73. cap. 9. sub finem contra Medinam, Marsilium, Cordubam & Valentiam.

Probatur primò à priori ex principiis jam positis; quia eâdem ratione quâ libertas requiritur ut actus incipiat esse moralis, requiritur etiam ut pergat esse: libertas enim præterita uti non sufficit, ut denominetur jam liber; ita nec sufficit, ut jam dicatur moralis; quando nec à voluntate pendet, nec à conscientiâ regulari aut dirigi potest. Itaque nisi voluntatis imperio subsit, ut possit interrumpi vel continuari, remitti vel intendi, & ita dirigi à conscientiâ, non est moralis.

Probatur secundò ab absurdo, alias sequitur hominẽ etsi de peccato contritum, imò justum adhuc peccare: exempli causâ, si quis lento veneno alium curarit interfici, quod mortem non inferat nisi post annum, etsi paulatim ad eam disponat: toto interim tempore perget ille peccare, quamdiu venenum operabitur, quia videlicet hæc veneni operatio, semel ab illo liberè processit.

Qui lento veneno alium occidit non peccat cõtinuò.

Nec sufficit dicere cessare illius peccatum, cùm voluntatem illam retractat pœnitentiâ, quia hæc retractatio non facit, ut illa operatio 157.

 pendeat,

pendeat, vel non pendeat à voluntate, adeoque sit vel non sit libera, quod tamē, ut dixi, est omnis moralitatis fundamentū; neque etiam facere potest, ut operatio quæ semel pependit, non pependerit. Itaque si sufficit pependisse libertate præteritâ, perget is peccare, quantumcumque doleat, ac retractet. Deinde si retractatio ad hoc sufficeret, teneretur eo nomine, quis statim retractare, ne scilicet ampliùs peccaret, quæ obligatio à nemine agnoscitur. Præterea saltem perget is peccare toto anno, vel pluribus continuò dormiens, & vigilans, si non doleat vel retractet, quod ipsum videtur absurdum.

158. Sed quid si transgressio præcepti, contra quod peccatur, fiat cùm opus, ejusque omissio libera non est? exempli causâ: si quis in mari navigans pridie diei quo tenetur horas recitare, in illud projiciat Breviarium?

Projiciens in mare Breviariū peccat cū projicit, non posteà cùm deberet legere.

Respondeo Negando suppositum, scilicet transgressionem præcepti fieri illo casu die sequenti, non illo quo projicitur Breviarium. Nam præceptum in casu posito recitandi horas, etiam obligat indirectè, ne quis quandocumque velit transgredi, aut liberè ponat impedimētum ejus expletioni. Sicuti ergo is si pridie noluisset legere, verè transgressus fuisset præceptū, etsi mutato deinde animo, legeret: ita etiam qui pridiè ponit impedimentum, projiciendo Breviarium, pridie illud transgreditur, non sequenti die, quo tantùm sequitur effectus peccati, non peccatum, ob rationes dictas; nisi impropriè hoc confundatur cum effectu suo.

Petes an ergo debeamus confiteri similes actus aut omissiones? 159.

Respondeo cum Vasquez cit. absolutè non esse id necessarium, si sufficienter actus qui illorum est occasio explicari possit; multò tamen esse consultius, quòd ex illis tanquam à posteriori melius cognosci soleat malitia actûs, qui fuit occasio. Imò aliquando id est necessarium, ratione irregularitatis aut Censurarum, quæ incurruntur actibus externis, etsi, cùm sequuntur, necessariis, si liberè data est eis occasio vel causa.

Consultius est confiteri ejusmodi actus & omissiones.

Dico quintò: etsi actus internus sæpiùs renovetur, & multi intercurrant externi, si tamen omnes à se invicem pendent, & in unum finem diriguntur, unum constant opus morale. Est Cajet. 2. 2. quæst. 66. art. 3. ad 3. Navarri in summa cap. 6. num. 16. Suarez cit. num. 20. Salas in 1. 2. tom. 2. distinct. 5. sect. 8. Vasquez de pœnitentiâ quæst. 91. dubio 5. num. 12. 160.

Varii actus interni & externi constant unū opus morale.

Probatur & explicatur, potissimùm in ordine ad confessionem. Intendit quis occidere inimicum suum; hunc in finem accingit se gladio, exit domo, ad illum proficiscitur, cum illo pugnat & victum occidit. Etsi plures dies huic negotio impenderit, hanc actionum seriem

ſeriem ſæpiùs ſomno interruperit, animumque occidendi renovarit, unicum numero eſt in genere moris peccatum, ſcilicet conſummatum. Ratio eſt omnium actuum à ſeſe unoque fine dependentia, à quo ſolo moralitatem, in exemplo allato malitiam participant. Suppono enim media ex ſe nil habere moralitatis aut malitiæ; aliàs multiplex eſſet peccatum, nec tantùm numero, ſed & ſpecie, v. g. ſi quis furetur gladium, quo inimicum occidat.

161. *Nil ab intentione finis causatur, niſi quod ab eâ procedit quaſi per virtutem relictam.* Adverte tamen nil à fine ejuſq; intentione cauſari poſſe, niſi quod ab eâ procedit, vel immediatè, vel ſaltem mediatè quaſi per aliquam ejus virtutem relictam; quales in exemplo allato ſunt actiones illæ & electiones mediorum ad finem conſequendum. Quare ſi quis hodie intendat dare cras eleëmoſynā, ſi cras occurrenti fortè pauperi det, immemor hodiernæ intentionis, datio craſtina nō participabit moralitatem, quia non procedet ab hodiernâ intentione. Unde inferunt ulteriùs aliqui, nominatim Vaſquez, etiam in exemplo allato homicidii multiplicari peccatum, cùm actionum ſeries interrumpitur inconſideratione aut ſomno; quòd tum non maneat virtus primæ intentionis.

162. *...ica ...rrup- non ...cit ad ...tipli- ...dum ...tum.* Melius tamen Navar. & Suarez docent nullam phyſicam interruptionem peccatum morale multiplicare, ſi cætera adſint in concluſione requiſita: quia nihilominùs tunc valet ratio allata. Virtus enim intentionis quaſi cum ſomno, aut inconſideratione tantùm ſopita, iterum ſuſcitatur exeritque vim ſuam illis ceſſantibus, ſui recordatione, & tacitâ renovatione, niſi videlicet retractetur. Aliàs multiplicaret & actum moralem quævis interruptio, etſi momentanea, multoque magis longiuſcula, quâ, v. g. quis in itinere paulatim ſubſiſteret amici ſalutandi, aut ſimili causâ; quod quia ferè ſemper contingit, moraliter inutilis redderetur concluſio, & explicatio unitatis actuum moralium.

Addo, actuum ſibi ſubordinatorum circa media unitatem non deſtrui, etſi non obtineatur finis, in exemplo allato, mors inimici: quia hoc eſt per accidens, cùm illi nihilominùs eodem modo, fiant ſibique ſubordinentur, ac ſi finis obtineretur.

Ex dictis collige tactus impudicos fornicationē præcedentes conſtare unum cum eâ peccatum, non tamen ſubſequentes, ut nec gaudium de eâ factâ, contra Nav. quia priores ſubordinantur, & cauſantur ab uno fine fornicationis, non poſteriores. Eadem eſt ratio de peculiari vituperio ac deformatione hominis jam occiſi, non tamen de pluribus ictibus quibus occiditur, qui etſi non ſubordinentur ſibi, tamen integrant unum homicidium. 163. *Tactus ante fornicationē ſunt unū peccatum, non poſt.*

164. Petes, quid si quis eodem tempore, animique impetu, aliquem ter vocet furem, vel furem, latronem, & perfidum?

Vocare aliquem ter furem est unum peccatum, nō furem & latronem.

Respondeo cum Salas aliisque, in priori casu fore unũ peccatum, in posteriori triplex. Ratio disparitatis est; quia in priori, etsi tres appellationes furis, non sibi subordinentur, integrant tamē unum ejusdem rationis jurgium, ut jam dixi, in simili: qualis item esset pugna, si idem ter simpliciter percuteretur: in posteriori autem casu, dicuntur tres diversæ rationis contumeliæ, itaque fient tria peccata, quot etiam fierent, si tres eodem tempore, animique impetu ab eodem percuterentur.

165. Addiderim probabilius, aut saltem probabile esse juxta priorem casum, constitui similiter ac consummari unicum peccatum detentionis seu non restitutionis ex pluribus volitionibus, etsi longo tempore sejunctis detinendi seu non restituendi: quod etsi neget Suarez, affirmant tamen Nav. & Gabriel ab ipso citati, quibuscum sentit Vasquez cit. num. 18.

Unum peccatũ constatur ex pluribus volitionibus detinendi.

Confirmantur, magisque explicantur dicta de unitate actuum & omissionum, similibus. Quia ita censetur unũ studium circa unum objectum, etsi duret pluribus annis & singulis diebus interrumpatur: unaque omissio Sacri, etsi sæpiùs renovata fuerit diverso tempore nolitio illud audiendi; quia videlicet tantùm omittitur unicum Sacrum. Quorum, ac similium ratio est, quòd omnia hujusmodi moralia accipiant suam unitatem, ut & moralem essentiam à morali judicio, quo ea uniuntur ac componuntur accommodatè moribus, unione satis laxâ: qualis etiam sufficit in physicis, v. g. in compositis artificialibus.

CAPUT XVIII.

Quæ requirantur ad moralem unitatem, vel multiplicitatem actuum internorum.

DE actibus internis peculiaris est difficultas superiori capite intacta, quia illi nec uniuntur in uno fine aliquo operis externi, neque sibi subordinantur mutuâ dependentiâ ut actus externi & interni; atque etiam varii inter sese externi explicati super: cap. Est autem eadem difficultas ratioque de omnibus actibus moralibus tam bonis, quàm malis, quamvis de his solis disputari consuetũ sit, in ordine ad praxim & confessionem. 166.

Christus non introduxit novam peccatorum distinctionem.

Suppono, Christum cùm confessionem instituit; & Trid. sess. 14. cap. 5. cùm definit omnia mortalia peccata sigillatim esse in confessione recensenda, seu, quod idem est, explicandũ eorum numerum; non statuere aut inducere novam eorumdem unitatem, aut multiplicitatem, sed utramq; supponere, qualis

qualis est ex natura rei seu actuum moralium.

167. *Multiplicantur actus retractatione, vel interruptione liberâ.* Dico primò: multiplicantur moraliter, deliberatâ retractatione, vel interruptione: est communis.

Probatur, quia ad quemvis actũ moraliter unum, etiam externum, requiritur unica voluntas moraliter saltem manens; quo modo non censetur manere, cùm deliberatè retractatur, ut etiam clarum est.

Dixi, vel interruptione, ut si non quidem expresse retractetur, sed interrumpatur liberâ ac deliberatâ applicatione ad aliquid aliud, cum priori voluntate incompossibile; quæ potest dici interpretativa retractatio. Explico: oratio, v.g. vel meditatio dupliciter desinit; primò si expresse nolis ampliùs orare, vel meditari: secundò si velis deinceps studere vel cogitare incompossibilia, scilicet deliberatè (quia si cogitares invitus, non faceres moraliter, sed patereris potiùs; quare moraliter maneret prior voluntas, & intentio) quamvis itaque resumas deinde orationem, non unietur moraliter cum priori, sed erit nova oratio. Similiter si unâ horâ distinearis, ac delecteris morosè inhonestis cogitationibus, & nunquam volueris eas abrumpere, vel applicaveris intellectum cogitandis aliis, una erit moraliter delectatio morosa in confessione explicanda, tanquam unicũ peccatum. Si verò interim volueris excludere illas cogitationes, vel cogitare iis incompossibilia, passionem Christi, vel tormenta inferni; quamvis paulò post in easdem relabaris, iterumque consentias, nova erit moraliter delectatio in confessione explicanda; tanquàm distinctum peccatum: quia videlicet priori modo primus consensus ac delectatio moraliter semper mansit, secùs quàm posteriori.

Dico secundò: multiplicantur 168. præterea actus morales, si physicè *Et physicâ.* interrumpantur interjecto tempore, quo ab iis cessatur. Est etiam communis, satisque certa, contra Canum relect. de pœnitẽt. §.5. qui putat tantùm multiplicari modo explicato superiori conclusione.

Probatur primò ab absurdo, quia alias qui vesperi orans, incidisset in somnum, ac manè orationem resumeret, etsi totâ interim nocte dormivisset, non faceret aliam orationem manè, quàm fecisset vesperi: quia scilicet liberè eam non retractasset, aut interrupisset, quod repugnat communi hominum sensui, modoq; loquendi. Ob eandem causam, si quis turpiter de aliquo objecto aut personâ hodie delectatus, post aliquot horas, dies, imò septimanas, iterum de eadẽ re delectaretur, non committeret posteà novum peccatum, quàm hodie commisisset, & in confessione deberet confiteri tanquàm unicum peccatum; quod repugnat communi piorum sensui & praxi.

Probatur secundò ratione, simulque

Qui non retractat voluntatē orandi, cēsetur velle, non tamē orare, nisi oret. musque evertitur fundamentum contrariæ sententiæ, quia aliud est orare, v. g. aliud velle orare: aliud delectari, aliud velle delectari, quāvis ergo qui voluntatem primam orandi nullo modo retractat, possit dici moraliter ac habitualiter velle orare, non tamen orare, nisi videlicet verè oret: uti verè non orat medio illo tempore; eademque apparet ratio de delectatione.

169. *Ad multiplicationem opus tempore notabili.* Dico tamen tertiò, ut posteriori hoc modo actus morales multiplicentur, non sufficit quævis interruptio physica, sed requiritur notabilis, seu tempus aliquod interjectum notabile, quale scilicet adverti cōmuniter potest & solet. Est etiam communis, quoad praxim confessionis: quia omnes fatentur aliter non debere, in ea explicari peccata tanquàm distincta. Suarez tamen num. 11. docet eo casu esse diversas malitias in actibus malis, quibus apud Deum respondeant diversa supplicia; ac diversas bonitates in actibus bonis, quibus respondeant diversa præmia. Unde sequitur quâvis interruptione physicâ multiplicari actus morales, verè, ac coram Deo; quod iterū docet nu. 17.

Probatur conclusio, primò ex jam dictis; quia ut omnes fatentur, probatq; communis piorū praxis, nisi intercedat notabilis interruptio, ac mora, non debent in confessione explicari peccata tanquàm distincta, ergo verè distincta non sunt

Probatur consequentia, quia ut antè dixi per confessionem, non est inducta nova peccatorum distinctio, sed illa debet fieri, cujusque præceptum intelligi accommodatè unitati, vel distinctioni peccatorum; qualis verè est ex naturâ rei & coram Deo. *In confessione explicanda peccatorū distinctio, qualis verè est.*

170. Nec sufficit respondere ideò non esse explicanda peccata distincta nisi notabiliter interrupta, quia aliter eorum distinctio adverti ac discerni non potest. Primò, quia sic præceptū confitendi singula peccata communiter esset servatu impossibile. Secundò, quia saltem aliquando nihilominùs adverti potest, ergo tunc saltem ea in confessione est explicanda, quod ipsum repugnat praxi pœnitentium. Tertiò, si verè tanquàm distincta peccata explicanda sint, ergo peccator tenetur advertere, saltem quatenus potest, quoties peccata physicè interrumpantur, v. g. qui delectatur horâ morosè, notare singulas morulas, quibus aliud fecit, vel cogitavit; singulæ enim distinguent, ac divident singula peccata: quorum proinde numerum debebit explicare plus minus, certiori modo quo potest. Etsi enim soleant intercurrere aliquæ morulæ, idque confessarius satis intelligat; constat tamen nō semper intercurrere æquè multas, sed nunc pauciores, nunc multò plures, prout alia objecta, pauciora vel plura, interim occurrentia, aliò animum abstraxerunt.

Hoc

Hoc ipsum ergo necessariò explicandum erit, si verè peccata singulis moralis multiplicetur, aliàs non explebitur præceptum confitendi singula peccata: quæ iterum repugnant praxi pœnitentium, suntque nimis obnoxia scrupulis.

171. *Numerus peccatorũ in confessione explicandus, etsi vix mutet judicium Confessarii.* Neque refert quòd ejusmodi interruptione, ejusque explicatione vix varietur judicium confessarii; quia præceptum confitendi singula peccata à Christo latũ, à Trid. explicatum, est universale, & obligat etsi in aliquo particulari casu singulorum explicatio vix judicium de conscientiâ pœnitentis varietur. Aliàs liceret etiam dicere non debere explicari, an inhæseris delectationi semel per horam, aut bis per mediam horam, vel an sexies, vel septies, etsi id scias.

Probatur secundò, quemadmodùm aliud est actus tantùm physicus, aliud simul moralis; ita alia est utriusque unitas, scilicet utrique proportionata: imò eo ipso quo, ut ostendi capitibus præcedẽtibus, plura requiruntur ad constituendum actum moralem, quàm physicum, plura consistunt cum unitate actûs moralis, quàm physici. Unde necessariò sequitur non tam facilè dividi ac distingui actũ moralem, quàm physicum. Itaq; non valet fundamentum contrariæ sententiæ, & hæc illatio; sunt plures actus physici, vel etiam metaphysici, ergo & morales.

Confirmatur: quia ut etiam dixi, mensura actuum moralium, scilicet tam quoad unitatem, quàm entitatem, est judicium conscientiæ morale, quo non censentur distincta, quæ physicè vel metaphysicè talia sunt; sed quæ moraliter: atqui, ut videtur fateri Suarez, moraliter non sunt distincti ejusmodi actus & peccata, nisi notabiliter interrupta; ergo etiam aliàs non erunt diversi actus morales, ac peccata. *Mensura numeri actuum moralium est judiciũ conscientia.*

Probatur tertiò: quia ut constat ex capite præcedenti, potest variari non tantùm numerus, sed species actuum physica, etsi non moralis; v.g. in exemplo allato: specie physicâ distinguuntur, acceptio gladii, ambulatio, pugna, occisio; & tamen nec species, nec numerus, peccati moralis multiplicatur: ergo à fortiori potest mutari solus peccati numerus physicè in actu etiam interno, non tamen moralis.

Ex quibus sequitur primò, illa vera esse non tantùm judicio humano, sed etiam divino: nam & Deus distinguit actum moralem à physico, scilicet modo explicato. Quare etiam coram Deo, unicum tantùm est colloquium, una concio, & oratio, etsi identidẽ exiguis moralis, physicè interrupta. 172. *Etiam judicio divino sic multiplicantur actus morales.*

Sequitur secundò, si actus multiplicentur, physicè non moraliter, neque multiplicari eorum moralitatem; quia moralitas ab actu morali non differt; atque adeò nec bonitatem, & malitiam. Ob easdem

causas

causas non intervenit hîc nova moraliter libertas.

Sequitur tertiò, si Deus diversis actibus reddat diversa præmia, vel supplicia; uni verò tantùm unicum, ut supponit Suarez; ejusmodi actui moraliter uni, etsi physicè multiplici, reddendũ unicum præmium vel supplicium.

173. *Deus in remunerando non tam numerum actuum æstimat, quàm meritum.* Satis tamen certum videtur, Deum in præmiando vel puniendo, non tam numerum actuum spectare, quàm meritum; quod in uno potest esse majus, quàm in multis distinctis. Ita unica numero visio beatifica præmium est plurimorum actuum bonorũ, unusque dolor valdè intensus, est pœna plurimorum peccatorum. Quemadmodũ etiam unicâ numero contritione remittuntur peccata omnia.

Sequitur quartò, idem dicendũ de actibus internis similibus, volitione fornicandi, occidendi, &c. qui proinde non interrumpuntur aut multiplicantur moraliter nisi notabili morâ interpositâ.

174. *Cur actus bonus durans non sit infinitè meritorius.* Adverte hîc juxta eadem principia solvi posse difficultatem quæ multorum ingenia exercuit, quare actus bonus aliquantulo tempore durans, non sit infinitè meritorius. Ratio dubitandi est, quia est meritorius alicujus determinati præmii primo instanti: ergo etiam aliis omnibus, quæ sunt infinita, adeoque infinitorum graduum præmii, eorumque æqualium, vel majorum uno certo, scilicet, respondente primo instanti. Efficax videtur hoc argumentum, si res hæc consideretur metaphysicè, non tamen si moraliter; sicut etiam in exemplis allatis metaphysicè multiplicantur actus, non tamen moraliter. Quare missis aliis responsionibus vel falsis, vel nõ sufficientibus;

Respondeo, concesso antecedente argumẽti, negando primam aliasque consequentias; quia morali judicio non crescit meritum, singulis aliis instantibus, uti neque bonitas, cui illud debet proportionari; etsi vel unico instanti solo, vel primo liberum actum elicere, vel inchoare meritorium sit. Ratio disparitatis potest ulterior afferri, inprimis à posteriori, ad evitandũ illud ipsum incommodum, ne actus bonus aliquantulùm durans fiat infinitè bonus ac meritorius: ut similem ob causam à naturâ cautum videtur, ne agens creatum uniformiter difformiter singulis instantibus partem novam formæ possit producere; etsi verum sit singulis instantibus eam esse auctam, non tamen partibus æqualibus, sed proportionalibus, quæ ad infinitum non sufficiunt, ut hîc suppono ex philosophiâ. Deinde etiam à priori, quia primo instanti voluntas maximè exercet libertatẽ, & dominium actuum suorum, superatque difficultates occurrentes, sequentibus verò etsi absolutè ac physicè possit actum suspendere, non tamen moraliter, cùm sit illi conna-

connaturale actum semel cœptum aliquâ temporis morulâ prosequi.

Bonitas & meritum substantiæ actûs respondet primo instanti.

Confirmatur, quia bonitas respondens ipsi præcisè substantiæ actûs, scilicet liberè positæ, respondet primo instanti, cùm ab ipso actu non distinguatur; idemque dicendum de merito utrique respondente, ergo post primum instans non accedit illi novus gradus bonitatis & meriti, nisi ratione durationis.

Ob has itaque causas prudenti ac morali judicio, quod uti bonitatis simpliciter, ita majoris bonitatis ac meriti mensura est, non habetur ratio instantium, excepto primo. Huic tamen judicio ac æstimationi non est difforme, sed conforme, quòd actus, v.g. amoris Dei durans quadrante, melior sit magisque meritorius eodem, quotiescumque interim interrupto, scilicet, cæteris paribus, atque eâdem intensione, nō ratione instantium, sed aliquantâ morâ ac duratione, quâ actum interruptum superat.

CAPUT XIX.

Quâ ratione & fructu instituendum examen conscientiæ quotidianum.

175. DUplex universim est examen conscientiæ, vel non factum, vel factum in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ: Prius S. P. N. IGNATIUS vocavit quotidianum congruo nomine; quia quotidie fieri convenit: posterius, quia spectat ad Sacramentum Pœnitentię, & fit in ordine ad confessionē sacramentalem, licet vocare sacramentale; de quo agam capite sequenti. De priori hoc capite, quia spectat & valdè conducit ad formandum prudens conscientiæ dictamen de rebus agendis; quod jam dixi esse regulam actuum moralium; & ad pleniùs intelligenda conscientiæ officia, de quibus egi capite VII.

Nota, quotidianum ab eodem S.P.N. distingui in generale, quòd extendat se ad facta & peccata, seu defectus in genere quoslibet; & particulare, quod instituitur contra peccatum aut defectum aliquem particularem, ad illum radicitus exstirpandum, ac stabiliendam virtutem contrariam. Neutrum examē magnoperè indiget Theologico examine aut probatione, cùm certum clarumque sit, neutrum per se esse necessarium ac præceptum: de necessitate per accidens agam seq. cap. Utrùmque tamen valdè utile. etenim conducit non tantùm ad acquirendam & augendā prudentiam de rebus agendis, ac certè dirigendos hîc & nunc actus nostros, internos & externos, (quod propriè ad conscientiam pertinet) sed ad emūdandam inprimis conscientiam, eamdemq; ornandam virtutibus, & ædificandam in domum, atque ædificium spirituale,

Examen generale, & particulare.

Neutrum per se necessarium.

spirituale, perfectum, situm in subordinatione ac connexione virtutum omnium: quod tantùm paucis hîc explicabo ex Scripturâ & Patribus.

176. *Scriptura ad id nos hortatur, & Patres.* Ad examen itaq; generale hortatur nos Scriptura, Primò, Psal.4. *Irascimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* In quæ verba Chrys. *Quid est quod dictum est: Quæ dicitis in cordibus vestris? &c. videtur enim esse obscurum. Post cœnam,* inquit, *quando ibis dormitum, & nullo præsente quies multa, & silentium; excita judicium tuæ conscientiæ, ab ipso rationem exige, & quæ interdiu mala cepisti consilia, vel dolos construens, vel proximum circumveniens, vel prava desideria suscipiens; ea cùm illius quietis tempore, in medium adduxeris, & improbis illis cogitationibus conscientiam judicem dederis, eas fodica & dilania, & de eis pœnam sume, occide cogitationem quæ peccavit. Id enim sibi vult illud, Compungite, pro eo quod est pungite, stimulate, quæ in cordibus vestris dixistis interdiu.* Et post pauca: *Et cur non dixit verborum aut factorum, sed malarum cogitationũ, hoc docens ex abundantiâ? si enim mala sunt castiganda consilia, ut non in opus exeant, multò magis pro factis & dictis oportet angi animo. Hoc fiat singulis diebus, nec priùs dormieris, ô homo, quàm mente versaveris quæ à te interdiu perperam acta sunt.* Quibus Chrysost. dum verba Scripturæ, simul examen conscientiæ clarè explicat, & quidem quotidianum; quia postremis hortatur, ut fiat quotidie, *singulis diebus.* Eadem repetit sermone de pœnitentiâ & confessione, & homil.2. in Psal.50.

Nec refert quòd ipsa Scriptura examen non exprimat; quia nihilominùs clarè supponit: nec enim possumus compungi de peccatis præteritis, nisi ea examine conscientiæ nobis proponamus, judicemus, ac improbemus: voluntas enim nec prosequitur, nec aversatur incognitum; quare litteralis est ea Chrysostomi explicatio.

Addo primò, hoc ipsum officium esse conscientię, ut suprà dixi, pungere ac compungere. Eodem modo eadem verba explicat Ambros. Exhortatione ad virgines: *Si quis,* ait, *prolapsus esset corde, quoniam ira nescit tenere moderamen, suadet ut compungatur in cubilibus suis; & suum unusquisq; condemnet errorem. Voluit omnes homines suorum delictorum esse censores, ut & qui publico testimonio non tenetur, seipsum judicem, qui in occulto lapsus est, erubescat.*

Secundò, nec tantùm verbis, sed facto exemploque suo, ad examen consciẽtiæ hortatur nos Psalmista Psal.50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* In quæ verba iterum Chrysost. non minùs solidè, quàm facundè: *Vidisti,* ait, *Regem exomologesim facientem.* Et post paucula: *Non est oblitus peccati sui, quamvis indultum sibi fuerit; ille tamen in conscientiâ suâ tamquam in imagine* 177. *Psalmista ad idem hortatur exemplo suo.*

adulte-

adulterium & homicidium depictum habebat: & per singulos dies videbat putredinem, & ideò dicebat, Et peccatum meum contra me est semper: ego illud video, tu ne id consideres; ego illud scribo, tu quasi Dominus dele. vide enim quid sit, si tu memor sis, Deus non erit memor; si tu oblitus ejus fueris, Deus ejus memorabitur. Nota verba: *Per singulos dies,* quibus iterum hortatur ad examen quotidianum: imò ad frequentius quotidiano videtur nos hortari ipse Psalmista, verbo *semper.* Addit infrà Chrysost. *Ecce habes codicem ubi scribas quotidianum expensum. Habeto codicem conscientiam tuam, & reminiscere peccata tua, si quid in verbo, seu in facto, vel in cogitatione peccasti.* Quod confirmat verbis citatis ex Psalm.4. Et paulò pòst: *Tamquam in eculeo suspende cogitationes tuas, & ungulâ timoris Dei radito illas. Propone tibi mortem gehennæ, superducito ei secturæ ictum non habentem dolorem; judicium facito tibimetipsi terribile,* &c. Cujusmodi judicium sibi ipsi factum à Davide satis ipse indicat verbis, *contra me.*

Tertiò, idem Psalmista exemplo iterum suo ad examen conscientiæ nos hortatur Psal.76. *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui: & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum:* quibus aptè examen conscientiæ comparat scopis, eò quòd, ut his pavimentum, ita illo everratur purgeturq; conscientia. Augustinus in ea verba conscientiam vocat secretarium mentis, additque paulò pòst: *Scrutabatur iste spiritum suum, & cum spiritu suo loquebatur: seipsum enim interrogabat, seipsum examinabat, in se judex erat.*

Quartò, conformiter hisce verbis Augustini Petrus 1. 3. examen conscientiæ designavit, cùm dixit: 178.
Conscientiæ bonæ interrogatio in Deum. Interrogant conscientiam qui eam examinant, ipsaque interrogata respondet, cùm bona est, nullum esse, aut fuisse, vel saltem remissum esse peccatum; vel ex opere operantis, contritione; vel ex opere operato, Baptismo; de quo ibi agit Apostolus.

Quintò, Paulus 1. ad Cor. 11. de eodem examine dicit: *Quòd si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Quâ sententiâ sanctus Antonius, ut refert in ejus vitâ Athanasius, discipulis suis commendavit quotidianũ conscientiæ examen: de eodem Apostolum intellexit Chrysost. hom. 43. in Matth. aliique Patres.

Sextò, præter Patres citatos, ad 179.
idem conscientię examen hortatus est nos Basil. sermone common. ad monachos: *Quæ quotidie feceris opera, vesperi tecum commemora, & cum iis quæ feceris pridie, conserto.* Item serm. de institut. monachorum: *Præclarè faciet qui completo die conscientiam suam examinaverit.* B. Ephrem sermone ascetico de vitâ religiosâ: *Negotiator secularis quotidie damna & lucra computat: diebus singulis ve-*

 speri

speri & manè considera quo pacto se habeat negotiatio tua; & vespere quidem ingressus cubiculum, examina teipsum quid egeris; si quid malè, ingemisce & lacrymare; facto diluculo examina, quid nocte. B. Dorotheus, de Vitâ rectè & piè instituendâ tam salutarem praxim testatur acceptam ab antiquioribus Patribus, *Docuerunt,* inquit, *sæpè nos majores nostri, quo pacto purgemus nosmetipsos per singulos dies, ut scilicet ad vesperam perscrutemur nobiscum, quomodo transactum diem exegerimus, & rursum manè, quomodo noctem, & sic pœnitentiam agamus apud Deum.* Ad idem hortatur D. Bernardus ad Fratres de monte Dei, & de Interiori domo seu conscientiâ ædificandâ cap. 1. postquam dixit conscientiam priùs mundandam, quàm ædificandam, subdit: *Et quis eam mundabit? profectò Deus & homo; homo per cogitationes & affectiones.* Sub cogitationibus, quibus tribuit investigationem veritatis, omnino saltem comprehendit examen conscientiæ, quod proinde præmittit & subjicit tamquam fundamentum septem columnis, quas deinde conscientiæ tribuit. Optimè item Blosius ex Rusbrochio de Consolatione pusillanimium cap. 1. §. 3. *Totius sanctitatis fundamentum conscientiæ puritas est, quam ut possis adipisci, primò teipsum explorabis, discuties, examinabisque quantum meminisse poteris.*

180. Deniq; tam utilem examinandæ conscientiæ consuetudinem valdè commēdavit excitavitque S. P. N. libello suorum Exercitiorum, quæ à Sede Apostolicâ declarata sunt, pietate & sanctitate plena, & ad ædificationem & spiritualem profectum fidelium valdè utilia: quorum exercitiorū infimum non est utrumque conscientiæ examē, ipso eorum initio accuratè explicatum. Neque tantùm verbo & scripto id docuit; sed antè exemplo ipse, ut testatur Maffejus in ejus vitâ: In horas singulas sese colligebat, & à reliquis animum in Deum avocabat, conscientiamque suam discutiebat diligentissimè. Ejus exemplum & instructionē secutus Xaverius, Sæpiùs, inquit Tursellinus in ejus vitâ, in die diligentiùs conscientiam excutiebat suam, & cæteros ad idem faciendum magnoperè hortabatur, in eo perfectæ vitæ cardinē verti ratus. Quare toti Soc.[ti] nostræ præscribit regula, ut bis quotidie conscientia examinetur.

Praxin examinis conscientiæ valdè commendavit S. P. N.

181. Neque tantùm pii & Christiani, sed & Ethnici viderunt naturali lumine ac prudentiâ, id aptissimum remedium esse ad vitam prudenter beneque instituendam. D. Hieronymus lib. 3. adversùs Rufinum, *Dicebant,* ait, *Pythagorei duorum temporum quàm maximam habendam curam, manè & vesperi, id est, eorum quæ acturi sumus, & eorum quæ gesserimus.* Seneca epist. 28. ad Lucilium: *Quantum potes teipsum coargue, inquire, in te accusatoris primùm partibus*

Etiam Ethnici probarunt examen conscientiæ.

tibus fungere, deinde judicis, novißimè deprecatoris, aliquando te offende. Et lib.3.de Irâ: *Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus est.*

Examen spectat ad forum ac tribunal conscientiæ.

Quâ ratione?

Ex dictis collige Primò, juxta Patres cap.3.& jam citatos, imò & Senecam, examẽ conscientiæ propriè spectare ad tribunal forumq; ejusdem conscientiæ; quo ipsa agat judicem, aliasque personas ad judicium requisitas. Primò enim (ut omittam examinis non tam partes, quàm præludia, gratiarum actionem, & petitionem gratiæ ac luminis) dum percurrit horas singulas, proponitque sibi judicandos actus præteritos, internos & externos, cogitationes, verba & opera, eorumque omissiones, & de omnibus rationem exigit, propriè examinat: secundò, aliqua accusat, alia excusat: tertiò, auditâ, jam satisque examinatâ causâ, secundùm allegata & probata pronuntiat sententiam, aliqua improbando & damnando, alia probando & defendendo. Quartò, bene facta remuneratur quiete & honestâ delectatione; malè facta punit dolore & remorsu, aliisque pœnis spontè susceptis, quæ efficaciorem reddunt petitionem veniæ. Quintò, conatur se expedire à malo præsenti, de quo dolet petitque, corde jam compuncto, à Deo veniam, ejusque remissionem. Tandẽ hinc etiam sequitur, ut prospiciat in futurum, caveatque ne in idem malum relabatur, scilicet dictando & statuendo, ne id deinceps committatur, ac proponendo emendationem. Quæ ipsæ sunt quinq; partes seu puncta examinis generalis, à S.P.N. assignata, comprehensâ hoc disticho:

Solve Deo grates; pete lumen; discute mentem;
Delicti veniam posce, malumq; fuga.

Ubi observa juxta dicta superiùs, hæc potiùs dici de conscientiâ habituali.

182. *Fructus examinis.*

Collige secundò, particulares examinis fructus & commoda. Primò enim examen & inquisitio omnium actuum, imò & omissionum præteritarum, rectà ducit ad cognitionem suiipsius tam necessariam, utilem, & laudatam ab omnibus, non tantùm Patribus, sed & Ethnicis, juxta famosum illud dictum ac monitum, γνῶθι σεαυτὸν, nosce te ipsum. Bernardus de Interiori domo cap.29. *Multæ sunt,* ait, *scientiæ hominum, sed nulla melior quâ cognoscit homo seipsum.* Secũdò, cognitio & judicium de singulis actibus præteritis, auget prudentiam de futuris; quæ nititur & acquiritur experientiâ, & versatur circa particulares actus, objecta & circumstantias. Nec minùs physicè intenditur exercitio actuum suorum, quales illi sunt, quàm reliqui habitus. Tertiò, directè etiam tendit examen conscientiæ ad ejus puritatem (quæ totius sanctitatis ac perfectionis est fundamentũ) tum procurandam, quia præsenti remedio

medio sordes peccatorum eluit dolore, pœnitentiâ, ac petitione veniæ: tum conservandam, quia etiam consulit sibi in futurum, & se obfirmat contra peccata iterum committenda proposito emendationis.

183. *Etiam spectat ad viam unitivã perfectorum.* Nec refert, quòd hæc omnia videantur spectare tantùm ad viam purgativam incipientium, non illuminativã proficientium, nedum unitivam perfectorum. tum quia constat Deum ex partẽ suâ paratissimum esse ad communicandam nobis copiosam gratiam, non tantùm ad spiritualem profectum, sed perfectionem: tum quia insuper exercentur examine nobilissimæ virtutes spectantes etiam ad viam unitivam, non tantùm ejus initio ac præludiis; sed processu, ac fine. Eliciuntur actus religionis, spei, ac caritatis, præterquàm pœnitentiæ, oratione, gratiarum actione, petitione veniæ, dolore de peccatis preteritis, ac proposito cavendi futura. Quæ omnia possunt, imò nata sunt, elici ac fieri habitu etiam, & motivo caritatis. Imò hoc est novum & quartum commodum fructusque examinis conscientiæ. Atque hæc dicta sunt de examine generali.

184. *Examen particulare commendatur à Patribus.* Particulare non primus S.P.N. sed multò antè Patres commendarunt. Primò, Chrysost. hom. 73. ad Pop. Antioch. *Quemque vestrûm rogo etsi non anteà, deinceps saltem, quem se plus aliis vexare defectum noverit, hunc ex animâ præcidere studeat: & piâ quâdam cogitatione quasi spirituali utens gladio, seipsum à vitio liberet.* Hom. 11. in Genesin: *Ne ita simpliciter jejunia hebdomadæ prætereant, scrutemur suam quisq; conscientiam, & rationẽ examinemus, & consideremus, quidnam in hâc hebdomadâ probè actum sit, quid in aliâ, & quale argumentum fecerimus ad sequentem, quas in nobis affectiones correxerimus.*

Quod sanctus Chrysost. de hebdomadis, S.P.N. extẽdit in particulari examine, etiam ad dies, imò horas præteritas, ut scilicet & illæ inter sese comparentur, & notentur singularum defectus, plures vel pauciores. Quam item collationẽ horarum ac defectuum probavit Basil. cit.

Secundò, clariùs ac distinctiùs examen particulare commendavit & explicavit Cassianus, collat. 5. c. 14. verbis seqq. *Ita nobis adversùs vitia arripienda sunt prælia, ut unusquisque quo maximè infestatur explorans, adversùs illud arripiat principale certamen; omnem curam mentis ac sollicitudinem, erga illius impugnationem observationemq; defigens; adversùs illud quotidiana jejuniorum dirigens spicula; contra illud cunctis momentis, cordis suspiria crebraq; gemituum tela contorquens; adversùs illud vigiliarum labores ac meditationes sui cordis impendens; indesinentes quoque orationum ad Deum flatus fundens, & impugnationis suæ exstinctionem ab illo specialiter ac jugiter poscens, &c.*

Tertiò,

185. Tertiò, neque omninò tam utilis praxis latuit Ethnicos, nominatim Plutarchũ, de Cohibendâ irâ; ubi laudat consuetudinem certo tempore abstinendi omninò à certis vitiis, nominatim luxuriæ, gulæ ac mendacii.

Quartò, examẽ particulare ipsâ praxi exemploque suo commendarunt, qui toto vel certo vitę tempore singulariter studuerunt extirpare unicum vitium, ac inserere contrariam virtutem, in quâ proinde evaserunt insignes. Ita legimus in Vitis Patrũ aliquos eorum numquam mentitos; alios numquam viderat sol se reficiẽtes; alios numquam iratos: alius audiens illud Psal. 38. *Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in linguâ meâ; Satis est,* inquit, *reliqua audiam cùm istud opere implevero.* Huc etiam spectabat silentium philosophorum, ut quinquennale Pythagoreorum. Verùm ut particulariùs agam de particulari conscientiæ examine,

186. *Examen particulare.* Nota primò, S. P. N. assignasse illi tria tempora, primum matutinum, quo concipiendum est propositum particularẽ defectum diligenter cavendi; secundum pomeridianum; & tertium vespertinum, quibus notetur, percursis horis prętcritis, numerus defectuũ interim commissorum, & renovetur propositum illos cavendi.

Ejus materia vitium capitale. Nota secundò, materiam ejus designandam esse virtutẽ aliquam, ac vitium capitale aliorum fontem ac radicem; vel certè defectum, quo quisque maximè laborat, & impeditur in viâ profectuq; spirituali. Contra illud enim utiliùs instituetur examen particulare, quàm circa alia minùs noxia, ut indicant Patres citati. cum quibus item suppono, esse in unoquoque ejusmodi aliquod vitium capitale, &, ut ita dicam, prædominans, adeoque maximè nocens, quo expugnato cessarent alia inde pullulantia, & vigeret virtus contraria, ex quâ nascerentur fructus item contrarii bonorum operum, aliarumque virtutum.

187. *Ejus fructus.* Ex dictis collige singularem fructum examinis particularis, eâdem ferè ratione, quâ dixi de generali. Iisdem enim partibus & actibus utrumque constat, eo tantùm discrimine, quòd generale complectatur omnes, particulare particularem aliquem defectum, adeoque decerpat sibi particulam aliquam ex illius materiâ & objecto: quo item fit ut fructus examinis generalis sit major extensivè, particularis intensivè.

Unde etiam apparet utriusque examinis connexio & subordinatio: generale enim ejusque fructus confirmatur ac vegetatur per particulare, sine quo illud non est satis efficax ad extirpanda vitia aliqua magis urgentia, & inveterata. Qui enim multa complectitur, nihil stringit.

188. Ex quibus item apparet, quod

Convenit omnibus. dixi de generali, verum quoque esse de particulari, videlicet non tantùm convenire viæ purgativæ incipientium, sed illuminativæ proficientium, & unitivæ perfectorũ.

Materia variis varia. Addo consultum esse, ut quique pro ratione statûs gradusque sui in viâ spirituali, accipiant materiam examinis sibi convenientem, v.g. incipientes, nullum peccatũ etiam veniale committendum deliberatè, observandum silentium, custodiendos sensus: proficientes, singulas, vel præcipuas actiones actuali intentione referendas in Deum, defectus vel exercitia caritatis fraternæ vel modestiæ: perfecti, actiones suas perfectè faciendas, vel omnes, vel nominatim caritatis fraternæ, conformationem voluntatis suæ cum divinâ in omnibus, aut continuam Dei ubique præsentis memoriam, &c.

CAPUT XX.

Quâ diligentiâ institui debeat à pœnitente, & à Confessario suppleri possit examen conscientiæ ante confessionem.

189. *Examen consciẽtiæ confusum, vel distinctum.* NOta, examen vel esse confusum de statu conscientiæ, an nimirũ sit inquinata peccato mortali, nec ne; vel insuper distinctum de numero & circumstantiis singulorum peccatorum mortalium. De posteriori tantùm solent agere Doctores; prius tamen examen etiam usui venit, ac sufficit, non tantùm cùm subjungenda est confessio, sed aliis etiam occasionibus, per accidens, v.g. cùm urget periculum mortis, ne quis moriatur in statu peccati mortalis cum finali impœnitentiâ, vel etiam cùm suscipiendum Venerabile Sacramentum, ne illud indignè sumatur. Indicat hoc ipse Apost.1.Cor.11. cùm dicit: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Nec enim potest se homo probare, an pane illo dignus sit, nisi saltem confusè examinet conscientiam, itaque judicet de ejus bono vel malo statu. Non tenetur tamen, etsi se deprehenderit in statu peccati, examinare distinctè numerum peccatorum, nisi teneatur aut velit confiteri. *Prius sæpe usui venit.* *Sufficit ante communionẽ,*

Quòd si urgeret periculũ mortis, vel etiam aliquo casu necessitas communicandi, sufficeret elicere contritionem de peccatis confusè examinatis & cognitis. Similiratione debet examinare conscientiam suam confusè, conscius peccatorum tantùm venialium, si velit confiteri, ut saltem meminerit, ac confiteri possit unum atque alterum. Distinctè is cõscientiam examinare non debet, cùm non teneatur confiteri omnia venialia. *& confessionẽ venialium.*

Dico primò, Ante confessionem, institui præterea debet, morali aliquâ diligentiâ, distinctum examen conscientiæ de numero peccatorũ mortalium; cùm, videlicet, his illa inquinata est. est cõmunis & certa. 190. *Ante confessionem mortaliũ requiritur examen distinctum.*

Probatur

Probatur primò, & certò ex Trid.sess.14.ca.5. cujus verba sunt: *Constat autem in Ecclesiâ nihil aliud à pœnitentibus exigi, quàm ut, postquàm quis diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum offendisse meminerit.* Quibus verbis Conc.saltem requirit moralem diligentiam, scilicet spectatis omnibus circumstantiis, capacitate pœnitentis, diuturnitate temporis elapsi post ultimam confessionem, gravitate ac perplexitate peccatorum & casuum: quibus variatis variatur etiam obligatio majoris vel minoris diligentiæ.

Probatur secundò ratione, qui tenetur ad opus aliquod ac finem, tenetur etiam adhibere media ad illum necessaria; atqui pœnitens tenetur integrè confiteri peccata mortalia, seu eorum numerum, ad quod moraliter necessarium est distinctum ac prævium examen conscientiæ; quò videlicet singulorum meminerit, ut confiteri possit; ergo etiam tenetur adhibere illud medium.

191. *Præceptũ confessionis involvit necessitatem examinis distincti.*

Unde apparet, necessitatem ac præceptum confessionis involvere necessitatem examinis distincti, secùs quàm præceptum contritionis, vel etiam attritionis: nemo enim tenetur conteri, vel atteri de singulis peccatis, distinctè cognitis.

Confirmatur. Pœnitens absolvi debet directè à singulis peccatis mortalibus, in quæ proinde per se debet cadere absolutio, nisi excuset ignorantia invincibilis, ratione cujus remittantur aliqua indirectè: atqui ignorantia vel oblivio peccatorum non est invincibilis, nisi saltem moralis diligentia adhibita fuerit in examinandâ conscientiâ, iisque rememorandis: ergo illa adhibenda est.

Dico secundò. Diligentia in examinandâ conscientiâ, debet esse, nec maxima, nec minima, sed mediocris, qualis adhiberi solet negotiis, nec summi, nec minimi, sed alicujus momenti. Ita Navarr. ad cap. *Fratres,* de pœnit.dist.5.à num. *66.* quem sequuntur recentiores: Suarez de pœnit.disp.22.sect.10. Reginaldus tom.1. lib.4. cap.2. à num. 8. aliique: quæ sententia est media inter nimis laxam Cajet. & Gersonis citatorum à Navar. quòd sufficiat minima, nisi adsit negligentia crassa & supina: & nimis scrupulosam Soti & Majoris, quòd requiratur maxima, quanta, v.g. adhiberetur ab habituro orationẽ coram viris eruditis, vel reddituro rationem magnæ expensæ domino vigilanti & avaro. 192. *Diligentia examinandi conscientiam debet esse mediocris.*

Probatur conclusio, quia ex unâ parte Trident. cit. haud dubiè requirit diligentiam majorem minimâ, nominatim verbis: *Conscientiæ suæ sinus omnes & latebras:* eandem exigit præcepti gravitas, de integritate confessionis, ejusque finis, ne Judex Confessarius in re tam sacrâ & gravi sententiam pronun-

tiet, non satis auditâ & cognitâ causâ. Ex alterâ parte excedit fragilitatem humanam obligatio examinandi conscientiam de peccatis præteritis, à quo natura abhorret, diligentia maxima, eaq; repugnat fini confessionis, quieti conscientiæ, quæ redderetur scrupulosa & meritò dubia, num maximam diligentiam adhibuisset, quæ rarissimè adhiberi solet. Quare meritò addunt Navar. & Suarez nimiam examinandi solicitudinem posse esse malam ac inordinatam. Itaque requiritur diligentia mediocris, qualis adhiberi solet communiter rebus mediocris momenti, atque etiam, v.g. contractibus ordinariis, atque etiam examini conscientiæ à pœnitentibus ejusdẽ conditionis. Hoc ipsum indicat Trid. cit. cùm definit, nil aliud exigi, quàm ut quis se excusserit, non diligentissimè, sed diligentiùs.

Solicitudo examinandi conscientiam potest esse inordinata.

193. Ex dictis collige juxta communem sententiam, neminem teneri scribere peccata sua, ne excidant memoriâ: quia hoc esset diligentiæ plusquàm mediocris: præterquàm quòd scriptum naturâ suâ sit testimonium quoddam publicum, & obnoxium periculo revelationis. Imò propterea Sotus etiam negat id esse consultum; meliùs tamen Cajetanus & Suarez id consulunt, si videlicet, fiat circumspectè, absque ejusmodi periculo, ut fieri potest: quia est medium licitum & utile ad bonum finem, scilicet integram confessionem peccatorum.

Nemo tenetur peccata scribere.

Etsi id sit consultũ.

Dico tertiò. Potest, imò sæpe debet Confessarius pœnitentem interrogando, supplere partem dictæ diligentiæ, non tamen totam. Est eorumdem Authorum. 194.

Confessarius potest supplere defectum diligẽtiæ.

Probatur & explicatur. Potest Confessarius interrogando efficere, ut pœnitens recordetur ac confiteatur singula mortalia, itaque satisfaciat præcepto integrè ea confitendi: quod aliàs non fecisset: quo ipso ejus diligentiam eo fine requisitam supplet. Quia verò hoc potest, ex officio debet, cùm advertit necessarium, ad explendum dictum præceptum, eò quòd pœnitens non satis examinaverit conscientiam suam, juxta cap. 1. de pœnitent. dist. 6. §. *Diligens.*

Imò debet sæpè.

Imò rectè Navar. in hunc paragraphum, & ex illo Reginaldus, addunt eam obligationem esse sub mortali: quod confirmatur cap. *Iudicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plenâ inquisitione discutere.* 30. quæst. 5. nisi videlicet vel excuset materiæ parvitas, vel necessitas festinandi ob morbũ gravem aliúdve periculum mortis naturalis vel violentæ, imminentem conflictum, aut naufragium, atque etiam vitandum scandalum. Quos particulares casus necessitatis exprimit Reginaldus. Addiderim eâdem ratione festo Paschæ alióve concursum pœnitentium: quorum plures putentur esse in statu peccati mortalis, nec facilè aliàs confessuri.

Idq; sub mortali.

suri. Quia & tunc minùs malum est pœnitentes relinquere in bonâ fide, vel permittere ut non expleant præceptum confessionis quoad circumstantiam integritatis, nihilominùs capaces, ut suppono, absolutionis non interrogando, quàm illos relinquere in statu peccati mortalis, & periculo damnationis æternæ, non audiendo eorundem confessiones.

Dixi tamen: partē, non totam: quia etsi sæpè expediat non permittere imò prohibere, ne rudes vel scrupulosi multùm examinent conscientiam suam, ne turbent caput suum, vel illam magis intricent scrupulis; facilè tamen possunt, ideoque debent illam examinare saltem obiter, tum quia aliàs vix fieri potest, ut repentè interrogati, absque ullâ præmeditatione, verè de singulis respondeant; (cùm præsertim confitentur de longo tempore) tum quia incertum est an Confessarius interrogaturus sit de singulis peccatis, quorum ipsi sibi conscii sunt.

Omnes pœnitentes debent examinare conscientiam saltem obiter.

195. Ex dictis collige, posse pœnitentem absque peccato ad confessionem accedere præmisso examine, non quidem nullo, sed minùs diligenti, quando vel scit se à Confessario interrogandum, vel statuit idipsum ab eo petere. Ita enim nihilominùs adhibet moralem ac mediocrem diligētiam satisfaciendi præcepto integræ confessionis, neque exponit se periculo illud violandi. Expedit tamen omninò ut ipse examinet, cùm potest, quia ipsum concernit directè præceptū confitendi. Quare prudenter Confessarius aliquando remittit defectu sufficientis examinis non satis ad confessionem paratos, donec examini conscientiæ suæ impenderint, quantam debent, diligētiam: quod tamen vix potest habere locum in iis qui confitentur de brevi tempore.

Pœnitens à Confessario interrogandus, minùs tenetur eam examinare.

CAPUT XXI.

In quo consistat, & quomodo conveniat jus forumq; conscientiæ internum cum externo.

EXplicatis hactenus naturâ, officiis, atq; etiam examine conscientiæ, sequitur explicandū ejus forum affine foro Sacramenti, de quo jam egi. 196.

Nota primò, forum primævâ suâ significatione denotare locum exercendarum litium. cap. *Forus*, de verborum significatione. qui solet esse publicus. Inde autem vox illa translata est ad significandum quodvis judicium seu tribunal. Dividitur autem in forum internum conscientiæ, & externum, seu Ecclesiasticum, seu civile. De utroque hoc externo agitur cap. *Cùm Episcopus*, de officio Ordinarii, in 6. de interno conscientiæ agit Augustin. serm. 2. de vitâ Clericorum, ut refertur

Forum consciētiæ internum est, vel externum.

Internum vocatur poli. fertur cap.ult.17.quæst.4. ubi illud vocatur jus poli, seu cæli, & opponitur juri fori. Est ergo forum conscientiæ, forum poli, cæli, ac Dei potiùs, quàm hominum: jus autem externum, hominum Ecclesiasticorum, vel laicorum.

197. *Externū debet se conformare interno.* Unde sequitur primò, forum conscientiæ non debere se conformare externo; sed contrà externum debere se conformare & subjicere interno conscientiæ; ne videlicet judicium Dei subjiciatur judicio hominum.

Foro conscientiæ conveniunt, causa, lex ac judicium. Sequitur secundò, foro item conscientiæ convenire hæc, causam, legem, ac judicium, quia tribus illis constat forum, cap. *Fori*, citat. causæ autem eo foro tractandæ atque infallibili judicio definiendæ deesse nunquam possunt, eæque maximi momenti, scilicet, omnes, nullo excepto, actus humani boni & mali, juxta dicenda lib. sequenti: quibus innititur æternitas beata vel misera. Quibus consonant de tribunali hoc conscientiæ cap. 7. dicta ex Patribus, qui, ne quidquam illi desit, præter illa tria tribuunt eidem judicem, accusatorē, testem, imò & tortorem, ac carcerem, omniaque eò spectantia.

Hinc sequitur tertiò, juxta mentem Patrum & rationem allatam, non esse ad hoc conscientiæ tribunal forumque opus jurisdictione alius hominis; quia non potest illâ esse opus, nisi ob veram rationem legis & obligationis, quam nunc constat ex cap.10.11.& 13.illi convenire. Neque deest tamen hîc alius qui jus dicat, Deus ipse, cujus, ut dixi, hoc forum est & lex conscientia. Ex quibus satis constat, in quo situm sit forum atque etiam tribunal conscientiæ, & quæ ad illud requirantur.

Unde sequitur quartò, non esse idem forum conscientiæ & pœnitentiæ, cum quo aliqui illud confundunt: quia omninò diversum est judicium Sacramentale, quod exercetur à Confessario de peccatis alienis; & conscientiæ, quod exercetur de propriis: imò & ab homine potest alteri dari privilegium pro foro conscientiæ, extra forum & Sacramentum pœnitentiæ, ut etiam absolutio à censuris. Non nego tamen forum & judicium pœnitentiæ rectè dici & esse etiam conscientiæ; adeoque ab homine etiam judicium hoc exerceri in foro interno conscientiæ alienæ. Tantùm dixi id non esse necessarium, scilicet ad forum & judicium conscientiæ propriæ undique internum. *Non est idem forum conscientiæ, & pœnitentiæ.*

Nota secundò, duplici foro interno & externo convenire item duplicem obligationem. Priori respondet obligatio conscientiæ, quę à Jurisperitis dicitur naturalis; posteriori civilis vel Ecclesiastica: utraque explicatur jure etiam Cæsareo ab Ulpiano leg.1. ff. de novationibus. Additur ibi tertia, honoraria, quæ respondet juri prætorio, 198. *Duplex est obligatio, conscientiæ, & civilis.*

prout

prout à civili differt, §. *Omnium autem*, Inst. de oblig. sed ea nunc comprehenditur sub civili, ut & jus prætorium sub jure civili. Convenientiùs instituto nostro, civili obligationi adjungo Ecclesiasticā, quæ sumitur ex cap. *Cùm Episcopus*, cit.

Obligatio remuneratoria. Similiter priori obligationi addi posset antidoralis, seu remuneratoria, ad danda ἀντίδωρα, seu ad remunerandum, non ex strictâ, sed laxa obligatione, id est æquitate ac honestate: quæ sumitur ex lege 25. §. 11. ff. de hæred. pet. & ibi glossa, & ab aliquibus dicitur honoraria; quæ posset dici spectare etiam ad conscientiam non obligantem, sed consulentem. Sed potissimùm hîc agimus de strictâ sub peccato seu obligatione in conscientiâ, ejusque foro; quæ in eo sita est, ut judicio ipsius, atque adeò Dei peccatum sit eam violare. Civilis autem vel Ecclesiastica obligatio est, quæ admittitur in foro judicioque civili vel Ecclesiastico; ita ut contra ejus violatorem detur actio injuriam passo, vel ejus violatio puniatur externâ pœnâ. Quibus præmissis,

199. *Ordinariè utrumque forum debet esse conforme.* Dico primò: Ordinariè utrumque forum debet esse conforme. hoc supponunt Doctores communiter, & docent Baldus Authent. *Ingressi*, num. 49. C. de sacros. ecclesiis, Nav. cap. 51. *Quis autem*, nu. 36. de testam. Vasqu. 1. 2. disp. 66. cap. 1. num. 3. Sanchez lib. 1. in præcepta, cap. 10. num. 11. aliique.

Probatur ex jam dictis: quia aliàs judicium hominum discreparet à judicio Dei, cui constat illud, ut rectum sit, debere conformari. Jus enim conscientiæ nititur & dirigitur jure poli, seu judicio Dei, ut dixi; jus verò externum jure fori ac judicio hominum. Ratio ulterior addi potest, ut obvietur periculis animarum. argumento cap. *Vt animarum*, de const. in 6. & cap. *Primi*, de jurejurando, eodem. Dixi, ordinariè, ob rationes & moderationes paulò pòst afferendas. Ut tamen distinctiùs utriusque juris forique conformitas explicetur,

Dico secundò, Lex seu jus civile 200.
& Ecclesiasticum obligat in foro conscientiæ, & hoc sensu illi est conforme. Sequitur ex Catholica sententia, probanda cap. seq. quòd leges humanæ obligent etiam in foro conscientiæ. Quod verum est de quacumque verâ lege; adeò ut, si eo modo non obliget, eo ipso vera lex non sit. Quare leges etiam pœnales explicari solent, ut obligent sub peccato, & in foro conscientiæ disjunctivè; vel ad faciendum aut omittendum quod iis exprimitur, vel subeundam pœnam eâ inflictam, si deprehendaris eam transgredi. *Leges etiā pœnales obligant in conscientiâ. Quo sensu.*

Eo tamen sensu forū externum meritò dicitur difforme interno legibus pœnalibus; quia verè & absolutè, id quod iis directè exprimitur, præcipitur & punitur, subditi non tenentur in conscientiâ

M 3 exequi.

exequi. Ejusmodi, v.g. lex est præcipiens & puniens effractores carcerum, quæ probabiliùs non obligat in conscientiâ reum, etsi justè damnatum ad pœnam capitalem, aut illi æquivalentem: cui tamen non liceret se opponere publicis justitiæ ministris, tum quia, ut jam dixi, ad hoc saltem in conscientiâ obligat eum ejusmodi lex; tum quia aliàs daretur bellum utrimq; justum. Similiter leges permissivæ, scilicet positivè (permissiva enim negativè non est lex, sed legis negatio) semper vel prohibent aliquid, v.g. ne tale crimen puniatur; vel præcipiunt, v. g. ut viro forti detur præmium, vel saltem ne impediatur petere.

201. *Imperfectio est peccata positivè permittere.* Observa tamē imperfectionem esse peccata eo modo positivè permittere, quod certè nunquam fit lege æternâ, naturali conscientiæ seu foro interno. Quâ ratione ejusmodi leges minùs conformes sunt conscientiæ, etsi sint conformes sensu conclusionis, quatenus verè obligant.

Non permittit ea lex Ecclesiastica & divina. Ob eandem causam non solet sic peccata permittere lex Ecclesiastica, nedum divina novi Testamenti, imò fortè nec antiqui; quia multi libellum repudii à Moyse permissum sic explicant, ut dispensatione Dei dissolventis vinculum matrimonii licitus fuerit. Imò id videtur verisimilius, cùm Scriptura non tantùm videatur illum permittere, sed suadere, scilicet, ob graves justasque causas, Deut.24. Eccli.25. Simili ratione aliqui non improbabiliter explicant leges civiles, 20.& sequentes ff.de adulteriis: quibus permittitur patri uno impetu occidere adulterum, & filiam sibi subditam domi suæ, vel generi, & 24.iisdem lege 4. C.eodem: quibus idem permittitur domi suæ marito: quasi illi hoc facerent licitè potestate publicâ tanquam ministri justitiæ. Quia tamē hæc ipsa permissio sic occidendi adulteros in flagranti crimine certò damnandos æterno supplicio, minùs conformis est Christianæ pietati, ac conscientiæ dictamini, verior, ut communior, sentētia est, tantùm ejusmodi homicidia permitti jure civili, ad evitanda majora ac frequentiora; ut lupanaria tolerantur & usuræ. *Permittit peccata jus civile.*

Dico tertiò: Plurimæ tamen leges, quæ obligant foro conscientiæ, non obligant foro externo, civili vel Ecclesiastico: quo sensu hoc est illi difforme. Est certa & communis de aliquibus in genere legibus, quamvis de particularibus possit esse dubium. 202. *Plurimæ leges obligant in foro conscientiæ, non tamē externo.*

Probatur & ostenditur conclusio de variis legibus & casibus.

Primò communis & certa sententia est leges humanas non præcipere, vel punire actus merè internos; vel quia earum potestas ad illos se non extendit, de quibus, quia ignotis, foro externo non potest exerceri judicium, juxta

commu-

communiorem: vel quia ob hanc causam saltem non expedit ordinariè eam ad illos extendere.

203. Ita constat, non incurri, verbi gratiâ, censuras, etsi latæ sententiæ, ob peccata interna, ne quidem hæreseos; certum tamen est actus internos & præcipi, & prohiberi, lege foroque conscientiæ: ergo circa illos difforme est utrumque forum.

Secundò constat, jus & forum externum non punire, sed permittere multa peccata, quæ non permittuntur, sed maximè improbantur à conscientiâ, ut jam dixi; cujus proinde de iis dictamina legesque valent foro interno, non externo.

Forũ externum nõ assistit multis cõtractibus, etsi validis.

Tertiò constat, forum externum non assistere multis contractibus, adeoque præceptis conscientiæ de iis explendis, etsi iis non resistat irritando: qui proinde pariunt obligationem naturalem in foro conscientiæ, non civilem in foro externo. Quales probabiliter sunt initi dolo causante, & gravi metu; nisi videlicet jure gentium à passo metum dolumve, irritentur, leg.5. C. de inutil. stipul. leg. item 5. C. de rescindendâ vend. Et quamvis plurimi putent eos, si sint bonæ fidei, utroque foro irritos esse; iidem tamen concedunt ejusmodi saltem esse contractus stricti juris. Quare Mol. de contract. disp.259. num.5. putaret expedire circa hos æquari utrumque forum, & irritari etiam foro conscientiæ contractus stricti juris, ut bonæ fidei. Sed si, ut jam dixi, utrique irritabiles sint arbitrio dolum metumque passi; non videtur incommoda hæc fori difformitas. Imò expedit dolosum capi dolo suo, & cogi ad implendum aliquando contractum, si velit dolum metumque passus; quod fieri non posset, si ille utroque foro esset irritus. In eo conveniunt omnes, quòd juxta legem secundam C. de rescindendâ act. non detur tibi actio in foro externo, nisi deceptus sis ultra dimidium, videlicet, citra metum & dolum: quare deceptor non tenetur tibi aliàs damnum resarcire obligatione civili; tenetur tamen certò obligatione conscientiæ.

Non est semper incommoda utriusque fori difformitas.

Ex quibus & similibus colligitur ratio conclusionis varia juxta varias materias; vel quia foro externo deficit probatio; vel ut evitentur majora peccata; vel ne nimis multiplicentur lites: quibus incommodis non est obnoxium forum internum conscientiæ.

Dico quartò: Forum externum est etiam difforme interno, cùm nititur præsumptione. & hanc supponunt certò & communiter Doctores. 204.

Forũ externum est difforme interno, cũ nititur præsumptione.

Probatur & ostenditur, primò in ignorantiâ juris, quæ, ut dicam lib.5. cap.11. & 12. non præsumitur, ideoque non excusat foro externo, foro tamen conscientiæ sæpè non minùs excusat ignorantia juris, quàm facti. Secundò, sic culpa juridica

dica lata lege 1. ff. de obligat. & actionibus, præsumitur dolus; sæpissimè tamen dolus non est. Quare hoc casu foro externo agetur contra laborantem tali culpâ, quasi dolosum, ut priori contra ignorantem reverâ jus, adeoque verè innocentem, tanquam scientē jus, & nihilominus violantem: quæ est magna utriusque fori difformitas. Tertiò, ita in præscriptionibus ad quas opus est bona fide, præscribentis fides præsumitur, nisi probetur mala, verisimiliter in qualibet, certò in immemoriali. Simili ratione externis argumentis, & conjecturis, sæpè præsumitur quis crimen commisisse, & ob id punitur, quamvis judicio & foro conscientiæ omnino liber & innocens.

205. *Idem verum est de foro Ecclesiastico.* Neque tantùm eo modo proceditur foro civili, sed & Ecclesiastico. Ita, verbi gratiâ, præsumeretur quis simoniacus, si ad obtinendum beneficium quidquam temporale promisisset, etsi non fecisset id animo simoniaco, nec animo strictè se obligandi ex justitiâ, sed tantùm laxè ex æquitate, & obligatione quadam remuneratoriâ. Ita etiam Religiosus professus præsumitur habuisse intentionem profitendi, etsi id ipse neget, & reverâ non habuerit. Idem dicendum de conjuge, qui affirmat se non intendisse matrimonium contrahere. Similiter Pius IV. bullâ, *Cùm sicut*; & post eum alii Pontifices, statuit ut contra Confessarios in cōfessione solicitantes ad impudica, procedatur tanquam contra hæreticos, aut de hæresi suspectos. *Nos*, inquit Pont. *in animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis in Dei Ecclesiâ abutantur*: quæ est causa prudenter hoc præsumendi, in foro externo; quamvis constet tales sæpè non esse hæreticos in foro conscientiæ. Denique plura hujus rei exempla vide in Decretalibus titul. de præsumptionibus.

Non tantùm mala, sed & bona sæpè præsumūtur, etsi verè non sint. Nec tantùm mala, sed & bona sic præsumuntur, juxta illud: *In dubio quisque præsumitur bonus*, scilicet utroque foro externo, etsi interno verè malus. Contrà verò juxta reg. juris, in 6. *Semel malus semper præsumitur esse malus*; cùm tamen secundùm veritatem forumque conscientiæ non sit necessaria sequela, ut, si semel peccat, semper peccet; quamvis simili occasione. Omitto alia exempla casusque satis obvios, & utroque externo foro frequentes. Quibus tamen aliisque non procedit Deus aut conscientia ex præsumptione, sed veritate.

Ratio disparitatis simulq; conclusionis clara est, quòd homo judex non possit scrutari & inspicere actus occultos, præsertim internos, eorumque intentionem; ut scrutatur & introspicit Deus & conscientia: quare ille cogitur procedere ex probabilibus signis ac conjecturis, præsumendo prudenter, quamvis non infallibiliter, juxta

reg.

reg. Juris in 6. *Inspicimus in obscuris quod est verisimilius.*

206. Dico quintò: si ne quidem forò conscientiæ de veritate rei constet, etiam in eo judicandum est juxta præsumptionem Juris ac fori externi, ut optimè docet Sanchez citatus num. 13.

Etiam foro interno judicandum juxta præsumptionẽ externi, cùm de veritate nõ constat.

Probatur ex dictis, tum quia, ut neutrum aberret à vero, regulariter utrumq; debet esse conforme; quia præsumptio Juris est verisimilitudo quædam, innixa signis & argumentis verè probabilioribus, etiam judicio conscientiæ, nisi constet contrarium. Atqui, ut suppono, contrarium non constat; ergo eadem debent sufficere ut fundent judicium fori interni conforme judicio fori externi. Ita rectè docet idem Sanchez, adjectâ matrimonio conditione impossibili, si dubitetur de animo adjicientis, etiam foro interno eam habẽdam esse pro non adjectâ, quia ita statutum est foro externo, cap. ult. De conditionibus appositis. Eademque est ratio de conditione turpi, de quâ idem statuitur eodem cap. Idem extendi debet ad casus paulò antè allatos, & similes.

CAPUT XXII.

An leges humanæ obligent in conscientiâ etiam justos & perfectos, seu, An illius libertas hos eximat ab obligatione legum.

COhæret hæc quæstio cum præcedenti, quia est eadem obligatio in conscientiâ & in foro conscientiæ: spectat autem ad explicandam libertatem conscientiæ, per quam non intelligitur libertas voluntatis sita in potestate agendi & non agendi, sed potiùs quædam libertas intellectûs, sita in quadam potestate judicandi, seu approbandi bonum, improbandi malum, credendi ut verum, discredendi ut falsum. In quo, si conscientia à legibus aliisque extrinsecis non pendeat, nec restringatur, meritò & ipsa dicitur habere libertatẽ suam. Quare & Patres, nominatim Origenes citatus cap. 2. n. 18. tribuunt illi libertatem quandam intellectualem. Unde apparet, cùm disputatur de libertate conscientiæ, hanc potiùs accipiendam pro habituali, tandem ipsâ animâ, quæ etiam dicatur libera à servitute peccati, juxta caput sequens: illi enim, non actui competit libera illa potestas de bono ac malo, vero vel falso statuendi. 207.

Quid sit libertas conscientiæ.

Cæterùm tantam eo sensu conscientiæ libertatem admittunt, ut 208.

N inde

inde nomen adepti sint Libertini nostri temporis, imò & Belgii hæretici, quorum primi duces fuere Cloppinus & Quintinus Belgæ sutores. Illos graphicè describit in sectarum Centuriis Stanislaus Rescius: fanaticum hominum genus, in quo jure credas revixisse Gnosticos & Valentinitas: quibus nil æquè displicet ac simplex, proprius, & germanus Scripturæ sensus. Illis Christus est satanas, vitium virtus, & virtus vitium. Nihil enim ex eorum sententiâ peccatum est, nisi eorum opinione qui se peccare putant. Verus Dei timor, & eo imbuta conscientia, pro inferno illis habetur; pro paradiso autem conscientia divini judicii contemptrix, secura, stupida & consopita. Docent, omnia homini esse licita, sine ullâ exceptione, omneque vivendi genus probant: lenonem suo volunt fungi munere, fures audacter furari jubent; matrimonia dissolvi volunt, cùm uxor mariti sui tædium ceperit: unde promiscuos laudant concubitus, idque vocant spiritale matrimonium. Communionem Sanctorum vocant communionem bonorum temporalium, ideoque quantum quisque potest rapiat, suadent. Resurrectionem jam factam esse dicunt, neque aliud exspectandum judicium. Jam Christianos omnes resurrexisse affirmant, quando animam humanam sciant jam factam esse illum Dei spiritum immortalem, imò in Dei essentiam rediisse, unde, inquiunt, exiit, eique ita jungitur, ut unicus spiritus maneat.

Dogmata Libertinorum.

Ex quibus constat, ut alia prætercam, Libertinos conscientiam liberasse ab obligatione cujusvis legis, etiam naturalis; quod, licet absurdissimum, necessariò sequitur etiam ex doctrinâ Lutheranorum & Calvinistarum, referendâ Libro sequenti cap. 14. Imò ex principiis illis à Luthero ac Calvino positis hæc hæresis nata est, adeoque ipsi Libertini, digni scilicet talibus parentibus liberi.

209. Illud inter utrorumque sententiam discrimen est; quòd Libertini opinioni ac proprio spiritui tribuant, quæ Lutherus ac Calvinus fiduciæ ac fidei; nescio certè, utri absurdiùs. Hi docent, nil peccatum esse, scilicet à Deo imputandum habenti ac retinenti fiduciam. Unde necessariò sequitur, eum nullâ lege, ne quidem naturali, obligari. Isti idem asserunt de concipiente opinionem, quòd omnia sibi liceant. Vel hi docent, nullum coram Deo ac verè peccatorem & injustum esse, nisi qui talem se credit; vel certè, qui non credit aut fidit se justum. Illi dicunt, neminem peccare, scilicet, ne quidem materialiter, nisi qui putat se peccare: quæ differentia inter utrorumque hæresim, apparet quàm sit exigua. In eo consequentiùs ac rationabiliùs videntur loqui Libertini; quòd nullum agnoscant peccatum

In quo conveniant & differant Libertini & Calvinista.

catum sine peccati prævia conscientiâ, quam tamen stupidissimè contra omnem rationem & jus sibi formant, putantes sibi reverà quodvis licitum, nil illicitum, nisi propter falsam opinionem, & conscientiam erroneam. Juxta doctrinam Lutheri & Calvini, opus aliàs bonum, & factum optimâ conscientiâ, peccatum est; imò ut tale, imputatur non habenti fidem; & contrà, hanc habenti peccatum non est, vel saltem non imputatur quidvis, etsi factum conscientiâ reluctante, & intrinsecè sit malum.

210. *Libertatis conscientiæ præco Lutherus.* Hujusce libertatis conscientiæ scilicet, ut vocant, Evangelicæ, vel Christianæ, primus Evangelista ac præco fuit Lutherus, nec tantùm concionibus, sed libris: quorum unum inscripsit De libertate Christianâ, quo dicit: *Nullo opere, nullâ lege, homini Christiano opus est, cùm per fidē sit liber ab omni lege.* Et in cap. 2. ad Galatas: *Sola fides necessaria est ut justi simus, cætera omnia liberrima, neque præcepta amplius, neq; prohibita.* Et: *Si conscientia dictat, Peccasti: responde, Peccavi. Ergo Deus puniet & damnabit? Non. At lex hoc dicit. Sed nil mihi cum lege. Quare? Quia habeo libertatem.* Quæ cùm satis clara sint, non egent explicatione. Similia docet Calvinus lib. 3. Inst. cap. 19. Quibus magistris eandem libertatem didicerant, qui eam inclamabant nostro huic Belgio, aliisque regionibus, & præferebant tam tristium & cruentorum bellorum causam, scilicet in negotio fidei ac religionis.

211. *Error Begardorum & Beginarum.* Denique ad dictas hæreses nimis propè accesserunt Begardi & Beginæ: quorum error inter alios, tertius his verbis refertur & damnatur Clement. Ad nostrum. De hæreticis, quòd illi qui sunt in prædicto gradu perfectionis, ac spiritu libertatis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ; nec ad aliqua Ecclesiæ præcepta obligantur: quia, ut asserunt, ubi spiritus, ibi libertas. Ex quibus apparet, hos dixisse tantùm de quibusdam perfectis, quod hæretici de quibusvis justis.

Omnes hi errorēs hæresesque in eo conveniunt, quòd conscientiæ libertatē constituant in exemptione, seu libertate à legibus earumque obligatione. Hoc etsi juxta hæreticorum principia extendendum sit ad legem naturalem, atque adeò etiam conscientiam ipsam, ejusque obligationem; quia tamen hujus obligatio nimis certa est, clara, satisque probata hoc Libro variis capitibus; tantùm hîc agam de lege positivâ, præsertim humanâ, sive civili, sive Ecclesiasticâ, de quâ id potissimùm docent hæretici.

212. *Leges humanæ sunt Iuris naturalis declarativæ, vel determinativæ.* Nota primò: leges humanas esse vel declarativas Juris naturalis, quales fuerunt in antiquo Testamento præcepta Decalogi, essetque lex, verbi gratiâ, quâ à potestate politicâ prohiberetur usura; vel quidquid ex principiis lumine naturali

naturali notis necessariâ consequentiâ deducitur; vel ejusdem Juris determinativas, ad aliquid, quod ex dictis principiis deduci certò non potest; qualis esset, quâ alicui crimini statueretur certa pœna. Quamvis enim lumine & Jure naturæ constet, omne crimen aliquâ pœnâ, non tamen, hoc illâ puniendum esse: quod proinde relinquitur determinandum Juri humano. Priores obligationẽ suam habent à lege naturali, etsi illam magis inculcent atque augeant: posteriores, quatenus excedunt legem naturalem, propriè & purè humanæ sunt. De utrisque hîc agimus, potissimũm de posterioribus.

213. *Lex Mosaica triplex, moralis, ceremonialis & judicialis.* Nota secundò, legẽ Mosaicam antiqui Testamenti esse triplicem, Moralem, quæ summatim continetur præceptis Decalogi; Ceremonialem, quæ præscribit certas ceremonias ritusque circa cultum Dei; & Judicialem, quæ statuit certam formam servandi justitiam inter homines. Triplex hæc lex ab ipso Legislatore Deo exprimitur, Deuter. 5. *Loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias, atque judicia.* Quæ ferè repetuntur cap. 6. De eâdem Apostolus ad Rom. 7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & justum & bonum.* sanctum, propter ceremonialia; justum, propter judicialia; bonum, propter moralia. Vide D. Thomam 1.2. quæst. 99. & seq. Lex quatenus ceremonialis, spectat Deum; quatenus judicialis, proximum; quatenus moralis, singulorum mores: quare aliquo modo requiritur in omni Republicâ bene ordinatâ.

Nota tertiò, legem vel potestatem legislativam partim esse directivam quatenus monstrat id quod faciendum est; partim coactivam seu punitivam, quatenus sub pœnâ ad id ipsum obligat. Priori consideratione respicit finem, posteriori potiùs medium ad illum obtinendum: priori modo agit paternè tanquam cum filiis; posteriori despoticè, tanquã cum servis. 214. *Lex partim directiva, partim coactiva.*

Dico primò: Omnes fideles, justi ac perfecti obligantur in conscientiâ legibus positivis, etiam humanis, scilicet justis. Est Catholica, ac definita à Tridentino sess. 6. can. 19. contra hæreticos citatos: *Si quis dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nil pertinere ad Christianos, anathema sit.* Canone sequenti definit insuper etiam contra Begardos, hominem justificatum, & quantumlibet perfectum teneri ad observantiam mandatorũ Dei & Ecclesiæ. Canone 20. damnat eosdem hæreticos, dicentes, Christum Jesum datum à Deo hominibus ut redemptorem cui fidant, non etiam legislatorem cui obediant. 215. *Omnes fideles obligantur legibus positivis.*

Probatur primò ex Scripturâ. Isaiæ cap. 33. de Christo dicitur: *Dominus Iudex noster, Dominus legifer noster,*

noster, Dominus Rex noster. Micheæ 5. *Ex te exiet dux, qui regat populum meum Israel*. Et in novo Testamento Lucæ 1. *Et regni ejus non erit finis*. Apocal.1. idem dicitur *Princeps regum terræ*. Cap.19. *Rex Regum, & Dominus dominantium*. Judicis, Legislatoris, Ducis, Principis, Regis, imò Regis Regum, ac Domini dominantium haud dubiè est præcipere, ac per leges regere; ergo sine magnâ injuria, saltem Christo, qui aliàs haberet tot titulos sine re, non potest ea potestas denegari: quâ etiam constat usum fuisse, præcipiendo usum Sacramentorum: Baptismi, Joannis 3. Eucharistiæ, c.6. De aliis c. 13. ipse ait: *Mandatum novum do vobis*. Et c.15. *Hoc est præceptum meum, hæc mando vobis, ut diligatis invicem*. Matthæi ultimo ex hoc mundo discedens: *Docete eos servare omnia, quæ mandavi vobis*. Quæ aliaq; tam clara sunt, ut non videam quid responderi possit ab hæreticis, nisi Christum usurpasse auctoritatem præcipiendi, quâ caruit.

216. *Christus adimplevit præcepta moralia.* Quod attinet ad legem veteris Testamenti, ipse etiam Christus, *Non veni*, inquit, *solvere legem, sed adimplere*, Matthæi 5. & verè ibi adimplet, perficit & emendat; non quidem præcepta ejus judicialia ac ceremonialia, quæ cessarunt; sed moralia seu naturalia, quatenus ab illâ proposita, de homicidio, adulterio, perjurio, aliisque: circa quæ declarat, tollitque abusus antiquâ lege toleratos vel introductos, & concludit: *Si quis ergo solverit unum de mandatis illis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum*. Eodemque sensu addit: *Nisi abundaverit justitia vestra*; (*justitia*, inquit, non fiducia; nec mea, sed *vestra*) *plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum*. Æquè clarè cap.7. mandat servari præcepta comprehensa sub illo principio: *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim*, ait, *lex*, scilicet etiamnum ad illa obligans, & *Prophetæ*. *Intrate per angustam portam*, scilicet mandatorum jam explicatorum, etiam minimorum. Unde clarè & necessariò sequitur, hæreticos, qui nolunt per angustam illam intrare, contra hoc ipsum Domini præceptum, non intrare per portam quæ ducit ad vitam, sed per latam quæ ducit ad perditionem.

Hæretici de mandatis divinis docent pugnantia. Adverte tamen, eosdem hæreticos de Deo atque adeò Christo docere cum jam dictis minimè cohærentia, imò extremè opposita; scilicet ejus etiam in novo Testamento mandata esse impossibilia; quod damnat Tridentinum sess.6. can.18. Certè vel solo naturæ lumine apparet id Deo omninò indignum, imò impossibile; vel si possibile, plus quàm tyrannicum: & quo ergo sensu & sinceritate Christus adolescēti roganti Matth. 19. *Quid boni faciam, ut habeam vi-* 217.

tam æternam? respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata?* nimirum quo modo Medicus diceret ægroto: si vis curari, potionis loco exsorbe totum Oceanum. Atque hæc dicta sunt de legibus ipsius Christi & antiqui Testamenti, ab ipso in novo confirmatis: de aliis verò latis vel ferendis ab hominibus,

217. *Christus ipse confirmavit obligationem legum doctrinâ, & exemplo.*

Probatur conclusio æquè clarè, primò auctoritate iterum ipsius Christi, Matth.22. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo,* quibus verbis præceptum solvendi tributa Principibus putatur declarasse; & jam tum in Judâ Galilæo idem cum iis sentiente, damnasse nostri temporis hæreticos. Idem suo exemplo confirmavit Matth.17. jubens pro se & Petro tributum solvi, etsi non tenerentur: *quia liberi sunt filii.* Ipse primò, non alienus, sed Filius naturalis Dei omnium Regis, & concomitanter ejus domestici, more ubique recepto, quales erant Apostoli: non sunt autem omnes Christiani, aut justi, quamvis filii adoptivi. Secundò clarissimè idem tradunt Apostoli. Paulus ad Romanos 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et ne hæc subjectio putaretur arbitraria, vel coacta propter pœnam, expresè addit: *Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam,* videlicet ad hoc ipsum obligantem. Imò adjungit causam, ac primam radicem hujus potestatis ac obligationis in conscientiâ, juxta dicta superiùs: *Non est enim potestas nisi à Deo. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Ad Titum 3. *Admone illos Principibus & Potestatibus subditos esse.*

Similiter Petrus 1. Epist. cap.2. *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei.* Postrema hæc verba & priora, *propter Deum,* clarè significant obligationem in conscientiâ. Et quia tunc quoq; videntur fuisse qui prætextu libertatis Christianæ jugum legum excuterent, addit; *quasi liberi,* scilicet verâ libertate paulò pòst explicandâ, *Et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem,* scilicet falsam & impiam, quod optimè quadrat in hæreticos. Deinde: *Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens injustè.*

Petes, quæ sit conscientia Dei.

Respondeo: Dei conscientiam dici objectivè, quo modo virtutes dicuntur Theologicæ, & fides, verbi gratiâ, divina, etsi in nobis sit subjectivè. Dei itaque conscientia est, quæ Deo non hominibus placere studet; illum agnoscit in superioribus etiam dyscolis, & propter illum dictat patiendum etiam injustè, 218. *Quæ sit conscientia Dei. Est ea in nobis.*

Vel etiam in Deo. justè; seu innocenter. Potest etiam dici Dei conscientia, quæ in Deo est, nimirum divinæ mentis dictamen, quo id ipsum dictatur faciendum aut sustinendum, quod conscientiâ nostrâ. Quâ ratione conscientia nostra sic se habet erga divinam, ut lex naturalis erga æternam: & Petrus recurrit ad primam obligationis radicem, sicut Paulus. Saltem apparet, ambos Apostolorum Principes non tantùm tradere, sed deducere & confirmare conclusionem expressâ mentione & obligatione conscientiæ.

Omitto in re tam clarâ probationem ex Patribus, qui loca Scripturæ jam allegata eodem modo explicant, & æquè clarè passim id docent.

219. Probatur ergò ratione traditâ ab ipso Augustino de Civitate Dei lib. 19. cap. 17. quia finis potestatis inter homines legislativæ optimus est & honestissimus; nimirum Politicæ, quies, concordia bonumque Reipublicæ, ac subditorum Politicum & externum: Ecclesiasticæ verò insuper quies, bonumque animæ seu conscientiæ spirituale & internum. Ergo non potest non etiam esse optima & honestissima, potestas legislativa, quâ tantum bonum obtinetur. Quâ de causâ generi humano illa competit jure & lumine naturæ, & ab ipso Deo stabilita est in antiquo Testamēto.

Non fuisset quidem necessaria in statu innocentiæ, quo pro omni lege fuisset lex & dictamen conscientiæ; cui, seu parti animæ superiori, perfectè obedivisset interior, seu appetitus, ut illa Deo: verùm in statu naturæ lapsæ, quamvis per gratiam utcunque restauratæ, non tantùm honestam ac utilem, sed omnino necessariam esse, nimis constat quotidianâ experientiâ, nimirum ob fomitem concupiscentiæ remanentem, passionesq; conscientiæ ac rationi nimis rebelles. Nullâ itaque ratione per gratiam fidemque Christi potestas legislativa debuit cessare, sed perfici: quia gratia naturam non destruit, sed perficit. *In statu innocentiæ non fuisset necessaria potestas legislativa.*

Confirmatur: quia saltem, ut fatentur hæretici, dicta potestas competit Regibus & Principibus non Christianis, ergo etiam Christianis. Probatur consequentia, quia per fidem, si convertantur cum suis subditis, non amittunt quod Jure naturæ sibi competit: & aliàs nemo Princeps converti vellet, timore amittendi hanc potestatem, atque principatū seu regnum suum. Quam ob causam notarunt antiqui Patres, sub initia Ecclesiæ dæmonem conatum fuisse Evangelio injicere illam remoram, Religionē Christianam diffamando, quasi subditos ab obedientiâ legibusque Principum eximeret, ideoque Apostolorum Principes tam luculentè contrarium affirmasse.

Ex dictis colligo, & dico secundò: Lex humana, quà talis, obligat 220.

sub

Lex humana quà talis obligat.

sub peccato. Est de fide, vel fidei proxima, quamvis præter hæreticos videantur ab eâ dissentire aliqui Catholici, ante probationem

Nota, aliud esse quòd lex humana supponat divinam & æternam, imò ab eâ participet vim obligandi; aliud, quòd illam vim in se undecumque habeat, ita ut qui illam transgreditur, hoc ipso peccet, non tantùm quatenus transgreditur divinam. Prius extra controversiam est, satisque clarum ex jam & antè dictis: posterius hîc asseritur, eoque sensu

Idem est obligare in conscientiâ, & sub peccato.

Probatur conclusio primò, quia idem est, legem obligare in conscientiâ, ne scilicet peccato gravetur, & sub peccato: atqui jam probatum est, obligare in conscientiâ, quod expresè affirmant Apostoli; ergo etiam sub peccato. Magis id exprimit Paulus, quando verbis relatis addit; *Qui autem resistunt*, scilicet potestati humanæ, adeoq; Dei ordinationi, *ipsi sibi damnationem acquirunt*. Damnatio necessariò supponit peccatum.

Probatur secundò: lex humana, quà talis, & à divinâ distincta, verè est lex, ergo quà talis, habet vim etiam distinctam verè ac sub peccato obligandi; quia ex naturâ rei ad veram legem requiritur vera obligatio, ergo ad novam nova.

Non est in potestate hominis ut lex lata non obliget.

Ob causam jam dictam, est quidem in potestate hominis ferre legem, vel non ferre; non autem efficere ut jam lata obliget vel non: sicuti est in ejusdem potestate, vovere & promittere, vel neutrum facere; non autem, efficere ut non teneatur votum aut promissum factum exequi. Unde sequitur, ne quidem posse ferri veram legem, quæ in conscientiâ nullo modo obliget.

Probatur tertiò ratione D. Pauli citati. *Dei enim*, ait, *minister est*, scilicet quicumque superior. Dei autem ministro resistere, scilicet in quibus minister & Dei vicarius est, moraliter est ipsi Deo resistere, juxta illud: *Qui vos audit, me audit*; & *qui vos spernit, me spernit*. Quemadmodum etiam in humanis, Regi resistere censetur, qui legitimo ejus vicario. Unde jam argumentor: Deo resistere, haud dubiè peccatum est: atqui quatenus resistis seu non obedis Dei ministro, Deo resistis; ergo quatenus resistis Dei ministro, peccas; seu, quod in idem recidit, ille quà talis te obligat sub peccato. 221.

Ex hac probatione apparet, quâ ratione homo possit obligare in foro conscientiæ, quod ab Augustino forum poli seu Dei appellatur: id enim non facit quà homo solùm sibi innatâ potestate, sed quà Dei minister, ejus potestatem quodammodò participans.

Probatur ultimò, quia sine hac potestate obligandi in conscientiâ sub peccato, & lex ipsa esset imbecillis & inefficax, nec satis cautum esset humanæ Reipublicæ: quia homines

homines non possent induci ad facienda quæ sibi convenientia, imò sæpè necessaria sunt. Primò, quia humanus ac maximè rationabilis modus inducendi est per conscientiam, omnium actionum humanarum regulam & mensuram: secundò, quia vel nulla, vel saltem sæpissimè insufficiens pœna temporalis peccatis certis statui potest, ergo tunc necessaria est obligatio sub culpâ. Imò ob hanc causam tenetur etiam in conscientiâ & sub peccato obedire uxor marito, liberi parentibus, servus domino. Si illa potestas admittatur in communitatibus tam imperfectis, singulis familiis; quantò magis in perfectis, Collegiis, civitatibus, provinciis, regnis, ipsaque Ecclesiâ?

222. *Lex humana, quà talis, obligare potest sub mortali.* Ex dictis colligo ulteriùs, & dico quartò, Lex humana, quà talis, obligare potest sub peccato mortali: quia si lex in genere potest obligare sub peccato in genere, ergo lex magni momenti, habitâ prudenter ratione materiæ secundùm omnes circumstantias (accedente intentione legislatoris obligandi vel sub mortali, vel secundùm materiæ capacitatem) obligabit sub magno seu mortali peccato. Quæ enim est causa peccati in genere, eadem auctior & intensior causa debet esse majoris peccati.

Etiam absq; expresso contemptu. Unde sequitur, etiam sine expresso contemptu legis violationē, ejus, quamvis purè civilis, peccatum esse mortale ex genere suo; nisi excuset materiæ parvitas, vel etiam expressa intentio leviter obligandi.

Dices: Nemo potest imponere pœnam quam non potest infligere: 223.
atqui homo non potest infligere pœnam inferni peccato mortali debitam, nec etiam purgatorii debitam peccato veniali; ergo nec utramlibet per legem imponere, seu sub eâ obligare. Respondeo, missis aliis responsionibus, simpliciter negando majorem: modò enim infallibiliter pœna, sub quâ lex præcipit, infligatur, nil refert ad ejus efficaciam à quo infligatur; peccati autem pro meritis puniendi pœnam sibi Deus reservavit, qui solus potest condignam infligere, & infallibiliter infligit. Similiter sibi reservavit remissionem & culpæ & pœnæ, sub quibus tamen obligat homo legislator.

CAPUT XXIII.

In quo ergo sita sit libertas conscientiæ & Evangelii.

EAdem est libertas conscientiæ 224.
& Evangelii, seu conscientiæ in statu gratiæ, ac Evangelii cum libertate Christianâ, de quâ quindecim libros scripsit Belliolanus, tres Driedo.

Ex omnibus superiore capite dictis satis constat, illam non posse consistere aut comprehendere libertatem ab obligatione legum

humanarum, superest ergo breviter explicandum in quo illa sita sit.

Suppono autem, agi de libertate imperfectâ viæ, non perfectâ patriæ, quam Apostolus ad Rom. 8. vocat libertatem gloriæ filiorum Dei.

Libertas conscientiæ sita est in triplici libertate. Respondeo: Libertas conscientiæ in statu hoc gratiæ, seu Christiana vel Evangelica, sita est in triplici libertate: primò à peccato, secundò à lege antiqui Testamenti, seu ceremoniali ac judiciali; tertiò à spiritu servili; eoque sensu à potestate legum coactivâ. Quæ conclusio & libertas

Probatur ex iisdem Scripturæ locis, ex quibus hæretici probant suam; & ex omnibus Patribus quorum nullus ea explicat sensu hæreticorum, sed omnes nostro.

225. *A peccato.* Probatur ergo primò prima pars, testimonio ipsius Salvatoris ac Liberatoris nostri, quo nemo meliùs scire potest, quâ ipse nos libertate donaverit. Joannis 8. *Amen amen dico vobis: quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Unde infert: *Si ergo vos filius liberavit,* scilicet à peccato, *verè liberi eritis.* Apost. ad Rom. 8. *Gratia autem Dei, quòd servi fuistis peccati, liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ.* Iterum: *Nunc verò liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Hac libertate carent hæretici, vel ipsis judicibus: fatentur enim, se verè à peccato non esse liberatos, sed tantùm cum illo, ut ita dicam, tectos, ut ostendam Libro sequenti, cap. 14. illudq; in se ita dominari, ut omnia sua opera reverà peccata sint, etiam quæ videntur bona. Ceterùm verba Apostoli non egent explicatione.

Probatur secundò secunda pars ex eodem Apostolo ad Galat. 2. *Sed neque Titus, qui mecum erat, cùm esset gentilis, compulsus est circumcidi; sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, ut nos in servitutem redigerent.* Cap. 4. *Quomodo iterùm convertimini ad infirma & egena elementa, quibus denuò servire vultis?* Et cap. 5. *State, & nolite iterum jugo servitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Denique Petrus Act. 15. *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?* Eodem præcipuè sensu (licet intelligi etiam possit juxta tertiam conclusionis partem nunc explicandam) videtur dixisse Paulus ad Rom. 6. *Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratiâ;* sub lege videlicet scriptâ antiqui Testamenti præcipiente, sed non juvante ad servandum quod præcipit; ideoq; dante occasionem peccato; secùs quàm facit gratia, ad legem servandam movens simul & juvans. Quæ optima est ratio, significata 226. *A lege antiqui Testamenti.*

per

per particulam *enim*, cur peccatum nobis dominari non debeat. *Non sumus*, ait Augustinus De continentiâ c.13. *sub lege bonum quidē jubente, non tamen dante; sed sumus sub gratiâ, quæ id quod lex jubet faciens nos amare, potest liberis imperare.* Sed longè aliter, quàm adversarii, inde argumentatur Apostolus : *Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratiâ*, videlicet prætextu illius libertatis? *Absit.* Ergo verè non peccamus omnibus operibus, & possumus non peccare. Addit paulò pòst Apostolus : *Stipendia enim peccati, mors*, scilicet à Deo Judice infligenda : ergo falsum est, Deum peccatum non imputare, quod punit, & quidem gravissimè morte æternâ.

Eundem sensum prosequitur Apostolus capite sequenti, similitudine mulieris, quæ per mortem liberatur à mariti lege ac servitute, ita ut liberè alteri nubere possit. Ubi vir, est peccatum, seu lex peccati occasio; mulier, anima Christiana; alius vir, seu novus sponsus, Christus. Subjungit Apostolus: *Itaque fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus Christi; ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo.* Nec refert quòd dicat, non legem seu peccatum, sed nos illi mortificatos seu mortuos; quia recepto modo loquendi idem hoc est : quo modo etiam idem est nos mortuos esse mundo, & mundum nobis; nimirum ut intelligamus nos soli Christo, novo animæ nostræ sponso, vivere debere, ceteris omnibus mortuos esse.

Probatur denique tertiò tertia conclusionis pars ex eodem Apostolo iterum ad Romanos 8. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater*; seu quo Deum vocamus & amamus tanquàm filii patrem, nō tanquam servi dominum. Idem ad Galat.5. *Vos enim in libertatem vocati estis fratres.* Et quia fore prævidebat hæreticos, qui eâ abuterentur, prudenter monuit : *Tantùm ne libertatem detis in occasionem carnis, sed per caritatem spiritus*, seu spiritum caritatis, *servite invicem.* Et infrà : *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* id est. Si ducimini spiritu amoris, quo vestrâ quasi sponte amplectimini id quod lex vobis monstrat ac proponit, *non estis sub lege*, scilicet quatenus coactiva est, vel sub ejus servili reatu. *Si spiritu*, inquit Augustinus De naturâ & gratiâ c.57. *ducimini, non estis sub lege; utique lege quæ timorem incutit, non tribuit caritatem.* Cui consonant paulò antè ex eodem citata. 227. *Et à spiritu servili.*

Quare optimè in explicatione Psalmi distinguit illa duo, esse sub lege, & esse in lege. Sub lege est, qui eâ, quatenus coactivâ, invitus agitur tanquam servus : in lege est, qui eâ, quatenus directivâ, ducitur lubenter tanquam filius. *Qui est in lege*, ait Augustinus, *secundùm legem agit:* *Aliud esse sub lege, aliud in lege.*

agit: qui est sub lege, secundùm legem agitur. Ille ergo liber est, hic servus. De eodē spiritu amoris erga Deū, studioque ipsi soli placendi, intelligendum est illud Apostoli ad Corinth.7. *Nolite fieri servi hominum*; scilicet ipsis placentes, juxta illud ad Galatas 1. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Nec enim ibi agi de servitute & subjectione corporali, constat ex immediatè præcedentibus: *pretio empti estis*, scilicet secundùm animam.

Eodē sensu explicari potest illud 1.ad Timoth.1.*Lex justis nō est posita, sed injustis*, videlicet quà coactiva. Aliquid tamen amplius videtur ibi Apostolus intendere, scilicet legem non esse positam propter justum, qui eà non indigebat, scilicet scriptà & externâ: nam habenti spiritum illum amoris sufficiebat lex naturalis & interna ad bene vivendum, & cavenda peccata, præsertim contra legem naturæ, de quibus ibi Apostolus. Contraria est ratio de injustis, quibus, & propter quos proinde lex posita est. *Si omnes*, ait in illum locum D. Thomas, *essent justi, nulla necessitas esset dandi legem; quia omnes essent sibi lex.* Ita etiam verba illa explicat Ambrosius in illud Psalmi 36. *Lex Dei in corde ipsius.* Probata nunc est tota conclusio locis Scripturæ, quibus ferè solis probari potest, eademque operâ soluta argumenta adversariorum.

Quo sensu lex non sit posita justis.

228. Probatur tamen etiam ratione pro materiæ capacitate, quia libertas explicata, & est vera libertas spiritûs, apta ad conscientiam liberandam à nimiâ solicitudine, tristitiâ, metuque servili; & nihilominùs eidem ingenerat sanctam ac filialem observantiam erga quosvis Magistratus, sæculares vel Ecclesiasticos, eorumque leges ac mandata. Libertas verò hæreticorum nec est vera libertas, cùm non liberet à maximâ omnium servitute, scilicet peccati; & præterea ingenerat omnibus contemptum Magistratuum ac legum: imò reverà privat omnes Superiores ac Magistratus suâ auctoritate, quæ sita est in potestate regendi ac jubendi per legem ac mandata, atque adeò spoliat Principes suis principatibus, Reges regnis ac coronis suis; subditis verò aperit portam sternitq; latissimam viam ad omnia scelera, & tandem ad infernum. *O satan, satan*, inquit Morus in Lutherum cap.7. *aperuit Deus astutias tuas, quas per os Lutheri moliris, ut libertas Evangelica nil sit aliud, quàm infrenata licentia, quâ populus Christi præceps decurrat ad inferos.* Quis dicat, quod certè sine blasphemiâ dici non potest, Christum nos donasse tali libertate?

Quàm perniciosa libertas hæreticorum.

CA-

CAPUT XXIV.

Quæ libertas conscientiæ ac fidei concedenda sit infidelibus ac Iudæis.

229. NOn disputo hîc de libertate infidelium à legibus, quia certum, nec controversum est, eos obligari lege naturæ, ut constat ex Apostolo ad Rom. 2. idque *testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum*; quæ sunt verba Apostoli. Deinde, eosdem obligari legibus positivis Principum suorum, quia id ipsum lex naturæ dictat, Principi legitimo ejusque legibus, scilicet justis, obtemperandum esse. Tertiò æquè certum est, quod magis constabit ex dicendis, illos non obligari legibus Ecclesiasticis seu Ecclesiæ ad fidem non spectantibus. Tantùm ergo relinquitur disputandum, an legibus aliisque modis ad veram fidem cogi possint; vel etiam in negotio fidei relinquenda illis sit conscientiæ suæ libertas: cujusmodi fidei libertas ac indifferentia quasi per quandam antonomasiam nunc solet dici simpliciter libertas conscientiæ.

Coactio ad fidem directa vel indirecta.

Nota, quia libertati opponitur coactio, hanc esse duplicem, directam & indirectam. Directa est, quâ primariò eo fine pœna infligeretur, vel ad puniendam infidelitatem, vel ad extorquendã veram fidem, ejusque externum exercitium aut professionem; indirecta, quâ tantùm secundariò, propter finem alium primarium aliunde justum ac licitum. Eodẽ ferè sensu est duplex punitio, vel Principum, vel subditorũ infidelium. Præterea infideles vel sunt vel non sunt subditi Principum fidelium.

Ecclesia habet jus per universum mundum mittendi prædicatores.

Dico jam primò: Ecclesia habet potestatẽ & jus mittendi per universum mundũ prędicatores Evangelii, adeoque compescendi hoc impedientes. Est communis satisq; certa sententia. 230.

Probatur primò prior pars, quia ipse Christus potestatem habuit, & cum Ecclesiâ communicavit. Utrumque constat ex illo Matth. ultimo: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ. Euntes ergo docete omnes gentes.* Quæ cùm satis clara sint, omitto alia quibus idipsum significatur.

Probatur secundò ratione, quia hæc potestas necessarium fuit medium ad finẽ redemptionis totius mundi, ut scilicet ea singulis hominibus applicari posset per auxilium saltem ad salutem sufficiens. Dixi, *& jus*, quia non fuisset ea potestas medium satis efficax, nisi conjuncta cum proprio jure, scilicet independente à permissione ac voluntate infidelium; quod clariùs Christo tribuitur Psal. 2. *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* & quidem quoad officium prædicandi cùm additur, *prædicans præceptũ ejus.* & paulò pòst:

Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionẽ tuam terminos terræ. Verba, *Rex, hæreditas, possessio*, non possunt intelligi propriè sine proprio jure. Neque verisimile est, Christum idem illud jus Ecclesiæ non tribuisse, quia ipsa magis indiget.

Confirmatur, quia si Ecclesia non haberet illud jus, nec haberet absolutam potestatem mittendi prædicatores & prædicandi, sed tantùm conditionatam, si infideles permittant: qualem potestatem habes utendi re alienâ, si Dominus permiserit.

Et compescendi id impedientes.

Ex priori conclusionis parte sequitur posterior; quia si Ecclesia habet potestatem ac jus id faciendi, ergo id impedientes faciunt ipsi injuriam, quam naturali jure licet propulsare, cùm præsertim jus in suo ordine supremum est, quale est illud Ecclesiæ.

Quod confirmatur principio illo utriusque Juris positivi, quòd concessâ jurisdictione, concedantur ad ejus exercitium moraliter necessaria, L. ult. ff. De officio eorũ quibus mandata est jurisdictio: & c. Prætereà. De officio delegati; tum Jure ac consuetudine gentium, quâ quævis Respublica habet jus suos præsertim legatos vindicandi ab injuriâ, ergo magis Ecclesia legatos non tam suos quàm Christi, juxta illud Pauli 2. Cor. 5. *Pro Christo ergo legatione fungimur.*

231. Adverte, utramque illam potestatem competere supremo Ecclesiæ capiti, cui à Christo dictum est, *pasce oves meas*: scilicet toto mundo dispersas, eo discrimine, quòd potestas mittendi prædicatores, spectet ad directam ejus in spiritualia, scilicet per universum mundum: (nam ad infideles suæ diœceseos possent mittere singuli Episcopi) compescendi verò impedientes, ad indirectam in temporalia. Quia tamen non decet hanc exerceri ab Ecclesiasticis, quorum non est corporalia arma sumere, c. Cùm à Judæis, & seqq. 23. quæst. 8. ideò Pontifex potest executionem committere Principibus sæcularibus, ut colligi potest ex c. Scire. aliisque quæstione citatâ.

Potestas mittendi est directa, compescendi indirecta.

Dico secundò: Nec Ecclesia, nec sæculares Principes possunt cogere directè infideles non baptizatos, quamvis subditos, ad fidem, etsi sufficienter propositam. Est communis D. Thomæ 2. 2. quæst. 10. art. 8. & 11. & ibi Interpretum, satisque certa de non subditis, de quibus tempore Caroli V. contrarium defendit acriter ejus Historiographus Genesius. De subditis quoque dissentiunt Scotus & Gabriel. 232.

Non baptizati non possunt ad fidem cogi directè.

Probatur, quia Christus ne quidem Ecclesiæ seu Pontifici, nedum Principibus uspiam hanc potestatem concessit: imò eam à se & Ecclesiâ rejicit Paulus 1. ad Corint. 5. *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare?* Et paulò pòst: *Nam eos qui foris*

foris sunt, Deus judicabit, ergo non homines. Foris sunt, qui per ostium Baptismi Ecclesiam non sunt ingressi; ideoque nec ejus membra sunt, nec subditi: in quos proinde nullam habet Ecclesia jurisdictionem, scilicet spiritualem, quæ hîc requiritur; & minùs competit sæculari Principi etiam in subditos: usurpare verò jurisdictionem, quâ careas, necessariò malum est. Cui rationi, quam satis indicant, innituntur verba Apostoli, quæ sic etiam intelligit Tridentinũ sess.14. De pœnitentiâ, cap.2. *Cùm Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non priùs in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus.* Quod probat verbis Apostoli citati. Ob eandẽ causam c. Sicut Judæi. De Judæis, & c. Majores. De Bapt. contraria sententia ac praxis rejicitur, tanquam contraria Orthodoxæ Religioni.

Confirmatur: quia illa potestas cogendi infideles, ejusq; usus, esset obnoxius gravibus incommodis: primò periculo sacrilegiorum, & simulatarum conversionum: secundò, fidem Christianam gentibus nimis odiosam redderet, ideoque ab eâ magis alienaret; tertiò, minùs ostenderet efficaciam verbi divini, & spiritûs Christiani, adeoque Ecclesiam privaret illustrissimâ illâ notâ, quòd pauperes piscatores nullâ vi, nisi divini verbi spiritusque universum orbem subjecerint Christo crucifixo. *Nam arma*, inquit Paulus 2.ad Cor.10. *militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo.*

Petes, an saltem infideles cogi directè possint ad audiendã fidem, ejusque prædicationem. Suarez De fide, spe & charitate disp.18. sect.2. secutus Bañes & Pesantium, respondet distinguendo, concedendo de subditis Christianorum Principum, de reliquis negando. 233.

Neque infideles directè cogi possunt ad audiẽdam fidem.

Communior tamen & verior est responsio negativa de omnibus. Probatur: quia id fieret potestate vel spirituali vel temporali. Non spirituali, quæ ne quidem Ecclesiæ, nedum Principibus in illos competit, ut jam probatum est: nec temporali, quæ non extendit se ultra finem suum, temporale subditorum bonum, & concordiam, ac media ad illum necessaria; quale non magis est audire, quàm profiteri fidem. Imò ejusdem rationis sunt illa duo; adeò ut aliquibus locis audire, censeatur etiam profiteri veram fidem, ut in Angliâ: atqui etiam subditi non possunt directè cogi ad profitendam, ergo nec ad audiendam fidem: ad neutrum ergo cogi poterunt, nisi indirectè, juxta sequentem conclusionem.

Possunt indirectè.

Dico secundò: Possunt tamen infideles, præsertim subditi Principibus Christianis, cogi ad fidem indirectè. Est communis & certa. 234.

Probatur, & explicatur ex Gregorio lib.7. epist.30. lib.4. epist.6. item lib. 3. epist. 26. & refertur c. Jam verò 23. quæst.6. Potest Princeps

ceps haud dubiè suis subditis, etiam infidelibus, imponere tributum, idque infimum, medium, vel summum, quod rigorosum vocant, scilicet, intra latitudinē justi; ergo prudenter pieque, ut monet Pontifex citatus, illud moderabitur, ita ut à conversis ad fidem, vel etiam audientibus exigat tantùm infimum, vel medium; ab obstinatis in infidelitate rigorosum: quod tamen absque injustitiâ non potest eo fine excedere, ob rationes præcedentis conclusionis. Ea autem est indirecta coactio, quæ eadem ratione & moderatione usurpari potest in aliis justis oneribus: qualia cùm non possint à Principibus imponi nisi subditis, dixi in conclusione, *præsertim subditis*.

235. *Etiam nō subditi.* Adverte tamen, esse præterea modum alium cogendi indirectè etiam non subditos; vel conversis præstando gratuita alia beneficia, negando aliis: vel etiam eâ conditione permittendo certo loco habitationem, ut prædicationem audiant. Cùm enim Principes Christiani non teneantur illos intra fines suos admittere, vel etiam fortè ob alias justas causas admissos possent expellere; justè, piè ac prudenter vel non admittent, vel non tolerabunt admissos, nisi eâ conditione.

Alterutrâ vel utraque causâ modoque Romæ Judæi ab ipso Summo Pontifice coguntur audire Concionatorem Christianū: quod exemplum expediret ut imitarentur omnes Principes Christiani, qui Judæos aliosque infideles in suis ditionibus tolerant.

236. Denique juxta hanc conclusionem intelligenda & moderanda sunt, quæ objiciuntur contra primam; nominatim illud Lucæ 14. *Compelle intrare,* si de infidelibus ac ingressu in Ecclesiam explicetur. Augustinus epist. 48. & 50. agit de compulsione directâ, sed hæreticorum ac schismaticorum, de quibus cum eodem agam capite sequenti. Veriùs tamen Christus non agit ibi de compulsione corporali per pœnas externas, sed maximè spirituali ad statum gratię per internam gratiam efficacissimam, adjunctam signis & miraculis; quanta ad complendum numerum electorum dabitur sub finem mundi, dataque fuit etiam Paulo, similiter compulso & coacto intrare, ut dicit Augustinus citatus, & refertur c. Schismatici. 23. quæst. 6.

237. *Infideles conversi non liberantur à legibus suorum Principum.* Dico tertiò: Infideles, dum convertuntur ad fidem, non liberantur à legibus & obedientiâ Principum suorum, quamvis infidelium. Est communis & certa.

Probatur ex dictis superiore capite, conclusione 1. primò auctoritate Apostolorum ibi citatorum, qui scribunt fidelibus subditis Principum infidelium. Secundò ratione, quia nec fides nec justitia exstinguit, sed potiùs perficit obligationem naturalem erga legitimos Supe-

Superiores ac Principes, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 10. artic. 10. qui tamen rectè addit, non esse de novo instituendum dominium, seu prælationem infidelium super fideles, scilicet, ob pericula jam indicanda.

Quod verò hac conclusione dicitur de subditis erga Principem, eadem ratione dicendum de servis seu mancipiis erga dominos, juxta Apostolum ad Eph. 6. *Servi obedite dominis carnalibus, sicut Christo*; & à fortiori de filiis erga parentes; qui, quamvis infideles, non privantur patriâ potestate erga filios fideles.

238. *Non possunt subditi ob fidē durius tractari.* Adverte tamen, nec parentes, nec dominos, nec Principes infideles posse subditos suos durè tractare, & punire propter fidem, nec ejus exercitium aut professionem impedire: aliàs ipsi puniri possunt, imò & privari suâ potestate, scilicet, directè propter injuriam subditis fidelibus, vel missis Prædicatoribus illatam; indirectè ob infidelitatem, ad quod nullâ opus est jurisdictione in ipsos tanquam subditos. Quod confirmatur exemplo conjugum, 1. Cor. 7. quorũ si unus convertatur ad fidem, possitque cum altero infideli habitare sine injuriâ Creatoris, non potest ab eo separari: secùs si non possit. Si eâ de causâ dissolvi possit vinculum matrimonii, & potestas conjugis illi annexa, multò magis Principis, domini, ac patris. Atque ita ob ejusmodi pericula plerumque sequentia, utroq; Jure statutum fuit, ne fideles servi essent infidelium. c. Judæi. De Judæis. L. unicâ, Ne Christianũ mancipium. Cod. Concilium item Tolet. IV. can. 59. & refertur c. Judæorũ filios. 28. quæst. 1., decrevit, ut infantes baptizati eriperentur infidelibus parentibus, quamvis ob illam ipsam causam verius sit, extra periculum mortis, quo illa cessat, absque eorum consensu baptizari non posse, scilicet licitè, etsi certò possint validè.

Denique ob eandem causam ac finem Alexander VI. Regibus Castellæ ac Lusitaniæ distribuit certis limitibus regiones Indiæ Orientalis & Occidentalis, quibus fidem propagarent, ac fideles & Prædicatores ab injuriis vindicarent, etiam bello, si res exigeret.

CAPUT XXV.

An omnes hæretici possint frui libertate conscientiæ, ac salvari in suâ fide.

Referunt Historici, Eusebius lib. 5. cap. 13. & Nicephorus lib. 4. cap. 29. fuisse quendam Apellem, qui diceret, non modò non puniendos hæreticos, sed neque cum illis disputandum inquirendo rationem fidei, aut perturbandam eorum conscientiam; sed permittendos vivere suâ conscientiâ fideque, quòd sufficeret eos credere in Christum crucifixum. Quem 239.

ferè errorem nostro tempore resuscitavit Georgius Cassander, qui libro de Officio pii viri docet, piè scilicet, inveniendam rationem pacis inter Catholicos, Lutheranos & Calvinistas, & interim singulis permittendam libertatem conscientiæ ac fidei; modò recipiant Scripturam & Symbolum. Conformis est hic error opinioni exemploque Ethnicorum, quasvis sectas & sententias Philosophorum admittentium, quod de urbe Româ testatur Leo Serm.1. de SS. Petro & Paulo: *Hæc autem civitas ignorans suæ protectionis auctorem, cùm præ omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus; & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* Socrates lib.4. Hist. cap.27. narrat, Themistium Philosophum conatū fuisse persuadere Valenti Imp. Deo gratam esse sectarum varietatem; quia nimirum sic variis modis coleretur, plurisque fieret, quò nosceretur difficiliùs. Ejusdem animi ac sententiæ videntur fuisse, qui, ut suprà retuli, etiam armis hoc nostro Belgio & alibi conscientiæ fideique libertatē sibi vindicandam putarunt. Nec multum videntur ab eâ sententiâ abhorrere multi nostri temporis Politici, aut molles Calvinistæ, vel etiam Catholici. Secundus de hac libertate error est, saltem non esse hæreticos eorumque conscientiam in negotio fidei cogendam pœnis sive spiritualibus, sive temporalibus. Id sensit Lutherus art. 33. & ante illum Joannes Hus, ut constat ex Concilio Constantiensi sess. 15. & ante utrumque Donatistæ, contra quos agit Augustinus lib.1. contra epistolam Perminiani cap. 7. lib. 2. contra epist. Petiliani cap. 10. & epist.48. ad Vincentium. 50. ad Bonifacium comitem. Idem videtur sentire Auctor Problematū Saxonicorum per Germaniam sparsorum anno 1631. Problem.9. & 10. Duo isti errores nituntur diversis principiis, quare sigillatim refutandi sunt.

240. Nota, triplici modo posse permitti aliquod peccatum, in casu nostro hæresim. Primò, ita positivè, ut illa foveatur, sicut verè fovetur primo errore, si non improbetur, imò laudetur quies conscientiæ hæreticorum. Secundò ita negativè, ut ipsa quidem non impediatur, sed tamen puniatur: quâ ratione Deus & hæresim & omnia peccata permittit, sed tamē punit. Tertiò ita ut nec impediatur, nec puniatur, nec tamen foveatur: quâ ratione permittuntur à Magistratibus usuræ & lupanaria. Primo & tertio modo posset dici dari hæreticis libertas conscientiæ, non secundo. De primo errore, ac permissione hæresis, agam hoc capite; de secundo errore, & secundâ ac tertiâ permissione, capite sequenti.

Triplici modo permittitur hæresis.

241. Suppono autem, quod non tantùm Catholicis, sed & hæreticis certissi-

Nemo salvatur sine fide Christi. certissimum est, neminem salvari sine fide Christi, juxta Apostolum ad Hebr.11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Aliàs, ut idem argumẽtatur ad Galat.2. si per legem justitia, multoque magis, si per Turcismum, aut idololatriam, absq; cognitione fideque Christi, *ergo gratis*, id est, frustrà, *Christus mortuus est*. Addo eadem ratione, ergo frustrà venit in hunc mundum, frustrà prædicavit Evangelium suum, frustrà passus & crucifixus est. Nec tantùm Christus, sed frustrà Martyres pro ejus fide tot tormenta subierunt; sanguinem suum & vitam profuderunt; frustrà item Apostoli & Patres pro eadem asserendâ & defendendâ laborarunt. Prætereà, aliàs imponit nobis Scriptura, quæ Christum nobis proponit ut redemptorem, Salvatorem, ac mediatorem; ita ut non sit aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri; Act.4.

Verum tamen est, quod dicam Lib.5.cap.9. aliquos laborare ignorantiâ fidei invincibili. Quare nulli damnantur, nisi ignorantiâ & negligentiâ vincibili fidem ac salutares instinctus rejecerint, aliáve crimina commiserint reclamante propriâ conscientiâ. Quare nequidem illis denegatur auxilium ad salutem ac fidem sufficiens.

242. *Nulli hæretici salvantur in suâ fide.* Respondeo jam ad quæstionem propositam omnino negativè, scilicet, ne quidem ullos hæreticos in suâ fide salvari, aut frui posse libertate conscientiæ. Est certissima & communissima, quam scripto de eâ libro defendit Joannes à Lovanio; imò & hæresiarcha Calvinus, nec non Beza. Probatur pro nostro instituto breviter; primò auctoritate Scripturæ, ac D. Pauli ad Titum 3. *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionẽ devita, sciens quia subversus est qui hujusmodi est, & delinquit, quia proprio judicio condemnatus est.* Nisi hæresis impediret salutem, non juberet Apostolus hæreticum devitari: &, si ipse posset salvari, ac frui libertate ac securitate conscientiæ, non diceret esse subversum, & condemnatum.

Probatur deinde ratione; primò, desumptâ ex Scripturâ: quia fides, sine quâ impossibile est placere Deo, una est. *Unus*, ait idem Apostolus ad Ephes.6. *Dominus, una fides, unum baptisma.* atqui certum est, hæreticos Lutheranos, Calvinistas, aliosque non habere, vel inter sese, vel cum Catholicis unam communemque fidem; cùm credant maximè contraria, seque invicem damnent hæreseos; ergo impossibile est ut singuli in suâ fide Deo placere, ac salvari, adeoque liberi ac securi in suâ conscientiâ esse possint. Illi itaque soli salvari poterunt, & frui verâ libertate conscientiæ, qui unam illam veramque fidem habent, scilicet, Catholicam. 243. *Fides necessaria ad salutẽ est una.*

Confirmatur: si ad unitatem fidei nostræ sufficeret quomodo-

 cumque

cumque in Christum credere, & quidem crucifixum; nulli non hæretici salvari potuissent: Ariani, qui Filium Patre crediderunt minorem, nec consubstantialẽ; Macedoniani, qui Filio crediderunt minorem Spiritum sanctum; Pelagiani, qui negarunt peccatum originale & necessitatem gratiæ; Donatistæ, qui dixerunt Christi Ecclesiam ubique periisse, nisi apud se; Novatiani, qui lapsis negarunt pœnitentiam; Montanistæ, qui Montanum colebant ut Paracletum; & tot alii, qui non minùs in Christum crediderunt quàm hæretici nostri temporis. Omnibus autẽ omnium temporum hæreticis cælum aperire, nimis haud dubiè laxum & absurdum est, etiam testimonio ipsius Christi Matth. 13. qui zizania superseminata in medio tritici (quibus maximè significantur hæretici) jubet comburi.

244. *Multæ hæreses circa unũ Christum.* Probatur secundò: quia etsi dicant se credere in Christum, non credunt tamen verè in illum qualis est, sed qualem sibi fingunt. Alii distinguunt Christum à Jesu; & hunc dicunt purum hominem, illum Deum, ut Cerinthus. Alii credunt illum purum hominem, ut Ebionitæ & Nestoriani. Alii hominem mutatum in Deum, ut Eutychiani. Alii ne quidem verum hominẽ, ut Cerdonistæ ac Priscillianistæ. Alii verum quidem, sed alius rationis quàm nos sumus, cælestem hominem, ut Valentiniani & Gnostici. Alii quamvis creditum hominem, privant illum intellectu humano, ut Apollinaristæ. Alii humanâ voluntate, ut Monothelitæ. Alii credunt verum ejusdem naturæ nobiscum hominem, sed tamen non verè sed phantasticè passibilem, ut Severiani. Alii non tantùm verè passum, sed expertum damnatorum pœnas, ac in cruce desperabundum, ut Calvinistæ. Alii redemptorem, sed non legislatorem, ut nostri temporis hæretici citati cap.22. Alii denique ubique præsentem, ut Ubiquistæ. Alii nusquam nisi in cælo, ne quidem in Eucharistiâ, ut iterum Calvinistæ. Qui sic ipsum Christum transformant, dividunt, mutilant, quid mirum si eodem modo tractent ejus verbum Scripturam, ac Symbolum Apostolorum; etsi dicant se utrumq; admittere? Nimis longum esset id ostendere, nec necessarium, quia satis clarum. Unum propono exemplũ Libertinorum, qui, ut suprà retuli, admittebant quidem Symbolum & communionem Sanctorum, sed eam sic interpretabantur de bonis temporalibus, ut liceret ex illis cuique rapere quantum vellet. Addo alterum Lutheranorum & Calvinistarum, etiam admittentium Symbolum & ejus articulũ, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam,* quam tamen dicunt defecisse à sponso suo Christo; adeoque factam adulteram, &, quasi eam puderet facti, multis sæculis

culis latuisse absconditam, & invisibilem, nescio ubi terrarum. Quo, quæso, sensu tunc credi & dici debuit, *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam?* & quis non hæreticorũ probavit suam hæresim ex Scripturis simili aliquo sensu explicatis? Itaque verè non admittunt Scripturam & Symbolum secundùm genuinum à Spiritu sancto intentum sensum, quasi animam utriusque; sed tantùm verba suo sensu distorta quasi corpus inanime.

245. Ex quibus necessariò & evidenter sequitur, non posse sufficere ad salutem fidem ejusmodi, quâ quomodocumque credatur in Christum, & admittatur Scriptura & Symbolum: neque potest ea esse Catholica & divina; requiritur ergo fides quâ credantur quæ verè Deus revelavit verbo suo, vel scripto, id est, Scripturâ sanè intellectâ, vel etiam tradito, seu traditione. *Debent credi multa explicitè.* Multa in-primis explicitè, etsi aliqua non exprimantur Scripturâ & Symbolo, qualia tamen suo Symbolo comprehendit Athanasius, cùm dixit. *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterq; crediderit, salvus esse non poterit.* *Omnia implicitè.* Deinde omnia implicitè seu præparatione animi parati credere, quæcumque legitimè nimirum per veram Ecclesiam proponentur tanquam à Deo revelata: quod non faciunt, nec fide divinâ possunt facere hæretici, quamdiu vel in uno rejiciunt auctoritatem & Ecclesiæ proponentis, & Dei revelantis, scilicet pertinaciter, quod ad hæresim requiritur. Si enim illa vel in uno falleret, in aliis quoque fallere posset. Quare de iis sententiam tulit ipse Christus Joannis 3. *Qui non credit, jam judicatus est:* atqui nulli hæretici credunt, scilicet verâ & divinâ fide, ergo omnes judicati sunt, nec poterunt salvari, nisi convertantur.

246. *Nemo salvatur nisi in verâ Ecclesiâ.* Probatur conclusio tertiò, & evertitur fundamentum contrarii erroris: quia nemo potest esse securus in conscientiâ, & sperare æternam salutem, nisi in verâ & Catholicâ Ecclesiâ, extra quam non est salus magis animabus, quàm extra arcam Noë (Ecclesiæ typum) corporibus tempore diluvii. Quod communi consensu docent Catholici, Patres, atque etiam hæretici: atqui nulli hæretici sunt in Ecclesiâ, seu ejus membra, ergo nulli possunt salvari nisi ad eam redeant.

Probatur minor primò ex jàm dictis & Apostolo ad Ephes. 2. *Ergo jam non estis hospites & advenæ, sed estis cives Sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentũ Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* *Hæretici nõ nituntur fundamento Ecclesiæ invisibili.* Fundamentum illud est fides, scilicet vera ac divina in Christum, revelata Apostolis & Prophetis: quam etiam constat aliunde totius ædificii spiritualis primum fundamentum ac basim esse: atqui, ut jam

 ostendi,

ostendi, nulli hæretici innituntur illi fundamento, idque eo ipso quo hæretici sunt; ergo nulli sunt cives sanctorum, seu Ecclesiæ, ac domestici Dei, neque partes spiritualis ædificii; sed omnes hospites & advenæ, & partes ac fragmenta à spirituali ædificio ac mystico corpore avulsa.

Neque visibili.

Secundò probatur minor: quia ut non innituntur fundamento invisibili fidei jam dicto, ita neque visibili, quod ipse Christus jecit, seu petræ super quam ædificavit Ecclesiam suam, Matth. 16. quæ est ipse Petrus, adeoque ejus successor Pontifex Romanus. Primò, quia secundùm textum Syriacum Christus eodem verbo *cephas*, quod significat petram, utitur, cùm dicit, *Tu es Petrus* seu cephas, & cùm addit, *super hanc petram* seu cepham: quare sine ineptâ Christoque indignâ æquivocatione cephas priori loco non potest esse Petrus, posteriori Christus, ut dicunt hæretici; sed utroque loco debet esse idem cephas, id est, Petrus. Secundò, quia Joannis 1. ideò Christus mutavit ejus nomen: *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis cephas*: quod interpretatur Petrus, seu quod idem est, petra, Græcè enim tam πέτρος quàm πέτρα *saxum* significat. Frustrà etiam Christus indidisset illi hoc nomen, nisi contulisset nomini respondentem potestatem & officium. Unde argumentor: Qui non innititur huic Petræ & fundamento, seu, quod in idem recidit, qui non subest universali Ecclesiæ Capiti, Vicario Christi, non potest esse membrum Ecclesiæ; quemadmodum non potest esse membrum Regni Hispaniæ, qui Regi Hispaniæ non subest: atqui nulli hæretici innituntur illi petræ aut subsunt illi Capiti, ut ipsi facilè fatebuntur; ergo nulli sunt mẽbra veræ Ecclesiæ.

Prætereà, nulli sunt oves Christi, 247
seu ex ejus ovili Ecclesiâ, qui non pascuntur à Petro, ejusque successore. Illi enim dixit Christus, & quidem ter, ex hoc mundo discessurus; *Pasce oves meas*, Joannis 21. scilicet, omnes suo absentis loco: ubi clarè omnes comprehendit, cùm nullas excludit, iis præsertim circumstantiis: atqui nulli hæretici volunt pasci ab illo Pastore; ergo omnes seipsos ab illo ovili segregant, verè oves errantes.

Ex quibus sequitur, ipsos etiam Reges, si velint esse membra veræ Ecclesiæ, comprehendendos sub numero ovium, eidemque fundamento inniti debere; atque adeò ipsos non esse caput aut fundamentum Ecclesiæ.

Confirmantur hæc omnia: quia vel solo naturæ lumine deprehendi potest, ut unus est Deus, ita debere esse unam fidem ac religionem, atque adeò Ecclesiam, quâ legitimè Deus colatur. Ergo eodem lumine falsum apparet, quemque in suâ religione Deo servire, animamque suam salvare posse.

Argu-

Argumentor ulteriùs: Una illa & vera Ecclesia, non potest esse Lutherana, vel Calvinistica, multò minùs Libertina, ut ita dicam, vel Politica hominum magis Politicorum, ne dicam Atheorum, quàm Christianorum, ut etiam aliunde satis manifestum est, ergo est Catholica & Romana.

248. *Nemo potest frui libertate conscientiæ nisi in verâ Ecclesiâ.* Ex dictis collige, neminem frui posse libertate conscientiæ fidei-que, nisi in verâ Catholicâ ac Romanâ Ecclesiâ, extra quam omnis ejusmodi libertas nimis est temeraria & perniciosa; quâ tanquam dulci veneno sopiti homines rectà ducuntur in æternam servitutem. Neque potest esse in Catholicâ Ecclesia, qui caret Catholicâ fide, ut item ex dictis constat. Optimè Cyprianus Libro De Unitate Ecclesiæ cap. 5. *Cohærere & conjungi non potest amaritudo cum dulcedine, pugna cum pace, cum tranquillitate tempestas, caligo cum lumine, juxta illud Pauli: Quæ societas luci ad tenebras?*

Concludo hoc argumentum & caput verbis S. Fulgentii ad Petrum Diaconum, cap. 38. qui ex mente Patrum totiusque Ecclesiæ, *Firmissimè*, inquit, *tene, & nullatenus dubites, non solùm omnes Paganos, sed etiam omnes Iudæos, hæreticos atque schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Et cap. 39. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet hæreticorum, sive schismaticorum, in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascumque eleëmosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari. Omni enim homini, qui Ecclesiæ Catholicæ non tenet unitatem, neque baptismus neque eleëmosyna, quamlibet copiosa, neq; mors pro Christi nomine suscepta, proficere poterit ad salutem, quamdiu in eo hæretica vel schismatica pravitas perseverat, quæ ducit ad mortem.*

CAPUT XXVI.

Quæ libertas conscientiæ concedenda hæreticis & apostatis, seu quomodo illi cogendi ad fidem.

AGimus hîc de libertate quadã non tantùm internâ quidlibet credendi, sed etiam externâ, sitâ in professione cujuslibet fidei vel sectæ, ejusq; externo exercitio; cui opponitur externa coactio per externas pœnas. 249.

Nota, Apostatam, quatenus ab hæretico distinguitur, dici illum, qui è Catholico fit idololatra, Judæus, vel Turca.

250. *Iustè hæretici & apostatæ coguntur ad fidem Catholicã directè, & puniuntur supplicio mortis.* Respondeo & dico: Justè hæretici & apostatæ coguntur etiam pœnis temporalibus ad professionem fidei Catholicæ, scilicet directè, non tantùm indirectè. Imò justè item puniuntur supplicio mortis. Est certa & communis Catholico-

tholicorum; imò & Calvinistarum, quorum parens Calvinus etiam scripto libro eandem propugnavit, postquam ipse reipsâ Michaelem Servetum, tanquam hæreticum morte damnavit. Dixi, *justè*, scilicet, nisi obstet aliquod pactum, fœdus aut promissio. Imò etsi nil simile obstet, nihilominùs, juxta dicenda sequenti capite, prudentiùs sæpe ab ejusmodi coactione & pœnis abstinetur, iis præsertim regionibus, quibus hæretici jam habitant Catholicis permixti.

Probatur jam Conclusio primò ex Scripturâ. Antiquo Testamento pœna capitis Dei ipsius imperio statuta fuit, & sæpiùs inflicta idololatris & apostatis, Levitici 20. Num.25. & Deuteron.13. *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, ut servias diis alienis, statim interficies eum.* c.17. postquam jusserat in dubiis consuli summum Pontificem, *Qui*, ait, *superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, & decreto judicis, morietur homo ille.* Imò cap.18. *Propheta autem qui arrogantiâ depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, interficietur.* Saltem hæretici comparari possunt ejusmodi falso prophetæ. Si istæ leges justæ fuerint in antiquo Testamento, quamvis cessarunt jam, quia judiciales, ergo similes erunt justæ etiam in novo, in quo habemus etiam, eum qui Ecclesiam non audierit, habendũ sicut ethnicum & publicanum. Itaque tradi poterit puniendus potestati & brachio sæculari, cui etiam nunc jus gladii competere testatur Paulus ad Rom.13. *Non enim sine causâ gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Prætereà hæretici dicuntur falsi prophetæ, lupi rapaces, Matth.7. & Act.20. fures & latrones, Joannis 10. Ipsi vel eorum sermo comparantur cancro, 2. ad Timoth. 2. Itaque sicut culpâ noxâque, ita pœnâ ac supplicio possunt esse similes rebus jam dictis, quas constat ferro & igni repelli & exuri. Idem probari potest à pari vel fortiori, ex Apost. 1.Cor.5. argumento Augustini epistolâ illâ 48. & alibi, Minus est tradere aliquem hominibus, quàm satanæ: atqui Apostolus citatus hominem tradidit satanæ; ergo licet hæreticos hominibus seu potestati sæculari, videlicet castigandos. Ubi Augustinus supponit, quod verum est, majorem esse pœnam excommunicationis, quam ibi infligit Apostolus, quavis corporali.

Pœna excommunicationis major quavis corporali.

Probatur secundò ex utroque Jure ac praxi Ecclesiæ. Cap. Ad abolendam. c. Excommunicamus. De hæreticis. c. Super eo. eodem. in 6. quibus capp. Ecclesia statuit, hæreticos, præsertim incorrigibiles, tradendos potestati sæculari ab eâ pro meritis castigandos: quod reverà fecit Concilium Constantiense, tradens illi Joannem Hus & Hieronymũ de Pragâ ab eadem

combu-

combustos. Idem Concilium sessi-on.15. damnat contrarium errorē Joannis Hus, ut Lutheri, Leo X. Jus item civile cap. De hæreticis, variis variorum Imperatorum decretis ac legibus mulctat eos nunc pœnâ pecuniariâ aliquot librarum auri, nunc bonis omnibus, nūc verberibus, nunc exilio, nunc extremo supplicio. L. Manichæos, L. Arriani, L. Quicumque. *Vltimo etiam*, inquiunt hac L. Imperatores Valentinianus & Martianus, *supplicio coerceantur, qui illicita docere tentaverint. Eos verò qui discendi studio adierint de infaustâ hæresi disputantes, decem librarum auri dispendium subire jubemus.* Ante has leges Constantinus I. Imperator Arium cum sociis relegavit in exilium, petente Synodo Nicenâ: imò Donatistas supplicio extremo affecit, teste Augustino citato contra Epistol. Parmeniani. Nec laborandum est, ut hanc Catholicorum Principum consuetudinem probemus hæreticis, qui majori severitate sæviunt in ipsos Catholicos.

251. Probatur tertiò ex Patribus: Cyprian. lib. De exhortatione martyrii, cap. 5. qui postquàm probavit ex Deuteronomio citato, pseudo-prophetas necandos esse, subjungit: *Si hoc in Testamento veteri fiebat, nunc magis faciendum esse.* Similiter Optatus Milevitanus libr. 3. hæreticis conquerentibus duos è suis occisos à Macario Præfecto, *Videtis*, inquit, *à Mose, Phinee, Heliâ & Macario similia esse facta, quia ab omnibus unius Dei vindicta processit.* Hieronymus in illud Galat. 5. *Modicum fermentum totam massam corrumpit*, ait: *Igitur scintilla statim ut apparuit extinguenda est; & fermentum à massa viciniâ semovendum; secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal à caulis ovium repellendum.* Post pauca: *Arius una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est.*

Idem ostendit copiosè locis suprà citatis, quamvis antè aliter senserat, Augustinus, quod retractat lib. 2. Retract. cap. 5. ubi assignat causam prioris sententiæ: *Quia nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas; vel quantum in eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ.* Ceterum ep. 50. agens de legibus Imperatorum contra hæreticos, longè aliam fert de iis sententiam: *Propter misericordiam Christi magis pro eis sunt istæ leges, quæ illis videntur adversæ: quoniam multi per illas coacti sunt, & quotidie corriguntur, & se esse correctos, atque ab illâ furiosâ pernicie liberatos, gratias agunt.* Iterùm: *Vnde magna in eos fit misericordia, cùm etiam per istas Imperatorum leges ab illâ sectâ, ubi per doctrinas dæmoniorum mendaciloquorum mala ista didicerunt, priùs eripiuntur inviti, & in Catholicâ posteà bonis præceptis & moribus serventur assueti.* Eâdem epistolâ affert & solvit argumentum hæreticorum etiam nostri temporis. *Vbi*, inquit, *est quod*

isti clamare consueverunt, liberum est credere vel non credere? Cui vim Christus intulit? quem coëgit? Respondet: *Ecce habent Paulum Apostolum, agnoscant in eo priùs cogentem Christum, & posteà docentem; priùs ferientem, posteà consolantem. Mirum est autem, quomodo ille, qui pœnâ corporis ad Evangeliũ coactus intravit, plus illis omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in Evangelio laboravit: & quem major timor compulit ad caritatem, ejus perfecta caritas foras misit timorem.* Quibus ipsemet Augustinus solvit argumentum adversariorum, quòd nimirum pœna externa, ejusque metus, non cogat immediatè ad actum fidei, sed hominem disponat salubri timore, ut de eâ seriò cogitet, juxta illud: Vexatio dat intellectum. Quam dispositionem sequitur Christi doctrina & consolatio, quibus liberè actus fidei elicitur, ut de Paulo dixi suprà. Subjungit deinde Augustinus: *Cur ergo Ecclesia non cogeret perditos filios, ut redirent, si perditi filii coëgerunt alios ut perirent?* scilicet, simili aliquâ coactione morali, quæ libertatem non adimat. Paulò pòst: *An non pertinet ad diligentiam pastoralem, etiam illas oves, quæ non violenter ereptæ, sed blandè leniterq; seductæ à grege aberraverint, & ab alienis cœperint possideri, inventas ad ovile Dominicum, si resistere voluerint, flagellorum terroribus, vel etiam doloribus revocare? præsertim, quoniam si apud fugitivos prædones, servos, fœcunditate multiplicentur, plus habet juris quòd in illis Do*minicus character agnoscitur, qui in eis, quos suscepimus, nec tamen rebaptizamus, minimè violatur? sic enim error corrigendus est ovis, ut non corrumpatur signaculum Redemptoris.* Quibus assignat veram causam differentiæ inter infideles ac Iudæos, de quibus superiori capite, & hæreticos & apostatas. Eâdem rursum epistolâ respondet Donatistis idem petentibus, cum Auctore Problematum citatorum, probl. 10. cur Christus & Apostoli non fuerint usi similibus modis convertendi hæreticos bello, gladio, exiliis. *Quod enim dicunt qui contra suas impietates leges justas constitui nolunt, non petiisse à Regibus terræ Apostolos talia; non considerant aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat Imperator, qui & pro pietate contra impietatem leges ferendo serviret?* Ut autem ostendat, etiam hanc curam pertinere ad Reges ac Principes, subdit: *Quis mente sobrius Regibus dicat: Nolite curare in regno vestro, à quo teneatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri: non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse sive religiosus sive sacrilegus; quibus dici non potest, non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit pudicus esse, quis impudicus? cur enim, cùm datum sit divinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur? An fidem non servare levius est animam Deo, quàm fœminam viro?* Ubi per sacrilegia intelligit hæresim & apostatiam.

Pœna externa non cogit aut necessitat ad ipsum actum fidei.

[...]stasiam. Idem argumentum prosequitur totâ illâ epistolâ, quam scribit de moderatè coërcendis hæreticis, ut & 48. quam scribit de vi corrigendis hæreticis. Tam luculentum tanti Patris testimonium instar multorum est: quare non adjungo aliorum Patrum, nominatim Bernardi Sermone 66. Leonis epist. 91. qui expresè agunt de supplicio mortis, & Gregorii 72. ad Gennadium Exarchum, quem laudat & hortatur, ut pergat armis hæreticos persequi.

252. Probatur jam ratione, quia nec deest Ecclesiæ potestas ac jurisdictio in hæreticos & apostatas; & sunt justissimæ rationes eâ utendi, scilicet, cogendo pœnis, & præsertim incorrigibiles puniendo morte; ergo non tantùm id licet justè, sed sæpè expedit prudenter.

Hæretici non sunt membra Ecclesiæ, sed subditi.

Probatur major, quia etsi hæretici & apostatæ non sint cives, incolæ, & membra Ecclesiæ, ideóque incapaces communionis Sanctorum seu communicationis spiritualium ejus bonorum ac suffragiorum; necessariò tamen ratione characteris ac Baptismi, manent ejus subditi. Idem est, si dicas; non spectant ad Ecclesiam facto, sed jure. Itaque qui indissolubili illo vinculo semel se Ecclesiæ obstrinxit per Baptismum, etsi ab eâ se segreget, non minùs manet ei obstrictus, quàm post matrimonium vxori maritus, quamvis adulter post professionem religiosus, quãvis apostata; post juramentum milites, quàmvis fugitivus.

Ob quas rationes cogendi hæretici.

Probatur jam minor: tres maximè rationes ejusmodi coactionem honestant ac justificant: primò, rei ipsius correctio ac emendatio, secundò exemplum aliorum, tertiò ipsius Reipublicæ læsæ satisfactio. Illæ omnes hîc concurrunt. Prima, ut docet experientia, etiam probata S. Augustino locis citatis. *Ad spirituale*, inquit de hæreticis S. Leo citatus, *nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium.* Secunda, quia quod de aliis criminibus, æquè vel magis dicendum de hæresi, *quòd publicæ utilitatis interest, ne crimina maneant impunita, & per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerant, nequiores:* quæ sunt verba c. Ut famæ. De sententia excommunicationis. Rationem hujus ulteriorem affert Aristoteles lib. 10. Ethic. cap. 9. *Plerique enim*, ait, *necessitati potiùs quàm rationi, & multis quàm honestati obediunt.* Quæ ratio fortior est in hæresibus nostri temporis, quæ blandiùs & efficaciùs alliciunt incautum vulgus, quia totæ sensuales. Tertia ratio in hoc etiam crimine hæreseos valet, si in ullo: *quia quod in Religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam*: quæ sunt verba Theodosij Imperatoris L. Manichæos, citatâ; itaque injuria publica omnibus, seu toti Reipublicæ illata, publicâ etiam pœnâ reparanda est. Ubi adverte, eandem inflictionem pœ-

næ, si, vel quatenus fit primo motivo, dici coactionem, vel etiam emendationem ac correctionem; si secundo, ac præsertim tertio, punitionem, castigationem seu vindictam.

Confirmantur hæc omnia duplici ratione. Potest cõsiderari hæresis, primò quatenus est præcisè offensio Dei; secundò quatenus prætereà offensio, ac læsio, & perturbatio Reipublicæ, ac publicæ pacis. Prius habet commune cum omnibus peccatis, ejusque vindictam sibi Deus reservavit: posterius cum aliquibus tantùm, verbi gratiâ, adulterio, furto, latrocinio, rebellione, & similibus, ejusque punitio spectat ad Magistratus; quia planè commensurata est eorum potestati, imò necessaria ad hujus finem. Multò enim magis utramque Rempublicam, Ecclesiasticam & politicam, perturbat hæresis, quàm alia peccata, quorum etiam ipsa causa est, nominatim rebellionis contra legitimos Magistratus ac Principes: quod utinam non doceret nos experientia hoc nostro Belgio, Germaniâ, Galliâ, aliisque regionibus!

253. Petes, utri Magistratui illa potestas conveniat, Ecclesiastico vel politico, seu Pontifici ac Episcopis, vel Regibus ac Principibus. Marsilius Patavinus, & Guilielmus Barclaius putarunt, Magistratui Ecclesiastico tantùm competere potestatem puniendi armis spiritualibus: sed certò errant.

Potestas cogendi convenit Magistratui Ecclesiastico & politico.

Respondeo itaque, competere utrisque: Regibus quidem ac Principibus, ob causas jam dictas, quia hæresis quàm maximè perturbat pacem etiam politicam; tum quia ipsi sunt protectores Ecclesiæ, quam directiùs illa impetit; Præcipuè tamen Pontifici ac Episcopis, quod facilè probatur. Primò vel ex ipso verbo officioque Pastorum (quod ipsis ordinario jure competit) & pascendi, quod ter Petro quatenus Pontifici tribuit Christus. Pascere enim, sive sic dicatur Latinè, sive ποιμαίνειν Græcè, quo ipso verbo usus est Joãnes, sive רָעָה Hebraicè, significat plenã potestatẽ regendi, scilicet non tantùm directivam, sed & coactivam per quasvis pœnas ad ejus finem accommodatas. Ita de ipso Deo dicitur Psal. 79. *Qui regis* vel *pascis Israël.* Eadem potestas ipsi Christo clarè tribuitur, & significatur virgâ ferreâ Psalm. 2. quâ usus est ipse, ut notarunt Patres, Joann. 2. cùm vendentes ejecit è templo, Petrus autem Act. 5. mulctando morte Ananiam & Saphiram: imò & Paulus, ut putat Divus Thomas, aliique, 1. Cor. 5. ubi incestuosum tradidit satanæ, etiam corporaliter puniendum; quod indicant verba, *in interitum carnis.*

Probatur secundò ex Jure Canonico; quia Bonifacius VIII. Extrav. Unam sanctam. De majoritate & obedientiâ, ex professo probat, 254.

bat, unam esse Ecclesiam, extra quam non sit salus, illique competere duplicem gladium, spiritualem & materialem, id est, potestatem puniendi pœnis spiritualibus & temporalibus. Quod explicat Pontifex ferè verbis S. Bernard. De consideratione ad Eugenium lib. 4. cap. 3. *Certè*, inquit, *qui in potestate Petri temporalem potestatem esse negat, malè verbum attendit Domini proferentis: Converte gladium in vaginam. Vterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius & materialis, sed is quidem pro Ecclesiâ, alius verò ab Ecclesiâ exercendus. Ille sacerdotis, is manu Regum & militum*. Quibus Pontifex, ut & Bernardus, insuper docent, quod suprà dixi, Ecclesiam gladium materialem, seu potestatem puniendi pœnis temporalibus etiam hæreticos, committere Magistratui, seu brachio sæculari. Præterea c. Ad Apostolicæ. De sententiâ & re judicatâ. cap. 1. De homicidio etiam, in 6. & c. Si vos. 23. quæst. 5. ex Augustino desumptum lib. De unitate Ecclesiæ c. 17. Vnde idem probari posset traditione usuque Ecclesiæ, quam inde constat sæpiùs illâ potestate usam fuisse.

CAPVT XXVII.

An Principes Catholici possint permittere libertatem conscientiæ, ac tolerare hæreticos in suis ditionibus.

NOn obstantibus superiore capite dictis, respondeo & dico: Licitè ac prudenter aliquando Principes Catholici permittunt hæresim, seu tolerant in suâ ditione hæreticos, ubi habitant cum Catholicis permixti, scilicet illo tertio modo capitis 25. In hanc sententiam anno 1565. responsum fuit Philippo II. Hispaniarum Regi à Theologis ab eo convocatis & consultis: quamvis ipse (quia addebant, non debere, etsi posset, in Belgio hæreticos tolerare) flexis coram Crucifixo genibus orarit perpetuam sibi mentem concedi, ne Dominus esse aut dici acquiesceret illorum, qui illum Dominum respuissent. Quod refert Famianus Strada noster de bello Belgico libr. 4. ad dictum annum. Eandem sententiam docet, benéque probat Martinus Becanus Manuali controv. lib. 5. c. 16. contra aliquos Catholicos, qui putant, (*magis*, inquit, *ex zelo, quàm ex scientia*) Principe in nullo casu posse permittere hæresim in suâ Provinciâ; imo potiùs debere vitâ, fortunas, & Principatum amittere. Probatur ex D. Tho. 2. 2. quæst. 10. art. 11. quia alia pecca-

255. *Prudenter aliquando tolerantur hæretici.*

ta, etiam infidelitatis ac Judaismi permitti eo modo possunt, duabus scilicet de causis, vel majoris boni obtinendi, vel majoris mali evitandi: ergo ob easdem causas potest permitti hæresis. Posset duabus illis causis addi tertia, impotentia impediendi, quæ tamen moraliter coincidit cum secundâ; ut si hæretici vel ipsi essent tam potentes, vel confœderati cum aliis, ut timendum esset ab iis periculosum bellum; quod esset majus malum eorum toleratione.

Majoris boni obtinendi, vel mali evitãdi causâ.

Probatur antecedens de primâ causâ; quia permittere, non est facere mala; ergo à bono fine honestari, poterit permittere, etsi juxta Apostolum Rom.3. nunquam facere. Imò illud singulariter spectat ad Dei ipsius providentiam, è malis eo fine permissis bona elicere, imò è summo malo peccati originalis, summum bonum Incarnationis. Nam verisimilius, si Adam non peccasset, Christus in hunc mundum non venisset. Similiter Gen.50. dicit fratribus Ioseph: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum.* Quare optimè Augustinus Enchiridio cap. 27. *Melius judicavit de malis benè facere, quàm mala nulla esse permittere.* Itaque hanc Dei providentiam licebit etiam imitari hominibus.

Probatur idem antecedens de secundâ causâ ex communi Theologorum axiomate, *E duobus malis eligendum est minus*; nimirum, cùm utrumque vitari non potest: tunc enim illud non eligitur, nisi sub ratione boni utilis ad evadendum malum majus. Ita naturali instinctu intentãti vulnus capiti, objicis brachium. Ob eandem causam à Magistratibus permittuntur usuræ, quia aliàs fierent plura furta ac rapinæ; & lupanaria, quia, ut ait Augustinus lib.2. De ordine, cap.4. citatus à D.Thomâ, *aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.*

Probatur jam consequentia primi argumenti: quia causæ illæ ambæ vel singulæ conveniunt etiam hæresi. Prima, quia ex ejus permissione meritò speratur sæpè majus bonum, non tantùm conversionis hæreticorum (quâ ratione Daniel.10. Angelus Persiæ contendebat cum Angelo Judææ, ut Judæi manerent inter Persas, ab ipsis convertendos;) sed majoris fervoris, vivacioris fidei, vigilantioris inquisitionis, & plenioris cognitionis mysteriorum ad fidem nostram spectantium in Catholicis, excitandæ inter ipsos hæreticos piâ quadam æmulatione. Hoc ipsum in nostro Belgio docuit experientia; & indicat Apostolus 1.Corinth.11. *Oportet*, ait, *& hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Quæ hoc sensu explicat Augustinus lib. De verâ religione, cap.8. ubi præter alia, *utamur igitur*, ait, *etiam hæreticis, non ut eorum approbemus errores, sed ut Catholicam*

ticam disciplinam adversus eorum insidias afferentes, vigilantiores & cautiores simus; etiamsi eos ad salutem revocare non possumus. Et paulò antè: *Ex his enim hominibus hæretici fiunt, qui etiamsi essent in Ecclesiâ, nihilominùs errarent. Cùm autem foris sunt, plurimum prosunt, non verum dicendo, quod nesciunt, sed ad verum quærendum Catholicos excitando.*

256. De secundâ causâ non videtur opus probatione, quin, videlicet hæresis, toleratione evadi possit aliquando majus malum, verbi gratiâ, gravis dubiique belli & Catholicis periculosi. Hoc item totâ Germaniâ, viciniśque regionibus satis probavit experientia: quamvis soleant Principes ejusmodi bellis prætextu Religionis ac libertatis conscientiæ, abuti, & tegere veras earum causas, suasque politicas intentiones ad decipiendum & concitandum imperitum vulgus. Ita Josaphat 3. Regum 22. videtur permisisse in regno suo idololatriam, quam posteà factus potentior, ad ejusmodi motus bellaque supprimenda, impedivit & eliminavit, 2. Paralip. 17.

257. *Aliquæ istis causis non possunt tolerari hæretici.* Ex quibus collige, cum Becano, extra dictos casus causasque non posse Catholicum Principem permittere, seu tolerare hæreticos in suâ Provinciâ vel civitate. Itaque peccant illi gravissimè qui vel merâ negligentiâ permittunt illos sensim irrepere, vel spe lucri temporalis eos tolerant, ut solent magna emporia, mercimonii causâ; nec tantùm hæreticos, sed Judæos, Turcas, Mauros: vel qui ratione cognationis, aliòve respectu humano nolunt eos offendere ac impedire. Graviùs haud dubiè peccarent & Principes & Principum Consiliarii, qui præterea positivè eos in hæresi foverent, & faverent, verbi gratiâ, procurando iis majorem libertatem conventiculorum: quales præterea incurrerent excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini.

Denique juxta dicta hoc capite, atque etiam superioribus, facilè solvuntur, quæ contra ea objiciuntur ab hæreticis: & explicari potest illud Matth. 13. quo Paterfamilias servis volentibus zizania colligere è medio tritici respondet: *Non; ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum.* Quòd si soli hæretici ibi sunt zizania, ut videntur ipsi fateri cùm hoc objiciunt, planè juxta dicta non deberent è medio tritici, id est Catholicorum colligi & expelli, quando periculum subesset eradicandi simul & triticum: cessante autem illâ causâ, deberent, ut satis indicat ipse Pater familias. Verius tamen videtur, hæreticos quidem præcipuè, sed non solos esse zizania; verùm & omnes peccatores, vel potiùs reprobos, qui cùm ab electis in hoc mundo discerni à nobis non possint, *Sinite*, inquit Paterfamilias, *utraque crescere usque ad messem*, id est, 258. *Hæretici præcipuè, non tamen soli, zizania.*

utrosque

utrosque vivere inter sese permixtos usque ad diem judicii. Quod ipsum, ne erremus, jubet Apostolus 1. Corinth. 4. *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui cognovit qui sunt ejus,* ut idem ait 2. ad Timoth. 2. Hæc quoque ratio cessat tam in hæreticis, scilicet notoriis, qui, ipso Christo teste Joannis 3. jam judicati sunt, quàm manifestis adulteris, furibus, homicidis. Quare argumentum vel nimium probat, nullos eorum puniendos supplicio mortis, vel nihil. Utinam omnes, qui adeò horrent pœnas temporales, tempori sapiant, & è zizaniis convertantur in triticum, ne tempore messis, seu judicii alligentur in fasciculos, ad comburendum igne pœnâque æternâ.



LIBER

LIBER SECVNDVS.

De conſcientiâ rectâ.



POSTQVAM Libro 1. *actum eſt de conſcientiâ in genere, ſecundum Librum meritò ſibi vendicat conſcientia recta, à quâ non diſtinguitur recta ratio, & vix conſcientia vera, nobiliſsima conſcientiæ ſpecies. Cui item convenit ampliſsimum ac nobiliſsimum conſcientiæ officium, dirigere actus humanos, ſeu eſſe eorumdem regulam ac menſuram, adeóque per modum cauſæ formalis eoſdem rectos facere ac moraliter bonos, ſi ſibi conformentur; ſi verò difformentur, declarare & oſtendere eos eſſe obliquos, & moraliter malos. De quo proinde officio potiſſimum hìc eſt agendum, eóque duplici, ſcilicet probandi actus bonos, improbandi malos: utrumque enim eſt conſcientiæ rectæ. Ad eandem conſcientiam, ideóque hunc Librum, ſpectat etiam conſcientiæ quies poſt actus bonos, & remorſus poſt actus malos, aliáque quædam his affinia.*

CAPUT I.

Quid sit conscientia recta.

1. *Eadem est conscientia, & ratio recta.*



SVppono, eandem esse conscientiam & rationem rectam: quod colligitur ex ipsâ nominum significatione. Nam conscientia antè definita est dictamen, seu judicium practicum; nec aliud potest esse ratio, quæ dicitur recta. Non enim est potentia vel habitus, quibus non convenit actu dirigere, ordinare, mensurare, quæ ab omnibus tribuuntur rationi rectæ: cujus proinde rectitudo debet esse actualis, quippe conveniens actibus quorum est mensura, non habitualis. Atque in eo sita est hæc difficultas, videlicet quid sit hæc rectitudo rationis seu conscientiæ. Putant aliqui, hanc difficultatem tantum habere locum in sententiâ quâ bonitas constituitur in conformitate cum rectâ ratione. Sed falluntur; quia nemo potest negare, omnem actum bonum, in quocumque sita sit ejus bonitas, pendere ex ratione. quod docet D. Thomas 1.2. quæst. 19. art. 3. seu dirigi aliquo dictamine prudentiæ ac conscientiæ: illud autem ipsum dictamen & ratio est recta; aliàs non posset dirigere actum bonum. Imò idem est quærere, quæ sit illa rectitudo, & cujusmodi debeat esse dictamen actum bonum dirigens. Quare D. Thomas ad 2. se explicat de rectâ ratione, de quâ ipse aliique agunt passim.

2. *In quo sita veritas intellectûs practici.*

Nota ergo, non esse novam hanc quæstionem, ut illi videntur existimare; sed motam & explicatam ab ipso Aristot. 6. Ethic. cap. 2. quo docet, veritatem intellectûs practici consistere in conformitate cum appetitu recto. Veritas intellectûs practici idem est, quod rectitudo rationis: quare D. Thomas citatus illum explicat, quòd rectitudo rationis consistat in conformitate cum appetitu recto, in iis quæ sunt ad finem; de quibus ibi agat Aristoteles. Quia posito appetitu seu intentione finis, rectæ rationis est præscribere media convenientia dicto fini, seu, quod idem est, appetitui. Explicat itaque Aristotelem D. Thomas, (quem sequuntur Cajetanus, Corduba, aliique Thomistæ) de appetitu rectam rationē præcedente, quem illa non faciat, sed supponat rectum: Scotus verò in 3. dis. 36. qu. unicâ. §. Licet istud. ejusque discipuli, de appetitu subsequente, quē recta ratio dirigat, nec supponat, sed rectum quodammodo faciat.

Dico primò: Uterque hic modus explicandi Aristotelem, & rectam rationem sive conscientiam, commodus est, & verus: prior D. Thomæ, à priori, posterior Scoti, à posteriori. 3.

Probatur & explicatur prior cōclusionis pars, modusq; D. Thomæ:

Recta ratio explicatur per conformitatem cũ appetitu precedẽte.

mæ: quia positâ intentione finis ante electionem mediorum, opus est peculiari auxilio & consilio rationis, quæ, præmissâ deliberatione de variis mediis, aliqua ad eum consequendum præscribat; illaque verè est recta ratio ac prudens consilium, quo præscribuntur apta, dictoque appetitui & fini convenientia, quæ cæca voluntas eligat, ut per se clarum est: ergo verè & meritò D. Thomas rectam hanc rationem, ut ita dicam, consultricem, explicavit per conformitatem cum appetitu, seu intentione præviâ, cui tanquam regulæ commensurari debeat, ideoque à priori. Neque fit hîc circulus; quia etsi recta ratio sit quæ est conformis recto appetitui; non est viceversâ rectus appetitus, qui est conformis rectæ rationi, scilicet eidem: nam, ut ibidem docet D. Thomas, ille desumitur & dirigitur per aliam rationem circa finem, non media.

4. Probatur posterior conclusionis pars, modusque explicandi Scoti: quia, juxta dicta capite 11. superioris Libri, hoc solo, quo recta ratio bonâ fide seu prudenter dictat quidlibet bonum, hujus volitio seu appetitus bonus est ac rectus, etsi aliàs ex naturâ rei id malum esset; ergo verè & meritò Scotus rectam rationem explicavit per conformitatem ad appetitum hunc rectum, tanquam ejus effectum quendam & signum, ideoque à posteriori. Neque hîc fit circulus, scilicet vitiosus, quo petatur principium: quia etsi appetitus rectus debeat viceversâ etiam explicari per conformitatem ad rectam rationem præviam, ut sui mensuram ac regulam; id tamen fit à priori: recta autem ratio explicatur per conformitatem ad eundem appetitum à posteriori, ut jam dixi; quod licet per Dialecticam, & sæpè utile est. Ita benè dicis à posteriori, Homo rationalis est, quia discurrit; & à priori, Homo discurrit, quia rationalis.

Et cum subsequẽte.

5. Confirmatur tota conclusio, & uterque modus explicandi rectam rationem & Aristotelem: quia hic ibi intendit assignare diversitatem inter intellectum ac veritatem practica, & intellectum & veritatem speculativa. Quam item assignat D. Thomas 1. 2. quæst. 57. art. 5. ad 3. quòd hæc desumi debeant per conformitatem ad rem, prout verè est à parte rei: quare speculativè ratio non est recta seu vera, quâ, etsi prudenter, aliquid judicatur bonum, nisi à parte rei tale sit, videlicet, secundùm bonitatem materialem; illa autem per conformitatem non ad rem, sed appetitum electum. Atqui hoc verum est de appetitu utroque, præcedente, juxta D. Thomam; & subsequente, juxta Scotum: ergo de utroque benè explicatur Aristoteles, & recta ac practica ratio. Minor jam probata est, & deinceps confirmabitur, præsertim quoad posteriorem partem

tem modumque, quo practicè ratio est recta seu vera, quâ prudenter aliquid judicatur bonum, etsi à parte rei materialiter malum: quo modo Iacob rectâ ratione prudenter judicavit licitum ac honestum, & rectè appetiit accessum ad Liam. Eademque est ratio de priori modo, & præcedente; quia similiter quamdiu quis rectè bonaque fide appetit intenditque finem, rectè item præscribit & proponit sibi media ad illum convenientia; etsi aliàs à parte rei, & finis & media essent illicita.

Unde collige, modum explicandi D. Thomæ esse quidem à priori, satisque conformem verbis Aristotelis; sed limitatum ad rectam rationem, ac judicium consultivum; Scoti verò esse universalem, adeoque æque vel magis commodum ad explicandam vim & conditionem cujusvis rectæ rationis, seu conscientiæ. Quia tamen neutro modo adæquatè & propriè definitur recta vel ratio vel conscientia,

6. *Recta ratio est actualis conscientia prudens.* Dico secundò: Recta conscientia ac ratio tandem nil est aliud, quàm conscientia actualis prudens & inculpabilis, quatenus hîc & nunc formatur juxta regulas prudentiæ pro conditione personæ ac rei cujusque, videlicet, præmissâ sufficienti consideratione, &, in dubio, veritatis inquisitione.

Dixi, *conscientia*: itaque convenit illi tota definitio conscientiæ, scilicet actualis, explicata superiore Libro cap. 4. speciatim, quòd sit dictamen practicum, & versetur circa bonitatem & malitiam actuum. Quod ipsum, quia ex jam dictis & aliunde constat, cõclusionem confirmat.

Ex parte intellectus nil requiritur ad actum bonum, quã prudentia. Addidi, *prudens*; quia ex parte intellectûs nil aliud requiritur ad actum bonum moraliter, quàm ut fiat prudenter, seu juxta dictamen & judicium prudens. Hoc ipsum ergo erit conscientia & ratio recta, cui constat actum bonum debere esse conformem, omnium sententiâ. Imò communior & verior est, illam ipsum conformitatem esse bonitatem, ut posteà ostẽdam. Quæ item causa est, cur pro eodem sumantur aliquando recta ratio, & prudentia: quæ proinde ex Aristotele citato cap. 5. describi solet, *recta ratio agendorum seu agibilium*. Unde sequitur, rectitudinem illam rationis ac conscientiæ sitam esse in conformitate cum principiis practicis, ac regulis prudentiæ: quæ cujusmodi in quaque materiâ & negotio esse debeant, pendet ex variis principiis, è quibus universalia hisce de cõscientiâ Libris explicantur. Illud interim constat, ut ratio ac conscientia recta sit, scilicet practicè, non debere esse conformem rei circa quam versatur: quare rectè Vasquez 1. 2. disp. 58. c. 2. num. 10. docet, rectam rationem practicam debere judicari, quâ prudenter & diligenter proponitur quod rectum & consentaneum

naturæ

naturæ rationali videtur, etsi non sit, quamvis in illâ conformitate cum naturâ putet sitam esse bonitatem.

7. *Recta cõscientia spectat ad σύνεσιν.* Ex dictis collige primò, rectam rationem ac conscientiam spectare ad σύνεσιν, quam ex mente Aristotelis D. Thomas 2. 2. quæst. 51. art. 3. constituit secundam partem potentialem prudentiæ, dicitque esse judicium rectum; non quidem circa speculabilia, sed operabilia, ac sequi εὐβουλίαν, id est rectam consultationem, de quâ agit art. 2. Quos actus & habitus ipsis respõdentes, probabilius est non distingui realiter à prudentiâ, sed esse illam ipsam inadæquatè consideratam, ut bene Lessius de Jure ac Justitiâ lib. 1. cap. 2. dubit. 3.

8. *Quomodo differant conscientia recta & vera.* Collige secundò, an & quo modo à conscientiâ rectâ differat vera. Si enim conformiter sumantur ambæ speculativè & practicè, non differunt. Quo sensu Iacob habuit conscientiam rectam & veram, speculativè autem obliquam, ut ita dicam, & falsam. Communiter tamen & simpliciter conscientia & ratio recta sumitur tantùm practicè, ut etiam colligitur ex jam dictis ex Aristotele, D. Thomâ, & Scoto, quos sequuntur alii: vera autem etiam speculativè, quatenus scilicet opponitur erroneæ eodem modo sumptæ. Atque ita, ut dixi, Jacob accedens ad Liam habuit conscientiam rectam, scilicet practicè, non tamen veram, sed falsam & erroneam, scilicet speculativè: quia etsi ob ignorantiam invincibilem, adeoque conscientiam rectam, fecerit actum formaliter honestum; commisit tamen materiale peccatum, accedendo ad non suam.

Collige tertiò, quâ ratione verum sit quod docet idem Aristoteles capite illo quinto, & tertio, prudentiam habitum esse agendi circa bona humana vera, cum ratione; seu, ejus dictamen semper verum esse, scilicet practicè, uti ipsa ejusque dictamen est practicum. Quare, simpliciter loquendo, dictamen prudentiæ, quo Jacob putavit sibi licitum ac honestum hîc & nunc ad Liam accedere, verum fuit, scilicet practicè & intrinsecè, etsi speculativè & extrinsecè fuerit falsum, sumptâ videlicet denominatione à falsâ propositione cui illud innitebatur, quòd illa esset sua, ut dixi cum Suarez ibi citato lib. 1. nu. 66. Quia illud dictamen simpliciter est virtutis intellectualis prudentiæ: ergo simpliciter verum; sicut omnis actus virtutis spectantis ad voluntatem, simpliciter est bonus; nec enim minùs ad illam spectat veritas, quàm ad hanc bonitas. Addit rectè Suarez, conscientiam practicè veram esse non tantùm cognoscitivam, sed & causativam rectitudinis seu bonitatis in appetitu seu volitione illam secutâ. 9. *Dictamẽ prudentiæ semper verũ est.*

CAPUT II.

An, & quorum actuum conscientia recta sit regula ac mensura.

10. NOta ex D. Thomâ 1. 2. qu. 19. art. 4. ad 1. unius rei, nominatim actûs boni, mensuram esse vel proximam vel remotam; quæ si non sit prima, potest esse multiplex: si prima, est unica, uti proxima & ultima; de quâ id docet D. Thomas.

Prima regula actuũ bonorum est ratio, ac conscientia divina.

Dico primò: Prima & præcipua, etsi remota, regula actuum bonorum, est recta ratio vel conscientia divina, quæ in Deo eadem est cum lege æternâ, ut in nobis cum lege naturali. Est expresse D. Thomæ art. illo 4. citato, & 6. citando conclusione sequenti, etsi non nominet conscientiam divinam. Quia tamen hæc nullam dicit imperfectionem, sed magnam perfectionem, non debet Deo negari, cùm præsertim Dei conscientiam expresse nominet Apostolus Petrus Epist. 1. c. 2. probabiliter eo sensu, quo hîc à nobis sumitur, ut explicui superiori Libro cap. 22. numer. 218. Addiderim, conscientiæ divinæ applicandam item esse definitionem conscientiæ, ut etiam dixi Lib. 1. num. 37. etsi clarum sit, cum non posse esse sibi consciũ alicujus mali à se commissi. Quod etiam constat de Angelis bonis, ac B. Virgine, quibus tamen nemo negaverit conscientiam.

Probatur jam conclusio ratione, ipsisque verbis D. Thomæ: quòd enim ratio humana sit regula voluntatis humanæ, habet ex lege æternâ, quæ est ratio divina. Unde in Psalmo 4. dicitur: *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* Quasi diceret: Lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere & nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultûs tui, id est, à vultu tuo derivatum. Hæc D. Thomas, qui cum Psalmistâ per vultum intelligit mentem divinam, cujus dictamen est lex æterna, seu recta ratio, ac conscientia divina, quæ, ut addit D. Thomas ad 3. innotescit nobis per rationem naturalem, scilicet rectam, quæ ab eâ derivatur ut propria, aut ejus imago.

Lumen vultûs est dictamen mentis divinæ.

Confirmatur: quia eo etiam sensu Deus creavit hominem ad imaginem & similitudinem suam, scilicet quoad animam ac potentiam intelligendi, præsertim principia moralia spectantia ad bonos mores.

Ex quibus apparet, etsi possint præterea assignari plures regulæ actuum bonorum remotæ, voluntas Dei, quæ etiam dicitur mensura actûs à D. Thomâ citato art. 9. lex positiva, natura rationalis ejusque exigentia, quæ sunt quodammodò mediæ inter primam illam & ultimam, 11.

mam, de quâ sequenti conclusione: primam tamen omnium ac præcipuam esse rectam rationem, seu conscientiam divinam, ac legem æternam, quam omnes aliæ supponunt & subordinantur, ut ibidem docet D. Thomas, ipsa autem nullam aliam supponit, nisi nostro modo intelligendi ipsam naturam divinam. Quæ licet aliquibus mira videantur, sunt tamen omnino conformia rationi nostræ ac divinæ, ex dictis superiore Libr. cap. 11. & 13. ac necessariò deducuntur ex D. Thomâ & Scripturâ citatis.

12. *Prima actuũ bonorum regula est ratio ac conscientia nostra.*

Dico secundò: Actuum bonorum proxima & ultima regula ac mensura est recta conscientia, seu ratio nostra. Est communis, Aristotelis 6. Ethic. cap. 1. quod ipsum est de rectâ ratione; ubi definit, medium virtutum esse, quod ratio rectâ præscribit, præscribere verò medium, spectat ad regulam ac mensuram: D. Thomæ art. citato, *Quòd*, inquit, *ratio humana sit regula voluntatis humanæ, ex quâ ejus bonitas mensuretur, habet ex lege æternâ, quæ est ratio divina.* Ubi clarum est agere de ratione humanâ rectâ, expressâ in argumento primo, & regulâ proximâ expressâ in dicti argumenti solutione. Idem docet art. 3. & quæst. 71. art. 6. *Regula*, ait, *humanæ voluntatis est duplex: una propinqua & homogenea, scilicet ipsa ratio humana; alia verò est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei.* Scotus citatus §. sequenti, *Nulla*, ait, *potest esse electio moraliter recta, nisi sit concors suæ regulæ, & suæ mensuræ, quæ est rectum dictamen.* Quod autem dicit de electione, constat ex ejus mente, intelligendum de quavis volitione. Idem supponunt communiter Doctores, qui nobiscum capite præcedente, imò cum D. Thomâ & Scoto explicant Aristotelem, quo modo non faciat circulum, cùm cap. 1. jam citato, appetitûs recti mensuram assignat rectam rationem, capite autem 2. rectæ rationis rectum appetitum. Idem docet ex recentioribus Vasquez citatus.

Probatur & explicatur: Quia etsi plures sint regulæ, quibus voluntas humana debet se subjicere & conformare, imprimis lex æterna atque etiam positiva divina, & humana, item exigentia naturæ rationalis; nulla tamen earum proximè voluntati intimatur & applicatur; sed tantùm recta ratio ac conscientia, voluntatis cææ quasi oculus & manuductrix; illæ ergo tantùm erunt regulæ remotæ & incompletæ, hæc sola proxima & completa.

Dixi, *recta*, quia obliqua & curva eo ipso non potest esse idonea mensura; redderet enim actus sibi similes obliquos, adeoque malos.

Confirmatur: quia, ut ostendi superiore Libro cap. 11. & 13. recta ratio & conscientia est item lex, eaque naturalis; ergo non est mirum,

rum, esse regulam & mensuram, quæ aliquid illâ minus significant.

Ex quibus collige, & adverte primò tanquam fundamentum deinceps dicendorum, conscientiam non tantùm proponere objectum, obligationem, vel honestatem voluntati, sed insuper præscribere, ut aliquoties dicit Aristoteles citatus, imò obligare, & ordinare, regulare, mensurare ipsam ejusque actus, ut passim loquuntur Doctores cum D. Thomâ.

13. *Conscientia non tantùm proponit voluntati honestatē, sed & præscribit.*

Invenitur regula proxima sine remotâ.

Collige & adverte secundò, aliquando reperiri hanc regulam proximam & completam, sine prævià remotâ & incompletâ; nimirum, quandocumque conscientia est erronea, verbi gratiâ, in exemplo illo factoque Jacob, quod tantùm justificari potuit regulâ proximâ, judicio hîc & nunc prudenti, quòd illud ipsum esset honestum, si, ut supponitur, honesto aliquo fine id fecerit, quod non potest negari, quin potuerit. Unde necessariò sequitur, rationem proximam, adeoque immediatam, cur illud opus bonum fuerit, fuisse illud judicium practicè prudens & verum, etsi speculativè erroneum; ab illo enim abstrahendo erat pessimum, etiam naturæ rationali.

Collige & adverte tertiò, etsi, juxta conclusionem primam, ratio divina sit prima & simpliciter præcipua mensura, cui ratio nostra subordinari & conformari debet, non contrà; nostram tamen rationem, adeoque conscientiam, tanquam regulam ultimam dare actui bono ultimam formam, & speciem moralem; & hoc sensu, in ejus moralizatione ac rectificatione præcipuam dici posse. Quibus conformiter ostendam posteà, bonitatem formalem, ac objectivam completam, desumi ac denominari à mensurâ hac proximâ; incompletam verò ac materialem à remotâ.

In moralizatione nostra ratio præcipua est, præ divinâ.

Addiderim, quia recta ratio est imago, & quidem essentialiter, rationis divinæ, (ut jam dixi ex D. Thomâ) hoc ipso quo quid est conforme rationi ac conscientiæ nostræ, mensuræ proximæ, necessariò etiam esse divinæ. Quo modo quod est simile imagini cuilibet, etiam simile sit necesse est rei per illam repræsentatæ: quod item dixi de lege naturali & æternâ superiore Libro locis citatis; iterumque dicam infrà.

Dixi in conclusione, *actuum bonorum*, non autem malorum, quorum recta ratio & conscientia propriè & directè mensura & regula esse non potest, nisi impropriè & quasi indirectè, improbando, vetando & declarando eorum malitiam, & moralem curvitatem, eo ipso quatenus illi difformes sunt, ut explicabo posteà.

Recta conscientia non est regula actuum malorum.

Ceterùm, quorúmnam particularium actuū sit regula, ac mensura, nec magnoperè ad praxim, nec ad institutum nostrū hîc spectat. Breviter 14.

viter tamen hîc addo seriem actuum intellectûs & voluntatis, qui ad executionem solent concurrere, ut clarius fiat, quî & quo modo à conscientiâ rectâ regulari & ordinari debeant: potest enim illa, imò debet ex officio quibuslibet actibus intervenire & dirigere. Primus semper est aliqua cognitio finis, quæ ut voluntatem excitet, debet esse judicium saltem virtuale. Secundus, inefficax aliqua affectio circa finem cognitum; priùs simplex aliqua complacentia, deinde desiderium, qualis actus explicari solent per *vellem* & *opto*, & ab Augustino vocantur *parvæ voluntates*, distinctæ ab efficacibus, quæ ab eodem vocantur *robustæ*, & explicantur per *volo*. Tertiò sequitur intentio, id est, propositum efficax finem consequendi per media. Quartò, deliberatio de mediis, quæ, ut etiam electio, vi solius intentionis potest in intellectu excitari sine expressâ deliberandi voluntate. Quintò, judicium, quo unum medium alteri præfertur; quod D. Thomas videtur intellexisse per rectam rationem, seu intellectum practicum consiliativum, conformandum recto appetitui. Sextò electio, vel ejus quod judicio prælatum est, ut sæpiùs contingit, vel saltem alicujus de quo deliberatum fuit: quam tamen electionem potest præcedere simplex consensus. Septimo loco collocari deberet in sententiâ D. Thomæ imperium, si daretur aliquod in intellectu à tribus ejus operationibus vulgò notis distinctum: atque hoc intelligunt aliqui Thomistæ per rationem seu intellectum practicum appetitui conformandum. Sed primò probabilius est, non dari in intellectu actum à tribus illis distinctum, qui non sit cognitio, sed quidam impulsus, qui potiùs spectat ad voluntatem: quare imperium nil est aliud quàm judicium ac enũtiatio, seu locutio, quasi impulsa ac directa à voluntate ad interiorem, ut oratio ad superiorem, ut etiam dixi Lib. 1. cap. 4. Secundò, nominatim de conscientiâ ac prudentiâ satis certum videtur, omnem ejus actum, judicium ac dictamen quoddam esse. Tertiò, ut daretur imperium distinctum, non posset illud esse conscientia, & intellectus consiliativus, de quo D. Thomas: quia ille præcedit electionem, ut jam dixi; illud verò sequeretur, utpote propinquius executioni imperandæ. Septimò itaque prædictos actus sequitur usus, seu activus seu passivus; hi enim solâ ratione distinguuntur. Potest autem sequi usus in potentiis executricibus vi solius electionis, per naturalem quandam sympathiam inter illas ac voluntatem. Octavò, in superiore sequitur imperium respectu subditi, quem usu activo ad opus aliàs applicare non potest. In nobis illud certo loco non statuitur, quia nullo

Series actuum à consciẽtiâ dirigibilium.

necessarium, quolibet statui potest, & quemlibet actum præcedere imperando, præterquam confusam rei cognitionem. Ita possim mihiipsi imperare, dicendo: Considera, ama; & sic de cæteris actibus. Denique, usum mediorum requisitorum, qui executionem includit, consequitur finis consecutio, quæ executione ultima, intentione prima totius horum actuum seriei basis fuit: hanc verò subsequitur finis jam obtenti fruitio; quæ, si præsertim ultimi finis ac summi boni fuerit, laborem tot actibus impensum abundè compensabit. A fruitione seu delectatione de fine honesto obtento, non distinguitur conscientiæ quies, de quâ posteà: cui, si testimonio conscientiæ finis, vel etiam quodvis medium deprehendatur inhonestum, opponitur dolor ac conscientiæ remorsus.

CAPUT III.

An omnem actum bonum præcedat, comitetur, dirigatque conscientia recta.

15. SUppono ex dictis, conscientiam, & quidem rectam, esse regulam ac mensuram actuum humanorum, idque ligando, vel obligando, ac præcipiendo, si illi sint necessarii; consulendo, si tantùm consilii.

Omnem actū bonū præcedit conscientia.

Dico primò: Ante omnem actum bonum prærequiritur actu conscientia, quæ illum dirigat. Supponitur à Doctoribus communiter, & sumitur ex D. Thomâ 1.2.quæst.19.art.3. & 4. ubi docet, bonam voluntatem pendere ex ratione, scilicet rectâ; ubi *ratio* est conscientia, ut ex communi Doctorum mente dixi etiam Libro superiore cap.13.

Probatur primò ex Scripturâ. Ecclesiastici 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te.* Quibus constat, agi de operibus bonis; nec enim mala debet præcedere verbum verax: & de verbo mentis, non oris, quod ad illa certò non est necessarium. Verbum autem mentis non distinguitur à judicio seu dictamine rationis, prout videlicet significatur in facto esse. Quod item probatur textu Græco: Ἀρχὴ παντὸς ἔργου λόγος. *Initium omnis operis*, scilicet boni, *verbum*, seu *ratio*, quam etiam significat λόγος. Quo autem sensu verbum illud & ratio sit verax, jam explicatum est cap. 1. Tam illustri Scripturæ testimonio confirmantur dicta ex Aristotele, D.Thomâ, & Scoto de veritate practicâ.

Probatur secundò ratione Divi Thomæ, quia per rationem ac conscientiam debet voluntati proponi objectum & materia actûs boni. Quam rationem universalem de omni actu bono benè supplet Conradus in illum locum, notans, D. Thomam pro eodem accepisse, proponere objectum, & 16.

esse regulam humanarum actionum circa illud versantium; adeoque ipsum non agere ibi tantùm de ratione proponente, de quâ egit suprà quæst. 9. & alibi; sed simul ordinante, præscribente, ac mensurante. Quod ipse D. Thomas indicat art. 4. & 3. in argumento Sed contra, ubi ex D. Hilario lib. 10. de Trinitate, initio, docet, bonitatem voluntatis consistere in eo, quòd sit subjecta rationi, scilicet non tantùm ut proponenti, (sic enim non debetur ipsi obedientia aut subjectio,) sed tanquam ordinanti ac præscribenti.

Confirmatur hæc probatio peculiariter de omni actu bono, quia hoc voluntas debet actualiter & directè intendere bonum seu honestum objectivè; secùs quàm actu malo, quo sufficit intendere indirectè inhonestum objectivè. Clarum autem est, voluntatem non posse directè & actualiter intendere bonum, nisi ratione, eâque actuali propositum.

Superest tantùm ostendendum, rationem illam esse conscientiam, quod supposui ex mente Doctorum, & facilè ostenditur. Quia illi rationi ac cognitioni convenit definitio conscientiæ actualis, quòd sit dictamen practicum, quia voluntatem ad agendum excitat; adeoque quòd sit regula actûs secuti, ejusque boni; ergo nil illi deest, quò minùs sit conscientia, & quidem strictè sumpta, ac recta.

Ex dictis colligo, & dico secundò: Conscientia recta debet etiam concitari actum bonum, seu tunc esse cùm actus boni fiunt; quia tunc maximè debet eos dirigere, scilicet actu. Quare non sufficeret antè fuisse, & manere quasi virtute; quia actu dirigere non potest, nisi actu sit; cùm præsertim dirigat seipsâ in genere causæ formalis, seipsam quasi lumen aliquod ac speciem voluntati exhibendo ac præsentando, simulque actum moralizando, juxta dicta Libr. 1. cap. 15. & 16. 17. *Et comitatur.*

Confirmatur: quia secundùm communem Theologorum sententiam, imò axioma, *Voluntas non fertur in incognitum*; quod intelligitur de cognitione ejusque privatione, quæ tunc fit cùm voluntas fertur: cognitio autem, quæ proximè voluntatem dirigit cùm fertur, est, ut dixi, conscientia. Imò juxta multò veriorem sententiam & sensum dicti axiomatis, hoc ex naturâ rei verum est, ita ut ne quidem Deus aliud facere aut statuere possit: quod proinde dicendum quoque est de utraque conclusione.

Ex dictis præterea sequitur, conscientiam quæ semper præcedit actum bonum, debere eâdem necessitate semper esse veram, seu veracem, scilicet practicè, juxta Ecclesiasticum citatum, qui per verbum *verax* significat etiam conscientiam, ut constat ex dictis: quia ut sic, vera regula est & mensu-

ra, ut dixi cap. 1. adeò ut universaliter verum sit: Quandocumque appetitus seu volitio est recta, præcedere conscientiam veram practicè & rectam; & quandocumque illa præcedit, sequi volitionem rectam seu bonam; si videlicet sequatur. quæ confirmabuntur sequentibus capitibus.

CAPUT IV.

Quid sit & quomodo à conscientiâ pendeat actuum bonitas.

18. VT plenè explicetur, quomodo actus boni à conscientiâ dirigantur, eorumque bonitas ab hac dependeat, atque etiam mensuretur, necessariò explicandum quoque est, quid sit illorum bonitas.

Eadem præquiruntur ante bonitatē, quæ ante moralitatem.

Suppono ex dictis superiori capite, ad illam necessariò requiri actum voluntatis, & dictamen intellectûs seu conscientiæ rectæ, & ex dictis Lib. 1. c. 15. prærequiri insuper libertatem omnis moralitatis, atque adeò moralis bonitatis fundamentum, aliaque eò spectantia; atque insuper bonitatem actûs Physicam, ac transscendentalem, omniaque requisita ad actum moralem; quia actus bonus haud dubiè supponitur esse moralis.

Quibus ex communi sententiâ suppositis; magis subtilis quàm practica quæstio est (etsi propria instituto nostro, ob causam nunc tactam,) quid tandem sit præcisè ipsa bonitas. Ut retuli cap. 16. Lib. 1. de moralitate in genere, ita hîc de bonitate sunt variæ sententiæ eorumdem Auctorum.

Prima est, eam esse ens rationis. Secunda, denominationem extrinsecam, scilicet à rectâ ratione. Tertia, Physicam tendentiam in objectum, vel relationem transscendentalem. Quarta, prædicamentalem. Quinta, ens vel formalitatem moralem. De quibus sententiis non est quòd hîc repetam quæ ibi dixi; eadem enim hîc est ratio de bonitate, quæ ibi de moralitate in genere. Vna sententia, quæ post illas potest recenseri sexta, videtur huic loco peculiaris, quòd bonitas sita sit in conformitate seu convenientiâ cum ipsâ naturâ rationali. Quamquam consequenter deberet etiam moralitas in genere, dici habitudo in genere ad naturam rationalem. Neque hæc sententia contradistinguitur à relatis; nam illa ipsa conformitas potest dici vel ens rationis, vel morale.

Negari non potest, quin inter 19.
Doctores, non tantū Philosophos, sed & Theologos, plurimæ controversiæ sint de nomine ac modo loquendi & concipiendi: talis ferè hæc etiam est, ut constat ex ibidem dictis: quare malo eas conciliare cum sententiâ meâ, quàm refutare: nimirum ut prima intelligatur de modo quo concipitur bonitas, non quo reverà est; secunda de ipso

Conciliātur sex sententiæ.

actu

actu significato quidem in recto, connotante tamen seu denominato à rectâ ratione, ut formâ significatâ in obliquo; tertia de ipso actu essentialiter ac transscendentaliter relato, seu tendente in objectum suum, id est, bonum objectivè, quatenus approbatum à rectâ ratione, juxta dicenda hoc & sequenti capite. Quarta etiam ab illâ ac verâ nō differt, nisi modo loquendi; nisi relatio prædicamentalis re distinguatur à fundamento. Quinta etiam coincidit cùm verâ nunc explicandâ, si ens morale explicetur, uti debet, juxta dicta eodem illo capite: nec enim cuiquam potest esse dubium, quin actus bonus ipsaque ejus bonitas sit quid morale. Neque sexta veræ contraria est, si intelligatur de bonitate incompletâ; quæ tamen magis spectat ad rem ac institutum nostrum.

20. Nota, duplicem distingui bonitatem, primò moralem seu formalem, quæ primariò convenit actibus internis, secundariò externis, juxta dicta Libr. 1. cap. 17. estque proxima radix laudabilitatis ac meriti, supponit libertatem, & per quandam antonomasiam simpliciter dici solet bonitas. Secundò, objectivam ac materialem, quæ convenit objectis & actibus externis; nec necessariò supponit libertatem. De priori intelligendæ sunt sententiæ relatæ, agamque hoc capite; de posteriori sequentibus.

Dico itaque primò: Bonitas actûs est ipse actus, quatenus conformis rectæ rationi vel conscientiæ, tanquam regulæ suæ, scilicet vel præcipienti vel consulenti. Dixi, *ipse actus quatenus conformis,* (vel ut alii loquuntur, conformitas) quia suppono, quod ex jam dictis satis constat, eam, ut & bonitatem, non esse reverà distinctam ab actu conformi, & regulâ cui conformis dicitur; neque hanc significari in recto, sed illum: quare præcipua hîc est difficultas, quæ sit illa regula. 21. *Bonitas est ipse actus cōformis cōscientiæ.*

Suppono deinde, quod antè ostendi, idem esse rationem & conscientiam rectam, cùm præsertim actus non sit bonus quatenus conformis cuivis rationi, sed proximè actum dirigenti; quod proprium est conscientiæ, & quidem strictè sumptæ. Quid autem sit recta ratio, jam à nobis satis explicatum est cap. 1. Quo sensu conclusio est D. Thomæ citati superiore cap. & quæst. 18. art. 1. ubi docet, bonitatem actûs consistere in plenitudine eorum quæ exiguntur secundùm rationem, quæ ipsa est conformitas cum ratione, scilicet rectâ. Clarè etiam art. 5. *In actibus autem,* inquit, *bonum & malum dicitur per comparationem ad rationem; quia,* addit, *ut Dionysius dicit* 4. *De divinis nominibus, bonum hominis est secundùm rationem esse, malum autem quod est præter rationem* Ergo D. Thomas non tantùm docet conclusionem, sed probat auctoritate S. Dionysii.

Idem docet quæst. 64. art. 3. & sæpè alibi. Cum D. Thomâ consentiunt iisdem locis Interpretes, Cajetanus, Conradus, Medina, &c. imò & Scotus citatus cap. 1. & in 2. distinct. 40. & alibi, Occam in 3. quæst. 10. littera Q. Durandus in 2. dist. 38. quæst. 1. qui id probat communi dicto, quòd bonitas cujusque rei consistat in conformitate ad suam regulam. quâ ratione etiam D. Thomas quæst. 19. art. 9. *Unumquodque*, ait, *rectum & bonum est, in quantum attingit ad propriam mensuram.* Ratio autem, ait Durandus, & sæpè D. Thomas, est regula voluntatis, quod ipsum propriissimè convenit conscientiæ. Idem è recentioribus docet Salas 1. 2. tract. 7. disp. 2. num. 44. & Rainandus De disciplinâ morali, dist. 4. quæst. 2. art. 1. qui num. 151. rectè etiam observat, judicium rectæ rationis, quod est actuum humanorum regula, vocari in sacris litteris fidem & conscientiam. Granad. 1. 2. contr. 2. tract. 9. disp. 2. sect. 1. Nec tantùm Scholastici saltem antiquiores, sed & Morales Theologi in hanc sententiam conspirarunt. Nam Prælud. 7. in Manuali, Azor libr. 2. cap. 1. quos citat & sequitur Silvicius tract. 21. cap. 3. num. 87.

Aliqui tamen recentiores contra sententiam satis claram antiquorum, quam & ipsi videntur alibi sequi, bonitatem explicant per conformitatem cum naturâ rationali ut sic, prout est in potentiâ ad rationem, ejusque dictamen; de quâ conantur explicare D. Thomam, sed frustrà. Primò, quia natura non est aut dicitur ratio; secundò, quia D. Thomas aliique citati expressè agunt de ratione præscribente, exigente, regulante, ordinante, quod non convenit nisi dictamini rationis, aut certè naturæ illo informatæ.

Præterea D. Thomas quæst. 34. art. 1. *Bonum enim*, ait, *& malum in moralibus dicitur secundùm quod convenit rationi, vel discordat ab eâ*, ut suprà dictum est: *sicut*, addit, *in naturalibus aliquid dicitur naturale ex eo quod naturæ convenit*. ubi clarè rationem contradistinguit à naturâ absolutè sumptâ, & bonitatem moralem à naturali, quòd hæc desumatur à naturâ, illa à ratione. & Contra gentes cap. 9. *Unius generis oportet esse unam mensuram primam, moralium autem mensura est ratio.* quibus apertè etiam primam mensuram, scilicet creatam, qualis saltem secundùm adversarios dicenda esset natura, docet esse rationem. Cum Principe Theologorum convenit Princeps Philosophorum Aristoteles, qui lib. 2. Magnorum Moralium, honestam probitatem, de quâ agit cap. 9. explicat per rectam rationem, de quâ agit cap. 10. ubi pro eodem habet, ex virtute agere, & rectâ ratione; nec usquam meminit naturæ. Idem clarè docet 6. Ethic. cap. 1. & 2. citatus & explicatus cap. 1. & supponunt

nunt communiter Doctores, cùm illum explicant cum D. Thomâ & Scoto ibi citatis. Certè non est credibile, tot tantosque Doctores conspirasse in hanc sententiam absque magno fundamento; quanquam, ut dicam cap. 7. in responsione ad objectionem, conciliari potest utraque sententia, ut vix differat nisi modo loquendi.

22. Probatur jam conclusio ex dictis Lib. 1. cap. 11. & 13. ubi ostendi, legem naturalem non esse naturam, sed ipsum dictamen rationis. Ejusdem auctoritatis & potestatis est, ut ibidem indicavi ex Aristotele, virtuti præfigere terminum, seu objectum, atque actum bonum dirigere, cujus est in materiam virtutis inducere obligationem tanquam legem, atque actum malum prohibere: atqui hoc convenit dictamini rationis seu conscientiæ, non naturæ; ergo & illud. Unde statim apparet, in hoc negotio moralizandi & dirigendi actum bonum, conscientiam non esse tantùm conditionem sine quâ non, & proponere tantùm objectum, ut putant adversarii, sed insuper præscribere ac determinare materiam & exercitium virtutis cum auctoritate.

Conscientia non est tantùm conditio sine quâ non.

Confirmatur, ut eodem loco dixi de lege, ne reddantur conscientiæ perplexæ, mensura & regula actuum humanorum debet esse certa & nota: atqui talis est conscientia, non natura; ergo.

Probatur minor, quia nemo ignorat quid sibi dictet conscientia; plerique autem, an & quid dictet natura. Præterea, dictamen conscientiæ non promanat à naturâ solâ, neque hæc est præcipua ejus causa, præsertim in fidelibus ac justis, sed gratiâ. Deinde formatur secundùm varias circumstantias, sæpè contra vel præter naturæ exigentiam; quare etiam nec rectè nec utiliter natura applicaretur actibus moralibus, tanquam regula. Neque ista dicitur iis applicari, cósve dirigere, sed recta ratio & conscientia. Præterea, ob rationem jam tactam indignum videtur, tum statu supernaturali gratiæ, tum dignitate actuum supernaturalium, horum bonitatem mensurare naturâ, quam illa longè excedit. Imò hoc videtur malè sonare, & sapere Pelagianismum. Alia est ratio de dictamine rationis ac conscientiæ, quod in justis supernaturale est, adeoque proportionatum actibus supernaturalibus quos dirigit.

In justis dictamen conscientiæ præcipuè manat à gratiâ, nō naturâ.

Probatur secundò, quia, juxta ibidem dicta, ac communem certamque sententiam non tantùm Doctorum ac D. Thomæ, sed Apostoli ad Rom. 14. hoc solo quo quidpiam non est ex fide, id est cóscientiâ approbante, adeoque illi difforme, peccatum est, & malum; idque etsi naturæ maximè conveniat: & contrà, hoc solo quo est ex fide, id est conscientiâ approbante, 23.

adeoque

adeoque illi conforme, bonum est ac laudabile, idque etsi naturæ aliàs repugnet. Exempli causâ: si contra conscientiam cibum sumas, verè tibi salubrem, vel juxta illam verè insalubrem; ergo bonitas non est sita in conformitate cum naturâ, sed conscientiâ. Vel peto, quâ ratione in posteriori casu volitio cōedendi sit conformis naturæ rationali in potentiâ, an ratione dictaminis, vel non. Si non, ergo à parte rei naturæ rationali convenit immoderata & insalubris comestio, quæ tamen functionibus rationalibus maximè officit. Omnino contrarium est verum, scilicet illam naturæ, etiam quà rationali, in potentiâ ob rationem indicatam disconvenire. Si sit conformis ratione dictaminis, habemus intentum, scilicet ab illo, non naturâ, desumi & mensurari bonitatem illius actûs.

Probatur tertiò, ut ostendi Lib. 1. cap. 15. & 16. Moralitas in genere nil est aliud, quàm ipse actus liber denominatus à ratione, seu conscientiâ æstimativâ in genere, non autem à naturâ; quod saltem postremum fatentur etiam adversarii, & clarissimè docet D. Thomas ibidem citatus: ergo bonitas est actus quatenus denominatus à ratione ac conscientiâ rectâ approbante, ut malitia à ratione seu conscientiâ improbante, sicut posteà ostendam.

Probatur consequentia, primò, tum saltem à pari, tum quia moralitas tanquam genus respicit duas hasce species, nec potest significare aliam rationem ad eas aliter determinabilem. *Moralitas habet se ut genus erga bonitatē & malitiam.*

Confirmatur, quia natura humana, quam adversarii dicunt esse mensuram actuum humanorum moralium ac bonorum, quà rationalem, actu mensura esse non potest, nisi secundùm rationem quam participet actu, scilicet, actu vtendo ratione ac dictando; quo ipso fiet mensura completa & proxima, aliàs incompleta & remota; imò tantùm mensura in potentiâ. Conformitas autem cum solâ mensurâ incompletâ & remotâ, imò potentiali, non rectè dicitur bonitas, sed cum proximâ & vltimâ, quæ propriissimè est consciētia, juxta dicta cap. 2. concl. 2. Aliàs potiùs constituenda esset bonitas in conformitate cum lege æternâ, juxta dicta conclusione 1. ibidem.

24. Probatur ultimò, simulque refellitur contraria sententia, quæ cùm bonitatem dicit convenientiam cum naturâ rationali etiam ut sic, explicat quidem terminum ejus, necdum tamen peculiarem illius, seu honestatis moralis rationem, nisi addat convenientiam secundùm rectam rationem: nam naturæ rationali ut sic, nil magis convenit quàm ipsa ratiocinatio; hæc tamen certò non est bonitas, nec etiam quà talis bona moraliter. Itaque honestum, seu bonum morale, *Natura potiùs est terminus ac subjectum quā mensura bonitatis.*

morale, est quidem quid consentaneum, ac decens naturam rationalem, sed moraliter, id est juxta dictamen rectæ rationis, seu conscientiæ; quod semper & necessariò denotatur nomine boni honesti, seu moralis, juxta præcedentem probationem. Atque hoc tantùm volunt Auctores quibus contraria sententia tribuitur, nominatim Vasquez, ut constat ex disp. 58. c. 2. num. 10. in 12. quare dixi in conclusione, *tanquam regulæ*, scilicet non tantùm ostensivæ, ut ita dicam, sed & practicæ, juxta probationem secundam; non autem tanquam termino seu subjecto denominationis, cui aliquid dicatur bonum.

Dictamē consciētiæ semper denotatur bono honesto.

Unde apparet, nos non omnino negare, quod dicunt adversarii, bonitatem moralem esse convenientiam cum naturâ rationali, sed illud supplere & addere cum naturâ reductâ ad actum rectæ rationis & dictamen conscientiæ, non tantùm quia ipsa sic est perfectior, etiam in ratione termini; sed quia aliàs non explicatur proxima & ultima regula, imò forma bonitatis moralis. Vel peto ab adversariis, quid significet vox *moralis* vel *moraliter*, cùm dico, Bonitas moralis vel actus convenit naturæ, non quomodocumque, sed moraliter. Non sufficit respondere, significare convenientiam cum naturâ rationali ut sic, ob rationem jam dictam; quia illa convenientia propriissimè invenitur in ratiocinatione, etsi non bonâ moraliter; atque adeò necdum exprimit peculiarem rationem boni moralis seu honesti. Quid ergo hoc significatur & involvitur aliud vel amplius præter dicta?

Ex dictis colligo & dico secundò: Actus boni, eorumque bonitas pendent à conscientiâ rectâ essentialiter, tanquam formâ sui constitutivâ. Sequitur ex jam dictis, & L. 1. cap. 16. concl. 3. Quia ut actus moralis, ita bonus, est quid concretum, adeoque compositum ex subjecto, quod est ipse actus significatus in recto, & forma constitutiva, adeoque denominativa, quæ est conscientia recta: quomodo constituitur & denominatur visum à visione. Nec quidquam amplius requiritur ad bonitatem: nam eo solo est & denominatur actus bonus, idque moraliter, quia videlicet jam præditus bonitate morali & rectus, quia respondens suæ regulæ, adeoque laudabilis, suppositâ libertate, aliisque requisitis ad actum moralem, ut initio supposui. In his item sita est plenitudo essendi quam ratio exigit, actum non probatura, si quidquam deesset, juxta D. Thomam citatum articulo illo 1. Quare cùm illum probat, signum est, nil illi deesse ad bonitatem. Quare frustrà hîc affingitur quidvis aliud reale, rationis, vel morale, juxta dicta eodem illo cap. concl. 2. ut in si-

25. *Bonitas à consciētiâ pendet essentialiter.*

 mili

mili allato, frustrà ad rationem visi, seu, ut ita dicam, viseitatis, fingeretur aliud necessarium, quàm res visa & visio.

Unde etiam sequitur, implicare, ut sit vel concipiatur actus moraliter bonus sine conscientiâ ac ratione rectâ: sicut implicat, visum esse, vel concipi absque visione, non tantùm quia voluntas non potest ferri in incognitum, debetque illi ab intellectu proponi objectum bonum; sed insuper, quia conscientia est forma essentialiter constituens & denominans, licet extrinsecè, actum bonum moraliter.

26. Ex dictis præterea collige, cùm bonitas explicatur per conformitatem cum rectâ ratione & conscientiâ, non excludi, sed includi rationem virtutis: nam ut illa est regula actûs boni, ita recti, ac, ut ita dicam, virtuosi. Imò hæc non differunt: quod ipsum docet D.Thomas 1.2.quæst.20.art.3.ad 2. *Ratio*, ait, *recta de ipso fine virtutum, non habet aliam bonitatem quàm bonitatem virtutis, secundùm quod bonitas rationis participatur à qualibet virtute*. Quibus iterum apertè docet conclusionem; tribuit enim ipsi rationi bonitatem, effectum causæ suæ, juxta jam dicta; & addit, eam ipsam participari à qualibet virtute: quia eadem ratio & conscientia, ut antè dixi ex Aristotele & D.Thomâ, præscribit medium virtutibus, earumque actus dirigit & mensurat circa singularum materiam.

Objectiones facilè solvuntur, vel ex jam dictis, vel dicendis sequentibus capitibus.

CAPUT V.

An hæc moralis bonitas actûs interni desumi debeat ab objectivâ.

HÆc quæstio utilis est ad moralem considerationem & distinctionem actuum, ac pleniorem intelligentiam dictorum capite præcedenti, & dicendorum capite sequenti. 27.

Actus internus plerumq; pro objecto habet externum, non semper.

Nota, actum internum, cui primariò convenit bonitas moralis, plerumque pro objecto quidem respicere actum externum ejusdem suppositi; non tamen semper: ut dum volo, vel placet mihi æterna Dei vita, gloria, & essentialis beatitudo; dum volo vel opto ab aliis laudari; quod optare possum absque ullâ executione, aut conatu externo circa me, quo illud obtineam, etsi laudari non possim absque actu externo aliorum.

28.

Actus internus desumit moralem bonitatem ab objecto.

Dico primò: Actus internus desumit moralem bonitatem ab objecto. Est D.Thomæ quæst.18.ar.2. ubi comparat specificationem hanc moralem cum Physicâ: & communis, quæ indicatur ab ipsâ Scripturâ, Oseæ 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.*

Proba-

Probatur, quia omnes actus, quatenus sunt à potentiis, dicunt solùm aliquam rationem genericam, in quâ omnes conveniunt: verbi gratiâ, intellectiones ut sic, nisi determinentur ad certa objecta, solùm significant, in quo omnes conveniunt, quasdam emanationes ab intellectu: eadem est ratio de volitionibus. Nec solùm id verum est de esse Physico, sed & eâdem ratione de morali. Si enim concipiam plures volitiones, hîc sistendo, non potero distinguere unam bonam, alteram determinatè malam, nisi determinem ad objecta, eaque particularia, verbi gratiâ, concipiam volitionem furandi, vel relinquendi cuique suum: tunc enim discernam hanc esse bonam, illam malam. Ergo signum est, bonitatem actûs interni moralem, desumi ab objecto, sine quo ne quidem concipi potest.

29. Dices: Hoc ipso quo concipio actum elici secundùm directionem rationis, seu conscientiæ juxta jam dicta, intelligo bonum independenter ab objecto. Respondeo primò: Esto, sic intelligatur actus bonus in communi, abstrahendo ab hac vel illâ bonitate; non tamen bonum determinatè hac vel illâ bonitate. Respondeo secundò, ne quidem intelligi, saltem distinctè & propriè, ut bonum in communi, nisi cum ordine ad objectum etiam in communi. Ut enim particularis bonitas dependet à particulari objecto, ita bonitas in communi ab objecto in communi. Contrarium ab aliquibus tribuitur Scoto in 2. dist. 40. quæst. unicâ, quasi doceat, bonitatem in genere, non in specie ab objecto desumi, quod tamen ille nullo modo intendit, ut constat attentiùs eum legenti.

Confirmatur: Quia communi omnium conceptu & æstimatione ideò velle furari malum est, quia furari malum est: & contrà, voluntas suum cuique tribuendi bona est, quia suum cuique tribuere bonum est. Quæ causa est, cur justitia, verbi gratiâ, ab omnibus, etiam Aristotele, definiatur cum ordine ad objectum suum, *voluntas dandi cuiq; suum*: vel *virtus secundùm quam aliqui volunt justa*. Eademque est ratio de quibuscumque virtutibus, earumque actibus. Quare universaliter Theologi & Philosophi omnes actus, tam moraliter quàm Physicè spectatos, solent definire & distinguere ex objectis, non tantùm Physicè, sed & moraliter consideratis. Ut enim Physicè considerata, specificant actus Physicè; ita moraliter considerata, debent specificare moraliter.

Instabis: Volitio honesti in communi, quâ quis vult esse bonus ac honestus indefinitè, est actus habens certam & specificam bonitatem: hic non sumit specificam bonitatem ab objecto; ergo, &c. 30.

Probatur minor: Quia hone-

stum in genere, & indeterminatum, non potest dare honestatem in specie, ac determinatam. Respondeo, concessâ majore, negando minorem, ejusque probationem: quia etsi ratio illa objecti non sit una specie, & determinata in esse rei, est tamen in esse objecti, ratione determinati modi, actusque quo attingitur; quod præcisè provenit à determinatâ causâ efficiente, scilicet voluntate, quæ tendit quidem in rem indeterminatam, sed non indeterminatè. Quâ de causâ ratio illa objecti, etsi in se indeterminata, habet determinatam vim specificandi, cùm eodem modo actum terminet quo objectum particulare. Sic etiam quoad actus intellectûs cognitio entis seu veri in communi, est actus certus certæ speciei, etsi objectum sit universale & indeterminatum.

Honestum in genere est quid determinatum in esse objecti, non rei.

Addo jam ex dictis Libr. I. à num. 100. ad ejusmodi volitionem honesti in genere, saltem naturalem, non esse opus peculiari aliquo habitu, aut virtute, sed sufficere inclinationem synthereticam ibi explicatam.

Ad volitionem honesti in genere, nõ est opus peculiari habitu:

Quemadmodum etiam probabilius ad volitionem oppositam inhonesti in genere, quâ quis velit esse nequam, non est opus peculiari habitu. Primò, quia hic habitus D. Thomam & Aristotelem latuisset: secundò, quia semel acquisitus à nullo expelli posset; non enim haberet contrarium: tertiò, quia inhonestum ac turpe ut sic, nemo potest appetere, nisi quatenus delectabile, ad quod satis inclinant peculiaria vitia, ut ibidem dixi.

ut neque ad volitionem inhonesti.

Dico secundò: Objecta actuum internorum ex se habent aliquam bonitatem objectivam. Est etiam reipsâ communis: nam etsi aliqui absolutè negant objecto bonitatem, intelligendi sunt de morali & propriè dictâ, quæ convenit actibus liberis & internis; non autem de objectivâ minùs propriâ, & analogicè dictâ bonitate. 31.

Objecta actuum internorũ habent bonitatẽ objectivã.

Probatur conclusio ex dictis: Si actus externi desumunt suam bonitatem ab objectis, imò si ideò, velle esse temperantem, bonum est, quia esse temperantem bonum est; ergo hoc objectum, aliaque similia, habent aliquam bonitatem non moralem, ergo objectivam, quæ non distinguitur ab ipsâ vi communicandi actui interno, circa se vers[...], bonitatem moralem.

An autem ea dici possit formalis, necne, est quæstio de solo nomine. Si enim per bonitatem formalem intelligas moralem, proximam radicem laudabilitatis, ut communiùs loquuntur Doctores, hanc non habet objectum vel actus externus ex se primariò, sed ab interno communicatã secundariò, ut explicui Lib. I. c. 17. Si tamen formalem voces aliquam aliam, quæ objecto formaliter ex se & primariò convenit, nullum est absurdum

Potest illa aliquo sensu dici formalis.

ſurdum huic illam concedere, ſubintellectâ reſtrictione, objectivam; quo modo etiam loquar cap. 7. Explicatur hoc, ſimulque concluſio, ſimili. Medicamentum non poteſt formaliter dici ſanum, ſeu habere formalem ſanitatem, ſi per hanc intelligas, quæ propriè & ſtrictè ſanitas dicitur, & convenit ſoli animali: ſi verò per ſanitatem latiùs intelligas vim communicandi ſanitatem propriè dictam, hęc medicamento formaliter ineſt, poteſtque hoc ab eâ denominari formaliter ſanum.

32. *Objectiva bonitas, etſi moralis nō ſit, moralem cauſat.* Unde apparet primò, etſi objectiva bonitas non ſit moralis, poſſe tamen actui interno conferre bonitatem moralem; ut ſanitas medicamenti poteſt conferre ſanitatem, ut ita dicam, vitalem animali, etſi ipſa talis non ſit: quâ de cauſâ objectiva hæc bonitas à D. Thomâ quæſt. 2. De malo, art. 3. dicitur *primordialis*.

Apparet tamen ſecundò, aliter actus externos participare bonitatem ab internis, aliter hos ab illis: externi enim participant moralem bonitatem eandem ab internis, quę convenit his primariò in ſe non cauſatam, ſed diffuſam, ut corpus ab animâ vitam; interni verò ab externis participant bonitatem, non illam quam habent externi, ſed novam in ſe ab illâ cauſatam, ut æger à medicamento ſanitatem.

CAPUT VI.

Quid ſit, & quomodo à conſcientiâ pendeat hæc bonitas objectiva.

EX dictis ſuperiori capite ſequitur, omnem omnino actum moraliter bonum ſupponere objectum bonum objectivè, idque tam neceſſariò, quàm actus Phyſicè ſpectatus ſupponit objectum etiam Phyſicè ſpectatum: ut enim hic ab objecto debet ſpecificari ſpecificè, ita ille moraliter. 33.

Unde ſequitur, quamvis Doctores non ſolent diſtinguere bonitatem materialem ab objectivâ, propriè tamen & præcisè loquendo hanc ab illâ diverſam eſſe, ut illi etiam ſupponunt. *Bonitas objectiva differt à materiali.* Materialis enim non ſemper ſupponitur ante omnem actum moraliter bonum; objectiva ſemper ſupponitur, ut jam dixi. Præterea objectiva dicitur reſpectivè ad bonitatem moralem, & actum internum eâ affectum, circa ſe verſantem. Materialis ab eo abſtrahit, imò conſiſtit cum actu moraliter malo, ſicuti materialis malitia cum actu interno moraliter bono: ut ſi quis det eleëmoſynam pauperi hæretico, putans id illicitū; vel mentiatur ad ſervandam alteri vitam, putans id licitum. Quare bonitas & malitia materialis ſolet opponi formali, quamvis hæc non differat à morali.

Quæ sit bonitas materialis. Nota ergo, materialem bonitatem dici, quæ rebus secundùm se convenit à parte rei, independenter à dictamine rationis, secundùm quam res sine materiâ virtutis est ab eo verè approbabilis, non erroneè. Sic Deus, proximus, ac virtutes sunt materialiter bona & amabilia; dæmon ac peccatores, quà tales, item vitia ac peccata materialiter mala & odibilia. Objectiva autem bonitas non est aut dicitur nisi dependenter à judicio, ac dictamine rationis; & huic soli, si invincibiliter sit erroneum, sæpè innititur, ut si quis putet sibi necessariò mentiendum ad servandam suam vel alterius vitam; quo casu mendacium erit objectivè bonum, & materialiter & intrinsecè malum: quare sæpè invenitur bonitas objectiva sine materiali, quandocumque conscientia est invincibiliter ac inculpabiliter erronea. Ideò in dicto casu, & similibus, erronea & speculativè falsa, quia deest objecto materialis bonitas; recta tamen, & practicè imò simpliciter vera, quia non deest objectiva, verè moralem causans, juxta dicta cap. 1. Quòd si tamen aptitudinem, quamvis intrinsecam vel extrinsecam, ut quid judicetur bonum, etsi erroneè, velis vocare bonitatem materialem, nunquam reperietur objectiva sine materiali. Sed & hæc est quæstio de nomine.

Nota secundò, ex dictis etiam superiori capite nasci aliã difficultatem, quomodo ea consistant cum dictis cap. 4. Nam si actus specificetur etiam moraliter ab objecto, ut dixi cap. 5. non videtur specificari aut desumi ejusdem bonitas à conscientiâ ac ratione, ut dixi cap. 4.

34. *Conscientia solet approbare actus internos per objecta.* Dico primò: Non solet ratio, seu conscientia recta respicere & approbare ipsos immediatè actus internos, sed mediatè per eorum objecta.

Probatur experientiâ, & ratio est, quòd objecta & actus externi sint magis obvii & expositi sensibus, ideoque soleant movere etiam intellectum ad sui considerationem, qui solet duci, & uti speciebus decerptis à rebus per sensus. Imò id etiam verum est de objectis insensibilibus, verbi gratiâ, Deo & virtutibus, ad quorum amorem solet excitari voluntas consideratione eorumdem bonitatis & pulchritudinis, non autem reflexâ consideratione actûs sui circa illa versantis: quæ sunt conformia dictis superiori capite.

Addo jam, hac consideratione & approbatione objecti, per hoc simul approbari actum liberè circa illud versantem: quia hoc ipso quo judicas, dare eleëmosynam bonum esse, scilicet tibi, satis judicas tibi bonum ac laudabile esse, hoc liberè facere seu velle. Imò utrumque in idem recidit: sicut idem est, Medicamentum sanum erit ægro, &, Æger benè

benè vel meliùs habebit illud sumendo.

Unde collige, non esse opus alio judicio ac dictamine quo approbetur objectum, alio quo approbetur actus internus. Dixi, *non solet*, quia nil obstat, quò minùs intellectus aliquando possit versari, & approbare ipsos immediatè actus internos, ac volitiones, quas item approbando, satis approbabit earumdem objecta; cùm præsertim, juxta dicta superiori capite, non possit approbare aut considerare volitiones, nisi cum ordine ad earumdem objecta.

Unde collige secundò, ab eodem dictamine objectum posse denominari bonum objectivè, & actum bonum moraliter: quo ferè modo in Physicis eadem forma denominat passum & agens, & eadem visio visum & videntem.

35. *Objectiva bonitas est objectum conforme conscientiæ.* Dico secundò: Objectiva bonitas est ipsum objectum conforme rectæ rationi ac conscientiæ. Unde sequitur, ab hac illam pendere essentialiter, tanquam formâ sui constitutivâ, juxta dicta de actu cap. 4. num. 25. Hæc etiam conclusio est communis antiquorum, contra plures recentiores, ut utraque capitis citati: quia reverà à sese dependent, cùm eadem sit mensura bonitatis moralis & objectivæ, ut Doctores supponunt communiter, & ostendi conclusione præcedenti. Quare D. Thomas artic. 5. quæst. 18. citato, expressè agit etiam de bonitate objectivâ: & quæst. 20. art. 1. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quòd actus exterior est objectum voluntatis, in quantum proponitur voluntati à ratione, ut quoddam bonum apprehensum & ordinatum per rationem*. quæ clara sunt. Neque aliud, sed hoc ipsum docet art. 2. quæst. 28. cùm dicit, bonitatem actionis attendi ex objecto convenienti, non secundùm naturam ejusque exigentiam, cujus ne meminit quidem; sed secundùm rationem, ut se explicuit articulo præcedenti, ad quem se remittit. Quare meritò Salas citatus eodem cap. num. 14. & 21. dicit esse hanc sententiam D. Thomæ, & communem.

Probatur primò: Hoc solo quo objectum à conscientiâ approbatur, ejus volitio moraliter bona est & laudabilis, ac coram Deo meritoria, etsi illud aliàs materialiter malum sit: ergo à conscientiâ illud accipit bonitatem objectivam, fitque objectivè bonum, quatenus illi conforme.

Antecedens certum est & clarum in exemplis allatis suprà, verbi gratiâ, accessu Iacob ad Liam verè non suam, sed tamen bonâ fide putatam, ad quam honestè voluit (ut supponunt Patres ac Doctores) vel saltem potuit velle accedere. Neq; dubium est, quin similiter multi simplices sæpè honestè ac meritoriè velint mentiri, ad servandam alteri vitam, vel evadenda alia incōmoda, ad quod putant se teneri.

36. Ad probandam consequentiam, duo ostendenda sunt: primò, quòd objectum illud sit objectivè bonum, seu habeat bonitatem objectivam; secundò, quòd eam habeat à conscientiâ seu rectâ ratione.

Quod attinet ad prius, aliqui nullam videntur agnoscere bonitatem objectivam, nisi simul materialem ut explicui in Notando; qui proinde videntur illi objecto negare bonitatem objectivam. Sed primò, contra communem Doctorum, & D. Thomæ sententiam, ut jam constat ex capite præcedenti; quia actus omnes specificantur ab objectis, ut Physicè, ita moraliter: specificari autem non possunt actus boni, nisi ab objecto bono, scilicet objectivè. Imò bonitas moralis definiri solet, ut nil sit aliud, quàm tendentia libera in objectum bonum. Secundò, idem reverà est, esse objectivè bonum, & terminare ac specificare volitionem moraliter bonam; seu, esse tale, ut volitio sui moraliter bona sit: ergo implicat, volitionem alicujus esse moraliter bonam, & illud non esse objectivè bonum; sicut implicat, videre parietem, & hunc non videri, seu esse objectivè visum; vel ægrum sanari medicamento, & hoc illi non esse sanum. Tertiò, ut dixi cap. 1. conclus. 2. & fatetur Suarez, atque sequitur ex doctrinâ Aristotelis ibidem citati communiter receptâ, judicium quo Iacob judicavit sibi bonum ac honestum ad Liam accedere, verum fuit, ergo verè bonum fuit, non tantùm velle, sed accedere, scilicet objectivè in mente, atque etiam moraliter à parte rei: aliàs judicium falsum fuisset, nec prudens, atque adeò ineptum ad dirigendam volitionem internam moraliter bonam.

Actus specificātur ab objectis etiā moraliter.

37. Æquè clarum videtur secundum, quòd objectum illud non habeat aliunde bonitatem objectivam, quàm à conscientiâ, ut explicui loco citato, practicè & simpliciter verâ, speculativè erroneâ. Quia hac sepositâ, objectum illud quomodocumque spectatum, sive secundùm exigentiam naturæ rationalis, sive alias circumstantias, non bonum est, sed intrinsecè malum, ut & mentiri: quare nulla hîc vel in actu vel in objecto reperiri potest bonitas, quàm conformitas cum regulâ conscientiæ, juxta dicta cap. 4. Proponitur quidem ab illâ honestas aliqua determinata circa certam materiam, & objectum virtutis, verbi gratiâ temperantiæ, respectu Iacob putantis illam esse suam; sed illa ipsa honestas verè ibi non est, nisi quatenus putatur, atque adeò non tantùm proponitur, sed simul præfigitur & constituitur à conscientiâ. Itaque non nego, quin honestas temperantiæ credita sit etiam objectiva, non tamen quatenus existens, sed quatenus credita & judicata: quâ ratione verè non differt à judicio quo creditur, nisi velis ibi fingere quoddam

Objectum habet bonitatem objectivā à consciētiâ.

ens

Ens rationis. Utrumque quod dixi ad probandam illam consequentiam, docetur à D. Thomâ cap. 1. quæst. 19. art. 5. *Non solùm enim,* inquit, *quod est indifferens, potest accipere rationem boni vel mali per accidens; sed etiam id quod est bonum, potest accipere rationem mali, vel illud quod est malum, rationem boni, propter apprehensionem rationis.* Nota *propter apprehensionem rationis*, seu conscientiæ errantis, de quâ expresse ibi agit, ut & de bono vel malo objectivè. Idem autem est, illud quod est malum, accipere rationem boni propter apprehensionem rationis, &, hanc dare vel conferre rationem boni. vel peto, à quo alio accipiat.

In aliis bonis cognitio est conditio sine quâ non.

Probatur conclusio secundò: In aliis bonorũ generibus, jucundo & utili, quia cognitio habet se tantũ ut conditio sine quâ non, estq; sola propositio, & quasi approximatio objecti, non ideò res bona fit, quia judicio erroneo, etsi invincibili, talis putatur. Ita medicamentum manebit noxium, si tale reverà sit, quamvis putetur saniſſimum; & venenum manebit venenum, quãvis credatur potus saluberrimus: quia sola conditio sine quâ non, & propositio vel approximatio objecti non mutat illud, sed applicat quale est. Secùs omnino se habet bonum honestum, cujus conscientia recta non tantùm illud proponit, sed etiam facit ubi antè non fuit: ergo non tantùm est propositio boni seu honesti objectivè, sed simul mensura & regula, eaque practica. Sanè videntur carere, vel non uti judicio morali, qui circa bonum morale nil amplius dant rationi, quàm circa alia bona & objecta.

Habitus voluntatis tendunt in objectum, ut est in mente;

Confirmatur communi item doctrinâ, quòd habitus voluntatis, seu virtutes quę versantur circa bonum honestum, tendant in objectum suum quale est in mente; quare est actus misericordiæ, dare eleëmosynam putato, etsi non verè pauperi: habitus verò intellectuales tendant in objectũ suum quale est à parte rei: quare nemo elicit actum fidei Theologicæ, dum credit quæ putat, & verè non sunt à Deo revelata; ut neque Doctores suas sententias semper demonstrant cùm putant.

intellectuales, ut est à parte rei.

Denique probatur & confirmatur hæc conclusio iisdem argumentis quibus prima cap. 4.

38\. Ex dictis collige primò: cessare rationem dubitandi Notando 2. propositam; quia cùm etiam objectum mensuretur, & constituatur objectivè bonum per dictamen conscientiæ, idque idem quo actus; idem est actum dependere seu desumere suam bonitatem ab objecto, & à ratione seu conscientiâ. Hoc ipsum indicat D. Thomas art. 3. quæst. 19. cùm *ideò*, inquit, *bonitas voluntatis dependet à ratione, eo modo quo dependet ab objecto.* Non dicitur tamen illa, aut volitio bona

Idem est, actum desumere bonitatẽ ab objecto, & consciẽtiâ illud mẽsurante.

ſpecificari à ratione ſicut ab objecto; quia, ut dixi ſuperiori capite, non poteſt intelligi determinata bonitas aut volitio, ſicuti neque ratio, niſi cum ordine ad determinatum objectum.

Collige ſecundò: concluſionem intelligendam eſſe de bonitate objectivâ, non tantùm quæ deſumitur ex ipſo objecto, ſed eâdem ratione etiam circumſtantiis: judicium enim de illâ debet formari prudenter omnibus conſideratis. Ubi ſuppono, ex objecto & circumſtantiis conflari unam bonitatem, ſicuti in corpore humano ex multis reſultat unica forma ſanitatis aut pulchritudinis: quod faciliùs explicatur noſtrâ ſententiâ, quâ unicum judicium menſurat unitq; illa omnia.

Ex objecto & circũſtantiis conflatur una bonitas:

Excipe circumſtantias mutantes ſpeciem, (quales etiam ab adverſariis planè juxta concluſionem, & D. Thomâ quæſt. 18. artic. 10. definiuntur,) quæ continent ſpecialem vel conformitatem, non cum naturâ, ſed ratione, quoad bonitatem, vel difformitatem quoad malitiam: nam illæ ut ſpeciem moralem, ita bonitatem vel malitiam objectivam mutant.

niſi illæ mutent ſpeciem.

Collige tertiò, ſicut objectum denominatur objectivè bonum à conſcientia approbante, ac regulà conformi; ita objectivè malum ab eadem improbante ac regulâ difformi, ob eaſdem omnino cauſas. De malitiâ morali eſt peculiaris difficultas, de quâ poſteà; quare peccabit contra Religionem, imò & præceptum Eccleſiæ, qui putato feſto Sacrum non audit, & laborat, perinde ac ſi feſtum eſſet.

Collige quartò, contra aliquos recentiores, illis & ſimilibus caſibus non tantùm volitionem internam, ſed etiam externam omiſſionem, vel opus, ſimpliciter peccatum eſſe; ſcilicet ob legem prohibentem creditam; ſicuti contrà utrumque bonum eſſet, ſi à conſcientiâ tale propoſitum fuiſſet, verbi gratiâ, ob creditam legem præcipientem; non quia lex verè obligat, quæ verè non eſt, ſed quia conſcientia legis obligat, quæ verè eſt, ut dicam Lib. 5. cap. 16. Similiter Jacob etiam exteriùs rectè egit accedendo ad Liam. *Spectato illo errore inculpato,* ait Leſſius lib. 1. de Jure & Juſtitiâ, cap. 1. num. 3. *& ceteris circumſtantiis, erat illi verè honeſtum ad hanc accedere.* ergo non tantùm velle. Similiter qui putaret peccatum, peccatori pauperi dare eleëmoſynam, etiam exteriùs peccaret, ſi daret; quod ipſum univerſaliter & abſolutè docet Vaſquez diſp. illâ 58. cap. 2. 39.

Lex non obligat quæ non eſt, ſed ejus conſcientia quæ eſt.

Iacob rectè egit nõ tantũ volendo, ſed accedendo ad Liam.

Ratio à priori ſumitur ex dictis; quia illa omnia accipiunt bonitatem vel malitiam objectivam à prudenti veroque dictamine conſcientiæ, quo dictantur illa eſſe bona vel mala, non abſolutè, ſed in iis circumſtantiis; nec tantùm interna eorum volitio, ſed ipſamet: quia

quia dictamen versatur circa illa immediatè: nec dictantur talia cum limitatione, *objectivè*, quamvis inde etiam talia fiant, sed simpliciter: quare vi ejusdem dictaminis debent esse bona vel mala etiam moraliter, si fiant liberè. Ita qui dicit, Bonum est mihi vel malum dare eleëmosynam, dicit etiam, Benè vel malè agam eam dando.

Præthereà juxta dicta Libr. 1. cap. 17. in illa etiam opera externa diffunditur ab internis, ut libertas ita moralitas, bonitas vel malitia, ac meritum; ergo simpliciter debent ab illâ denominari bona vel mala, etiam moraliter: ob hanc enim & præcedentem rationem, quodcumque opus est bonum vel malum objectivè in mente, est etiam moraliter in exsecutione. Quare satis certum videtur, nos ejusmodi etiam externis operibus mereri præmium vel pœnam: non videtur autem dici posse quòd mereamur præmium opere malo, vel pœnam bono.

40. Nec refert, quòd ejusmodi externa opera materialiter mala non possim suadere aliis, verbi gratiâ, fornicationem falsò creditis conjugibus, vel amentibus: ad hoc enim sufficit quòd sint materialiter peccata contra veram aliquam ac naturalem legem, etsi non moraliter, formaliter ac simpliciter; quod ipsum pejus quid est, quàm error, verbi gratiâ contra Grammaticam. Quia tamen simpliciter peccata non sunt, tantùm est peccatum veniale, absque alio damno iis causam dare, ut cum Vasquez aliisque docet Granadus 12. controv. 6. tract. 4. disp. 3. initio. Aliàs ebrius, qui prævidisset se ebrium dicturum verba blasphemiæ vel contumeliæ, hoc etiam nomine peccaret mortaliter. Imò falsò creditis conjugibus licet aliquando suadere, imò, ut dicam etiam capite illo 16. præcipere ejusmodi actū, non quidem ad petendum, sed reddendum debitum; quod nullo modo & causâ liceret, si illud simpliciter esset peccatum.

Dare causam operibus materialiter tantùm malis peccatum est veniale.

Ex dictis non est difficile solvere objectiones. Præcipua est: Non ideò opus, verbi gratiâ datio eleëmosynæ, est bonum, quia tale judicatur, sed contrà, ideò tale judicatur, quia reverà tale est priusquam judicetur. Sed in illo priori non potest denominari aut desumi à dictamine rationis, quod needum est; ergo à naturâ rationali. 41.

Respondeo primò, retorquendo argumentum, ut jam ostensum est variis exemplis: sæpè ideò tantùm opus bonum est, quia tale judicatur, etsi naturæ aliàs pessimum: ergo saltem tunc bonitas desumitur à dictamine seu conscientiâ, non naturâ. Imò ulteriùs, nunquam est actus moraliter bonus, ipsique proportionatum objectū, nisi conforme conscientiæ, sæpè autem difforme naturæ; ergo hæc non est regula, sed illa.

Respondeo secundò, distinguendo majorem: bonum incompletè concedo, completè nego. Minorem & consequens conformiter concedo de bono incompletè, ad quod sufficiat mensura aliqua remota & incompleta, juxta dicta cap. 2. Secundùm quam distinctionem conciliari possent ambæ sententiæ de bonitate objectivâ, ut & morali, de quâ egi cap. 5. ut nostra vera sit simpliciter de completâ, jam proximè potente specificare actum moraliter, juxta communem sententiam, modumque loquendi antiquorum; contraria de incompletâ, ut dixi in simili Libr. 1. cap. 11. concl. 1. Quæ tamen quæstio, quia pro instituto nostro majoris est momẽti, ut constet an simpliciter conscientia, de quâ agimus, scilicet actualis sit, uti lex naturalis, ita regula actûs atque objecti moralis, explico ampliùs dictam responsionem. Antequam res actu approbetur, necessariò fuit approbabilis; hoc igitur sensu ante actualem approbationem fuit mensura aliqua incompleta, ut & bonitas seu conformitas aliqua cum ratione, radicalis ac fundamentalis, ut loquuntur aliqui. Si itaque nil aliud velint adversarii, à nobis non dissentiunt; quia eo ipso quo res sic est approbabilis à ratione, etiam est conveniens naturæ rationali ut sic. Propriè tamen mensura semper est non natura, quæ, ut suprà dixi, potiùs est terminus convenientiæ; sed dictamen ab eâ realiter distinctum, actuale vel possibile, aut saltem natura quatenus hoc includens. Quemadmodum, juxta communem sententiam, mensura veritatis rerum, à quâ veræ denominantur, est, non natura, sed cognitio infallibilis, qualis est divina; quamvis in priori, quo necdum intelligitur esse actu cognitio, sit veritas aliqua fundamentalis, seu incompleta, vel etiam objectiva, ratione cognitionis possibilis. Quali item sensu, si nulla daretur actu mensura panni seu ulna, pannus qui jam unius ulnæ est, talis dici posset ab ulnâ possibili, cui adæquaretur, si illa esset. Ita ergo etiam objectum antequam approbetur, fuit aptum approbari vero vel apparenti fundamento, quia verbi gratiâ Iacob putabat Liam esse suam.

Conciliantur sententiæ.

42. Adverte tamen, id non esse verum ratione convenientiæ cum naturâ rationali, nisi ratione dicti judicii, seu approbationis. Quare non benè diceretur, Ideò est approbabile, quia naturæ conveniens; sed contrà, Ideò tantùm & eatenus naturæ est conveniens, quatenus à rectâ ratione vel conscientiâ approbabile, quod docet etiam Vasquez citatus. Unde sequitur primò, objectum, quod judicio primo de honestate objectivâ præsupponitur, esse illam ipsam incompletam; adeò ut, Hoc est bonum, idem sit quod, Est conforme rectæ ratio-

Materialiter malū non fit bonum objectivè, quia conveniens naturæ, sed rationi.

rationi, saltem possibili, vel conscientiæ aptæ formari in illis circumstantiis. Quo ipso judicio applicatur mensura, quæ de possibili fit actualis, & objectum fit completè bonum jam proximè à voluntate appetibile. Quo etiam modo in similibus allatis, res fit completè vera cùm actu cognoscitur; & pannus completiùs dicitur unius ulnæ, cùm illâ mensuratus est, vel saltem illa est. Ita multa alia explicantur per denominationem extrinsecam vel intrinsecam, quæ sunt ante illam; & pleniùs talia dicuntur post actum denominandi, etiam bonum ac malum, de quibus agimus.

Conscientia est practica, etiam respectu bonitatis vel malitiæ. Sequitur secundò, judicium illud seu dictamen conscientiæ, non tantùm esse practicum respectu praxis, seu actionis quam dirigit & rectificat, sed etiam objecti seu objectivæ bonitatis completæ, quam causat & perficit seipso, per modum regulæ, & in genere causæ formalis: quo etiam sensu potest explicari in definitione conscientiæ, quòd sit dictamen practicum, scilicet etiam bonitatis vel malitiæ.

Sequitur tertiò, ideò aliqua judicari bona vel mala, quia talia sunt, scilicet incompletè & materialiter, ut dare eleemosynam, fornicari, &c. contrà verò, alia ideò esse talia, quia talia judicantur, ut cognoscere putatam suam, laborare credito festo, quæ à conscientiâ accipiunt totam bonitatem vel malitiam objectivam. Utraque tamen eatenus bona sunt simpliciter & completè, quatenus rectæ rationi ac conscientiæ conformia, sensu explicato: essentia enim bonitatis ubique est eadem.

43. *Dignitas boni honesti.* Denique ex hoc & quarto capite collige dignitatem boni honesti, quod desumitur & mensuratur à dignissimâ hominis facultate, nimirum rationali, eaque instructâ nobilissimo actu, dictamine conscientiæ: quod ipsum participatio quædam & irradiatio est rationis æternæ, ac lumen vultûs Domini. Videntur hoc divino quodam instinctu & lumine percepisse etiam sapiẽtes Ethnici, quibus tam augustum & venerabile fuit bonum honestum, ut nulla alîus boni spe, nullo metu putarint ab illo ejusque regulâ conscientiâ deflectendum. Quod non possum, quin ostendam unico testimonio Senecæ Libro 4. de Benef. cap. 21. *Est aliquando gratus, etiam qui ingratus videtur, quem mala interpres opinio in contrarium deducit. Hic quid aliud sequitur, quàm ipsam conscientiam, quæ etiam obruta delectat, quæ concioni ac famæ reclamat, & in se omnia reponit, & cùm ingentem ex alterâ parte turbam contrà sentientium aspexit, non numerat suffragia, sed unâ sententiâ vincit? Si verò bonam fidem perfidiæ suppliciis affici videt, non descendit è fastigio, sed supra pœnam suam consistit. Habeo, inquit, quod volui, quod petii. Non pœnitet,*

 nitet,

nitet, nec pœnitebit, nec ullâ iniquitate me eò fortuna perducet, ut hanc vocem audiam: Quid mihi volui? quid mihi nunc prodest bona voluntas? Prodest & in equuleo, prodest & in igne, qui si singulis membris admoveatur, & paulatim unum corpus circumeat; licet ipsum corpus plenum bonâ conscientiâ stillet, placebit illi ignis, per quæ bona fides collucebit. Et paulò pòst: *Est videlicet magna in ipso opere merces rei, & ad alliciendas mentes hominum ingens potentia honesti, cujus pulchritudo animos perfundit, & delinitos in admirationem luminis ac fulgoris sui rapit.* Quid à Christiano Doctore poterat dici rectæ rationi, conscientiæ, fideique conformius?

CAPUT VII.

Quomodo à conscientiâ proponi, & à voluntate intendi debeat bonitas objectiva.

44. STatus quæstionis est, an ad volitionem, vel actum moraliter bonum & honestum, necesse sit expresè cognoscere, & tendere in objectum quatenus honestum. Quo sensu utilis est ad pleniùs intelligenda jam dicta, de utraque bonitate, morali & objectivâ, & naturam actûs moraliter boni, simulque officium conscientiæ rectę illum dirigendi.

Tria distinguēda in actu externo bono.

Nota primò, in actu externo bono, videlicet temperatâ refectione, distinguenda esse tria: Primò, ipsam secundùm se actionem naturæ jucundam; secundò, ulteriorem aliquam rationem, cujus intuitu approbetur à rectâ ratione, qualis est naturæ sustentatio, vel sanitas; tertiò, completam ejus honestatem, quam nunc ostendi sitam in conformitate ejus cum rectâ ratione. Hanc vocabo hîc honestatem formalem, illam materialem, scilicet utramque objectivam.

Nota secundò, secundam illam rationem esse quid amplius quàm nudam actionem, scilicet materiam proximam, imò ipsam materialem honestatem, in quâ proximè fundatur objectiva. Imò potest etiam dici objectiva incompleta, qualis est in datione eleëmosynæ & opere misericordiæ, sublevatio miseriæ proximi; in refectione, sustentatio naturæ rationalis; in actu justitiæ, restitutione ac solutione, debitum; in actu obedientiæ, præceptum; in actu charitatis proximi, vel etiam Dei, bonitas utrique intrinseca; in actu studiositatis quidpiam discendi, scientia statui vel conditioni tuæ conveniens. 45.

In materiali honestate fundatur objectiva.

Unde apparet primò, in illis & similibus, cùm eâ ratione ac motivo appetuntur, non apperi sub ratione indifferenti ac communi tam inhonestati quàm honestati: nam sic præcisè fundant honestatem, repugnant inhonestati. Apparet secundò, expressiùs & directiùs sic intendi honestatem, quàm debet

Directiùs intēditur honestas actu bono, quàm inhonestas malo.

Ad bon... suff... cogn... & ... hon... mal... ...

bet intendi inhonestas peccato: ad hoc enim sufficit quocumque motivo actionem intendi, cui quomodocumque scitur qualiscumque malitia esse annexa. Atque ea quoque vera sunt de actibus bonis bonitate objectivâ, etsi non materiali, ob conscientiam invincibiliter erroneam: quibus, etsi verè non subsit materialis honestas, ac conscientia, tamen proponitur & præfigitur, juxta dicta superiore capite, verbi gratiâ, sublevatio miseriæ proximi in mendacio putato ad illam necessario ac licito.

Suppono prætereà, actus externos, aliave objecta, sic proponi absque circumstantiâ ullâ vitiante ac prohibitione extrinsecâ legis, vel naturalis vel positivæ, idque prudenter omnibus spectatis; atque adeò cognitionem illam ac judicium esse prudentiæ, quo prudenter bonâque fide illud medium præscribatur ad finem dictum.

Unde necessariò sequitur, idem spectare ad rationem ac conscientiam rectam, si præsertim ultimò actum voluntatis dirigat, isque bonus sit, quod jam dicam.

46. *Ad actum bonum sufficit cognitio & intentio honestatis materialis.* Dico primò, Ad actum moraliter bonum sufficit cognitio & intentio honestatis materialis, secundo illo modo ac ratione. Ita Medina 1.2. quæst.18. artic.9. & Conradus, Azor. libr. 2. cap.5. quæst.4. Salas citans alios tract.7. num. 50. & disp.4.sect.3. num.17. & plures recentiores contra Scotum, Gabrielem, Occam, Vasquez, & multos alios: quorum tamen aliqui tantùm verbis à conclusione dissentiunt, & juxta Notandum 2. per honestatem intelligunt secundam illam rationem, explicatam Notando, 1. ut Tanner. 1.2. disp.3. dubio 3. Probari potest primò, ex eo quod dici solet ex Aristotele, inesse aliquam particulam honesti vitæ, quod non intelligitur de vitâ quavis, sed quietâ ac commodâ; ea enim est finis societatis humanæ, juxta eundem Aristotelem, ideò honesta, ac honestè expetibilis. Conformiter D.Thomas 1.2.q.18. art.9. ad 3. docet sequentia: *Nam hoc ipsum quod aliquis agat ordinatè ad sustentationem vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur in eo, qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis. Et idem patet in aliis.* Ubi ordinari idem est quod ordinabile esse, modo explicato; itaque ordinari virtute, non actu. Aliàs falsum esset quod dicit immediatè antè, quòd omnis finis à ratione deliberativâ intentus pertinet ad bonum alicujus virtutis, vel ad malum alicujus vitii: nam certum est, non omnem finem actualiter sic ordinari. Neque adversarii requirunt ad actionem bonam, verbi gratiâ refectionem corporis, ut hoc actu ordinetur. Similis ordinatio & relatio non actualis, sed virtualis competit omnibus actibus bonis erga Deum, juxta communem sententiam, quam indicat D.Thomas

mas quæst. 19. art. 10. ad 1. dicens: *Quicumque vult aliquid sub quacumque ratione boni, habet voluntatem conformem voluntati divinæ*, scilicet virtuali quodammodò, & interpretativo illi volito.

Probatur conclusio primò ab absurdo, quia si ad omnem actum moraliter bonum necessaria sit cognitio & intentio honestatis formalis, nimis restringitur numerus actionum bonarum: quibus plurimæ non erunt annumerandæ, quæ communi hominum æstimatione censentur honestæ ac laudabiles, verbi gratiâ in exemplis superioribus, dare eleemosynam pauperi præcisè quia misero, ex rationabili erga eum compassione; solvere creditori, quia ipsi debes; moderatè comedere ac bibere, ut bene valeas, ac studeas; studere, ut scias quæ ad te & officium tuum spectant; obedire superioribus, quia tibi præcipiunt; amare ac colere parentes, quia parentes sunt; amare proximum, quia proximus, id est consors tecum humanæ naturæ, vel quia probus. Imò quodvis facere ad majorem Dei gloriam, vel eundem amare, quia in se bonus est: quia in nullâ sententiâ attingitur hisce actibus formalis honestas. Nec enim Dei gloria ejusque aut proximi bonitas est conformitas, vel cum rectâ ratione, vel cum naturâ rationali. *Quis*, inquit Palacius, & ex illo Salas, *dicet, rusticos & alios idiotas non habere actus moraliter bonos? At verò rarissimi sunt eorum qui apud se hoc agant, quando studiosè exercent opera illa, quia recta ratio dictat, neque callent vocare rectam rationem in objecta actuum suorum.* Quibus supponunt nobiscum bonitatem moralem, sitam in conformitate cum rectâ ratione, non naturâ rationali. Verùm rariùs videntur idiotæ imò & docti ideò quidquam agere, quia conforme naturæ rationali, scilicet agentium: nec enim cùm succurrunt, verbi gratiâ misero, videntur cogitare de aliâ naturâ humanâ aut conformitate cum illâ, quàm miseri quam sublevant.

Confirmatur ex Tridentino sess. 14. cap. 4. quod definit actum bonum esse attritionem, quæ concipitur non tantùm ex consideratione turpitudinis peccati, sed, inquit, ex gehennæ & pœnarum metu. Quia ut bonum Physicum naturæ rationalis sufficienter fundat honestatem actuum prosecutionis, ita tantùm ejusdem malum ac pœna satis fundat honestatem actuum fugæ, qualis est attritio. Iuxta adversarios, ut omnis actus prosecutionis deberet tendere expresè in formalem honestatem, ita fugæ expresè detestari inhonestatem, seu turpitudinem peccati.

Attritio bona quæ concipitur ex gehennæ metu.

47. Nec sufficit ad hæc respondere, quòd istiusmodi actus fiant altiori aliquo motivo in illis fundato; quia comentanei sunt rectæ rationi, vel

naturæ

rationali, cujus signum sit, quòd etiam simplices interrogati cur illa faciant, responsuri sint, quia decent hominem vel Christianum, vel Deo grata sunt. Primò, quia hoc ipsum potiùs confirmat sententiam nostram, juxta quam etsi illi ejusmodi opera præstent, ut saltem præstent aliquando, verbi gratiâ, succurrendo pauperi præcisè quia eget; si rogentur causam, haud dubiè idem responsuri sunt; ergo signum est, communi eorumdem sensu hoc solo illos facere, quod se decet, & Deo gratum est, etsi hoc expresè non cogitent nec velint. Secundò: quia saltem Tridentinum præcisè explicuit motivum attritionis verbis citatis, *ut concipitur,* quod expresè addit, *communiter.* Aliàs insufficienter illud explicasset, imò dedisset occasionem errandi: certum autem est, metum, vel malum gehennæ & pœnarum, non esse formalem honestatem aut inhonestatem.

Communi bonorum sensu benè illi agunt, etsi non intendant formalem honestatë.

Probatur secundò ratione, quæ ex dictis colligitur, quia intentio honestatis, etiam materialis, suâ naturâ talis est, ut hominem avertat à malo, convertat autem ad bonum rationis, & tendit directè in aliquam honestatem objectivam, saltem incompletam & materialem: ergo ab hac, si liberè fiat, ut suppono, contrahet aliquam bonitatem moralem.

Confirmatur: ad actum peccati, ut antè indicavi, non requiritur intentio directa malitiæ, ne quidem materialis; ergo sine necessitate non oportet reddere difficiliores actus virtutum, requirendo directam intentionem honestatis etiam formalis.

Ex dictis collige, de his quoque actibus intelligenda quæ dixi superioribus capitibus, scilicet eorumdem bonitatem sitam in conformitate cum rectâ ratione & conscientiâ, specificari ab objectis, & hæc illosque approbari eodem judicio actuali, quod nisi actu esset, actu dirigere non posset. Objectiva tamen horum bonitas non est actualis conformitas cum judicio, vel actuali vel possibili, ut neque cum naturâ rationali, quia suppono eam nec cognosci, nec intendi. Quare dixi, non esse honestatem formalem & completam, sed rationem objecti aliam, proximè à rectâ ratione ac conscientiâ approbabilem; qualem explicui, & dixi honestatem materialem & objectivam incompletam: cui etiam competit vis causandi bonitatem in actu moralem, quomodo explicanda & moderanda est secunda conclusio capitis præcedentis. 48.

Unde etiam apparet, Iacob in exemplo sæpiùs allato potuisse quidem concipere dictamen de ipsâ expresè honestate, id est conformitate cum ratione accesûs ad Liam, ut supposui illum fecisse; non fuisse tamen id necessarium

ut benè ageret, sed sufficisse ut id vellet ad propagandum genus humanum, aut simili motivo.

Collige secundò, honestatem moralem quamvis consistere in conformitate cum actuali judicio rationis, quod omnem actum bonum præcedit & dirigit; objectivam verò esse duplicem, unam completam & formalem, sitam etiam in actuali conformitate cum eodem judicio; alteram incompletam & materialem, sitam in virtuali quadam conformitate cum judicio nato ex eâ sequi.

Objectiva bonitas materialis sita est in virtuali conformitate cū ratione.

49. Dices: D. Thomas quæst. 19. art. 1. ad 3. dicit, bonum, in quantum cadit sub ordine rationis, pertinere ad genus moris, & causare bonitatem moralem in actu virtutis; & art. 7. etiam ad 3. ad hoc ut voluntas sit bona, requiri quòd sit bona sub ratione boni, id est, quòd velit bonum propter bonum: idque probat ex communi axiomate, quòd bonum sit ex integrâ causâ, malum ex singulis defectibus. Similiter Aristoteles sæpè præsertim 6. Ethic. cap. 12. docet, justos non debere tantùm justa agere, sed ob ipsa. Imò lib. 3. cap. 8. qui faciunt fortia, non ob honestatem, dicit pugnaces, non fortes, & similes feris. Quæ confirmantur ratione indicatâ ab Aristotele; quia motivum illud virtutis videtur attingi posse à feris, multò magis malis hominibus, ac habitu vitioso.

Respondeo, D. Thomam primo loco expresè tantùm docere conclusionem primam capitis 4. Quoad alterum locum D. Thomæ, & Aristotelis, distinguo illas particulas, seu honestatem in genere, vel specie, juxta dicta in Notandis: materialem concedo, formalem nego. Axioma à nullo potest ita amplè explicari, quasi requirantur omnia omninò, quæ actum bonum possent quomodocumque perficere. Requiritur ergo in actu bono peculiaris quidam affectus erga honestum, saltem materiale ut sic, qualis nec requiritur in actu malo ad peccatum, nec potest ipse esse malus, aut ab habitu vitioso procedere, cùm dirigatur rectâ ratione, conscientiâ ac prudentiâ, ut jam dixi, & pleniùs dicam capite sequenti sub finem. Unde apparet, multò minùs illam honestatem, etsi materialem ut sic, posse attingi à brutis, præterquam quòd hæc non capiant naturam humanam, aut rationalem ut sic, quod necessarium est ad honestatem materialem, multorum saltem actuum, verbi gratiâ, misericordiæ erga proximum, ut jam indicavi, & dicam cap. 9. concl. 2. Non refert tamen quòd illud motivum, aut honestas materialis destinari possit ad finem alium malum; verbi gratiâ, sublevatio miseri, ut illum tibi malo fine devincias; quia idem potest contingere aliis etiam motivis, quę etiam adversarii fatentur honesto mora-

Ad actum bonum sufficit intentio honesti materialis ut sic.

Motivum actûs boni potest destinari in finem malum.

moraliter actu intendi; ut si velis, vel placeat tibi vita æterna Dei, ejusque aut proximi bonitas, ut te conservet, vel serviat commodis tuis. Imò ipsa quoque honestas & virtus ad malum finem extrinsecè dirigibilis est, verbi gratiâ, ad vanam gloriam. Sufficit itaque, ut ipsa secundùm se honestas materialis, ibi sistendo, actu vel habitu vitioso intendi non possit, nisi accedat vel detegatur mala circumstantia, quod & adversarii debent dicere de similibus: præterquam quòd nec consequenter, nec rationabiliter distinguant, hîc inter honestates materiales, dicantque aliquas actu bono posse intendi, negent alias. omnes enim, vel pleræque rationes idem probant de omnibus vel nullis, eo scilicet ipso quo tantùm materiales sunt, nominatim auctoritas D. Thomæ & Aristotelis.

50. *Perfectior est actus quo intenditur honestas formalis, quà quo materialis.*

Dico secundò: melior tamen & perfectior moraliter est actus, quo cognoscitur & intenditur honestas formalis, quàm quo tantùm materialis. Supponitur ab omnibus, nimirum cæteris paribus, & circa idem objectum.

Probatur facilè ex dictis, quia perfectior in suo genere est honestas objectiva formalis & cõpleta, quã materialis & incõpleta: ergo etiam communicabit actui quo intenditur, perfectiorem bonitatem moralem. Ut enim actus moralis ejusque bonitas specificatur ac pendet ab objectivâ secundùm suum esse simpliciter; ita etiam secundùm perfectius esse.

Addo primò, utrumque actum spectare ad eandem virtutem, scilicet ob affinitatem & subordinationem utriusque, tum honestatis objectivæ, tum actûs.

Addo secundò, cùm intenditur honestas formalis, non excludi, sed comprehendi, atque adeò intendi etiam materialem, ex quo item capite augetur bonitas, ac perfectio actûs, juxta dicenda num. 136.

Addo tertiò, aliquam honestatem materialem, verbi gratiâ, Dei gloriam, esse perfectiorem, adeoque communicare actui majorem perfectionem, quàm honestatem, licet formalem circa res inferioris ordinis sive creatas: quod per se videtur satis manifestum.

Addo igitur quartò, perfectissimum esse actibus bonis, non tantùm intendere propriam rei honestatem, sed Dei gloriam, juxta Apostolum 1. Cor. 10. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Nec enim huic fini quivis alius vel finis vel honestas minùs subordinata est, quàm honestas materialis formali. 51.

Omnia ad Dei gloriã referenda, actualiter vel virtualiter.

Dupliciter autem verba Apostoli intelligi possunt, vel de intentione actuali, & sic sunt tantùm consilii; vel virtuali, de quâ in Deum relatione egi paulò antè, & sic sunt præcepti, si, quod ostendam

dami posteà, non dentur actus indifferentes: omnibus enim actibus bonis convenit intentio gloriæ Dei virtualis, cùm omnia verè in Dei gloriam cedant, minùs tamen quàm si actualiter eadem intendatur. De simili quadam ac virtuali Dei laudatione Augustinus in Psal. 34. *Suggero remedium, unde totâ die laudes Deum, si vis. Quidquid egeris, benè age, & laudasti Deum.*

CAPUT VIII.

An & quo sensu bonitas ac malitia sit actibus essentialis.

52. HÆc quæstio hîc subjungenda fuit, ut pleniùs intelligerentur hactenus dicta de bonitate morali actuum, eorumque mensurâ conscientiâ. Instituitur autem communiter de actibus internis, & bonitate ac malitiâ morali, non autem de externis & bonitate ac malitiâ materiali & objectivâ: quamquam de his eâdem operâ institui potest. Sensus autem quæstionis est, an utravis bonitas, ac malitia ipsi naturæ dictorum actuum sit essentialis, vel tanquam differentia, vel tanquam proprietas inseparabilis à naturâ promanans, & ab eâ inseparabilis.

Bonitas materialis actibus externis est essentialis, non objectiva.

Dico primò: Bonitas & malitia materialis actibus externis est essentialis, non autem objectiva, quatenus ab illâ distincta.

Probatur prior pars ex superioribus capitibus, quia bonitas & malitia materialis convenit actibus, quatenus sunt talis naturæ, verbi gratiâ, malitia furto, quatenus est ablatio rei alienæ contra justitiam; ebrietati, quatenus turbat rationem. Idem clarius est in homicidio, blasphemiâ, mẽdacio, &c. qualia proinde sunt & dicuntur intrinsecè mala. Simili ratione convenit actibus externis materialis bonitas, opposita materiali malitiæ, explicata superiore capite, utroque Notando, ut constat in exemplis ibi allatis, verbi gratiâ, largitione eleëmosynæ, solutione debiti, &c.

Adverte tamen, actus externos ita materialiter bonos vel malos, non sumi aut considerari solitariè, sed cum circumstantiis, verbi gratiâ furtum, quatenus est acceptio non præcisè talis rei vel pecuniæ, sed alienæ; & solutionem, non quatenus solùm est numeratio pecuniæ sed debitæ. 53.

Actus externi considerandi cum circumstantiis.

Probatur posterior pars etiam ex dictis, sensu & ratione contrariâ; quia objectiva bonitas completa, quatenus à materiali distincta, convenit actibus extrinsecè, ratione judicii ipsis extrinseci. Imò ejusmodi bonitas convenit actibus materialiter ac naturâ suâ malis, uti & malitia naturâ suâ bonis: ut si quis conscientiâ invincibiliter erroneâ putet sibi mentiendum

tiendum, vel non dandam eleëmosynam.

54. *Bonitas moralis non est iis essentialis.* Dico secundò: Bonitas & malitia moralis ac formalis, non est actibus externis essentialis.

Probatur item ex dictis; quia & illa competit illis extrinsecè & secundariò, ratione actuum internorum, quibus substant & imperantur: quare his mutatis, & illi moraliter mutantur. Atque ita *Idem actus externus potest esse bonus & malus.* D. Thomas 1. 2. quæst. 20. artic. 6. juxta communem sententiam docet, eundem actum externum, non quidem in genere moris, sed naturæ, posse esse bonum & malum; exempli causâ; comestionem carnis temperatam in eo, qui primò non advertit esse diem Veneris, sed pergit, etsi deinde id advertat: simili ratione eadem comestio posset primò esse mala, si primò putaretur prohibita, deinde licita.

55. *Diverso, non eodē tempore.* Adverte, hoc intelligendum esse de eodem actu successivè ac diverso, non simul eodem tempore: quia juxta mentem D. Thomæ citati, & quæst. 19. art. 7. ad 2. & 3. multoque veriorem, uti communiorem sententiam, simul respectu ejusdem idem actus ne quidem externus potest esse bonus & malus: quia hoc ipso quo malus, non esset bonus; bonum enim est ex integrâ causâ, malum ex singulis defectibus: aliàs eodem actu simul possemus mereri cælum & infernum; eâdemque ratione mereri novam, & satisfacere pro antiquâ pœnâ: quæ sunt absurda, & contraria sensui Christi fidelium.

Dixi, *respectu ejusdem*; quia respectu diversorum, idem opus potest esse simul bonum & malum, ut dixi Lib. 1. num. 149.

Dico tertiò: Neque moralis bonitas ac malitia est essentialis actui interno præcisè spectato secundùm suam naturam, & abstracto à libertate. Est etiam ferè communis, contra recentiores aliquos Thomistas. 56. *Bonitas non est essentialis actui interno præcisè spectato.*

Probatur: Idem numero actus potest de non libero fieri liber, & contrà, & consequenter de non morali moralis, de non bono bonus; ergo non est actui essentialis, verbi gratiâ bonitas. Probatur antecedens, quia possumus incipere aliquid velle, quod primò proponitur sub solâ ratione boni, ut fit motibus primo-primus, & eandem volitionem prosequi, postquam idem objectum proponitur, etiam sub ratione mali. Ita etiam contrà possumus velle aliquid primò propositum sub ratione boni & mali, eandemque volitionem continuare, etsi deinde id proponatur sub solâ ratione boni: ut si quis inter volendum incidat in amentiam, vel quâcumque de causâ id contingat. In priori casu actus de necessario fiet liber, &, si objectum sit bonum, de non bono bonus; si objectum malum, actus fiet de non malo malus: in posteriori casu de libero fiet necessarius, *Idem actus de non bono potest fieri bonus, vel contrà.*

& de bono non bonus, vel de malo non malus, juxta conditionem objecti.

57. Dices, mutatâ cognitione in intellectu, mutabitur etiam volitio in voluntate; dum enim aliud voluntati proponitur, aliud ipsa vult: ergo eadem volitio de necessariâ non fiet libera, vel de non bonâ bona, vel contrà.

Respondeo, negando totum: nam etsi alia in objecto ratio bonitatis ab intellectu detegatur, non ideò necessitatur ad volendam illam voluntas, etsi velle possit. Cùm enim multæ rationes in objecto proponuntur, potest liberè unam è multis eligere ac velle: multò igitur magis potest rationem boni priùs cognitam & volitam amore continuato prosequi, etsi hæc non proponatur jam sola. Quòd si propterea proponeretur ratio mali ut sic, posset quidem voluntas omnem actum suspendere, quod antè non poterat. Si tamen velit circa illud objectum agere, necessariò perget amare eandem rationem bonitatis, cùm malitiam ut sic, quæ sola præterea proponitur, amare non possit.

Non necessariò mutatur volitio, etsi mutetur cognitio.

58. Dico quartò: Malitia proveniens ab objecto indirectè volito non est essentialis actui interno, nequidem ut libero. Est etiam ferè communis.

Malitia proveniẽs ab objecto indirectè volito, nõ est essentialis actui libero.

Probatur primò à posteriori & absurdo: si illa malitia esset actui malo essentialis, sequeretur, eundem fore specie actum, ubi eadem esset specie malitia; esset enim hæc differentia essentialis, aut proprietas inde resultans. Hoc autem falsum esse, apparet in homicidio directè & indirectè volito: in utroq; enim est eadem specie malitia homicidii, cùm tamen actus mali specie differant. Nam homicidii directa volitio essentialiter & directè tendit in homicidium externum, in quod physicè nullo modo tendit volitio homicidii indirecta, ut si fiat ex culpabili ignorantiâ; exempli causâ, si quis sclopum explodat, culpabiliter nesciens circa se esse hominem; hic physicè vult sclopum explodere, non hominem occidere.

Probatur secundò à priori ex jam dictis, quia actus internus malus ex objecto indirectè & moraliter tantùm volito, physicè in hoc non tendit, ergo nihil inde essentiale in illum physicè spectatum potest derivari.

Dico quintò: Omnis bonitas, & aliqua malitia, scilicet proveniens ab objecto directè volito ut malum est, actui humano & libero sunt essentiales. 59.

Omnis bonitas, & aliqua malitia est actui libero essentialis.

Dixi, *ut malum est*, primò complete & formaliter, quatenus est difforme rationi, in eo ipso apprehendendo aliquam rationem boni, ut verbi gratiâ, superatâ aversione à peccato liberiùs pecces. Addo, sic deberi appeti objectum ut difforme dictamini rationis ultimò ac proximè

proximè actum dirigenti, quod est proprium conscientiæ: aliàs agere contra dictamen aliquod rationis, posset esse bonum, quatenus conforme alteri dictamini, quo judicetur prius fuisse scrupulosum. Secundò, ut etiam malum est materialiter & incompletè, ut si pecuniam rapias quia aliena est, vel ut alteri noceas, vel quidvis velis simili ratione, quia vel quatenus materialiter & intrinsecè malum est, ac fundat inhonestatem completam ac formalem. Quod non facit, cùm conscientiâ invincibiliter erroneâ ob rationem aliquam extrinsecam proponitur tamquam bonum.

Unde collige, cur dixerim, *omnis bonitas*, non *omnis malitia*; quia omnis bonitas necessariò provenit ab objecto bono, alterutrâ illâ ratione volito directè, ut constat ex capite præcedenti, non autem omnis malitia ab objecto malo, alterutrâ ratione volito directè, ut constat ex præcedenti conclusione.

Dixi, *actui humano & libero*, quia jam constat ex conclusione tertiâ, nullam bonitatem aut malitiam esse essentialem actui abstracto à libertate.

Conclusionem sic explicatam credendus est tantùm voluisse docere D. Thomas 1.2. quæst. 18. art. 5. multique ejus interpretes à multis malè intellecti. Dum enim ait D. Thomas, bonum & malum diversificare speciem in actibus moralibus, sequitur de actibus ut sunt humani & liberi, ut constat etiam ex titulo articuli; & cùm docet, bonum & malum, quatenus differentiæ sunt objecti, diversificare speciem actûs, agit de objecto directè volito, quod solùm est objectum actûs secundùm physicam tendentiam considerati. Neque aliud voluerunt Nominales, Occam, Gabriel, &c. cùm docent, aliquem actum internum essentialiter ac substantialiter esse bonum, nec posse successivè de bono fieri malum. Repugnat Cajetanus cum multis recentioribus, Vasquez, Salas, &c.

Probatur conclusio ratione indicatâ à D. Thomâ: Actus sensu conclusionis eodem modo in esse morali dependet & specificatur ab objecto suo, considerato secundùm objectivam bonitatem vel malitiam, quam respicit, quo in esse physico ab objecto quod physicè respicit; ergo necessariò & essentialiter erit bonus, si objectum bonum, malus, si malum. 60.

Probatur consequentia: Ille actus suâ naturâ & essentialiter tendit physicè in tale objectum, ergo & bonitas & malitia tali tendentiæ necessariò annexa, juxta sensum quæstionis erit illi essentialis.

Confirmatur: quia eo ipso quo actus liberè versatur circa bonum objectivè modo explicato, ipse etiam bonus est; & eo ipso quo circa malum objectivè, ipse etiam malus

lus est. Neque per divinam potentiam id impediri potest, cùm sit natura ipsa bonitatis & malitiæ, ut de hac ostendam infrà cap. 18. & de illâ ostendi suprà cap. 4. Simili ratione, quia Deus non potest immutare naturas rerum, impedire non potest, quin amor Physicè sit talis speciei.

Bonitas & malitia essentialis, est ipsa actûs liberi substantia. Unde sequitur, bonitatem (eademque est ratio de malitiâ dictâ) non solùm esse actui essentialem tanquam proprietatem distinctam ab eo resultantem, sed esse ipsammet actûs substantiam, seu Physicam tendentiam, non quamlibet, sed liberam, seu humano modo mensuratam rectâ ratione ac conscientiâ. Planè juxta dicta Libr. 1. cap. 15. & 16. & hoc Lib. cap. 4.

61. Ex dictis collige, juxta ibidem dicta, bonitatem & malitiam non ita dicere denominationem extrinsecam à ratione, quin in recto dicant quid ipsi actui intrinsecum, seu illum ipsum inadæquatè consideratum. Quo etiã modo in Physicis potentiæ, etsi indistinctæ, saltem divinæ, dicuntur esse in Deo, idque intrinsecè ratione inadæquatæ considerabilitatis, quæ habet campum multò latiorem in moralibus.

62. *Quâ ratione idẽ actus fiat de nõ bono bonus, vel cõtrà.* Collige secundò, an & quâ ratione idem actus possit fieri de non bono bonus, vel contrà; de non malo malus, vel contrà: quibus terminis hæc quæstio pluribus solet disputari. Primò enim actus externus non potest de non bono aut non malo fieri bonus aut malus, vel contrà, materialiter; potest tamen objectivè, juxta conclusionem primam. Secundò, actus etiam externus potest de non bono & non malo fieri bonus & malus, vel contrà, moraliter ac formaliter, juxta conclusionẽ secundam. Tertiò, actus item internus abstractus à libertate, seu Physicè spectatus, potest de non bono ac non malo fieri bonus ac malus, aut contrà, moraliter, juxta conclusionem tertiam. Quartò, actus internus liber potest de non malo fieri malus, vel contrà, malitiâ proveniente ab objecto indirectè volito, juxta conclusionem quartam. Quintò, nullus actus liber potest de non bono fieri bonus, aut contrà, neque de non malo malus, aut contrà, malitiâ proveniente ab objecto directè volito quà malum est, juxta conclusionem quintam. Quorum omnium universalis & clara ratio est, quòd eo ipso eodemque sensu, quo bonitas vel malitia est essentialis, mutari non possit; possit verò eo ipso quo non est essentialis, sed tantùm accidentalis.

Collige tertiò ex dictis, nominatim primâ & ultimâ conclusione, actus internos esse essentialiter bonos etiam materialiter, secùs quàm objectivè; non tantùm eo sensu, ut si ipsi appetantur absque conscientiâ invincibiliter erroneâ, neces- 63. *Actus interni sunt essentialiter boni materialiter.*

necessariò sint terminaturi, imò causaturi actus moraliter bonos; sed etiam eo, ut si liberè eliciantur, sint futuri moraliter boni. Eadem est ratio quoad malitiam materialem de actibus internis malis ex objecto directè volito; de qualibus egi conclusione quintâ. Secùs dicendum de malis ex objecto indirectè volito, ut colligitur ex dictis conclusione quartâ. Unde item sequitur, internos actus bonos non posse de non bonis materialiter, fieri bonos, aut contrà; neque etiam actus ejusmodi malos de non malis, materialiter malos aut contrà.

64. *Virtus essentialiter tendit in honestu.* Collige quartò, virtutem, ejúsve habitum essentialiter tendere in honestatem saltem materialem, scilicet actibus internis essentialiter bonis, sensu explicato. Nec enim illa potest tendere in objectum suum, nisi per actus, eosque sibi & objecto proportionatos. Quæ item causa est, cur virtute nemo possit malè uti, juxta sententiam D. Thomæ, ac multò communiorem & veriorem. Potest tamen quis eâ uti non benè, defectu libertatis: tendit enim illa in objectum honestum per actum saltem materialiter bonum, sive liberum, sive necessarium: quare, verbi gratiâ, charitas tendit in Deum etiam necessariò, cùm is tantùm proponitur sub ratione boni, etsi in viâ. Quod clarius certiusque est de amore beatifico in patriâ.

Dices cum Durando, aliisque contra ultimam conclusionem: Si quis ritè dispositus, nulloque præcepto impeditus, velit celebrare Sacrum, ac deinde interdicatur Ecclesia, illeque nihilominùs pergat facere Sacrum, vel cognito vel ignorato culpabiliter interdicto, eadem volitio faciendi Sacrum, quæ initio fuit bona, fiet deinde mala; quia is verè peccat deinde volendo ac faciendo Sacrum; ergo bonitas non est de essentiâ istius actûs, & hic idem de bono fit malus. Idem argumentum valet, quandocumque quis malâ fide pergit velle dicere vel facere quidvis ob dubium, vel cognitionem supervenientem, quod cœpit velle bonâ fide. 65.

Respondeo, negando antecedens: quia illo & similibus casibus non manet idem, sed mutatur actus internus volitionis. Quod ut ostendam, observa, duplici modo ac motivo te posse eo casu velle facere Sacrum; primò ob completam & formalem ejus objecti honestatem, ejusque cum ratione conformitatem expresè cognitam & intentam, quia id decet; secundò præcisè ut Deo sacrifices, eúmve cultum & honorem exhibeas; quæ est honestas materialis & incompleta. Primo modo mutatur etiam physicè volitio, quia mutatur ejus motivum, quod est conformitas cum ratione ac dictamine prudentiæ, scilicet omnibus hîc & nunc

ſpectatis: quæ conformitas ac dictamen neceſſariò ceſſat, poſtquàm ſupervenit cognitio, vel rationabile dubium interdicti, ſine quo non poteſt incipere ignorantia ejus culpabilis. Secundo etiam modo, de quo eſt major difficultas, mutatur phyſica volitio, non quidem defectu motivi præciſè, ſed conditionis quaſi ſine quâ non, vel rationis ſub quâ, ſcilicet ſubordinationis, ſeu ordinabilitatis honeſtatis materialis ad honeſtatem formalem. Quia poſtquam ſupervenit cognitio interdicti, poſterior honeſtas in priori fundari non poteſt, neque formari dictamen prudentiæ virtuale, vel formale, quòd, omnibus ſpectatis, deceat hîc & nunc Sacrum facere. Cujuſmodi judicium prudentiæ ad omnem actum virtutis neceſſarium eſt, ita videlicet, ut objectum virtutis proponatur abſque omni circumſtantiâ vitiante, ac prohibitione externâ. Quod ipſum ſatis ſignificatur nomine honeſtatis materialis, ſeu fundamentalis ut ſic, quæ eatenus tantùm ſpectat ad virtutem in caſu noſtro Religionis, quatenus tendit & fundat honeſtatem ejus formalem: cùm ergo hanc fundare deſinit, non eſt mirum quòd deſinat ad illam ſpectare.

Duplici causâ mutatur actus bonus defectu motivi, vel cōditionis sine quâ non.

66. Unde ſequitur, virtutem Religionis, quæ initio inclinabat ad ſacrificandum, ſupervenientè illâ circumſtantiâ ac cognitione interdicti, ad illud non inclinare. Idemque dicendum de aliis virtutibus in ſimilibus caſibus ac circumſtantiis, quod ſaltem dici debet de virtutibus infuſis, eademque ferè ratione de acquiſitis.

Sed petes, ad quem ergo habitum ſpectet poſterior illa volitio in caſu propoſito ſacrificandi poſt cognitionem interdicti? Non ad habitum Religionis, ut dictum; neque ad habitum vitii, verbi gratiâ ſuperſtitionis; habitus enim vitioſus non poteſt tendere in honeſtatem, ne quidem materialem, tanquam in objectum formale ſeu motivum ſuum. 67.

Reſpondeo primò: Raro ſic conſtitutum, ut reipsâ honeſtati renunciet, & peccet, in caſu noſtro, ſacrificando poſt interdictum, intendere ipſam honeſtatem materialem tanquam motivum ſuum ultimum, ſed ordinariè in illâ motivum aliud vitioſum, verbi gratiâ, lucrum aut honorem proprium.

Raro actu malo intenditur honestas materialis.

Reſpondeo ſecundò: Si quando id contingat, ut abſolutè poteſt, actum illum, etſi phyſicè ab aliis diſtinctum, (ut fortè etiam ab aliis habitibus diſtinguitur habitus à quo procedit) meritò reduci ad habitum affinem, verbi gratiâ ſuperſtitionis, ad cujus ſaltem materiam & objectum, illius materia proximè accedit, & cujus malitiam morali ſpecie eandem actus ille participat; etſi ſpecie diſtinctus, ſaltem ſæpiùs, ut in ſimili dixi concluſione 4. Idem dicendum de ſimilibus

Cùm id fit, actus reducitur ad vitiū affine.

milibus casibus, quibus honestas materialis intenderetur post cognitionem extrinsecæ circumstantiæ vitiantis: quo casu, verbi gratiâ, velle sublevare miseriam proximi, spectaret vel reduceretur ad amorem ejus inordinatum; velle sustentare naturam suam, ad amorem inordinatum sui; solvere alteri debitum, ad prodigalitatem, & sic de cæteris.

Ad rationem dubitandi; respondeo distinguendo, concedendo, nullum habitum vitiosum posse tendere in honestatem materialem ac fundamentalem ut sic, quamdiu talis esse pergit; negando, nullum posse tendere in eandem eâ conditione seu ratione, sub quâ destitutam, ob circumstantiam vitiantem, conformiter jam dictis.

Confirmatur: quia sola honestas materialis de se satis est indifferens, adeò ut plures putent ne quidem eam ut talis est, sine formali sufficere ad actus bonos, sed tantùm terminare indifferentes: cujus tamen contrarium jam constat ex præcedenti capite, magisque constabit ex sequenti.

CAPUT IX.

An omnes actus dirigi debeant à conscientiâ rectâ. An nulli dentur indifferentes secundùm speciem vel individuum, per se, vel accidens.

HUc etiam spectat celebris hæc, valdeque ad formandos mores utilis quæstio, ut pleniùs cognoscatur natura & officium conscientiæ rectæ, præcipuè situm in directione actuum humanorum. Idem enim reverà est, quærere an dentur actus indifferentes, &, an omnes à conscientiâ rectâ dirigi debeant: quia, ut dixi suprà, ex D. Thomâ, indifferentes à conscientiâ non diriguntur, ideoque extra classem moralium proscribendi: quod magis constabit ex probatione quartâ conclusionis secundæ. 68.

Nota primò: Indifferentes actus vocari, non tantùm quoad meritum & demeritum, sed maximè bonitatem & malitiam, scilicet carentes utraque. Atque hoc sensu certum est omnibus, dari indifferentes ex indeliberatione circa objectum bonum vel malum, ut motus primo-primos, & quævis etiam externa opera indeliberatè & inadvertenter facta: qualia sæpè sunt motiones oculorum, capitis, manuum & pedum, & semper actus naturales & necessarii, ut crescere,

Certum est, dari actus indifferētes indeliberatos.

cibum digerere, &c. Status igitur quæstionis est, An ejusdem rationis sint aliqui actus humani ac liberi. Dixi, *actus*, non, *omissiones*, quia hæ juxta communem sententiam dantur indifferentes, scilicet quandocumque non sunt rei præceptæ: tunc enim non sunt malæ, ut clarum est; nec etiam bonæ, etsi rei pessimæ, quia ad bonitatem requiritur positiva aliqua boni intentio, ut ex dictis satis constat; ergo indifferentes.

69. Nota secundò: Ut datur duplex bonitas, moralis & objectiva, juxta dicta superioribus capitibus, ita de utraque institui posse hanc quæstionem, adeoque de actibus internis & externis, seu objectis internorum; An scilicet non tantùm dentur actus interni, nec boni nec mali moraliter, sed & externi, seu objecta internorum nec bona nec mala objectivè. Dixi, *objectivè*, quia moraliter actus externi eo ipso erũt indifferentes vel non, quo interni, à quibus imperantur, & libertatem participant, juxta dicta Libr. 1. cap. 17.

Indifferentia duplex, moralis & objectiva.

Unde sequitur, distingui etiam posse duplicem indifferentiam, moralem & objectivam. Quibus terminis etsi Doctores non utantur, idem tamen reverà disputant de indifferentiâ objectivâ, quando disputant cum D. Thomâ 1. 2. quæst. 18. artic. 8. an dentur actus indifferentes secundùm speciem, non tantùm individuum, quod disputat D. Thomas articulo sequenti. Nam ibi pro eodem sumit actum indifferentem secundùm speciem, & secundùm objectũ, seu cujus objectum sit indifferens, scilicet objectivè. Verba ipsius sunt in corpore: *Actus omnis speciem habet ab objecto, & actus humanus, qui dicitur moralis, habet speciem ab objecto relato ad principium actuum humanorum, quod est ratio. Unde si objectum actûs includat aliquid quod conveniat ordini rationis, erit actus bonus secundùm suam speciem, sicut dare eleemosynam indigenti: si autem includat aliquid quod repugnet ordini rationis, erit actus malus secundùm speciem, sicut furari, quod est tollere aliena. Contingit autem, quòd objectum actûs non includit aliquid pertinens ad ordinem rationis, sicut levare festucam de terrâ, ire ad campum, & hujusmodi: & tales actus secundùm speciem sunt indifferentes.* Quibus verbis clarè primò nobiscum docet, bonitatem, malitiam, & indifferentiam objectivam seu specificam, desumendam esse à ratione, non naturâ, quod repetit ad 3. Secundò satis significat, actum illum objectivè vel secundùm speciem esse indifferentem, (sive aliunde secundùm individuum bonus sit, sive malus) cujus præcisè objectum eo modo est indifferens objectivè. Ubi objectum sumit strictè pro materiali ac volito, prout distinguitur à fine & circumstantiis.

Unde

Quæ sit indifferentia secundùm speciem.

Unde sequitur secundò, actum esse indifferentem secundùm speciem, nil esse aliud, quàm non habere bonitatem vel malitiam ex objecto secundùm se spectato, etsi habeat aliunde: quare ire ad campum, cùm audiendum est Sacrum, etsi malum sit absolutè, & secundùm individuum, omnibus spectatis, est tamen indifferens secundùm speciem, dictoque sensu objectivè. Quamvis, si objectum latiùs sumatur, quatenus affectum & propositum à ratione cum omnibus circumstantiis, sit objectivè malum: quo sensu suprà egi de bonitate objectivâ.

70. *Dantur actus indifferētes secundùm speciem.* Dico jam primò: Dantur actus indifferentes secundùm speciem. Est D. Thomæ citati art. 8. & communis, contra Scotum in 2. dist. 7. quæst. 1. & Gabrielem dist. 41. qui directè contra D. Thomam docent dari secundùm speciem, etsi putent non dari secundùm individuum.

Probari potest primò ex Concilio Constantiensi sess. 25. quod damnat articulum Joannis Hus 15. *Nulla sunt opera indifferentia*, quæ verba absolutè sic prolata, meritò censentur negare omnem indifferentiam, etiam secundùm speciem, vel etiam in ordine ad meritum ac præmium supernaturale, qualis convenit operibus naturalibus, etsi bonis, ut dicam conclusione sequenti probatione secundâ.

Probatur secundò, satisque explicatur ipsis verbis D. Thomæ relatis Notando 2. nullo tamen modo inde sequitur, quod inferunt qui dissentiunt à sequenti conclusione, dari etiam actus indifferentes secundùm individuum: quia esse indifferentem secundùm speciem, est non habere præcisè bonitatem aut malitiam ex objecto, ut jam explicui, secundùm individuum absolutè, & ex nullo capite. Nullo autem modo sequitur: Non habet ab objecto, ergo à nullo.

Unde collige, individuum hîc non sumi logicè, sed moraliter, prout comprehendit omnia accidentia, seu quamvis rationem actui competentem aliunde, quàm ex objecto, ut explicat D. Thomas art. 9. atque adeò bonum & malum convenire actibus secundùm speciem, qui ex objecto tales sunt, iis qui aliunde, secundùm individuum.

Dices: Eo sensu poterit dici homicidium indifferens secundùm speciem, quia objectum ejus occisio hominis de se non est difformis rationi, cùm sæpè sit conformis, ut si fiat publicâ auctoritate, & cum moderamine inculpatæ tutelæ. 71.

Respondeo distinguendo; concedendo, si homicidium sumas physicè pro nudâ actione occidendi; negando, si illud sumas moraliter, ut sumi solet pro occisione vestitâ malis, vel potiùs destitutâ bonis circumstantiis. Similiter physica

ca actio auferendi aliena, de se potest dici indifferens, non tamen furandi, quia hoc nomine involvit malas circumstantias. Sicut etiam contrà, datio eleemosynæ, verbi gratiâ non est materialiter bona, aut objectum virtutis, quatenus physica actio, sed quatenus facta egeno. Idem dic de similibus. Atque ita coincidunt argumenta, quæ recentiores congerunt contra conclusionem; quorum pleraque in eo peccant, quòd res moralis nimis consideretur physicè.

72. *Non dantur actus supernaturales indifferentes secundùm speciem.* Adverte tamen, non dari in voluntate actum supernaturalem indifferentem secundùm speciem & objectum suum, quia Deus, præcipuus auctor actuum supernaturalium suâ gratiâ non causat vel excitat nos, nisi ad actus virtutum bonos ac meritorios, ut supponunt Patres & Concilia.

73. *Non dantur actus indifferentes secundùm individuũ.* Dico secundò: Non dantur tamen per se actus indifferentes secundùm individuum. Ita ex professo D. Thomas citatus art. 9. Albertus, Richardus, Major, Durandus, Gregorius, Cajetanus, Medina, Conradus, Bellarminus, Azor, Valentia, Conimbricenses, atque adeò plerique, quos citant & sequuntur Suarez 1.2. tract. 3. disp. 9. sect. 3. num. 3. Salas tract. 7. disp. 4. sect. 3. num. 12. contra Scotum, Gabrielem, Bonaventuram, Alexandrum, quos citat & sequitur Vasquez 1.2. disp. 52. cap. 2. quorum item sententiam docui primo cursu: omnibus tamen meliùs expensis, secundo docui sententiam D. Thomæ, tanquam veriorem, & formandis moribus aptiorem.

Probatur primò ex Scriptura Apostol. ad Rom. 19. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Atqui actus, qui dicuntur ab adversariis indifferentes, non sunt ex fide, id est dictamine rationis ac conscientiæ rectæ, ergo eo ipso non sunt verè indifferentes, sed mali ac peccata. Deinde ex verbis ipsius Christi Matth. 12. *Dico autem vobis: quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii.* Ubi verbum otiosum explicat D. Gregorius in Moral. c. 25. aliàs 18. quod caret aut ratione justæ necessitatis, aut *intentione piæ utilitatis*. Hieronymus in eundem locum: *Otiosum,* inquit, *verbum est, quod sine utilitate & loquentis dicitur, & audientis.* Basilius in Regulis brevioribus, respons. ad interrogationem 23. *Omne verbum, quod non conducit ad propositam in Domino utilitatem, vanum & otiosum est*; per quod addit, contristari Spiritum sanctum. Eodem ferè modo verbum otiosum explicant Origenes, Beda & communiter alii. Imò & S. P. N. IGNATIUS libello exercitiorum, in examine conscientiæ generali; *Vitandum,* ait, *insuper est verbum otiosum inter alia locutionis peccata: quale esse intelligitur, quodcumque nec loquenti, nec alteri prodest, nec eo etiam animo profertur ut afferat utili-*

Quid verbum otiosum?

utilitatem. Quæ postrema verba notanda sunt: nam non est otiosum verbum coram Deo, quod eo animo profertur ut prosit, etsi reverà aliàs non prosit: quo item sensu explicanda sunt verba Patrum.

74. Quare non est admittenda aliquorum explicatio, quòd verbum otiosum ibi sit, calumniatorium ac mendax; Primò, quòd Hebræum שָׁוְא significet non tantùm *frustraneum*, ac *otiosum*, sed etiam *mendacium*; secundò, quòd hoc postulet contextus: de quâ conjecturâ primus ejus auctor Maldonatus, *Sed*, inquit, *veterum auctorum sententiam*, scilicet relatam, *quàm conjecturam meam, camq; obscuram & incertam, amplecti malo*. Addit bonam rationem; quòd videatur Christus aliquo exaggerationis genere uti, & novi aliquid, atque admirandi dicere voluisse: de verbis autem calumniatoriis, deque falsis criminationibus in die judicii reddendam esse rationem, neque novum neque admirabile videri poterat. Quod sanè non tantùm est conformius communi interpretum & Christifidelium sensui, sed ipsi textui & verbis, *Dico autem vobis*, &c. Quibus Christus à fortiori ostendit Judæis, quàm rigidè judicanda sint eorum mendacia ac calumniæ.

Verbum Hebræum saltem etiam significat *otiosum*: quin ergo sic explicetur communi, quàm aliter singulari sensu? Deinde, esto, significet *mendacium*, hoc ipsum constat, phrasi Hebraicâ non semper significare strictum mendacium, sed sæpè vanum & otiosum, ut in illo Psalm. 4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Deinde, cum insuper Latina & vulgata lectio à Tridentino approbata habeat, *otiosum*, ut & Græca ἀργὸν, non videtur dubitari posse de veritate sententiæ Christi eo sensu acceptæ. Ex quâ nunc argumentor: Nulla dantur verba indifferentia, ergo nec actus. Antiqui aliqui Scholastici apud D. Thomam & Bonaventuram negabant consequentiam; quæ tamen quia satis clara, non negatur ab adversariis recentioribus, sed antecedens, quod probatur: quia verba vel proferuntur motivo bono, seu ratione justæ necessitatis, aut utilitate rectitudinis, & sic sunt bona, ut constat ex dictis cap. 7. vel non sic proferuntur, & sic communi Patrum explicatione sunt otiosa ac Christo judici mala, nec potest inter illa dari medium; ergo nulla dantur indifferentia.

Non dantur verba indifferentia.

Probatur secundò ex Patribus jam citatis, quia satis id indicant, ut constat argumento jam facto. 75. Secundò ex Augustino de peccatorum meritis & remissione c. 18. Ubi præter alia: *Quamquam voluntas mirum, si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit: aut enim justitiam diligimus, & bona est; & si magis diligimus, magis bona; si minùs,*

minùs, minùs bona, aut si omnino non diligimus, non bona est. Quis verò dubitet dicere, voluntatem nullo modo justitiam diligentem, non modò esse malam, sed pessimam voluntatem? Si ergo voluntas aut bona est, aut mala; & utique malam non habemus ex Deo, restat, ut bonam voluntatem habeamus ex Deo. Quid clarius, obsecro, dici potuit pro hac sententiâ? inquit, etsi ab eâ dissentiat, Vasquez, qui proinde fatetur, tantum Doctorem nobiscum contrà se sentire, ut & ejus discipulos Prosperum, Fulgentium & Petrum Diaconum. Ex quibus vel inde illa probatur, quòd nusquam meminerint actuũ indifferentium.

Putant tamen aliqui, illa verba non facere ad rem, eò quòd tantùm agant de statu indifferenti voluntatis, non actu; & voluntas actu consentiens in verbum otiosum non possit dici pessima. Sed cur actus quivis venialiter malus non possit æquè dici pessimus? quia verè pessimum quid est quodvis peccatum; ac status voluntatis, verbi gratiâ parvulorum, infectæ solo peccato originali, quem Augustinus pessimum diceret sensu adversariorum. Ceterùm satis clarum est ex toto Augustini discursu ibi, ut passim alibi, eum saltem potissimùm agere de actu, quem significat actu, diligendi, qui tamen hîc sumitur latiùs, pro quovis affectu bono seu dilectione boni, ut & justitia consuetâ phrasi. Quo sensu ipse se explicat paulò pòst: *Quocircà quòd à Deo nos avertimus, nostrum, & hæc est voluntas mala; quòd verò ad Deum nos convertimus, hæc est voluntas bona.* Avertere & convertere, sunt actus.

Confirmatur communi illo axiomate Patrum, D. Bernardi, aliorumque scriptorum spiritualium, satis indicato ab Augustino, quòd in viâ virtutum ac perfectionis non progredi, sit regredi; non proficere, deficere. quod maximè intelligendum est de actibus liberis.

Si darentur actus indifferentes, darentur liberi, atque adeò status medius, quo nec progrederemur nec regrederemur, sed subsisteremus. Non dantur illi nostrâ sententiâ, quia omnes actus vel sunt boni, & progredimur; vel mali, & regredimur: indifferentibus subsisteremus. Probant præterea aliqui nostram sententiam ex Augustino epist. 19. quæ est ad Hieronymum, alii contrariam: sed neutri efficaciter, ut constabit attentè eam legenti.

Magis videtur nobis repugnare Hieronymus epist. 11. ad Augustinum his verbis: *Neque enim indifferentia sunt inter bonum ac malum, sicut Philosophi disputant, bonũ est continentia, malũ est luxuria: inter utrumq; indifferens, ambulare, capitis naribus purgamẽta projicere, sputis rheumata jacere: hoc nec bonum nec malum; sive enim feceris, sive non, nec justitiam habebis, nec injustitiam.* 76.

Respon-

Respondeo, vel ea intelligenda esse de indifferentiâ specificâ, seu objectivâ, ratione cujus nec benè nec malè agis illa ut sic; quamvis actu exercendo, juxta conclusionem primam: vel potiùs Hieronymum non loqui de indifferentiâ sensu conclusionis, saltem verbis posterioribus, ex sententiâ suâ, sed alio, quo sit indifferens quidquid non confert ad veram ac supernaturalem justitiam, vel injustitiam illi oppositam, ut ipse se satis clarè explicat verbis posterioribus: quâ ratione opera moraliter tantùm bona censentur indifferentia. Quæ explicatio confirmatur ex D. Augustino, epistolâ citatâ eodē sensu accipiente indifferentiam, tum ex Hieronymo in illud Isaię 55. *Audite audientes me*. ubi insuper inter indifferentia numerat divitias, sæculi dignitates, & sanitatem, additque: *Sed illa credenda sunt*, scilicet bona, *ad quæ nos hortatur Deus*. Deus autem non hortatur nos nisi ad vera & spiritualia bona: qualia sola à Patribus & Scripturâ bona solent appellari. Quare eodem sensu explicandi alii, nominatim Nazianzenus Oratione 3. ad Julianum, dicens, aliquos nec pœnâ, nec laude seu præmio dignos, scilicet supernaturali. atque etiam D. Gregorius Hom. 27. in Evang. *Nonnulli*, ait, *diligunt proximos, sed per affectionem cognationis & carnis, quibus in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt*. Quia illa dilectio, ut satis

Sensu Patrum indifferens dicitur, quod non confert ad supernaturalem justitiam.

clarum est, saltem moraliter est bona: non laudant tamen eam sacra eloquia, quia non est meritoria, vel bona supernaturaliter.

Confirmantur hæc, & probatur 77.
præterea conclusio ex Auctore Ὑπογνωστικῶν apud Augustinum, tom. 7. libr. 3. magnæ eruditionis & auctoritatis quisquis fuit. *Esse*, ait, *fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent, sine Deo, aut inchoare, aut certè peragere; sed tantùm in operibus vitæ præsentis, tam bonis quàm etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est velle laborare in agro, velle manducare & bibere.* Et post alia: *Velle quidquid bonum ad præsentem pertinet vitam, non sine divino gubernaculo subsistunt.* Deinde recenset varia mala ac peccata: *Sed ista*, subdit, *non pertinent ad substantiam vitæ præsentis, quia non sunt à Deo*. Quibus primò apertè distinguit bona opera, quæ ad Deum pertinent, sive supernaturalia; & quæ ad substantiam vitæ præsentis ac naturalia, quæ tamen expresè dicit bona, scilicet moraliter, non indifferentia, ut adversarii. Quare dicit etiam ea gubernari à Deo, secùs quàm mala: qualis extrinseca directio & gratia in modo supernaturalis solet requiri ad opera moraliter tantùm bona. Secundò clarè supponit, inter ejusmodi bona & mala opposita, nulla dari media, ad quæ liberum arbitrium

bitrium naturaliter se possit inflectere.

78. Probatur tertiò ratione D. Thomæ: quivis actus à deliberativà ratione procedens, vel ordinatur, vel non ordinatur ad debitum finem, seu bonum rationis saltem materialiter spectatum. Si ordinatur, est bonus & conformis rationi, si non ordinatur, est malus & difformis rationi: ergo nullus est indifferens. Quibus cõformiter dixi Li.1. cap.15. & hoc libro cap.4. omnem actum humanum ac liberum dicere ordinem ad rationem, ut regulam, & per hoc esse moralem in genere: in specie autem adæquatè dividi illum ordinem in difformitatis vel conformitatis.

Actus humani debet esse conformes rationi ac conscientiæ.

Confirmatur primò: Quivis actus vel est conformis conscientiæ ac rationi, & est bonus; vel non, & hoc ipso est difformis, defectu conditionis requisitæ, scilicet conformitatis cum ratione, quam hæc ipsa vel maximè requirit, ut per se satis clarum videtur.

Præcipit hoc lex naturalis.

Hoc argumentum supponit, imò probat ipsâ ratione, adeoque lege naturali, dictante ac præcipiente, omni actui necessariam esse cum illà conformitatem, seu, quod idem est, omnem actum debere tendere, non quidem expresse in Deum, ut videntur velle aliqui, sed in honestatem saltem materialem: quo ipso possit dici tendere in Deum implicitè & virtualiter.

Confirmatur secundò: Juxta idem rationis dictamen ac prudens judicium, æquè clarum videtur, hominem creaturam rationalem, quandocumque deliberatè agit, debere agere humano modo, ac rationaliter. Nec enim minùs Auctor naturæ indidit homini inclinationem naturæ suæ convenientem, quàm brutis rebusque aliis. Idem est si dicas, hominis actus debere fieri juxta præscriptum partis superioris, ac rationalis homini propriæ, non inferioris ac sensitivæ, communis bestiis: atqui quandocumque non prosequitur bonum honestum, objectum partis ac appetitûs rationalis, sed jucundum objectum partis ac appetitûs sensitivi, hoc ipso non agit rationabiliter, sed potiùs brutaliter, secundùm inclinationem communem brutis, quæ idipsum sub eadem ratione prosequuntur, nec juxta præscriptum partis superioris, sed inferioris: ergo hoc ipso irrationabiliter & malè agit.

Dices: Agit nihilominus humano modo, quatenus prævio judicio rationis, quo carent bruta. 79.

Respondeo, ut argumentum probat, non debet tantùm agere humano modo intellectu, sed & voluntate; quia in eo ipso est indecentia, quòd appetitus de se rationalis deprimatur ad objectum se indignum ac sensibile, nec conforme rationi.

Probatur quartò: Ut ex Aristotele, 80.

Regula actuum humanorũ debet esse ratio, ac conscientia,

tele, D. Thomâ, aliisque Doctoribus sæpè dictum est, ratio ac conscientia debet esse regula ac mensura actuum humanorum, scilicet omnium; quia omnes id dicunt de actibus humanis, scilicet quà talibus, sine exceptione: atqui non est mensura & regula actuum indifferentium; ergo tales nulli dantur humani, imò eo ipso quo carent illâ sui regulâ, mali erunt, planè juxta Apostolum citatum: *Omne quod non est ex fide, peccatum est,* sensu sæpiùs dicto & dicendo.

eaq; recta.

Probatur minor: Ratio, quæ debet esse regula, debet esse recta, ut suprà explicatum, & clarius est de conscientiâ. Recta autem ratio est, quæ dirigit appetitum, ac volitionem rectam, juxta communem sententiam suprà quoque explicatam cap. 1. quare necessariò versatur circa honestum vel inhonestum objectivè. Quod item clariùs est de conscientiâ, ex ipsâ hujus definitione. In contrariâ sententiâ deberet admitti conscientia quædam indifferens omnibus ignota. Explicatur hæc probatio simili. Lignum vel est conforme lineæ rectæ, & hoc ipso est rectum; vel non est conforme, & hoc ipso est curvum, adeò ut nullum detur indifferens, nec rectum nec curvum. Similiter actus intellectûs, atque etiam ejus objectum, vel est conforme suæ regulæ seu mensuræ, & est verum; vel non est conforme, & est falsum, adeò ut nullum detur objectum vel actus intellectûs indifferens, nec verus, nec falsus; eademque est ratio de omnibus habentibus mensuram: ergo & actus humani, qui propriè habent mensuram suam rationem ac conscientiam, vel sunt ipsi conformes, & hoc ipso sunt boni; vel non sunt conformes, & hoc ipso sunt mali, adeò ut nulli dentur indifferentes, nec boni nec mali. Quæ similitudo eò aptior est, quòd bonitas sit moralis quædam rectitudo & veritas, malitia verò moralis quædam curvitas & falsitas. Unde etiam constat, quod suprà dixi ex D. Thomâ, actus indifferentes non dirigi regulâ rationis ac conscientiæ, ideoque non esse morales.

Dices: Possunt dirigi dictamine conscientiæ, quòd non sint peccata. 61.

Respondeo, ne quidem illud prærequiri, juxta mentem ac principia contrariæ sententiæ; & ut prærequiratur, non sufficere, ut actus dicatur illo dirigi aut conformari, scilicet positivè, non tantùm negativè: ad hoc enim requiritur, ne quidquam actui desit, quod recta ratio requirit, juxta dicta.

Ex quibus sequitur primò, legem illam & obligationem non esse irrationabilem, nimisque duram, quod objiciunt adversarii; sed maximè rationabilem ac humanam, idque æstimatione solius luminis naturalis, multoque magis illustrati supernaturali lumine Fi-

dei, ac dictis Christi, Apostoli, & Patrum citatorum.

Lex illa naturalis resultat ex homini creatione. Sequitur secundò, eandem legem & obligationem naturaliter resultare ex solâ hominis rationalis creatione. Nam hoc solo ratio, quippe pars superior, naturali quodam jure præficitur inferiori, tanquam gubernatrix, sine cujus approbatione, vel extra cujus objecti limites nil agere liceat: quod quodammodo videre est in omni Republicâ ac familiâ benè ordinatâ.

82\. *Ad ejus obligationem sufficit lumen naturale, ac synteresis.* Collige ulteriùs, primò, ad eam obligationem non esse necessariam determinatè aliquam virtutem, ut putant aliqui apud Salas, nec aliquam indeterminatè, ut putat Salas; sed tantùm lumen naturale, ac synteresim, eique respondentem inclinationem syntereticam, cui soli ab omnibus tribuuntur universalia quædam principia, Bonum est prosequendum, &c. Ejusdem enim rationis est, Homini non est prosequendum, nisi bonum, scilicet ipsi proprium ac conveniens; quale est honestum.

Hinc collige secundò, cùm quis tantùm eatenus peccat, quatenùs deliberatè afficitur erga bonum sensibile, verbi gratiâ moderatum aliàs cibum, tantùm peccare contra naturalem synteresim, ac syntereticam inclinationem. Vide dicta Lib.1.cap.13.neque ad illos similesque actus bonos vel malos opus est distinctis habitibus, ut dixi ibidem, & hoc Libro num.30.

Collige tertiò, actus ex hoc capite malos non esse tales specie seu objecto, atque adeò secundùm speciem esse indifferentes, sed secundùm individuum ratione dictæ circumstantiæ, ac legis violatæ de prosequendo honesto, esse malos.

Nec refert, quia in idem recidit, sive ea lex explicetur per modum affirmativæ, Prosequere bonum honestum, seu Conforma actiones tuas rectæ rationi, ac conscientiæ; sive per modum negativæ, Nullum bonum prosequere nisi honestum; seu, Non prosequere bonum sensibile ut sic. 83. *Lex illa potest dici affirmativa, vel negativa.*

Probatur ultimò, simulque refutatur sententia contraria; quia non possunt assignari actus indifferentes: Vel enim sunt ii soli qui tendunt in materialem honestatem, ut volunt Scotus & Gabriel; & hi sunt boni, ne plurimi actus communi æstimatione laudabiles priventur bonitate ac merito, ut ostendi cap.7. Vel sunt illi qui fiunt ad sublevandam naturam rationalem ex aliquâ ejus necessitate, vel commoditate moderatâ, quales solent assignari ex D. Hieronymo & Auctore Ὑπογνωστικῶν citatis, ut putat Vasquez & ferè Bonaventura: & hi quoque, si eo motivo fiant, boni sunt, & tendunt in honestatem materialem, ut constat ex dictis, & jam dicendis. Vel denique sunt omnes indifferentes, quotquot quomodocumque cedunt,

dunt, non tantùm in commodum, sed & delectationem naturæ, quamvis sensualem, si non appareat in iis alia ratio mali. Quod etsi consequenter dicendum esset, nemo quem legerim dicit, & verè sic nimis laxantur fræna sensualitati: quia ne quidem erit peccatum veniale, deliberatè continuò potitare, lautè comedere, similesque sensuales recreationes quærere, modò non noceant sanitati, aut rationem turbent. Imò contra communem sententiam Patrum, ipsiusque Christi, nullum erit verbum, aut factum otiosum; quia nil unquam dicitur aut fit, nisi motivo boni saltem jucundi sensui.

84. Petes, quænam bona naturæ liceat ac deceat appetere juxta veram sententiam? Respondet Salas, talia esse bona naturæ magni momenti, ut vitam, sanitatem, &c. non alia minoris momenti: sed nisi assignetur alia disparitas, quòd sint majora, vel minora bona, tantùm potest efficere, ut aliqua magis aliqua minùs, omnia tamen honestè sint appetibilia. Si enim ideò præcisè appeti quid possit, sitque objectivè ac materialiter bonum, quia bonum naturæ; ergo tale erit, quodcumque erit illi bonum, majus seu minus.

Bonum est appetere bona naturæ rationalis ut sic. Respondeo ergo, quod ex hactenus dictis colligitur, & docet etiam Suarez citatus num. 9. universaliter talia esse quæcumque sunt, vel bonâ fide putantur, bona naturæ rationalis ut sic, quatenus distinguitur à sensitivâ; non tantùm vitam & sanitatem; sed ambulationes, colloquia, aliaque exercitia moderatè facta ad laxationem animi, non solam oblectationem sensûs. Ut enim distinguuntur pars animæ superior & inferior, voluntas & appetitus sensitivus; ita distinguuntur utrorumque bona etiam jucunda. Aliam enim jucunditatem quærit ebriosus in potitando, aliam studiosus in ambulando. Cujusmodi rationalis, non sensualis jucunditas, etiam in plerisque rebus objectivè indifferentibus prudenter, adeoque honestè subinde quæritur. Quæ distinctio boni naturalis à sensuali, clariùs apparet in appetitu sciendi moderato, quæ ad se spectant, non curioso, quæ ad se nil spectant. Item in appetitu honoris meriti ac debiti, non vani ac indebiti. Itaque Patres ista & similia non reprehendunt, nisi facta & quæsita immoderatè, & inordinatè. Quod etiam dicendum est in contrariâ sententiâ, aliàs non essent indifferentia, sed mala.

Confirmantur hæc magisque explicantur, primò, quia communi æstimatione censentur laudabiliter facere, verbi gratiâ, parentes & magistri qui excitant, & filii ac discipuli, qui student affectu & spe scientiæ; vel etiam honoris ac præmii inde merito consecuturi: quorum utrique in con-

trariâ sententiâ vel malè, vel saltem non benè agerent.

Secundò, erga proximum, quatenus constantem eâdem nobiscum naturâ rationali, datur misericordia ac charitas humana φιλανθρωπία: quare laudabile est eo intuitu illum urbanè salutare, molestias etiam minimas ab eo depellere, frigentem calefacere, mœrentem recreare, &c. Quid ni ergo eodem intuitu idem laudabiliter faciamus nobismetipsis, cùm charitas ordinata incipiat à seipsâ? Fateor tamen, majus periculum esse ne excedamus, nimisque indulgeamus nobismetipsis. Eodem igitur motivo laudabiliter fient quæ ab aliis ex D. Hieronymo solent dici indifferentia, ut spuere, & similia.

85. *Dantur actus indifferentes per accidens.* Dico ultimò: Dantur nihilominùs actus indifferentes per accidens, non tantùm ratione indeliberationis, sed & ignorantiæ invincibilis legis, & obligationis jam dictæ, vel etiam probabilis sententiæ contrariæ. Est communior Doctorum citatorum, contra Medinam, Salas, & quosdam alios.

Probatur & explicatur, quia aliarum legum naturalium hac notiorum datur ignorantia invincibilis: ergo & hujus. Constat autem, te non teneri servare legem invincibiliter ignoratam. Neque potest negari, quin contraria sententia plurium, & gravium Doctorum sit probabilis: ergo licet tibi illam sequi beneficio sententiæ probabilis, de quo Libro sequenti, ideoque illam sequens, & appetens bonum sensibile ut sic, non peccas: nec tamen benè agis, quia nullam intendis honestatem ne quidem materialem: quæ intentio non potest suppleri ab ignorantiâ. Neque hæc repugnant dictis, & D. Thomæ; tùm quia simpliciter res tales dicuntur, quales sunt per se, & ex naturâ rei, non per accidens. Addidi tamen claritatis causâ præcedenti conclusione, *per se*; tum quia actus facti ex ignorantiâ eo ipso sunt eatenus indeliberati: indeliberatos autem excipit à præcedenti conclusione ipsemet D. Thomas.

Unde etiam collige, actus eo modo indifferentes per accidens promanare ab habitibus vitiosis, qui circa eorum objectum versantur per se, eosque intendere; sicuti dixi superiori capite, actus necessarios per accidens promanare ab iisdem habitibus virtutum à quibus liberi. Quare non valet contra præcedentem conclusionem novum argumentum, quod contra sententiam illi contrariam: Dantur actus indifferentes per se, ergo & habitus. Concedunt aliqui totum, sed contra communem sententiam Theologorum & Philosophorum, qui tantùm meminerunt habituum virtutum vel vitiorum. *Non dantur habitus indifferentes.*

Adverte tamen primò, si quis eliciat actum bonum motivo explicato solius honestatis materialis, putans esse indifferentem, non ideò 86. *Non ideò actus bonus fit indifferens, quia putatur.*

ideò actum fieri indifferentem, sed manere bonum: quia ignorantia, ut non potest supplere intentionem bonam honesti ubi non est, ita nec tollere ubi reverà est: quod tantùm reverà docent aut probant aliqui, qui ab hac conclusione videntur consentire.

Adverte secundò, deliberationem, seu cognitionem prævia, ne actus fiant indifferentes per accidens, debere esse objecti quatenus honesti, saltem materialiter. Nec enim video, cur, sicut pueri habent aliquanto tempore sat rationis ad libertatem circa objectum sensibile non honestum, ut dicam posteà; ita idem non eveniat adultis circa novum aliquod objectum ac negotium, ita scilicet, ut hoc proponatur sub ratione boni & mali sensibilis, adeoque ut sic liberè possit amari vel rejici, non tamen sub ratione honesti vel inhonesti, quæ est sublimior & remotior à sensu, ideoque seriùs occurrit. Quod videtur testari satis experientia, maximè circa objecta indifferentia, quæ vi sua non ingerunt cognitionem honesti vel inhonesti; quo ex capite indifferentes sunt per accidens plurimæ actiones circa ejusmodi objecta, quæ præsertim absque deliberatione omni, vel magnâ fieri solent; ut spuere, movere manus, vel caput, &c. idque quamvis absolutè fiant liberè.

Sæpiùs res proponitur sub ratione boni sensibilis, quàm honesti.

87. Ex quibus jam non est difficile ferre judicium de quovis actu, sitne bonus, per accidens indifferens, vel malus, adeoque materia confessionis. Materia voti non video quin possit esse opus aliquod in particulari, etsi objectivè indifferens, quatenus nunquam exercendum nisi bono fine, verbi gratià lusus; secùs quàm omnia opera, vel etiam aliqua in particulari nimis frequentia, quæ semper honesto fine facere, saltem moraliter est impossibile, ut abstinere ab omnibus vel plerisque venialibus.

Aliquod opus de se indifferens, bono fine potest esse materia voti.

Tandem ex dictis toto hoc capite collige, sententiam admittentem actus indifferentes ex unâ parte strictiorem esse contrariâ, quatenus fraudat bonitate & merito plurimos actus bonos, adeoque restringit exercitium virtutum; ex alterâ parte nimis indulgere sensualitati. Nostra sententia hanc rationabiliter cohibet per naturalem illam ac rationabilem legem, ita fragilitati nostræ attemperatam, ut observatu facilis sit, nec scrupulis obnoxia. Quid enim magis rationabile ac humanum, quàm rationalem hominem nil posse prosequi, nisi, non dico Dei gloriam, sed bonum rationale, seu honestum, saltem materiale, erga quod natura sua propendet, idque tum, cùm illud quasi spontè se offert, & deliberatè cognoscitur? Aut cur homini, præsertim Christiano, durum videri debet, quòd sciens & volens non possit rationalem animum dejicere ad voluptates merè sensuales? 88.

CA-

CAPUT X.

Quomodo conscientia ac voluntas nostra debeat conformari voluntati divinæ.

89. EX dictis hactenus satis constat, quomodo recta ratio ac conscientia, imò & natura rationalis ac lex æterna sit regula nostrarum actionum, scilicet bonarum, non autem quomodo voluntas divina: quam iterùm constat earumdem regulam esse, nimirum remotam, cui aliquo modo conformari debeant, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 19. art. 9. & 10. Eo ipso autem eodemque modo, quo voluntati divinæ debet conformari voluntas nostra, debet eidem conformari conscientia proximè hanc dirigens, ut manifestum est.

Quadruplex conformitas voluntatis nostræ cũ divinâ. Nota primò ex D. Thomâ citato art. 10. quadruplicem distingui posse conformitatem voluntatis nostræ cum divinâ, idq; secundùm quadruplex genus causæ. Primò in volito materialiter, seu quasi in genere causæ materialis ex parte objecti, quando idem volumus quod vult Deus. Secundò in volito formaliter, seu quasi in genere causæ formalis ex parte ejusdem objecti, quando hoc volumus ob eamdem rationẽ ac motivum ob quod Deus; & quia motivum non solet distingui à fine, potest item dici hæc conformitas in genere causæ finalis, quando idem volumus ob eundem finem, ob quem Deus. Tertiò est alia conformitas formalis, seu in genere causæ formalis ex parte principii volendi, quando volumus eodem affectu, verbi gratiâ charitatis, quo Deus. Quarta conformitas est in genere causæ efficientis, quâ voluntas nostra conformatur divinæ, ut effectus causæ, per naturalem vel etiam supernaturalem inclinationem seu motionem, quando volumus id quod Deus vult nos velle, seu voluntas nostra est talis qualem vult Deus.

Nota secundò, quadrupliciter distinguendam hîc etiam esse voluntatem Dei, primò in *signi*, & *beneplaciti*. Signi dicitur ipsum signum externum vel voluntas, quæ illo manifestatur, soletque assignari quintuplex hoc versu: 90. *Quadruplex voluntas divina.*

Præcipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet.

Postremum hoc verbum significat ipsam Dei operationem, seu exsecutionem voluntatis: alia clara sunt. Beneplaciti est interna Dei volitio, quâ quidvis Deo beneplacitum, ac volitum est.

Secundò dividitur etiam voluntas Dei in *efficacem*, qualis dicitur non tantùm ab effectu secuto, sed etiam modo tendendi seu volendi parte suâ efficaci: & *inefficacem* sensu opposito; qualis est in Deo, ut & in nobis simplex complacentia, vel desiderium, cui solet esse annexum consilium.

Ter-

Tertiò in *absolutam* & *conditionatam*: quæ divisio non debet confundi cum præcedenti, cùm omnis voluntas efficax sit absoluta; quia conditionata est, quæ etsi ex parte suâ efficax, non fertur in rem nisi sub conditione, qualis est salvandi omnes homines. Absoluta est, quæ & est efficax ex parte suâ, nec fertur in rem sub conditione: de quâ Apostolus ad Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistit?*

Quartò voluntas Dei vel est *antecedens*, quæ antecedit, nec pendet ex nostris meritis; (qualis juxta Damascenum libr. 2. de fide cap. 29. & Chrysostomum hom. 1. in Epist. ad Ephesios, est salvandi omnes homines:) vel *consequens*, quæ consequitur & pendet à nostris meritis, qualis juxta eosdem Patres est voluntas puniendi. Similiter in exemplo D. Thomæ, Judex voluntate antecedenti vult omnes cives esse salvos; consequenti aliquos perire & puniri gladio. Quæ distinctio voluntatis divinæ potissimùm attendenda est, ut cognoscatur, quî nostra debeat illi esse conformis in volito materialiter, de quo est major difficultas.

91. *Licet nolle aliqua quæ Deus vult.* Dico primò: Non debet voluntas nostra in volito materialiter esse conformis cuilibet divinæ; imò licet nolle aliqua quæ Deus vult. Est D. Thomæ articulo illo 10. & communis.

Probatur & explicatur dupliciter: Primò de voluntate etiam absolutâ, sed solius beneplaciti, non signi: quia illa nobis determinatè ignota est, ergo nec tenemur illi nos conformare, & possumus bono aliquo motivo velle alia, imò contraria quàm vult Deus, verbi gratiâ, velle & conari nosipsos, aliósve eripere periculo mortis, quos Deus vult mori. Ita David bonâ voluntate volebat ædificare templum Domino, quod hic nolebat ab eo fieri; & Paulus volebat carere stimulò carnis, quo Dominus eum carere nolebat. Cessabit hæc ratio, & ignorantia in Beatis, qui proinde se conformabunt divinæ volũtati in volitis omnibus materialiter, eadem volẽdo quæ Deus, ut docet D. Thomas citatus ad 1.

Probatur & explicatur secundò de voluntate inefficaci, etsi signi: 92. quia consilium seu voluntas Dei consulens, eo ipso quo talis, non obligat; ergo non tenemur illi nos conformare, volendo id quod consulitur. Imò licet hoc ipsum nolle: quia licet nolle facere, quod facere non teneris. Eadem est ratio de voluntate conditionata. Ita Deus vult te fieri Religiosum, si voveas vel convalescas, postquam id eâ conditione vovisti, quod tamen facere non teneris, nisi voluntas ac votum conditionatum expletâ conditione transierit in absolutum. De voluntate absolutâ signi ac præcepti constat hanc obligare, adeoque te debere tuam illi conformare, idem volendo eo ipso

quo præcepti est. Quibus positis superest major difficultas de voluntate nec consulente, nec expresse præcipiente, sed tamen absolutè quidquam statuente ac prædefiniente.

93. *Illicitum est nolle efficaciter quod Deus vult voluntate signi.* Dico secundò: illicitum est nolle efficaciter quod Deus vult efficaciter voluntate signi, non modò antecedenti, sed & consequenti, eo posito quod hujus est occasio. Unde apparet, eatenus voluntatem nostram debere conformari divinę in volito. Ita Vasquez 1.2. disp. 62. cap. 3. & Salas tract. 7. disp. 5. sect. 3. qui citant alios, contra Medinam in art. 10. cit. Alii qui ab hac conclusione dissentire videntur, possunt cum eâ conciliari juxta sequentem.

Probatur primò, quia quod Deus vult, necessariò & infallibiliter fiet, ac impossibile est ut non fiat; nimirum vi voluntatis divinæ, ac decreti efficacis, quod aliàs non esset efficax; sed nec possumus, etsi velimus, efficaciter velle quod est impossibile; & ut possemus, inanis & stulta esset ejusmodi volitio, ideoque difformis recto ac prudenti judicio, & mala. Quam item ob causam velle efficaciter non possumus, ut aliquid factum aut dictum non sit, quod factum & dictum est; neque ut contradictoria sint simul vera. quæ tamen non sunt magis impossibilia, quàm non fieri quæ Deus efficaciter & absolutè decrevit ut fierent. Ob quas aliasque causas verius est Deum non prædefinivisse, nec potuisse prædefinire ullos actus liberos, qui eo ipso fierent necessarii, quo prædefiniti; nisi saltem hujusmodi prædefinitiones mitigentur præscientiâ conditionali.

Probatur deinde posterior conclusionis pars; quia positâ illâ conditione, jam Deus independenter à nobis statuit efficaciter quod sibi placet. Itaque voluntas aliàs subsequens jam fit antecedens, nec minùs efficax, quàm absolutè antecedens. Sic reus potuit quidem absolutè evadere supplicium non peccando, posito tamen peccato & captivitate, non potest irritare sententiam Judicis damnantis. Itaque recurrit hîc argumentum factum: quod tamen non valet de voluntate Dei, quam aliqui vocant comitantem; ac permissivâ, neque præscientiâ, quæ semper pendent à libertate nostrâ. 94.

Confirmatur conclusio, & utraque probatio: quia probabile est, absolutum & efficax Dei decretum, etsi expresse nil præcipiat, modò notum, habere insuper ex naturâ rei vim præcepti; eò quòd ex naturâ rei voluntas nostra tanquam subdita ac inferior debeat obsequi ac conformari divinæ tanquam superiori. *Probabiliter absolutum Dei decretum habet vim præcepti.*

Ex quibus sequitur, nec licitum esse orare ut contrarium eveniat quàm Deus decrevit: neque tantùm ob rationes dictas, sed prætereà, *Non licet orare ut contrarium eveniat quàm Deus decrevit.*

tereà, quia hoc orans & desiderans simul vellet Deo inesse imperfectionem inconstantiæ ac mutabilitatis; quo ex capite id peccatum esse posset, verbi gratiâ in rustico, qui vim & efficaciam decreti divini non perciperet, ideoque nec rationes præcedentes.

95. *Neque ut mutetur decretum reprobationis.* Petes: Quid si Deus alicui revelet sui aliorumque reprobationem?

Respondeo, ob rationes dictas non licere velle aut orare, ut decretum illud mutetur, vel non expleatur: imò si intelligatur ejusdem infallibilitas & efficacia, nequidem ut reprobati salventur; quia sic reverà redderetur illud inefficax & irritum: quod ipsum indicat Augustinus lib. 21. De civit. Dei, c. 24. *Denique*, inquit, *si de aliquibus ita Ecclesia certa esset, ut qui sunt illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vitâ sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire, cum diabolo, tam pro eis non oraret, quemadmodum nec pro ipso.*

Unde etiam collige, eum, cui revelata esset reprobatio, seu futura damnatio, non debere imò nec posse absolutè sperare gloriam, adeoque posse de eâ positivè desperare tanquam futurâ, non tamen tanquàm impossibili; quia reverà simpliciter & in sensu diviso maneret possibilis. Quare etiam peccaret is se reddendo eâ indignum, tenereturque vitare peccata, nec se indignum reddere. Quemadmodum etiam peccaret, cui divinitus idipsum prædictum foret quòd esset peccaturus, ut D. Petro: volendo enim peccare, non conformaret sed difformaret voluntatem suam divinæ: nec enim Deus vult, sed odit peccatum; quod scit & prædicit futurum. Quamvis iis circumstantiis positâ revelatione, aliqua nō essent peccata, quæ jam sunt etiã intrinsecè, ut dixi de desperatione. Ob quæ aliaque incommoda non solet Deus certorum reprobationem revelare, præsertim ipsismet, etsi absolutè possit. Intelligenda tamen esset conditionatè, nisi aliud apertè revelaretur, ut dicam paulò pòst in simili.

Dico tertiò: Non tantùm licet, sed sæpè laudabile est, simplici & inefficaci affectu nolle, quod Deus vult efficaciter. Est communis. 96. *Sæpè laudabile est, simplici affectu nolle quod Deus vult efficaciter.*

Probatur primò exemplis Sanctorum, imò ipsius Christi, qui sciebat voluntatem Patris sui, ut moreretur, & biberet calicem passionis suæ; & nihilominùs hac instante tristis fuit ejus anima usque ad mortem. Quæ tristitia non tantùm manavit ex aversione appetitûs sensitivi, sed & displicentiâ voluntatis: quod ipsemet indicavit, rogans fieri voluntatem Patris, non suam, scilicet quam habebat. Sciebat prætereà, divino decreto urbem & gentem Judaïcam evertendam, & nihilominùs flevit super

 eam.

eam. Neque id ignorabat Apostolus, qui tamen cupiebat fieri anathema pro fratribus suis. Similiter viri etiam sanctissimi dolent mortem eorum, quorum vitam putant fuisse utilem ad Dei gloriam, idque dolore ac displicentia, non tantùm sensibili in appetitu, sed magis rationali in voluntate.

97. Probatur secundò ratione, prior quidem pars quòd liceat, quia ex nullo capite est illicita ejusmodi simplex nolitio seu displicentia; inprimis non quia repugnat præcepto; hoc enim ut tantùm obligat ne reverà contra illud agamus, ita ut neque efficaciter id velimus. Deinde non quia objectum est impossibile; quæ enim extrinsecè tantùm sunt impossibilia, intrinsecè possibilia, possumus velle affectu inefficaci. Denique non quòd hoc sit contra honorem Dei: nam quod simpliciter tantùm desideramus, non volumus ita reverà esse, adeoque nec volumus decretum Dei esse irritum, ne indirectè quidem. Quare non tam sunt istæ voluntates, quibus aliquid velimus absolutè & efficaciter, quàm velleitates quibus vellemus ita esse, nisi quid obstaret, verbi gratià decretum Dei.

98. Probatur deinde posterior pars, quòd sit laudabile: quia possumus sic nolle ex affectu virtutis sub ratione honesti, quod Deus vult etiam sub ratione honesti. Exempli causà, vult Deus mori parentem ob bonum finem sibi notum, filio potest ea mors displicere laudabili affectu pietatis. Nec ideò illi displicet ratio boni, ob quam Deus illud vult. Imò ordinariè similibus casibus nullum affectum Dei decreto contrarium in volito elicere, signum esset affectûs inordinati, avaritiæ, impietatis, aut vitiosæ insensibilitatis. Quare pulchrè Augustinus in Enchiridio cap.101. docet, voluntatem bonam posse esse divinæ difformem eodem exemplo: *Tanquam*, ait, *si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus vult mori*, scilicet bono fine, & malam conformem; *velut*, ait, *si malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus: & tamen bonæ voluntati Dei pietas illius potiùs consonat, quamvis aliud volentis, quàm hujus idem volentis impietas*. Ubi supponit, hunc id velle malo fine.

Laudabiliter tibi displicet mors parentis, quæ Deus vult mori.

Unde collige, quid dicendũ de hoc affectu: Nisi Deus hoc nollet, ego vellem. Cùm enim sit tantùm simplex affectio de præsenti, erga voluntatem quidem efficacem, sed conditionatè futuram iis circumstantiis, quibus ipsa non repugnaret voluntati divinæ; neque peccatum esset, nec ejus affectio peccatum esse potest.

Dices, Libr.1.Reg.cap.16. Deus reprehendit Samuelem, quòd lugeret Saulem à se projectum; ergo malum erat hoc lugere & dolere, quia scilicet divino decreto contrarium. 99.

Respon-

Respondeo, vel Samuelem reprehensum fuisse quòd immoderatè lugeret; modus enim ejusmodi luctui adhibendus est: vel illum non intellexisse an Deus infallibiliter & absolutè Saulem projecisset ne regnaret super Israel, vel tantùm comminatoriè & conditionatè, nisi se emendaret. Quo modo communiter ejusmodi locutiones & decreta Dei explicanda sunt, nisi aliud apertè revelet. quod videtur facere verbis: *Vsquequo tu luges Saul, cùm ego projecerim eum*: Quibus non tam illum reprehendat, quàm voluntatem absolutam projiciendi declaret.

Comminationes Dei communiter explicandæ conditionatè.

100. Petes, an sit aliqua obligatio eo modo nolendi simpliciter, quod Deus absolutè vult, verbi gratiâ, an filius teneatur absolutè dolere mortem patris, quem sciret peculiari Dei providentiâ exstinctum.

Respondeo, etsi spectatâ fragilitate humanâ, ut jam dixi, ordinariè signum esset inordinati alicujus affectûs, simili casu nullum affectum & dolorem concipere; abstrahendo tamen à scandalo, nullam esse ejus obligationem, imò contrarium laudabilius ac perfectius.

Non tenemur nolle simpliciter, quod Deus vult efficaciter.

Probatur quòd nulla sit obligatio, quia charitas, pietas, similesque virtutes non solent obligare, nisi dum earum motivo satisfacere, seu proximis prodesse possumus; doloris autem & fletûs ob causas similes nullum solet esse commodum, imò non leve incommodum, scilicet jactura quietis conscientiæ & hujus turbatio, magnum impedimentum perfectionis, ut magis constabit ex sequentibus capitibus; affectus enim partis inferioris solent etiam transire in superiorem. Atque hinc etiam probatur, quòd sit perfectius, more & exemplo multorum Sanctorum ejusmodi affectus supprimere; nimirum ut voluntas nostra undique sit conformis divinæ, sicut est Beatorum. Quod est signum & exercitium perfectæ charitatis, præsertim in rebus adversis, sive privatis sive etiam publicis. Dixi, *tamen abstrahendo à scandalo*, quia ad illud vitandum, & proximi ædificationem, sæpe præstat displicentiam, ac dolorem ob causas similes verè, ut dixi, laudabilem exprimere, aliisque ostendere; ut fecit Paulus ob desertionem gentis Judaicæ; imò & Christus instanti passione, ut hujus meritum augeret, nobisque probaret se verum hominem, verè humana pati ac dolere. Neque in illo, ut in nobis erat periculum, ideò turbandæ conscientiæ, & ponendi obicem perfectioribus virtutum actibus.

101. Ex quibus jam satis constat, quâ ratione voluntas nostra debeat cõformari divinę, primo modo in volito materialiter. De secũdo modo

Voluntas nostra debet esse divinæ conformis motivo generico.

Dico quartò: Quævis voluntas nostra debet esse conformis divinæ in volito formaliter seu motivo ac fine

fine generico, non quovis particulari, etsi possit.

Prior conclusionis pars est D. Thomæ art. illo 10. nec eget tam probatione quàm explicatione. Quia motivum ac finis actionum genericus, est honestum in genere: quod ipsum implicito & virtuali quodam modo refertur & tendit in Deum ut ultimum finem: atqui quævis voluntas nostra debet tendere in bonum honestum, aliàs mala (cùm nulla detur indifferens, ut jam probatum est superiori capite) ergo hoc sensu quævis voluntas debet esse conformis divinæ in volito formaliter motivo generico, non tamen particulari, quod nullo ex capite obligamur intendere, ut constat.

102. *Licitè vis quidlibet eodē fine quo Deus.* Posterior conclusionis pars, quòd possit, seu licita ac laudabilis sit volitio, quâ quidvis in particulari velis eodem particulari motivo ac fine quo Deus, etiam punitionem ac damnationem impiorum, indicatur à D. Thomâ citato, & expressè docetur à Vasquez 1. 2. disp. 72. cap. 5. & Tannero disp. 2. quæst. 6. dubio 6. assertione 10. etsi videantur dissentire plures: Abulensis, Bonaventura, Gabriel, aliiq; ab illis citati.

Probatur primò ex Scripturâ, Psalm. 30. *Erubescant impii, & deducantur in infernum.* & 67. *Sic pereant peccatores à facie Dei*: quibus clarè exprimitur zelus & desiderium pœnæ impiorum, scilicet motivo justitiæ ac honoris divini reparandi, quo ducitur etiam Deus: quod item constat usitatum esse aliis Sanctis.

Probatur secundò ratione, quia voluntas divina eo motivo ac fine est bona: ergo nostra non potest esse mala, si eodem motivo nititur, eo item sensu conformis divinæ. Imò talis est voluntas Beatorum. Quæ ratio idem probat etiam de privatione gratiæ, quatenus est pœna à Deo inflicta propter peccatum actuale commissum, non autem quatenus moraliter eo includitur & causatur à peccatore. Sub quâ formalitate eam velle esset quidem peccatum mortale, ut docent adversarii, qui sic nobiscum conciliari possunt, sed ea voluntas non esset conformis divinæ in volito formaliter, cùm nec Deus velit aut velle possit privationem gratiæ sub eâ formalitate ac motivo, quatenus scilicet peccatum est, non pœna. Atque hæc dicta sunt de secundo modo conformitatis. De tertio. 103.

Voluntas nostra nō debet esse conformis divinæ in principio volendi. Dico quintò: Non debet voluntas nostra esse divinæ conformis formaliter in principio volendi. Probatur ex jam dictis, quia etsi quis possit, non tenetur tamen semper eodem particulari fine ac motivo, adeoque habitu operari quo Deus, nominatim charitatis: cujus quidem ut aliarum quoque virtutum præceptum obligat semper, non tamen pro semper; quare tantùm

tantùm obligat & exercenda est peculiaribus aliquando casibus. De ultimo modo conformitatis

104. *Debemus velle, quæ Deus nos vult velle voluntate præcepti.* Dico ultimò : Debemus velle quæ Deus nos vult velle voluntate præcepti, non consilii. Est certa, & probatur facilè ex dictis conclusione 1. Tantùm observa ex dictis conclusione 2. probabiliter voluntatem Dei absolutam & efficacem habere vim præcepti, etsi expressè non præcipiat.

Atque hæc sufficiant Theologicè dicta de conformitate ac concordià voluntatis, adeoque conscientiæ nostræ cum divinà: de quâ plura Scriptores pii, cum quibus hoc tantùm addo, magnum signum esse perfectionis acquisitæ, & medium acquirendæ, actiones suas, se totum suaque, imò absolutè omnia privata & publica conformare semper ac committere certissimæ huic regulæ divinæ voluntatis ac providentiæ.

CAPUT XI.

An actus bonos sequatur conscientiæ quies, & quid illa sit.

105. *Conscientia actuū bonorum præmium.* NOn tantùm actuum moralium regula est & mensura sed & bonorum præmium, conscientia, per quietem & gaudium illos subsecutum; ut eadem est malorum actuum pœna per remorsum & mœrorem. De quiete hîc agam, postquam egi de bonitate, ejus causâ, pòst acturus de remorsu, cùm egero de malitiâ causâ illius.

Multa de gaudio ac quiete bonæ conscientiæ, quæ acquiritur formaturque bonis actibus, leguntur libris sacris, & profanis. Prover. 15. *Secura mens,* id est conscientia, *quasi juge convivium.* Ecclesiastici 13. *Bona est substantia*, scilicet bonorum temporalium, *cùm non est peccatum in conscientiâ* : ergo cùm est peccatum in conscientiâ, illa bona non sunt. Cap. 30. *Non est oblectamentum, super cordis gaudium*: Gaudium cordis idem est, quod quies conscientiæ, ut jam explicabo.

Similiter Patres, Chrysostomus in Matthæum, hom. 54. *Nihil aliud jucundum, quàm conscientia proba.* 106. Ambrosius in Psalm. 45. *Quis puritate & simplicitate pectoris dulcior fructus? Quis cibus suavior, quàm is quem animus benè sibi conscii, & mens innocentis epulatur?* Et libr. 2. Officiorum, cap. 1. *Vitam beatam efficiunt tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ*. Augustinus in illud Psalm. 53. *Ecce enim Deus adjuvat me,* sic ait: *Omnes Sancti adjuvantur à Deo, sed intus ubi nemo videt. Quomodo enim magna est pœna impiorum, conscientia, sic magnum gaudium piorum ipsa conscientia*. Quod probat verbis Apostoli 2. ad Corinth. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*; additque: *Hodie in corde meo gaudium invenio, quia sine*

causâ

causâ dicunt quidam: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine, dedisti jucunditatem in corde meo. Ubi per *lumen vultûs divini* intelligit conscientiam, quam scilicet post bona opera sequatur jucunditas cordis. Vide eundem libr. 3. adversùs litteras Petiliani, cap. 6. & 7. de consolatione bonæ conscientiæ, etiam inter calumnias, criminationes, & detractiones. *Nam si*, ait, *in eis quæ criminantur, testimonium conscientiæ meæ non stat contra me in conspectu Dei, non solùm contristari non debeo, verùm etiam exultare & gaudere.* Addit infrà: *Si autem non aurem tantùm percutit iracundia criminantis, verùm etiam conscientiam mordet veritas criminis, quid mihi prodest, si me continuis laudibus totus mundus attollat? Ita nec malam conscientiam sanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat convitiantis opprobrium.* Hæc Augustinus. Bernardus De triplici modo orationis serm. 5. *Quis enim vestrûm est, qui non sæpè expertus sit conscientiæ bonæ delectationem? Non est hæc delectatio cibi, neque potûs, aut similis cujuslibet rei; delectatio tamen est, & major omnibus illis: divina enim est, & non carnalis delectatio; & cùm his delectamur, planè delectamur in Domino.* Idem de interiori domo, cap. 22. *Conscientia bona titulus est Religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudiũ Angelorum, arca fœderis, thesaurus Regis, aula Dei, habitaculum Spiritûs sancti, liber signatus & clausus, & in die judicii aperiendus. Nihil est jucundius, nihil tutius, nihil diutius bonâ conscientiâ. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, & illa erit secura.* Omitto alia. Eadem habet libro posteriore de conscientiâ, cap. penultimo, quibus nil videtur dici posse amplius in commendationem bonæ conscientiæ.

Nec minùs eam deprædicarunt Ethnici. Seneca epist. 43. *Rem di-* 107.
cam, ex quâ æstimes mores nostros. Vix quemquam invenies, qui possit aperto ostio vivere; janitores conscientia nostra, non superbia opposuit. Sic vivimus, ut deprehendi sit, subitò aspici. Quid autem prodest recondere se, & oculos hominum auresq; vitare? bona conscientia turbam advocat, mala autem in solitudine anxia atque sollicita est. Si honesta sunt quæ facies, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, cùm tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem! scilicet teipsum, seu conscientiam tuam. Addit in illum locũ Lipsius ex fragmentis Polybii: Οὐδεὶς οὕτως οὔτε μάρτυς ἐστὶ φοβερὸς οὔτε, κατήγορος δεινὸς, ὡς ἡ συνείδησις κατοικοῦσα ταῖς ἑκάστων ψυχαῖς. *Nullus neque testis tam formidabilis, neque accusator tam gravis, quàm conscientia quæ mentibus singulorum inhabitat.* Dicam eadem ratione: Nemo tantus tuiipsius encomiastes, quàm tua conscientia. Idem epistola 23. totâ Lucilium hortatur ad gaudendum, & quidem semper, planè juxta Apostolum. *Nolo*, inquit,

quit, *tibi deesse unquam lætitiam, volo illam tibi domi nasci.* Paulò pòst: *Ad verum bonum specta, de teipso gaude. Quid est autem hoc? De teipso, & tui optimâ parte.* Quod pleniùs explicat, cùm subjungit: *Veri boni aviditas tuta est. Quid sit interrogas, & unde subeat? Dicam: ex bonâ conscientiâ, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex contemptu fortunarum, ex placido vitæ, & continuo tenore unam prementis viam.* Quibus nil melius ad rem nostram dici potuisset à Philosopho Christiano. Cicero lib. 2. Tusculanarum quæstionum: *Nullum theatrum virtuti conscientiâ majus.* Epist. ad A. Torquatum: *Conscientia rectæ voluntatis maxima consolatio est, rerum incommodarum vacare culpâ, magnum est solatium.* Et 5. Philip. *In ipsâ conscientiâ rectè factorum satis amplus laborum fructus est.*

Nota primò circa ejusmodi dicta, ac bonæ conscientiæ encomia, usitatas locutiones causales, dum conscientia dicitur *gaudium*, vel *consolatio*, id est, causa gaudii & consolationis. Secundò, sæpiùs conscientiam sumi non pro actuali, sed habituali, ipsâ animâ: nam quies, verbi gratiâ, non convenit actui intellectûs, sed animæ. Quibus præmissis,

108. *Quies conscientiæ non semper, sed plerumq; sequitur actus bonos.*

Dico primò: Quies conscientiæ non quidem semper, sed plerumque sequitur actus bonos.

Idem dicam cap. 19. de remorsu conscientiæ post actus malos. Unde probatur conclusio ex ibi dicendis à sensu contrario.

Probatur prætereà prior conclusionis pars, quia actus boni non possunt ingenerare illam quietem, nisi cogniti actu super illis jam factis reflexo: cujusmodi cognitio illos non necessariò aut semper sequitur. Et quamvis illa sequatur, non semper illam sequitur amor erga bonum suo modo præsens, qui secundùm se & intrinsecè est liber; idque vel quia voluntas illum liberè omittit, vel insuper ob scrupulum, aliámve ejus indispositionem. Quies autem & delectatio tantùm sequitur, & quasi resultat ex prævio amore: quæ magis explicabo sequenti conclusione.

Posterior pars, quòd sequatur plerumque, luculentè probatur. 109.
Primò ex Scripturâ ac Scriptoribus sacris & profanis jam citatis. Secundò ratione; quia actus boni juxta prudentiam humanam & divinam, meritò sunt causa ac motiva gaudii; quod illorum est quasi naturalis fructus ac præmium: ergo in homine benè disposito natum est sequi, ac plerumque sequitur, idque majus vel minus, quò actus præcesserunt plures vel pauciores, intensiores ac nobiliores, vel remissiores ac languidiores. A gaudio autem non distinguitur quies, ut jam dicam.

Gaudium est naturalis fructus bonorum operum.

Confirmatur quàm maximè conclusio, ut ipsum gaudium, si fiat in Domino, juxta Apostolum & Patres, propter gratiam, ipsumque

que Dominum inhabitantem in cordibus, seu conscientiis nostris: quod moraliter certò credere ac confidere possumus, juxta dicenda cap.15. Chrysostomus hom. 18. ad populum Antiochenum ex professo docet semper gaudendum secundùm Apostolum, cùm dixit: *Non tantùm gaudete semper*; sed addidit continuæ voluptatis causam, *gaudete in Domino semper*. Quæ prosequitur etiam hom. 25. ad eundem populum ex mente ac doctrinâ Apostoli ad Rom. 8. Quòd diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum, nec quidquam triste sit, nisi Deum offendere. Itaque justus bonâ conscientiâ instructus, nullam habet revera causam tristandi; imò ubique semper invenit lætitiæ liquidissimæ fontem, Deum ipsum sibi amicum; non tantùm in cælo aut templo, sed in omnibus creaturis; & quod caput est, domi suæ, in ipsâ conscientiâ suâ. Quibus stabilitur solidissimum fundamentum, non tantùm pacis & gaudii, sed Christianæ fortitudinis ac magnanimitatis, quò non possunt pertingere homines ac scriptores Ethnici.

110. *Quies conscientiæ sita est in delectatione.*

Dico secundò: Quies conscientiæ sita est in ipso gaudio, seu delectatione, secutâ per modum passionis ex cognitione & amore operis patrati. Patres & Doctores id non exprimunt; colligitur tamen ex D.Thomâ 1.2. quæst. 34. art. 1. cujus verba sunt: *Est enim delectatio*, à quâ non differt gaudium, *quies appetitivæ virtutis in aliquo bono amato, & consequens aliquam operationem*. Ubi totidem ferè verbis totam explicat conclusionem; primò quietem conscientiæ, id est, animæ, (seu, quod in idem recidit, voluntatis, quæ est virtus ac potentia appetitiva) esse delectationem; quod repetit art.4. secundò, hanc provenire ex bono amato, seu amore boni, scilicet cogniti: tertiò addit eam consequi operationem, scilicet bonam.

Probatur deinde & explicatur conclusio: quies conscientiæ non potest esse tantùm quid negativum, seu carentia turbationis; sed præterea quædam consistentia in aliquo quasi centro, ut explicat D. Thomas similitudine quietis rerum materialium: conscientiæ verò quasi centrum, est bonum morale, in quo proinde illa juxta eundem quiescit, ut corpus grave deorsum. Quod haud dubiè juxta jam dicta majori jure convenit ipsi Deo, cùm is tanquam intimè præsens, non tantùm per naturam, sed & gratiam, proximè intellectui ac voluntati proponitur: in malo conscientia quiesceret contra naturalem inclinationem, ut grave sursum. Consistentia autem illa non differt ab ipsâ delectatione, quam in appetitu rationali constat provenire ex cognitione & amore boni præsentis; quale moraliter censetur bonum opus jam patratum:

Conscientia in bono quiescit tanquam cẽtro.

tum: sicut contrà dolor & tristitia oritur ex cognitione & odio mali præsentis, verbi gratiâ peccati jam commissi.

111. Dixi, *per modum passionis*: præmissâ enim cognitione & amore, sequitur necessariò, non tamen tanquam vera passio, ut putat Scotus, quia nihilominùs, juxta D. Thomam ac communiorem sententiam, elicitur ab ipsâ voluntate, non resultat in eâ habente se passivè. Nam, ut ait D. Thomas citatus quæst. 31. art. 1. est motus quidam, adeoque actio ipsius animæ, & in casu nostro, quies quædam & consistentia vitalis: qualis esse non posset, si anima se haberet mortuo modo merè passivè. Quæ etiam causa est, cur ejusmodi quies sit simul motus quidam, id est, sensus, gustusque boni præsentis: quo differt quies animalium à quiete rerum insensatarum, juxta D. Thomam citatum.

Delectatio actus est elicitus à volùtate.

Omitto hîc fusiorem disputationem, aliasque rationes, cur delectatio, dolor & similes affectiones, actiones sint ab ipsâ voluntate elicitæ: Unam sufficiat indicare, quòd alia earum efficiens causa assignari non possit. Nec enim potest esse ea intellectûs, cùm nulla potentia possit efficere actiones, vel affectiones alterius potentiæ, excederet enim quasi sphæram activitatis suæ, & limites sui objecti: delectatio autem, ut & dolor, ad voluntatem spectant, ut notum est.

Ex dictis collige, etsi hæc quies & delectatio soleat dici, non esse tamen devotionem, nisi, ut ita dicam, accidentalem. Quo sensu Bernardus, nominatim Serm. 1. de nativitate Domini, devotionem dicit esse hilaritatem mentis, & dulcedinem spiritûs. Essentialis ac vera devotio, est actus voluntatis liber, præsertim amor ex quo illa sequitur. 112.

Quies & delectatio non est vera devotio.

Adverte præterea primò, benè distinguendam esse quietem & delectationem sensibilem appetitûs sensitivi, seu partis animæ interioris, à rationali appetitûs rationalis, seu partis superioris: eademque est ratio de dolore ac tristitiâ. Prior non est sine transmutatione aliquâ corporali, dilatatione cordis, ac diffusione sanguinis, & spirituum sanguineorum, ut docet D. Thomas citatus art. 4. & sequitur apprehensionem sensûs. Posterior, quæ etiam est gaudium & consolatio, quia tota spiritualis, corpus solū non afficit, & sequitur judicium rationis. Hæc secundùm se solet esse major, etsi illa sensu vehementior, ut etiam docet D. Thomas. Hæc magis convenit perfectioribus, illa imperfectioribus. Verùm tanta hæc sæpè est in animæ parte superiore, ut hinc se transfundat in inferiorem, adeoque corpus, quando, ut loquitur Psalmista Psalm. 83. *cor*, id est voluntas, *& caro mea exultant in Deum vivum*, scilicet ratione utriusque delectationis con- 113.

Distinguenda delectatio partis interioris; & superioris.

junctæ, & utriusque appetitûs conspirantis. Unde naturali sequelâ & sympathiâ sequitur perfectior operatio.

Unde apparet, sæpè expedire excitari ejusmodi motus, etiam in parte animæ interiori, tanquam igniculos virtutum, ut eos vocavit Plato, vel earumdem instrumenta, ut ejusmodi passiones solet vocare Aristoteles & Seneca.

Sæpiùs quies ac gaudium est in parte superiori, cùm dolor in inferiori, & cōtrà.

Ceterùm hærent hîc sæpè teneræ ac perplexæ conscientiæ, cùm non distinguunt duas illas animæ affectiones; putantque se carere etiam posteriori, quia non sentiunt priorem; ideoque cùm quid triste supervenit, quia non sentiunt quietem & delectationem parte interiori, sed dolorem ac mœstitiam; putant eodem modo affectam superiorem: quæ tamen, etiam tunc sæpè fruitur suâ quiete ac pace, tota divinæ voluntati conformis. Similiter putant se verè non dolere de peccatis suis, quia dolorem non sentiunt in appetitu sensitivo, neque in oculis lachrymas. Advertant ejusmodi, tum quietem & delectationem, tum dolorem & tristitiam, etsi sæpè se transfundant ab animæ parte superiori ad inferiorem, sæpiùs tamen non transfundere; vel ob earum remissionem vel naturalem corporis indispositionem, vel aliam afflictionem à divinâ providentiâ permissam, imò aliquando immissam. Ita Christi ipsius anima in horto tristis fuit usque ad mortem, scilicet parte sui inferiori, quamvis eodem tempore frueretur quiete & gaudio beatifico parte superiori.

Adverte secundò, dicta hac conclusione, ut & dicenda sequentibus, convenire etiam quieti quâ fruuntur animæ sanctæ in oratione, meditatione, ac contemplatione: imò ideò oratio, quæ à Mysticis vocatur peculiariter *quietis*, quòd eâ conquiescat anima in Deo centro suo, ut jam indicavi, potissimùm spectat ad voluntatem, cujus est delectari & gustare, *Gustate*, ait Psalmista, Psalm. 33. *& videte, quoniam suavis est Dominus*: quia hîc præcedit voluntas ejusque gustus, sequitur intellectus ejusque cognitio experimentalis. Tanta est subinde hæc delectatio, ut eâ voluntas, atque adeò anima tota impleatur, imò sanctè inebrietur, quæ dicitur *ebrietas spiritualis*: utque sopita creaturis omnibus soli Deo vigilet, qui dicitur ab iisdem *spiritualis somnus*. 114.

Putant aliqui se experiri quietem illam, somnumque consistere in quiete, id est, cessatione potentiarum ab omni actione. Sed primò, qui hoc advertunt & cognoscunt, cùm nil cognoscunt, cessante etiam intellectu? Secundò, quies illa somnusque perficiunt, non destruunt contemplationem: destruerent autem, si intellectum cohiberent ab omni actione, adeoque contemplatione; voluntatem 115

tatem ab amore, atque adeò merito. Tertiò, quies hæc, ut antè etiam dixi, est jucunda, vitalis ac prudens: illa autem videretur insipida, mortua ac cæca. Quartò ergo nec intellectus, nec voluntas tunc otiatur, sed uterque utilissimè cum Deo negotiatur; quamvis, singulari Dei favore, citra conatum ac molestiam, eo ferè modo, quo infans sugit ubera sibi jam applicata matris suæ. Quâ similitudine id explicuit expertissima Teresia. Certè Deus non tantùm paterno, sed & materno amore videtur lactare animam sic quiescentem, ut promisit Oseæ 2. *Ego lactabo eam.*

CAPUT XII.

An conscientiæ quies sit bona ac laudabilis.

116. QUamquam ex dictis superiori capite colligi potest, laudabilem esse, moveo tamen hanc quæstionem in gratiam scrupulosorum vel tenerorum conscientiâ, qui solent eam rejicere ut malam & periculosam.

Quies conscietiæ est bona ac laudabilis.

Respondeo igitur affirmativè. Est certa, & quidem reipsâ certitudine fidei.

Probatur ex ipsâ Scripturâ. Psalm. 36. *Delectare in Domino.* Psalm. 31. *Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde.* Ecclesiastes cap. 3. *Cognovi quòd non esset melius, nisi lætari, & benè facere in vitâ suâ.* Et iterum: *Deprehendi quòd non esset melius, quàm lætari hominem in opere suo.* Quibus expresè dicitur, lætari propter bona opera, non tantùm esse bonum, sed nil melius. Apostolus ad Philip. 4. *Gaudete in Domino semper: iterùm dico, Gaudete.* Idem ad Galatas 5. secundùm spiritûs fructum statuet gaudium. Alibi item sæpiùs Scriptura, adeoque Spiritus sanctus, hortatur nos ad ejusmodi gaudium ac delectationem. Certissimum autem est, eum non hortari nos nisi ad bonum ac laudabile. Idem deducitur ex Scripturâ & Patribus citatis initio præcedentis capitis. Ubi

117. *Quies conscietiæ justi est in Domino.*

Suppono primò, quietem illam ac delectationem bonæ conscientiæ esse in Domino, quod expresè docet Bernardus ibi citatus; & saltem verum est in justis: in Domino enim haud dubiè fiunt omnes actus ipsi grati, ac meritorii, ab ejusque gratiâ profecti; quatenus fluunt à Christo, ut capite in ejus membra, & vite in palmites, indeque participant spiritualem succum & vigorem, juxta Tridentinum sess. 5. cap. 16. Addo, quietem illam peculiariter posse dici in Domino, tanquam centro, ut indicavi num. 110.

Omnia bona opera justorũ sunt meritoria, adeoq; delectatio inde orta.

Suppono secundò ex 1. 2. juxta veriorem, & communi fideliũ sensui ac Scripturæ Conciliisque conformiorem sententiam, justorum bona opera omnia esse meritoria.

 Quæ

Quæ sententia sequitur ex aliâ item veriori, quòd habitus & virtutes supernaturales non differant à naturalibus objectis, sed divinio-ri modo in ea tendendi. Ita enim omnia, circa quæcumque objecta versentur, procedent ab habitu supernaturali, adeoque ipsa erunt supernaturalia: quæ haud dubiè sunt meritoria, ac fiunt in Domino. Quod verò dicitur de operibus, dicendum etiam de delectatione quæ ex iis quasi resultat, ratione nunc explicandâ.

118. Probatur nunc conclusio ratione, quia juxta communem certamque sententiam, ejusdem rationis ac facultatis est amare ac prosequi bonum absens, & amare & delectari de eo præsente; ut etiam odisse ac fugere malum absens, & odisse & dolere de eo præsente; omnes enim hi actus nituntur ac nascuntur ex eodem principio ac motivo: atqui certum est, reliquos actus, præter delectationem, esse bonos & laudabiles; ergo & delectationem seu quietem in eâ sitam, quæ videtur finis & terminus ceterarum.

Confirmatur primò, quia delectatio, ut cæteri actus, debet moraliter sicut & physicè specificari ab objecto suo, quod supponitur esse bonum, juxta dicta num. 28. quemadmodum sensu & ratione contraria mala est, quia de objecto malo delectatio morosa, ut dicam Lib. 6. cap. 17.

Confirmatur secundò, quia speciatim ejusdem rationis debet esse delectatio de bono præsenti, & dolor de malo opposito etiam præsenti: atqui constat, dolorem de malo præsenti, id est, peccato commisso esse bonum ac laudabilem, cùm jure divino sit præceptus, ac necessarius ad justificationem & Sacramentum Pœnitentiæ: ergo bona est etiam delectatio de bono præsenti, bono opere jam facto. Quibus conformia quoque docet Aristoteles 2. Ethic. cap. 3. quòd voluptas, scilicet de bono, signum sit virtutum, aliaque similia.

Probatur secundò, ut docet Aristoteles 10. Ethic. cap. 4. & 7. & ex eo D. Thomas citatus, quæst. 33. art. 4. delectatio perficit operationem, scilicet in casu nostro, bonam; imò quod addit Aristoteles, est decor & perfectio sapientiæ: ergo vel eo ipso bona est & laudabilis. Explicat autem dictum illud Aristotelis D. Thomas, quòd delectatio operationem perficiat, non tantùm juxta conclusionem, quia ipsa etiam bona bonæ operationi supervenit, tanquam ejus finis & complementum; sed prætereà indirectè, quatenus causa est, quòd agens intensiùs se bonæ operationi impendat. Qui enim libenter aliquid agit, facilè totum se ad hoc convertit, & applicat omnes animi sui vires, ideoque præstat opus perfectius. Addit D. Thomas quæstione sequenti art. 4. secundùm dele-

119. *Delectatio perficit operationem. quo sensu.*

delectationem voluntatis humanæ præcipuè judicari hominem bonum vel malum: est enim bonus, qui gaudet in operibus bonis; seu, ut præmittit, qui delectatione quiescit in bono opere, tanquam suo fine. Contrà quæst. 37. art. 4. docet, tristitiam esse passionem omnium perniciosissimam, quia contrahit & repugnat vitali motui cordis; addi potest, & voluntatis, quem delectatio dilatat ac promovet.

120. Dices, ante-dictam delectationem necessariò sequi ex amore per modum passionis; ergo ipsa non est moraliter bona ac laudabilis, defectu libertatis.

Respondeo, negando consequentiam. ut non sequitur: Actus externi necessariò sequuntur internos, ergo ipsi non sunt moraliter boni. Ratio utriusque eadem est: quia sicut nihilominùs actus externi participant libertatem, adeoque bonitatem ab internis; ita & delectatio ab actu amoris, ex quo nascitur, & quem similiter complet. Addo, eandem quoque indirectè augere bonitatem amoris, ipsum augendo, ut jam explicatum est.

121. *Et gloriatio licita est post bona opera.* Ex dictis collige, licitam quoque esse post bona opera gloriationem; quod item constat ex Apostolo 2. Corinth. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Ratio est, quia cùm bona opera verè sint laudabilia, verè laude ac gloriâ dignum reddunt sui auctorem, in quo ipso judicio sita est gloriatio, scilicet interna, ita ut ratione operis facti, quis seipsum æstimet, & concipiat claram aliquam sui cognitionem, ut gloria seu gloriatio externa sita est in opinione ac notitiâ aliorum: quod ipsum docet D. Thomas 2. 2. qu. 132. art. 1. Spectat autem, etiam juxta Apostolum citatum, illud judicium ad conscientiam, cujus officium est, bonum opus adeoque operantem laudare, sicut malum reprehendere. In voluntate dicto judicio respondet quædam complacentia, non tantùm operis, sed sui.

Adverte, diligenter vitanda hîc esse duo extrema. Unũ est, ne nimis liberè glorieris. Ut enim prudentissimè monet Augustinus in illud Ioannis: *Vos vocatis me magister*, citatus à D. Thomâ art. illo 1. ad 1. *Periculosum est sibi placere, cui cavendum est superbire.* Quare sui amor ac complacentia, Græcè φιλαυτία, solet haberi pro vitio. Accedit ratio, quia bonum opus à te, vel potiùs à Deo in te factum, multò pluribus nominibus ejus est, quàm tuum: quare ipsi ferè tota gloria, tibi non nisi exigua ejus particula reverà debetur. Quo sensu & ratione monet Apostolus 1. Corint. 1. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Itaque non tantùm humiliter, sed & prudenter gloriam à nobis in Deum transfundimus, & dicimus: 122. *Cautè tamen usurpanda.*

Non

Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

Alterum extremum est, Ne non modò glorificationem omnem tuique complacentiam non nisi sobriè usurpandam, ut jam dixi; sed & approbationem, delectationem, ac complacentiam boni operis facti scrupulosè rejicias, ob periculum metumque inanis gloriæ. Posterior hæc operis complacentia à priori, tui ipsius multum differt, multoque magis ab inani gloriâ, cujus vitium situm est in cupiditate gloriæ indebitæ. Quare illa minimè rejicienda est; sed studiosè procuranda, ob rationes commodaque dicta, saltem in parte animæ superiori: ad quod hortatur nos ipse Spiritus sanctus, & Scriptura locis jam citatis. Ingrati & abjecti animi est, dona Dei non agnoscere, neque gratias agere. Præterea, ut item indicavi, delectatio, ut cor dilatat cùm sensibilis est, ita voluntatem, cùm rationalis est: quam proinde capaciorem reddit amoris Dei, & aptiorem ad ejus cultum. Contrà, mœrore animi dejicitur spiritus, Proverb. 19.

Minimè rejiciēda complacētia boni operis.

Differt ea à complacentiâ tuiipsius.

Notandum, quod ex Hieronymo refertur cap. Non mediocriter. De consecratione, distinct. 5. *Melior est quinque Psalmorum decantatio cum cordis puritate & serenitate & spirituali hilaritate, quã totius psalterii modulatio cum anxietate cordis & tristitiâ,* quæ nimirum invaserit etiam partem animæ superiorem.

CAPUT XIII.

An possit quis esse fide certus de bonâ conscientiâ, seu gratiâ ac gloriâ.

Bona conscientia non requirit tantùm actus bonos moraliter, 123.
sed & supernaturaliter, adeoque meritorios, & statum gratiæ. Quare idem est, disputare de certitudine conscientiæ bonæ, ut loquuntur aliqui, Niderus, Hallus; & de certitudine gratiæ, ut communiter loquuntur Doctores in materiâ de gratiâ.

Nota primò, quod ex jam dictis constat, distingui conscientiam bonam à rectâ definitâ capite 1. quæ nec actus meritorios requirit, nec statum gratiæ.

Conscientia bona distinguitur à rectâ.

Nota secundò, triplicem vel quadruplicem esse certitudinem: 124.
prima est fidei, quæ competit assensui fidei; secunda Theologica, quæ competit assensui Theologico, qui deducitur ex unâ præmissâ fidei, & alterâ lumine naturali notâ, ut, Christus est risibilis. qui assensus deducitur ex majori lumine naturæ notâ, Omnis homo est risibilis; & minori fidei, Christus est homo. Aliqui, ut Catherinus, hanc etiam vocant certitudinem fidei, non quidem Catholicæ, sed cujusdam specialis ac divinæ: sed malè, cùm verè pendeat ex discursu, & uno principio lumine naturæ noto:

Triplex certitudo.

to: quare non esset necessariò, quamvis præsumeretur hæreticus, qui negaret, verbi gratiâ consequentiam dicti syllogismi. Addiderim, falsitatem oppositam Theologicæ veritati seu certitudini, sufficere ad propositionem erroneam, sive errorem in fide, scilicet strictè sumptum, prout ab hæresi distinguitur, licet ad eam accedat. Alio enim sensu dicitur propositio erronea, quasi per antonomasiam in materiâ fidei, alio conscientia erronea, quod hac occasione advertendum est. Tertia certitudo est moralis, quæ colligitur ex testimoniis humanis, & signis moraliter, etsi non absolutè infallibilibus. Ea iterum est duplex: vel tanta, ut ei repugnet formido de opposito; quo modo certum est, Romam esse, Julium Cæsarem, Alexandrum Magnum, Ciceronem, ac Virgilium fuisse, & similia: vel tam exigua, ut quamvis ordinariè excludat actualem formidinem de opposito, hæc tamen illi non repugnet. Hæc ab aliquibus vocatur *conjecturalis*, nititur enim conjecturis & signis, quibus si examinentur juxta prudens judicium, non repugnet falsitas, secùs quàm in casu & exemplis jam allatis: quo modo certus es te esse baptizatum, &, si es Sacerdos, ordinatum; vel Hostiam, quæ adoranda proponitur, esse consecratam, & de similibus. Hoc capite agam de certitudine fidei contra hæreticos, sequenti de Theologicâ ac morali, contra aliquos Catholicos.

Respondeo itaque, citra specialem revelationem nemo potest esse certus certitudine fidei de bonitate conscientiæ suæ, seu statu præsentis gratiæ, nedum futuræ gloriæ. Est omnium Catholicorum, contra omnes nostri temporis hæreticos; ut constabit capite sequenti, definita à Tridentino sess. 6. capit. 9. *Quilibet*, inquit, *dum seipsum suamq́ propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de suâ gratiâ formidare & timere potest, cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* De prædestinatione idem definit can. 15. de magno perseverantiæ dono can. 16. 125. *Citra revelatioñe nemo est certus de gratiâ, nedum gloriâ.*

Probatur primò ex Scripturâ. Eccles. 9. *Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo utrum amore vel odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta.* Quæ verba clarè conclusionem probant, sive intelligantur de amore ad gratiam tantùm, de quo saltem præcipuè agitur; vel de amore ad gloriam, vel de utroque. Si ex aliquo motivo, præsertim fidei, homo id sciret, seu esset certus, quod dicunt hæretici, absolutè falsum esset, nescire & esse incertum, quod dicit Ecclesiastes. Quare nullo modo satisfacit, quod dicunt, agi de incertitudine, quatenus colligitur ex præsentibus

& sensibilibus eventibus: agitur enim de absolutâ incertitudine undecumque habitâ, sine limitatione; aliàs, ut dixi, verba simpliciter essent falsa. *Quis*, inquit Bernardus serm. 1. Septuag. *potest dicere, Ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hoc, inquam, dicere potest, reclamante Scripturâ; Nescit homo an sit dignus amore, an odio?* Idem epist. 42. circa medium, allegans Apostolum jam citandum, pulchrè. *Non ex toto*, ait, *credo me vel ipsi conscientiæ meæ, quippe cùm nec ipsa queat me comprehendere totum.* Unde cum Apostolo infert: *Qui judicat me, Dominus est, cujus utique*, inquit, *scientiam non effugit, sententiam non subterfugit, etiam quod propriam latet conscientiam.*

Idem probatur ex illo Apostoli 1. Corinth. 4. juxta longè communiorem Patrum ac Doctorum & veriorem explicationem: *Neque me ipsum judico; nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est.* id est, ego non judico statum animæ meæ, quamvis enim non sim mihi conscius peccati mortalis, hoc tamen testimonium consciẽtiæ meæ non satis probat me justum esse; Deus autem solus id judicat, ut cognoscit. Cui sensui non repugnat revelatio specialis Paulo facta de gratiâ suâ & gloriâ, quia illâ Deus speciatim id judicat, nullo alio testimonio Paulus. Si ergo ille absque peculiari revelatione, quam hîc secludimus, id scire non potuerit, multò minùs alii.

Atque ita conclusionem ex illo loco probant, præter Bernardum jam citatum, D. Thomam, & Anselmum, in illa verba, Chrysostomus hom. 11. Hieronymus Dialogo 2. contra Pelagianos, Basilius constit. Monast. cap. 2. Augustinus hom. 35. ubi ex illis verbis Apostoli infert, conscientiam nostram sub examine judicii Dei trepidare. Mitto, quia res satis clara est, plura alia loca Patrum, atque etiam Scripturæ. Non possum tamen, quin in medium proferam verba S. Gregorii ad hanc rem aptissima, ex epist. 186. ad Gregoriam cubiculariam Augustæ petentem revelationem, ac certitudinem de remissione peccatorum, qualem sibi fingunt hæretici. *Quod verò*, ait, *in suis epistolis subjunxit, importunam se mihi existere, quoadusque scribam mihi esse revelatum, quia peccata tua dimissa sunt; rem & difficilem etiam & inutilem postulasti: difficilem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat; inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cùm jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minimè valebis, quæ dies quoadusque veniat, suspecta semper & trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare. Certè Paulus Apostolus jam ad tertium cælum adscenderat, & tantum adhuc trepidans dicebat: Castigo corpus meum, ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet* 126.

qui

qui jam ad cælum ducitur; & jam timere non vult, qui adhuc in terrâ conversatur? Quę verba Apostoli, & Pontificis explicanda sunt juxta jam dicta de testimonio, & internâ constitutione conscientiæ, sepositâ Dei revelatione, quam prudenter Apostolus dissimulat, cùm non spectet ad nostram ædificationem & imitationem. Subdit prætereà causam Pontifex, quà meritò Deus voluerit nos esse incertos. *Perpende, quia mater negligentiæ solet esse securitas. Habere ergo in hac vitâ non debes securitatem, per quam negligens reddaris. Scriptum est enim: Beatus est vir, qui semper est pavidus. Et rursum scriptum est: Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*

Neque tantùm Patres id verbis, sed exemplo suo docuerunt, quando salutem suam cum metu & tremore operati sunt, juxta Apostolum ad Philip. 2. Vide Hieronymum in vitâ S. Hilarionis, quem moribundum refert dixisse: *Egredere anima mea, quid times? egredere, quid trepidas? Septuaginta propè annis servivisti Christo, & mortem times?* Ob eandem quoque causam Innocentius III. cap. ult. De purgatione canonicâ, juramentum cujusdam Episcopi, quòd à certis peccatis esset immunis, quasi jam certò remissis, rejicit ut indiscretum, temerarium & ineptum. Confirmantur hæc omnia auctoritate celeberrimæ Universitatis Lovaniensis, cujus est hæc censura apud Ruardum Tapperum art. 9. *Fides, quâ quis firmiter credit, & certò statuit per Christum sibi remissa esse peccata, seq; possessurum vitam æternam, nullum habet in Scripturis testimonium, imò eisdem adversatur.*

Probatur deinde ratione: nihil fidei certitudine constare potest, 127.
nisi quod est à Deo revelatum: atqui nusquam revelatum, verbi gratiâ, Calvinum in particulari justum esse aut salvandum; ergo.

Probatur minor: non est revelatum verbo Dei tradito seu traditione, ut clarum est, & facilè concedent adversarii qui eam explodunt. Neque verbo Dei scripto, seu Scripturâ, quæ promittit quidem gratiam ac remissionem peccatorum, verbi gratiâ pœnitentibus, & gloriam fidelibus, & justis bene agentibus, seu patientibus, ut constat ex octo beatitudinibus, atque ita perseverantibus; sed nusquam revelavit, Calvinum in particulari, aut etiam hæreticos in universali, tales fore; vel citetur locus, cùm præsertim ipsi toties inculcent, nil credendum, nisi Scripturis expressum. Imò ipsis judicibus ejusmodi promissiones nil ad ipsos spectant, cùm omnem pœnitentiam detestentur; & bona opera contemnant pleni peccatis. Si dicant, sibi peculiariter, ut Paulo, id fuisse revelatum, hoc ipsum nusquam exprimit Scriptura, itaque non est credibile.

Non justificatur hæretici per suam fidem formaliter, Confirmatur primò: non justificantur per ejusmodi fidem formaliter; tum quia id est proprium justitiæ Christi, ut dicunt, cui putant aliter fieri magnam injuriam; tum quia fides formaliter fidelem facit, non justum, ut clarum est Philosopho. Ergo tantùm dispositivè, ita ut saltem in priori naturæ sit fides, quàm justitia; atqui in illo priori est falsa; ergo nunquam est vera & divina, quæ semper & necessariò est infallibilis. *neque dispositivè.*

Probatur minor: fides dicitur, quâ quis credat certissimè se justum, ac remissa peccata: atqui in priori quàm sit justus, falsum est esse justum; ergo tunc est falsa.

Confirmatur secundò: non tantùm Calvinus & Calvinistæ, sed & Lutherus & Lutherani id de se credunt: sed & utrorumque fides non potest esse divina & vera, vel ipsis iterùm judicibus; quia saltem alterutri sunt hæretici. Neque major est ratio cur id credamus de his, quàm illis, ergo de neutris credendum est.

128. Argumenta adversariorum sita sunt in locis Scripturæ & Patrum, quorum aliqua nil faciunt ad rem; aliqua agunt non de fide ac cognitione justitiæ humanæ, sed Dei, seu rerum & mandatorum divinorum, ut illud Joannis 14. *Vos autem cognoscetis eum,* id est Spiritum sanctum, *quia apud vos manebit*. Non dicit *quòd,* sed *quia*. sensus est: quia ipse existens in vobis illuminabit vos; quod facere potest, etsi à nobis non sciatur, præsertim certò. Alia agunt quidem de cognitione justitiæ, non singulorum, sed Ecclesiæ, in quâ certum est semper esse multos justos, ut 1. Joannis 4. *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis*. Vel hic locus, aliique plures explicandi sunt de cognitione moraliter certâ, juxta conclusionem secundam capitis sequentis. Aliis locis agitur quidem de certâ justificatione & glorificatione privatorum, sed, ut indicavi paulò antè, conditionatè, si agant pœnitentiam, si perseverent. Denique aliqua loca apertè evertunt sententiam pro quâ afferuntur, ut illud 2. Petri 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*. Per bona opera ergo, non per fidem seu fiduciam solam. Certam itaque dicit, non fide, quia hæc certitudo obtinetur per revelationem, non opera; sed moraliter planè, juxta dicenda.

Quod attinet ad fidem, id est fiduciam, tantum abest ut illi Scriptura justificationem tribuat, ut probabiliùs nunquam per fidem, fiduciam intelligat; adeò ut non Scriptura, sed hæretici confundant diversissimos illos diversarum potentiarum actus, ac fidem transferant ad voluntatem, scilicet ut eam voluntati planè subjiciant, credantque tantùm quæ ipsi volunt.

CA-

CAPUT XIV.

Quæ sit hac de re sententia & conscientia hæreticorum.

129. *Magna connexio inter bonā conscientiam, & fidem orthodoxā.* MAgna certè est connexio inter conscientiam, scilicet bonam & fidem orthodoxam; ut etiam inter malam conscientiam quâ bona repellitur, & hæresim. Quod non tantùm hisce nostris, sed Apostolorum temporibus verum fuit, & reipsà comprobatum, teste Apostolo 1. ad Timoth. 1. *Vt milites bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam: quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt.* Quibus clarè indicat, ideò circa fidem naufragasse, quia priùs bonam conscientiam repulerunt. Quod ipsum nimis nos docet quotidiana experientia de hæreticis nostri temporis: qui tamen nil dicunt se dubitare de gratiâ, justitiâ suâ, adeoque bonitate conscientiæ, & sanctitate jam obtentâ, nec magis de salute æternâ post hanc vitam obtinendâ: sed de utraque docent & dicunt se esse certissimos, imò debere esse justos omnes, adeò ut nisi certi de eâ sint, justi non sint: quam tamen animi sui quietem, ac fiduciam minimè fundant in bonis operibus, seu horum conscientiâ. Quæ doctrina, quia plurima ab eâ pendent, paulò altiùs à primis ejus principiis explicanda est; cùm præsertim ex eâ quoque constare debeat, qualis sit conscientia hæreticorum.

Inprimis errant circa peccatum originale, quod Augustinus libr. 1. De moribus Ecclesiæ, meritò *antiquum* appellat; quo nil ad prædicandum etiam hæreticis notius, nil ad intelligendum secretius. Constituunt illud in ipsâ naturæ nostræ corruptione, vel potiùs ejus vulneribus: quale est ignorantia in intellectu, & potissimùm concupiscentia in appetitu. Quo sensu clarum est, peccatum originale verè non remitti, ne quidem per Baptismum; sed ut summum, ut dicunt, radi, seu justis non imputari. Quod damnat Tridentinum sess. 5. decreto de peccato originali. Ex hoc remanente quasi ulcere, volunt infici omnia nostra opera etiam justorum, adeò ut verè coram Deo peccata sint, etsi illis non imputentur, & quidem mortalia, nedum bona ac meritoria. Quod damnat Tridentinum sess. 6. cap. 16. & can. 32. Æquè absurdè, quamvis consequenter ad hæc principia, negant justitiam inhærentem, quâ anima ac conscientia verè intus mundetur & justificetur, ac peccata deleantur; & admittunt tantùm extrinsecam ipsius Christi: quam nescio quo tandem modo apprehendant, sibique applicent per fidem suam ac fiduciam, quâ certissimè sibi persuadeant primò, se justos &, si Deo placet, sanctos esse, adeoque peccata sibi non imputari; secundò,

130.

dò, certissimè salvandos, adeoque esse è numero electorum Dei, ac prædestinatorum. Quæ damnat Tridentinum citatum, can. 9. & pluribus sequentibus; & traduntur passim à Luthero & Calvino, & utriusque discipulis, tanquam prima quædam principia, in quibus vix dissentiunt.

131. *Hæretici præcipua fidei mysteria reddunt imaginaria.*

Quam tamen doctrinam viro cordato, nec impio, explicasse refutasse est. Ac primò circa eam adverte, quòd præcipua fidei Christianæ mysteria reddat imaginaria. Qualis enim justitia & justificatio est, nisi imaginaria, credere, seu imaginari se justum esse vel fieri, nec verè ullam justitiam habere vel accipere? Justitia Christi ipsi tantùm inhæret & afficit, nullum alium reverà, nisi per apprehensionem ac fidem, ut ipsi fatentur, adeoque non nisi imaginariè. Aliàs tam sancti reverà ipsi essent, quàm ipse Christus, nec unus alio sanctior, quia una eademque omnium sanctitas. Similiter imaginantur tantùm sibi remitti peccata, etsi verè hæc non deleantur. Quibus omnino conforme & consequens est, ut tantùm credant, seu apprehendant, vel imaginentur se electos ac prædestinatos; reverà tamen non sint. Similem admittunt efficientiam Sacramentorum, quæ verè nil circa animam operentur, sed tantùm excitent vanissimam illam fidem, ac imaginationem. Eàdem omnipotenti suâ imaginatione fideque Calvinistæ in Eucharistiâ sistunt Christum præsentem, idque verè, ut aiunt, quamvis, ut ipsi putant, aliàs præsens non sit, nec per Dei potentiam esse possit. Denique Calvinus nec ignem in inferno admisit, nisi imaginarium ac phantasticum, quatenus scilicet reprobi se damnatos apprehendunt ad ignem, qui reverà eos aliter non urat. Quod an verum sit, jam experitur.

Ceterùm nimis propè accedit hæc hæresis ad Atheismum: præcipua enim mysteria fidei nostræ eatenus tantùm vera esse dicit, quatenus creduntur & apprehenduntur, etsi aliàs vera non sint, adeoque solidissimam eorum veritatem eludit phantasticâ fide & imaginatione. *Nimis hæc hæresis accedit ad Atheismum.* Secundò, eadem videtur blasphema, & injuria Deo ac toti generi humano. *Eadem videtur blasphema,* Deo quidem, quòd juxta eam habeat pro justis & sanctis, amet & remuneretur æterno præmio, homines verè malos, imò pessimos & dignissimos odio & æternâ pœnâ. Taceo, quòd eundem mendacem faciat, contra apertissima ipsius etiam Scripturæ testimonia. Sap. 14. *Similiter odio sunt Deo impius & impietas ejus.* ad Titum 2. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Singula verba refutant relatam hæresim. Mitto plura, & clarissima Scripturæ loca alia, quibus dicitur homo lavari,

lavari, mundari, sanctificari, regenerari, renovari spiritu, cor novum accipere: quæ haud dubiè significant mutationem aliquam, & munditiam intrinsecam. Nominatim conscientia dicitur *Pura*, 2. ad Timoth. 1. & Christus eam emundare ad Hebr. 9. juxta hæreticos Christus sic mundat, redimit, sanctificat, sicut curat ægrum, vel vulnus medicus, qui illud aliàs integrum obducto emplastro tegit, non sanat. Generi autem humano eadem hæresis est injuria, quòd secundùm eam nemo reverà sit probus, uno excepto Christo; sed omnes scelerati ac pessimi. Si enim perversus meritò habetur qui sæpè, quantò magis qui semper, omnibus omnino operibus reverà peccat, & quidem graviter ac mortaliter? Quis honestus non ægrè ferat sibi hoc objici? quod puto nec ipsi hæretici lubentèr de se audirent: quorum tamen ea est ipsissima doctrina.

Opprobrosa generi humano.

132. Ex dictis colligo, qualis esse debeat conscientia hæreticorum: primò, ipsis judicibus necesse est sit semper fœdissima, quia plenissima sordibus peccatorum gravium & innumerabilium; tot nimirum quot opera præstant, non tantùm externa, sed & interna.

Conscientia hæreticorum semper fœdissima.

Nec refert, quòd dicant non imputari tanquam peccata, quia illa non-imputatio conscientiæ, scilicet habituali, seu ipsi animę extrinseca, non potest illam intus mundare, si aliàs intus fœda sit, ut clarum est; cùm præsertim sit pura negatio, & peccato non repugnans, imò necessariò supponens. Atqui, ut ipsi affirmant, aliàs conscientia fœda, imò fœdissima est: ergo talis manet, non obstante non-imputatione. Prætereà etiam conscientia eorum actualis objectivè necessariò inficitur suo modo, & inquinatur ab eisdem sordibus, sive versetur circa actus futuros, sive præteritos. Nec enim conscientia versatur circa imputationem, vel non-imputationem Dei, sed circa ipsos secundùm se actus, qui peccata sunt, ut ipsi volunt.

Unde sequitur ulteriùs, conscientiam in hæreticis destitui pręcipuo suo officio, quod est per modum regulæ & mensuræ dirigere actus bonos, quales nullos præstant. Imò cùm omnes mali sint & peccata, nec tamen eorum conscientia eos improbet (neque enim credibile est, semper operari reluctante conscientiâ) etiam destituetur altero officio, quod est, actus malos ac peccata improbare.

Conscientia hæreticorũ non potest esse mensura actuum bonorum.

Ex quibus tandem sequeretur, in hæreticis nullam esse conscientiam, vel certè non nisi otiosam, mancam, imò mortuam. Atque hęc procedunt tanquam argumenta ad hominem, si vera esset eorum sententia.

Addo jam secundò, quamvis ea falsissima sit, verè tamen eos labo- 133.

rare,

rare, si sentiant quod dicunt, conscientiâ erroneâ; quæ ut ex antè dictis colligitur, & libro 5. probabitur, etiam obligat in casu nostro ad omittenda opera, quæ creduntur peccata; juxta illud Apostoli suprà citati: *Quidquid non est ex fide, peccatum est*: atqui nulla opera hæreticorum sunt ex fide, id est conscientiâ approbante, sed improbante ac dictante verè secundùm se omnia esse peccata; ergo ex hoc capite verè omnia peccata sunt. Unde sequitur, verè teneri eos ab omnibus operibus abstinere. Primum enim non tam conscientiæ, quàm synteresis principium est, Omittēda seu non facienda peccata; &, Melius est nil, quam malè agere.

134. Neque iterùm refert, quòd dicant ea in se à Deo non imputari; quia principium illud adeò certum est & infallibile, ut ne quidem Deus in eo dispensare possit, multò minùs quàm in lege naturæ. Secundò, prius est naturâ peccatum esse, quàm non imputari; ergo in illo priori est omnino illicitum. Tertiò, implicat, Deum non imputare, seu non æstimare peccatum, quod verè secundùm se tale est, aliàs falleretur. Itaque non video quo sensu sit Deo possibilis illa non-imputatio, nisi quia decernit peccatum non punire; vel quia non tantùm pœnam, sed & culpam remittit; postquam commissum est. Atqui hoc decretum non potest illud reddere licitum; aliàs & odium & blasphemia in Deum possent esse bona: ergo manent omnia opera hæreticorum illicita, seu, quod idem est, tenentur ab omnibus abstinere, semper otiosi. Quòd si fortè hoc ipsum quoque conscientia eorum dictet esse peccatum, miseri laborabunt conscientiâ ita perplexâ, ut necessariò peccent, sive operentur, sive otientur. Nec ullum est remedium tanti mali, nisi deponant priorem illam conscientiam, & nobiscum credant non omnia opera esse peccata. Fortius esset hoc quoque argumentum, si verum esset quod dicunt, omnia opera esse peccata: quia tunc ea conscientia non esset erronea, sed vera, quam certius est obligare.

Conscientia hæreticorum perplexa.

CAPUT XV.

Quâ scientiâ, quibusq; signis possit quis esse certus de bonâ conscientiâ, gratiâ ac gloriâ.

SUppono, quod clarum est, neminem de iisdem posse certum certitudine seu scientiâ Aristotelicâ ac Philosophicâ: quare dubium tantùm est de Theologicâ ac morali. 135.

Dico primò: Nemo de bonâ conscientiâ ac statu gratiæ potest esse certus certitudine Theologicâ. Contraria videtur esse reverà aliquorum Catholicorũ, nominatim Catherini, quamvis hanc certitudinem vocet *Fidei*, ut suprà notatum.

Nemo certus de bonâ conscientiâ certitudine Theologicâ.

Proba-

Probatur primò, argumento Theologico ex Tridentino sess. 6. cap. 9. ex quo sumo majorem: Nemo potest habere de eo certitudinem, cui repugnet timor & formido de opposito; & cui non possit subesse falsum: atqui talis est certitudo Theologica; quia colligitur infallibiliter ex principiis infallibilibus, ut constat ex dictis de eâ paulò antè: ergo talem nemo potest habere, scilicet extra casum specialis revelationis. Ob hoc maximè argumentum, contraria saltem est erronea. Fateor tamen, non esse absolutè hæreticam, quamvis etiam ageret de certitudine verâ fidei: quia verba relata ex Tridentino, cui Catherinus interfuit, tantùm ab eo afferuntur per modum rationis, non doctrinæ, multò minùs canonum: quibus antè citatis tantùm damnat fidem ejusmodi justificantem, & certitudinem prędestinationis & perseverantiæ; non justitiæ seu gratiæ.

136. Probatur conclusio secundò: quia quamvis certum sit ex Scripturâ & fide, verbi gratiâ, amantem Deum super omnia, aut contritum, vel ritè suscipientem Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ, justificari, vel justum esse; non est tamen ratione aut experientiâ naturali omnino certum, te vel ejusmodi actus elicere, vel Sacramenta ritè suscipere: ergo non potest inde concludi Theologicè, certò te in particulari justificari, vel justum esse. Consequentia certa est: cùm enim conclusio sequatur debiliorem partem, sufficit ad ejus incertitudinem incertitudo alterius præmissæ.

Non es certus te ritè Sacramenta suscepisse.

Probatur ergo antecedens primò de actibus, quia hi ad illum effectum debent elici sicut oportet, ut hîc suppono ex Conciliis, ac Patribus, & certâ Theologorum sententiâ. Non potes autem certò scire, an elicias eos sicut oportet, tum quia ipsi Theologi non sciunt certò, sed disputant in quo sita sit conditio illa *sicut oportet*; tum quia, etsi illam nosses, non posses certò scire, an eam adhiberes tuis actibus: quam, in quocumque sita sit præcisè, satis constat esse subtilem ac spiritualem, ideoque remotam à sensu & ratione naturali. Quod valde confirmatur veriori, ut suprà indicavi, sententiâ, quòd actus naturales & supernaturales non differant objectis, sed modo tendendi naturali & supernaturali: qui experientiâ deprehendi non potest, cùm naturalis circa idem planè objectum materiale & formale intensior esse possit, quàm supernaturalis. Quantumcumque ergo Deum ames, idque amore amicitiæ, dubitare meritò potes, an id non facias naturaliter. Certum autem est, ad conditionem, *sicut oportet*, requiri actûs supernaturalitatem.

Neque te elicere actus bonos, sicut oportet.

Adverte hîc ob contrariam rationem, posse quem scire, se esse in 137.

Potest quis scire se esse in statu peccati, ac habere conscientiam malam.

statu peccati, seu se habere conscientiam malam & inquinatam, vel ipsâ teste ac judice; tum quia potest scire se peccare actualiter, etiam peccato interno, ad quod certò nulla requiritur conditio supernaturalis; tum quia potest scire se vivere in statu peccati etiam habitualis, de quo dubitare non possunt fures, usurarii, adulteri, concubinarii, symoniaci, aliique.

Probatur jam secundò conclusio, de Sacramento Pœnitentiæ quidem ob eandem rationem; quia ad illud ritè suscipiendum, præter confessionem integram, requiritur dolor saltem imperfectus seu attritio: de quâ meritò iterum dubites, tum an verè sufficiat, nec enim id omnino certum est Theologis; tum an & ipsa sit supernaturalis, & qualem esse oportet. Eadem ratio dubitandi procedit etiam de Baptismo adultorum. Parvuli autem ne quidem sciunt se baptizari, & jam adulti fide humanâ ac fallibili tantùm credunt se baptizatos esse. Prætereà non immeritò dubitare potes de validâ ac sufficienti formâ, ac materiâ utriusque Sacramenti, præsertim Pœnitentiæ; atque insuper de intentione ministri utrumque administrantis, & respectu Pœnitētiæ, de ejusdem Baptismo & ordinatione.

138. *Incerta est justitia quæ acquiritur Sacramentis; incertior quæ actibus.*

Ex dictis collige primò, etiam incertam esse justitiam quæ acquiritur Baptismo; magis tamen quæ Sacramento Pœnitentiæ; maximè verò quæ extra Sacramenta solis actibus: qui quò perfectiores esse debent, eò incertiùs cognoscuntur.

Neque certus es de supernaturali fide.

Collige secundò, contra aliquos Catholicos, ne quidem Theologicè certum tibi esse, quòd habeas habitum, vel elicias actum fidei supernaturalem: quia vel solam ejus supernaturalitatem nullâ ratione, aut experientiâ naturali certò potes deprehendere.

Argumenta contra conclusionem desumpta ex ratione, juxta jam dicta, facilè solventur ex Scripturâ, & Patribus, juxta dicta superiori conclusione, & dicenda sequenti.

139. *Justus & pius potest esse moraliter certus de gratia, imò & gloriâ.*

Dico secundò: Potest tamen justus, præsertim singulariter pius, & in bonis operibus constans, esse certus moraliter secundo illo modo, certitudine conjecturali, de bonâ conscientiâ, & statu gratiæ suæ; atque aliquo etiam modo de statu gloriæ. Est communis Theologorum, etiam antiquorum, qui non negarunt reverà ejusmodi certitudinem, sed fidei, vel Theologicam.

Probatur primò ex Scripturâ & Patribus. Ad Rom. 8. *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei.* Ubi per *spiritū* intelligunt ipsam conscientiam, scilicet supernaturali lumine illustratam, Origenes & Hieronymus. Per quem item intelligi potest charitas, vel spiritus infusus. In idem tamen

men recidit, si juxta communiorem sententiam intelligatur ipse spiritus increatus; qui vel per conscientiam, lumen supernaturale; vel per charitatem ejusque motum exprimit in nobis filialem affectum erga Deum verè patrem nostrum: quo ipso nos clamamus, *Abba pater*. Itaque spiritus testatur quòd sumus filii Dei; vel juxta textum Græcum, συμμαρτυρεῖ, simul testatur: ut enim affectus ille est utriusque actio, Spiritûs sancti & animæ seu voluntatis nostræ, ita utriusque testimonium. Ex quo constat contra hæreticos, testimonium illud non gignere certitudinẽ fidei, cùm non sit solius Dei revelatio, neque nobis nisi moraliter certum esse possit, quòd ille ipse affectus, adeoque testimonium, sit quale esse oportet, ob rationes superioris conclusionis. Fit tamen hoc ipsum moraliter certum, ut Patres hunc ipsum locum explicant, si & videamur in nobis sentire ejusmodi erga Deum sincerum & constantem affectum; & præterea experiamur nos spiritu Dei agi; ut ibidem Apostolus, in constante observatione mandatorum, ac fugâ peccatorum mortalium. Certius haud dubiè fiet hoc testimonium observatione etiam consiliorum, ac fugâ venialium frequentium & deliberatorum.

Quod testimoniũ spiritus?

Confirmatur etiam hoc testimonium, si quis sentiat in se affectum fiduciæ ac confidentiæ; qualem verisimiliùs in se exprimit idem Apostolus eodem capite, cùm subdit: *Quis nos separabit à charitate Christi?* &: *Certus sum quia neque mors*, &c. *neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei*. Græcus textus non habet, *Certus sum*, sed πέπεισμαι, id est, *persuasus sum*, *existimo*, seu *confido*. Quo sensu ad Hebr. 6. dicit πεπείσμεθα, Latinè *confidimus*, de vobis meliora: cui persuasioni ac confidentiæ annexa est certitudo, scilicet moralis quædam, juxta textum Latinum. Cujusmodi certitudinem & fiduciam sæpè experiuntur, qui impulsi magno Dei amore, & peccatorum odio, fortiter statuunt se omnia extrema potiùs perpessuros, quàm Deum offensuros, saltem graviter & deliberatè. Quo sensu verba illa non tantùm probant certitudinem gratiæ, sed aliquam etiam perseverantiæ. Eodem sensu paulò antè etiam explicui eundem Apostolum aliis locis, quòd loquatur non juxta extrinsecam ac privatam revelationem, sed intrinsecam constitutionem, ac testimonium conscientiæ suæ. Atque ita ea omnia præcipuè intelligit de seipso, quamvis benignâ & usitatâ explicatione loquens in plurali, etiam applicet aliis, id est Romanis, quibus scribit, quorum saltem plures vel plerique erant perseveraturi. Omnium autem illorum perseverantiam & prædestinationem quis credat, quod tamen dicunt hæretici, atque

aliqui Catholici, eum certò voluisse prædicere? Quòd si tamen malis eum intelligere de infallibili certitudine, verbum *poterit* explicandum est, ut sonat, de potentiâ, non actu, quòd nulla creatura nos possit separare à charitate Dei, nisi nos liberè velimus: quod certissimum est, & aptissimum ad confirmandam conscientiæ quietem, & animæ gaudium.

140. Eadem certitudo probatur ex illo 2. ad Corinth. 1. *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*. Nisi enim hoc testimonium esset aliquo modo certum, non esset gloria, sed potiùs dejectio & fluctuatio animi.

Eodem sensu verisimiliter, ut antè indicavi, loquitur Ioannes 1. cap. 3. & 4. scilicet non tantùm de Ecclesiâ, sed ejus membris, se ipso, aliisque. *Scimus*, inquit aliquoties, *& cognovimus nos translatos de morte ad vitam, accepisse spiritum Dei in nobis manentem; quoniam diligimus fratres*. Atque ita in ea verba dictæ epistolæ Augustinus Tract. 5. *Nemo*, inquit, *interroget hominem; redeat unusquisque ad cor suum: si ibi videt charitatem fraternam, securus sit, quia de morte transit ad vitam*. Securus esse non potest, nisi saltem moraliter certus. Quod iterùm confirmat Joannes 1. epist. cap. 3. *Charissimi, si cor nostrum*, id est conscientia nostra, *non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. Quod non potest intelligi de universali Ecclesiâ.

Idem prætereà colligitur ex Scripturæ locis citatis, quæ justos exhortantur ad gaudium & exultationem in Domino, & quæ iisdem gaudium & pacem tribuunt: Isaiæ 32. *Erit opus justitiæ pax*. & ad Galat. 5. *Fructus spiritûs est gaudium, pax*, &c. quia reverà conscientia de statu gratiæ omnino incerta ac dubia, non est capax liquidi gaudii, & pacis in Domino, nisi, scilicet hunc sibi proponat, & existimet omnino placatum & amicum. 141.

Gaudium hoc ac quietem conscientiæ D. Thomas, secutus Bernardum de conversione ad clericos cap. 21. intelligit per manna absconditum, quod nemo scit nisi qui accipit, Apocal. 2. *Non illud*, ait Bernardus, *eruditio, sed unctio docet, nec scientia, sed conscientia comprehendit*. Paulò antè illud vocat *centuplum*, quod in hoc sæculo sæculi contemptoribus exhibetur; imò paradisum voluptatis internæ. *Ibi*, addit, *avidissimè prælibantur incomparabiles deliciæ charitatis, & succisis spinis & vepribus, quibus anteà pungebatur, unctione misericordiæ perfusus animus in conscientiâ bonâ feliciter requiescit*. Eodem modo sæpiùs alibi de conscientiâ, ejusque quiete certâque fiduciâ loquitur Bernardus piè, & tamen solidè, serm. 69. in Cant. *Prorsus habet Ecclesia Dei spirituales suos, qui non modò fideliter, sed & fiducialiter agant, in eo testimonium illis perhibente conscientiâ gloriæ ejus*. Et paulò pòst, significans quales illi 142.

esse

esse debeant. *Da mihi animam nihil amantem præter Deum, & quod propter Deum amandum est: cui vivere Christus non tantùm sit, sed & diu jam fuerit.* Et infrà, post varia signa præsentiæ Christi, *Non ambigo sponsum adesse.* Et iterùm: post alia signa præsentiæ Patris: *Tunc prorsus paternè sentio agi mecum, & Patrem adesse non dubito.* Iterùm: *Quanta, putas, ex hac mansione inter animam & verbum familiaritatis gratia oriatur, quanta de familiaritate sequatur fiducia? Non est, opinor, quòd jam talis anima dicere vereatur: Dilectus meus mihi, quem ex eo quod se diligere & vehementer diligere se sentit, etiam diligi nihilominùs vehementer non ambigit.* Paulò pòst: *Ergo ex propriis, quæ sunt penes Deum agnoscit, nec dubitat se amari, quæ amat.* Verba, *fiducialiter, fiducia, non ambigo, non dubito,* clarè significant aliquam certitudinem, præsertim aliquoties iterata. Imò illam ipsam exprimit serm. 84. in ea verba sponsæ, *Quæsivi quem diligit anima mea: dilectio causa quæsitionis, quæsitio fructus dilectionis est, & certitudo.* Paulò pòst: *Non timeo, quia amo. nil dilectæ timendum; paveant, quæ non amant. Quidni assiduè inimicitias suspicentur? ego verò amans amari me dubitare non possum, non plus quã amare; nec possum vereri vultum, cujus sensi affectum.* Ubi tamen notandum Bernardum, nõ agere tantũ de suavi amore sponsę contemplantis, sed & forti & constanti operantis: quo modo ipse seipsum satis explicat.

Similiter Leo Papa serm. 8. de Epiphaniâ: *Qui experiri cupit an in ipso Deus homo sit, sincero examine cordis sui interiora discutiat.* Explicat deinde modum conscientiam examinandi, subditque clarè: *Quisquis hujusmodi est, Deum habitatorem & rectorem suum esse non dubitet.* Adjungo testimonium alterius Pontificis Gregorii epist. 187. ne qui nobiscum suprà tam luculentè rejecit absolutam certitudinem hæreticorum, putetur etiam moralem negare. *Cùm longâ,* inquit, *mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam jam de præsumptione securitas nascitur.* Formido consumpta, & nata securitas, significant aliquam certitudinem. Eandem sententiam non tantùm docet, sed piè explicat Venerabilis Blosius de consolatione pusillanimium, cap. 32. ubi ex Florentio Carthusiano post alia, *Quòd autem,* inquit, *possumus aliquo modo certi fieri de merito erga nos Dei amore, etiam hæc verba Christi apertè testantur: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum. Nam cùm Deus diligit servantem mandata sua, non omnino ambigimus nos à Deo diligi, si præcepta illius sermonesq; observamus. Planè si de nostro erga Deum amore certi sumus, etiam de ejus erga nos dilectione minimè dubitamus. Ipse enim dicit: Ego diligentes me diligo. Modis omnibus prorsus impossibile est, ut incomprehensibilis Dei benignitas suum amorem deneget iis, qui eum verè diligunt, & hæc ipsa merita dilectio,* 143.

quâ Deus nos ob exhibitum verum amorem complectitur, tam infinita ac vehemens est, ut non intellectum modò, sed & omne desiderium hominis superet. Nam multò ampliùs omnem & Angelicum & humanum vincit intellectum, quàm ignis immensus tenuissimam scintillam.

144. Probatur deinde ratione, partim à causis tanquam à priori, partim ab effectibus gratiæ tamquam à posteriori. Primò in iis qui conscientiâ teste ac judice nunquam peccarunt mortaliter; adeoque servarunt vestem non tantùm gratiæ, sed innocentiæ in Baptismo receptam: quem moraliter certò possunt credere à se susceptum, non tantùm si adulti susceperint, sed etiam si infantes. *Et certè*, ait Innocentius III. cap. Veniens. De presbytero non baptizato, *de illo, qui natus est de Christianis parentibus, & inter Christianos fideliter est conversatus, tam violenter præsumitur, quòd fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur*. Si ergo præterea illum non accuset conscientia etiam dubia, quamvis ante confessionem, aliasque sæpè examinata, ullius peccati mortalis post Baptismum usumve rationis commissi, absque aliis gratiæ inhabitantis signis, potest moraliter certò credere se non tantùm justum, sed etiam innocentem; cùm præsertim longiori tempore nunquam mortaliter peccasse, novum sit signum & effectus justitiæ. Quia, juxta communem sententiam, nemo nisi justus ordinariis auxiliis potest diu abstinere absque omni peccato mortali. Atque hac ratione non tantùm de justitiâ, sed & innocentiâ suâ videntur potuisse esse certi, verbi gratiâ, Ludovicus Rex Franciæ, quamvis inter tot pericula, occasionesque peccandi, ac è nostrâ Societate, alter Aloysius Gonzaga. *Aliqui possunt esse moraliter certi, etiam de innocentiâ.*

Secundò idem ostenditur in iis qui peccato mortali innocentiam amiserunt, sed deinde egerunt pœnitentiam, frequenter confessi. Licet enim certi esse non possint, sibi primâ confessione peccata remissa, ob incertitudinem tum dispositionis ex parte suâ, tum intentionis ac potestatis ex parte Confessarii; possunt tamen moraliter certò sibi persuadere, saltem ex tot vicibus semel se ritè confessos fuisse, & absolutos directè vel indirectè. 145.

Confirmatur hæc certitudo diuturnâ fugâ novorum peccatorum mortalium, ob rationem nunc factã. Quid si ergo in utrisque, sive innocentiam amiserint, sive non; ad hæc signa accedant multa alia, verbi gratiâ, primò observatio non tantùm mandatorum, sed consiliorum, ac fuga non tantùm mortalium sed & venialium deliberatorum. Secundò, propositum firmum ac constans, non tantùm nunquam peccandi mortaliter; sed strenuè in omnibus promovendi *Signa gratiæ inhærentis.*

Dei

Dei gloriam ac tendendi ad perfectionem. Tertiò, fiducia perseverandi, nec unquam se separandi à charitate Christi. Quartò, desiderium pro illo patiendi, ac patientia in adversitatibus. De eâ Blosius ex sanct i Gertrude, De consolat. pusill. cap.25. §.2. *Sicut annulus est signum desponsationis, sic adversitas tum corporalis, tum spiritualis, quæ patienter propter Deum sustinetur, verissimum signum est electionis divinæ, & quasi desponsatio animæ cum Deo.* Quintò, amor erga proximos, ac misericordia erga pauperes: quo signo Christus ipse notavit ac distinxit discipulos & electos suos. Denique tot tantaque sponsæ seu animæ Deum amantis privilegia, lumina, ac dona & conscientiæ sensa, quibus præsertim inter orandum & contemplandum ipse spiritus testatur spiritui nostro, quòd simus filii Dei. Qualis amoris reciproci signa, & effecta inter sponsam, sponsumque pulchrè prosequitur locis citatis Bernardus. Certè moraliter certum est, hæc omnia, vel pleraque simul sumpta, sufficere ad certitudinem moralem, & quidem in suo genere satis magnam, nec tantùm in eximiis ac notis sanctis, sed multis justis singulariter piis.

Ex quibus apparet, quibus signis obtineri possit certitudo de bonâ conscientiâ ac gratiâ. De gloriâ apparebit ex jam dicendis.

146. Adverte tamen, certitudinem illam in variis esse majorem vel minorem, prout in iis concurrunt plura vel pauciora signa. In vulgariter piis, etsi post confessionem seriò factam, non tantùm probabiliter, sed probabiliùs credere possint sibi peccata esse remissa, non inveniuntur argumenta sufficientia ad certitudinem saltem ordinariè. Neque ea est necessaria, ut juxta Apostolum 1. Corinth.11. probent se, antequam ad Eucharistiam accedant: sufficit probabilis ac prudens opinio, quâ speculativè judicent se justos esse, ut practicè ac certò statuant sibi licere ad illam accedere, ut dicam Libro sequenti de conscientiâ probabili. In singulariter ac constanter piis suppetunt, ut dixi, argumenta ad certitudinem moralem satis magnam, quæ ordinariè ac prudenter excludant actu formidinem de opposito, sed non tanta, ut hæc ei repugnet. si enim rigidiùs illa examinentur, deprehendentur absolutè fallibilia, quare non repugnat huic conclusioni auctoritas Tridentini.

Certitudo gratiæ nō est necessaria dispositio ad communionem.

Unde sequitur hanc certitudinem non esse summam in genere certitudinis humanæ, seu moralis, atque adeò non posse quemquam absque speciali revelatione tam certò credere se justum, quàm Romam esse, aut Ciceronem fuisse: (etsi hoc non vereantur affirmare graves & Catholici Doctores) posse verò tam certò, quàm te esse baptizatum, vel, si es Sacerdos, ordinatum, juxta dicta nu.124. Hæc enim. 147.

Certitudo de gratiâ non est moralis summa.

enim certitudo pendet à voluntate & intentione tibi ignotâ alterius. Certitudo autem tuæ gratiæ pendet quidem etiam inde, sed non necessariò, & valdè confirmatur propriâ experientiâ, & conscientiæ testimonio.

148. Ex dictis collige primò, certitudinem illam de propriâ justitiâ esse sufficientem ad ingenerandam conscientiæ quietem, pacem ac gaudium cùm prudenter nata sit excludere actualem inquietudinem, & formidinem de opposito. Quæ ratio cùm locum non habeat in vulgaribus justis, privilegium illud tantùm est singulariter piorum.

149. Collige secundò, minorem multò certitudinem esse, de statu futuro gloriæ, ob incertitudinem futurorum contingentium, à quibus illa pendet. Quare crediderim, pauciores Sanctos firmum ac certum judicium de eâ formasse. Aliqualem tamen certitudinem gloriæ probant eadem ferè argumenta quæ gratiæ, præsertim diuturna perseverantia in bonis operibus, ac fuga peccatorum, certaque fiducia deinceps perseverandi, nec unquam excidendi è statu gratiæ, juxta Apostolum citatum.

Minor est certitudo de statu futuræ gloriæ.

Adde his, ex Patribus ac Doctoribus, alia signa prædestinationis: qualia sunt primò, humilitas; secundò, patientia pro Christo, seu absque culpâ; tertiò, octo beatitudines; quartò, libenter audire verbum Dei; quintò, cultus Sanctorum, præsertim B. Virginis; sextò, frequens usus Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ & Pœnitentiæ; Septimò, vivax & simplex fides; octavò, resignatio & conformatio voluntatis suæ cum divinâ; denique *futuræ beatitudinis*, inquit Bernardus, lib. posteriore de consc. cap. penult. *Nullum certius est testimonium bonâ conscientiâ*. Quæ signa, prout plura vel pauciora in uno concurrunt, efficiunt majorem vel minorem certitudinem. Laurentius Justinianus de casto connubio verbi & animæ, cap. 25. *Tanta est*, ait, *inter verbum & animam familiaritas, locutionis fiducia, gloriæ certitudo*. Quod de gloriæ, ac salutis certitudine aliquoties repetit illo capite, & 14. scilicet de animâ donatâ beneficio sublimioris contemplationis. Imò Thomas à IESU, de oratione divina lib. 4. cap. 8. dicit, unione supernaturali ac fruitivâ, ut vocat, animam ita reddi certam de gratiâ suâ, ut nullâ ratione possit dubitare: ac probabilius, certam quoque de gloriâ, imò probabilissimum eo ipso ad gloriam ac finalem perseverantiam acceptari à Deo. Licet fortè de hac acceptatione non sit certa. Quæ tamen non videntur satis convenire cum Tridentino; & majora sunt quàm ego affirmare ausim. Vererer ne plures contemplativi gratiam & gloriam hoc fundamento sibi certò promitterent. Rectè Apostolus ad

Signa prædestinationis.

ad Philip. 2. monet nos omnes; ut cum metu & tremore salutem nostram operemur: qualis tamen timor spe temperatus non exstinguit moderatum, & huic vitæ proprium gaudium, ac conscientiæ quietem. *Imò*, ait Chrysostomus hom. 18. ad populum Antiochenum, *Deum sicut oportet timens, & in ipso confidens, voluptatis radicem lucratus est, & omnem habet lætitiæ fontem. Deum*, inquit, *timens*, non tantùm *fidens*.

CAPUT XVI.

Cui fundamento innitatur illa certitudo, ac conscientiæ quies.

150. *Quies conscientiæ ac certitudo nititur conscientiâ bonorum operum.* EX dictis utroque præcedenti capite colligo, & paucis respondeo: Innititur illa non soli fidei seu fiduciæ, sed conscientiæ bonorum operum, ut & ipsa fiducia. Est certa omnium Catholicorum contra hæreticos citatos cap. 14.

Probatur certò & clarè ex Patribus ac Scripturâ, ac Paulo ad Rom. 8. *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei.* Neuter hic spiritus potest esse fides, sed prior qui testimonium reddit, vel ipse est spiritus increatus, quatenus auctor spiritûs, seu charitatis infusæ, vel hæc ipsa charitas, ejusque internus motus, ac filialis erga Deum affectus.

Clariùs 2. Corinth. 1. gloriam ac testimonium conscientiæ nostræ fundat non in fide, sed conversatione; proximè enim subdit: *Quòd in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientiâ carnali, sed in gratiâ Dei conversati sumus in hoc mundo.* Clarissimè item Ioannes epist. 1. cap. 3. *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Quod ipsum æquè clarè in illa verba docet Augustinus citatus. Imò eodem capite Ioannes illam fiduciam fundat in testimonio cordis nostri, id est, conscientiæ: *Si cor nostrum non reprehēderit nos, fiduciam habemus*, &c. Tantùm abest, ut in fiduciâ fundet testimonium, quietem, vel certitudinem conscientiæ. Quibus consonant illa Apostoli ad Rom. 5. quibus ex professo explicat, quâ ratione justificemur per fidem: *Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus; scientes quòd tribulatio patiētiam operatur, patientia autē probationem, probatio autem spem.* Fiducia nil est aliud quàm spes confirmata, ut docet D. Thomas 2. 2. qu. 129. art. 6. Itaque nititur iisdem fundamentis ac gradibus quibus spes. Quod repetit Apost. ad Hebr. 10. ubi postquàm dixisset: Nam & vinctis compassi estis, &c. immediatè subjungit: *Nolite itaque amittere confidentiam vestram.* Quâ item recurrit ad Deum, oravitque Rex Ezechias, Isaiæ 38. *Obsecro Domine, memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & quod bonum*

num est in oculis tuis fecerim. fecerim, ait, non fisus fuerim. Peto hîc ab adversariis obiter, an possit in oculis Dei esse bonum, quod verè peccatum est? Fuisse orationem illam efficacissimam probavit maximum miraculum, & eventus secutus sanitatis. Clara item sunt illa Isaiæ citati: *Erit opus justitiæ pax.* & Pauli: *Fructus spiritûs est gaudium, & pax.* Iustitia & spiritus significant vel opera vel eorum principia, non otiosam fidem. Addo illud Petri etiam citati: *Satagite, ut per bona opera certam vestram electionem & vocationem faciatis.* Illudq; Iacob. 2. *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?* &: *Fides sine operibus mortua est.* Si ad nil prosit, si mortua, ergo non potest sine operibus parere vitalem conscientiæ quietem. Verba D. Bernardi, aliorumque Patrum citatorum tam clara sunt, ut explicatione, vel repetitione non egeant.

151. Non possum tamen quin proferam verba Augustini præfatione in Psalm. 31. Ubi ex professo id ipsum disputat, & nobiscum respondet: *Ipsa charitas bene operantis dat ei spem bonæ conscientiæ: spem enim gerit bona conscientia; quo modo mala conscientia in desperatione est, sic bona conscientia tota in spe; & erunt tria hæc, de quibus dicit Apostolus, fides, spes, caritas. Et alio loco ipsa tria, sed pro spe bonam conscientiam posuit*, scilicet primæ ad Timot. 1. *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ.* Ubi repetit Augustinus: *Pro spe bonam conscientiam posuit. Ille enim sperat, qui bonam conscientiam gerit, quem verò pungit mala conscientia, retrahit se à spe, & non sibi sperat, nisi damnationem. Ut ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam, & ut habeat bonam conscientiam, credat & operetur.* Quasi verò jam tum prævidisset vigilantissimus Pastor Doctorque, fore aliquando, qui ista non crederent, idipsum repetit & inculcat: *Qui vult*, inquam, *habere bonam spem, habeat bonam conscientiam, ut autem habeat bonam conscientiam, credat & operetur.*

Itaque etiam secundùm claram sententiam D. Augustini bona spes seu fiducia, animique quies innititur bonæ conscientiæ; bona autem conscientia bonis operibus. Quod prius adeò verum existimat, ut propterea Apost. citat. ad Timoth. pro spe putet posuisse conscientiam, scilicet locutione causali, aliis quoque usitatâ, ut suprà notavi; ut conscientia dicatur vel sumatur pro spe, quia est causa spei, planè juxta dicta. Quare non bene aliqui Catholici inde probant alio proprioque sensu conscientiam significare quoq; spem, actumque voluntatis, ut suprà item dixi. Quibus tantus Pater pro nobis, contra hæreticos nil potuisset dicere clarius. Idem sermone 16. de verbis Apostoli, *Quæ spes*, rogat, *nisi de aliquâ conscientiæ bonitate?* Majore jure

Conscientia dicitur spes, id est, causa spei.

rogo

rogo ego hæreticos: Quæ fiducia, nisi de aliquâ conscientiæ bonitate? Plura enim requiruntur ad fiduciam, quàm spem.

Probari etiã posset conclusio auctoritate Ethnicorũ; qui vel solo naturæ lumine agnoverunt, & experti sunt ejus veritatem. Lege Senecam, & Ciceronem cit. num.107. Itaque vana illa, ne dicam stulta, hæreticorum fiducia, & quies conscientiæ, si quam sentiunt, non tantùm principiis fidei, sed lumini naturæ repugnat.

Confirmatur: Contrariorum contraria est ratio: atqui mala opera, seu eorum conscientia, fundamentum & causa est inquietudinis, & remorsus conscientiæ; ut testatur Augustinus citatus, & citandi cap.17. conclusione 2. Ethnici, & Christiani: ergo bona opera, eorumque conscientia quietis, & delectationis. ut præditus malâ conscientiâ meritò sibi proponit Creatorem, Sanctos, seipsum, omnesque creaturas sibi infestas; ita contrà, præditus bonâ conscientiâ faventes.

152. *Hæc sententia excitat ad bona opera, contraria ad peccata.* Probatur denique ratione: quia nostra hæc, imò Catholica sententia nata est excitare in hominibus studium bonorum operum, ut manifestum est; at verò contraria, & hæretica, illud omnino exstinguere, imò excitare ad quævis scelera & flagitia. Si enim omnino quietus conscientiâ, ac securus esse possit, imò debeat, non tantùm de præsenti gratiâ, sed futurâ etiam gloriâ, quisquis concepit illam fidem; cur præterea solicitus sit de bonis operibus, ac fugâ peccatorum, à quibus illa non pendet? Imò cur vereatur indulgere genio, & cuivis malorum concupiscentiæ? Meritò sic argumentabitur: Per fidem certissimè justificatus sum, & salvabor: atqui certus sum, & experior me illam habere; (quæ ambæ præmissæ cuivis Christi fideli juxta hæreticos debent esse certissimę) ergo bonâ consequentiâ quidquid agam, & non agam, sive fur, sive adulter, certissimè jam justus sum, & æternùm salvabor. Quid ergo mihi cum bonis operibus? cur timeam infernum? cur fugiam peccata? Non video quæ doctrina absurdior, & perniciosior excogitari possit, vel ab ipso Satana. Quare optandum esset, ut potentissimi Status Hollandiæ, illam saltem damnarent, bonis moribus & politico regimini tam adversam; eâdem, scilicet potestate zeloque, quo ante annos aliquot alias sententias Calvinistis non minus indubitatas.

CAPUT XVII.

An omnem actum malum præcedat, improbetq́ conscientia mali.

Conscientia regula est, ac mensura actuum humanorum, 153.

 non

non tantùm bonorum conformis, sed & malorum difformis. Prius satis explicatum est superioribus capitibus. Superest explicandum posterius; quâ scilicet ratione sit regula actuum malorum, non dirigendo tanquam bonos, sed declarando, repugnando, improbando tanquam malos.

Ac primò hoc ipsum controversum est, an necessariò omnem actum malum præcedat, ac improbet, ut dictum est capite tertio, debere cognosci, & approbari bonitatem ante omnem actum bonum: quamvis de malitiâ sit peculiaris ratio dubitandi ob rationem ibidem indicatam, quod sufficiat hanc intendi indirectè. Quæ est magni momenti quæstio ad praxim.

154. *Omne peccatum præcedit consciẽtia illud improbans.* 1. Respondeo: omnem actum malum necessariò præcedit aliqua mali cognitio, adeoque conscientia illum improbans. Dixi, aliqua, quæ sit saltem dubitatio ac suspicio alicujus confusè mali, periculi vel obligationis; quâ positâ, possis & debeas saltem rei veritatem inquirere. Cujusmodi cognitione, cùm sit practicum dictamen de malitiâ actûs, proximè directivum voluntatis, (quam ex parte suâ retrahit à malo, hoc improbando,) haud dubiè convenit officium, & definitio conscientiæ. Quo sensu conclusio est Cajetani 2.2. quæst. 88. artic. 1. Sylvestri, verbo Delectatio quęst. 1. imò communis, vel saltem communior antiquorum; ut ostendit eos citans, & sequens Vasquez 1.2. disp. 107. cap. 3. disp. 123. cap. 2. & alibi, qui egregiè eam illustravit. Eundem sequitur alios citans Sanchez in præcepta lib. 1. cap. 16. n. 21. contra Suarez 1.2. tract. 2. disp. 4. num. 29. Val. 1.2. disp. 6. quæst. 6. punct. 1. concl. 5. aliosque, qui docent consequenter rationem mali posse esse voluntariam, etsi nullo modo secundùm se formaliter cognitam; sed tantùm quasi fundamentaliter, quatenus cognoscitur objectum & fundamentum, cui illa convenit, quamvis sub aliâ ratione; quæ qualis esse debeat, nec explicant, nec explicare possunt, ut jam apparebit.

Probatur primò ex dictis capite illo tertio, ac D. Thoma 1.2. qu. 18. art. 5. & quæst. sequenti art. 1. & 3. quo quod docet de actu bono, ob eandem rationem extendi debet ad actum malum, ut patet ex tit. quæst. qui illum etiam comprehendit. Unde formo argumentũ: Non tantùm intellectus & ratio debet voluntati proponere objectum actûs boni, seu objectivè bonũ, sed etiam mali, seu objectivè malum. Atqui hoc non potest facere si malum nullo modo cognoscat, quia non proponit nisi cognoscendo; si ergo nullo modo cognoscat, nullo modo proponit objectum malum: à quo tamen juxta communem, ac certam D. Thomæ sententiam, locis citatis, actus internus

nus formaliter malus debet specificari.

155. Probatur secundò: omne peccatum & actus malus repugnat conscientiæ: Unde hæc habetur circumstantia generalis omnium peccatorum: atque si nulla præcedit conscientia, quæ peccato repugnet, hoc, dum fiet, non repugnabit conscientiæ, ideoque saltem tunc carebit circumstantiâ generali: imò semper, si, ut sæpè fit, neque postea ullum conscientiæ dictamen de eo latum fuerit, ergo semper præcedit aliqua conscientia cui peccatum difforme sit. In idem recidit, si sic formetur argumentum: Quivis actus malus essentialiter, ut ostendam sequenti cap. vel saltem necessariò, ut docent omnes, est difformis rectæ rationi: nulli, nisi præviæ de objecti malitiâ, quæ simul sit conscientia: ergo.

Repugnare conscientiæ est circumstantia peccati generalis.

Probatur minor: quia quævis alia cognitio de quavis objecti conditione, verbi gratiâ, ejus jucunditate, vel commoditate, nec est conscientia, nec est difformis, imò conformis actui malo.

Omne peccatum repugnat parti animæ superiori.

Unde collige juxta dicta libr. 1. c.5. atque Augustinum, & D. Thomam citatos, omne peccatum esse contra animæ partem, ac rationem superiorem. Superior enim est quæ versatur circa æterna à sensibilibus abstracta: inter quæ haud dubiè numeranda est bonitas, & malitia. Quamvis eadem ratio, seu vis quatenus circa sensibilia, & corruptibilia versatur, dicatur ratio inferior.

Probatur tertiò ratione à priori: Nil potest esse malum nisi secundùm aliquam rationem malitiæ sit voluntarium ac liberum: atqui quod nullo modo cognoscitur affectum malitiâ, non potest secundùm illam esse voluntarium: ergo nec malum. Major & minor necessariò deducuntur ex ipsis principiis Theologiæ moralis, ac definitione voluntarii, quòd sit ab intrinseco principio cognoscente singula, in quibus est actio. 156.

Unde necessariò sequitur primò, quod nullo modo est cognitum, nullo modo esse voluntarium; & quod nullo modo est cognitum sub aliquâ ratione, sub hac nullo modo esse voluntarium, in casu conclusionis sub ratione peccati seu mali. Sequitur ulteriùs secundò tum debere esse ejusmodi cognitionem mali, quando malum ac peccatum fit, scilicet moraliter. Quod insuper probatur ex dictis cap.3. concl.2. quo item sensu & ratione conscientia debet non tantùm prævenire, sed comitari actum malum.

Nec satisfacit, quod videntur ad hæc respondere adversarii, cognitionem ejusmodi malitiæ posse, & debere haberi examinando objectum vel negotium pro qualitate suâ, in quo malitia lateat. 157.

Primò enim quod actu malum est, sub eâ ratione debet actu esse

 volun-

voluntarium; adeoque cognitum: ergo ad hoc non sufficit potestas & debitum; sed requiritur ipse actus cognoscendi. Quare ut ad voluntarium directè requiritur cognitio & volitio illius directa; ita ad voluntarium indirectè, saltem requiritur cognitio, & hoc ipso volitio indirecta. Aliàs quidvis cuivis posset dici voluntarium.

Secundò, ut optimè docet D. Thomas quæst. 14. art. 6. consultatio non procedit in infinitum: nec versus finem in inquisitione mediorum, aliàs nunquam veniremus ad opus & executionem: nec versus principium, aliàs nunquam inciperemus consultare. Itaque incipiendum à primâ aliquâ cognitione seu cogitatione, quæ consultationi det initium, & occasionem: qualis in casu nostro debet esse cognitio, aut saltem aliqua suspicio mali. Quare si circa negotium aliquod, verbi gratiâ, auditionem Sacri, ejúsve omissionem nulla occurrat malitia, obligatio, periculum, aut umbra peccati, ne quidem debes, aut potes de peccato cogitare; ita potest fieri, ut quamvis scias & hodie cogites tibi cras jejunandũ, aut audiendum Sacrum, cras tamen naturaliter obliviscaris obligationis, adeoque non pecces, quamvis utrumque omittas.

158. Adverte id sæpè usu venire in extrinsecè tantùm malis, raro, sed aliquando in malis intrinsecè, verbi gratiâ rixâ, contumeliâ, blasphemiâ, ac similibus: quæ cùm intrinsecè mala sint, vix occurrunt intellectui nisi vestita malitiâ, quâ intrinsecè imbuta sunt; secus, quæ extrinsecè tantùm illam participant ob positivum præceptum, aliamque extrinsecam circumstantiam.

Peto deinde ab adversariis, quantam quæque negotia considerationem exigant, ut voluntas tutò circa illa quidquam decernere possit; & excludatur hinc inconsideratio culpabilis? non potest id certâ regulâ expediri, quæ pacet conscientias. Itaque hæ relinquuntur perplexæ, & aperitur ostium continuis ferè peccatis venialibus, & infinitis scrupulis. De singulis enim negotiis meritò dubitabitur an satis examinata sint, idque sive reverà iis subsit malitia, sive non.

Iuxta conclusionem, universalis, & expedita regula est: vel enim non occurrit ratio aliqua dubitandi, periculum, aut umbra peccati, & tunc ob rationes allatas in negotio proposito potes progredi absque peccandi periculo: vel occurrit aliqua, & tunc conscientia ipsa dictat, vel illud relinquendum, vel examinandum; donec morali certitudine constet nil mali subesse: quod examen si omittas, incidis in inconsiderationem, & ignorantiam culpabilem, & opus tibi imputabitur, eritque voluntarium, etsi distinctè ac speciatim cognitum

Si nulla omnino occurrat ratio mali, tutò quidvis agis.

tum non fuerit. Quia sufficit verè tanquam malum cognitum fuisse, etsi universaliter, confusè ac dubiè. Hoc sensu verum est, imò confirmat conclusionem, quod juxta explicationem D. Thomæ, aliorumque objicitur ex Aristotele 3. Ethic. cap. 1. scilicet non invitè operari eum, qui in singulari ignorat quod ad opus conducit. Nota verba: in singulari; ergo non in universali. Eodem sensu vera est doctrina D. Thomæ quæst. 73. art. 8. effectum aliquem posse esse voluntarium, etsi non prævisum, si per se sequatur ex actu peccati: quia scilicet & quatenus tunc saltem confusè præscitum fuit ejus periculum; non autem si sequatur per accidens ob rationem contrariam.

Cujus autem rationis, ac speciei peccatum sequatur ex confusâ illâ, ac universali cognitione, explicabo Libro quinto de conscientiâ erroneâ.

159. *Merito veremur omnia opera nostra.* Observa tamen, quod prudenter observant & monent Sancti, sancto quodam & salutari timore debere nos vereri opera nostra; primò enim omnia dirigenda sunt in finem honestum, cùm non dentur indifferentia, ut ostendi cap. 9. Secundò sæpè tegitur malitia inconsideratione culpabili jam explicatâ. Tertiò etiam operibus aliàs optimis illa sæpius se immiscet, verbi gratiâ vana gloria advertitur, sed ita leviter, ut non reflectas: quod item accidit aliis peccatis venialibus, quæ dicuntur fieri ex subreptione, vel etiam passione. Aliud enim est te cognoscere, & advertere malitiam, aliud ad hoc ipsum reflectere, & cognoscere ipsam advertentiam. Prius est necessarium, non posterius. Nec tantùm hæ rationes valent de præsentibus & futuris, sed & operibus præteritis, de quibus potissimùm Apost. 1. ad Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Primò enim ob aliquam dictarum rationum, aliasque possum peccasse; etsi non reflexerim, nec jam recorder. Secundò, etsi recorder me peccasse, possum erroneè putare me sufficienti pœnitentiâ illud retractasse: utrovis enim modo nil mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum, scilicet reverà, ac coram Deo. Iterùm hanc conclusionem docebo speciatim de ignorantiâ Lib. 5. cap. 6. ibique & alibi deducam magis practicè.

CAPUT XVIII.

Quid sit & quomodo à conscientiâ pendeat actuum malitia, ac ratio peccati.

DE ratione peccati ac malitiâ celebris est disputatio inter Scholasticos: quæ hîc omnino prætermittenda non fuit, sed paucis expedienda ferè ex præmissis jam principiis, quatenus necesse est ad cognoscendam potestatem, & officium 160.

ficium conscientiæ, circa actus malos. Plurimorum tum antiquorum, tum modernorum sententia est rationem peccati præcisè sitam esse in privatione rectitudinis debitæ, vel in ipso actu, ut explicat Suarez, aliique; vel in voluntate, ut explicant Molina, Salas, aliique, quæ sola difficultas est hîc peculiaris. Nam aliæ magis logicæ & vocales quàm Theologicæ & reales de relatione rationis, prædicamentali, transcendentali, denominatione extrinsecâ, vel entitate morali communes sunt moralitati in genere, ac bonitati: quare suprà suis locis illas sententias vel rejeci vel explicavi.

Duplex malum, simpliciter, & secundùm quid.

Nota: malum seu malitiā dupliciter sumi; primò pro malo simpliciter: secundò pro malo secundùm quid, ut loquitur D. Thomas: vel primò pro malo privativè; secundò pro malo contrariè, ut loquitur Cajetanus.

Primo modo malum est carentia boni, ac perfectionis debitæ, vel indebitæ; quæ cùm omnem bonitatem etiam entitativam excludat, dicitur malum simpliciter. Secundo modo malum dicitur quodvis positivum, cuipiam disconveniens aut contrarium: quod cùm secundùm se sit bonum entitativè, etsi alteri malum, dicitur malum secundùm quid. Ne autem incidamus in quæstionem de nomine, per rationem peccati malitiamque intelligemus id præcisè, quod est prima & sufficiens radix culpabilitatis; & ob quod homo præcisè est dignus vituperio, & pœnâ. Quemadmodum ratio bonitatis est, id præcisè, ob quam homo est dignus laude, ac præmio.

Dico primò: Ratio peccati non est sita solùm, & præcisè in privatione: est auctorum citandorum pro sequenti conclusione. 161.

Ratio peccati non est sita præcisè in privatione.

Probatur: quia nulla privatio potest esse peccatum, nisi sit rei debitæ. Sæpissimè autem, cùm peccatum fit, nil est debitum, vel ipsi peccanti, eiúsve voluntati, vel ipsi actui: Ergo.

Probatur minor: in omnibus peccatis commissionis contra præceptum negativum: non occides, non furaberis, &c. quia hoc tantùm obligat ad non ponendum actum malum; non autem ad actum aut rectitudinem positivam: ad quam ex nullo alio capite potest esse tunc obligatio. In quo distinguitur præceptum negativum ab affirmativo; quod solùm præcipit positivam rectitudinem, actumque, verbi gratiâ, audiendi Sacrum, dandi eleemosynam, &c.

Respondent qui privationem ponunt in actu, scilicet rectitudinis ipsi debitæ, ad hanc quidem, operantem non teneri in sensu diviso ob rationem allatam, teneri tamen in sensu composito, posito quòd operari velit. 162.

Sed

Ficta est obligatio in sensu composito ad rectitudinem peccato oppositā;

Sed contrà, primò: videtur ficta & contra communem Christi fidelium sensum inducta obligatio illa ad evitandas difficultates. Nam quis seriò credat, verbi gratiâ, eum qui occidit, tum sub peccato teneri ad bene agendum, & ponendum actum homicidio contrarium, verbi gratiâ defensionem innocentis; & eo ipso peccare occidendo; quòd tum non defendat innocentem? Unde sequeretur ulteriùs, omnia peccata propriè & præcisè esse omissionis contra præceptum affirmativum, nulla commissionis contra præceptum negativum.

Contrà secundò, in sensu diviso, ut ipsi fatentur, nulla est obligatio, sed minus est in sēsu cōposito; quia posito quòd quis velit occidere, impossibile est velle oppositum; ad impossibile autē nulla est obligatio.

Verum quidem est in priori naturæ possibile esse velle contrarium; sed non minùs verum est in omni priori quo quis potest, aut velle contrarium, aut non velle; non teneri determinatè ad alterutrum; quando videlicet agitur de peccatis commissionis. Deinde illud prius naturæ non involvit sensum compositum, sed divisum.

neque ratio peccati est privatio formæ debitæ actui in communi;

Dices, privationem esse formæ debitæ actui in communi, non huic in particulari. Sed primò, quænam est illa bonitas debita actui in communi? non particularis aliqua, quia cur hæc potiùs, quàm illa? non bonitas in communi; quia sic actus illâ privatus, diceret privationem bonitatis in communi, nullius in particulari; atque adeo non haberet malitiam particularem. Præterea sic lapis posset dici moraliter malus, quia quatenus participat rationem entis in communi, posset dici participare bonitatem moralem alicui enti, seu actui competentem.

Respondent qui privationem ponunt in voluntate, scilicet rectitudinis ipsi debitæ; hanc consistere in non violando præcepto, non occidendo, verbi gratiâ. Ad hanc autem certum est nos semper teneri, etiam tunc cùm peccamus contra præceptum. 163.

neque rectitudinis sita in nō violandâ lege.

Sed contrà primò, nec illa qualis qualis rectitudo, neque ejus privatio convenit intrinsecè actui, sed soli voluntati: erga malitia & ratio peccati non est in ipso actu, sed in voluntate; atque adeo actus non erit propriè peccatum, sed causa peccati in voluntate, à quâ expellit illam rectitudinem & conformitatem cum præcepto. Contrà secundò, quia illa rectitudo seu conformitas cum præcepto reverà nil est aliud quā negatio difformitatis sita, verbi gratiâ, in non violando præcepto: hæc ipsa autē ab adversariis dicetur relatio rationis: quare hæc conformitas erit negatio relationis rationis: privatio ergo hujus conformitatis erit negatio negationis relationis rationis; vel saltem erit negatio negationis. Ridiculum

culum autem videtur ad assignandam unicam rationem peccati tam liberaliter multiplicare entia rationis, & duplicare negationes; cùm fortè verius sit, nullam negationem tolli, nisi aliquo positivo; & consequenter nullam dari negationem negationis, quòd ens & non ens immediatè opponantur.

164. *Ratio peccati est ipse actus quatenus consciētiæ difformis.* Dico secundò: ratio peccati seu malitia est ipse actus, quatenus rectæ rationi seu conscientiæ difformis. Unde sequitur actuum malitiam pendere ab illâ essentialiter, scilicet tanquam lege ac regulâ difformi. Dixi, tanquam lege, quia ut constat ex dictis libr.1.cap.11.& 13. conscientia respectu peccati est lex, eaque naturalis. Ceterùm hæc conclusio de malitiâ, scilicet formali ac morali, conformiter explicanda cum primâ & secundâ capitis quarti, de bonitate formali. Quemadmodum consequenter malitia materialis, & objectiva eodem modo explicanda, quo objectiva bonitas cap.5.& 6. ut constat ex ibidem dictis. Porrò conclusio videtur reipsâ communior. Quamvis enim plerique antiqui & moderni laborent in explicandâ privatione boni, quam ad peccatum requirunt, non negant tamen; imò expresse asserunt ipsum actum sic consideratum malum esse. Imprimis D. Thomas citatus conclusione illâ primâ, & quæst.71.art.6. *Habet*, inquit, *actus humanus quod sit malus ex eo, quòd caret debitâ commensuratione: Omnis autem commensuratio cujusq; rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam. Regula autem humana est duplex; una propinqua & homogenea, scilicet ipsa ratio humana; alia verò est prima regula seu lex æterna, quæ est quasi ratio Dei*: quæ verba non egent explicatione. Quæstione sequenti articulo primo inordinationem quam assignat, ut rationem formalem peccati, adeoque privationem, expressè explicat per recessum à lege. Eodem sensu quæstione 87. art. 4. dicit in peccato præter conversionem ad bonum commutabile, esse aversionem à bono incommutabili. Quæst.18.art.9. & 2. explicans peculiariter malum morale prout ab aliis distinctum; *Malum*, ait ferè verbis conclusionis, *dicimus omne id quod est rectæ rationi repugnans, & secundùm hoc omnis individualis actus est bonus vel malus*. Iterum quæst.seq.art.1. docet bonum & malum per se esse differentias actûs voluntatis; ut verum & falsum intellectûs: ergo ut verum & falsum speculativè sic dicuntur ad conformitatem, vel difformitatem cum suâ regulâ contrariè, non privativè: ita bonum & malum, quod est verum quoddam, & falsum practicum. Et ratio utriusque est, quòd differentia actuum positivorum necessariò sit quid positivum. Denique primâ parte qu.48. art.1.ad 2.& clariùs 3. contra Gentes cap.9. affirmat actum malum, *Bonum & malum dicuntur contrariè.*

etsi

etsi in illo etiam sit privatio, non constitui per privationem ut differentiam; sed per quid positivum illi substans; quod scilicet jam explicavimus. *Vt irrationale,* inquit, *non constituitur per negationem rationis, sed per naturam ad quam sequitur remotio rationis.* Quid clarius? Quibus conformiter Aristoteles 2. Eth. cap. 8. docet bonum & malum opponi contrariè, non privativè. D. Thomam sensu conclusionis sequuntur & explicant nobiliores & antiquiores Thomistæ; nominatim Cajetanus, in aliquibus tamen benignè explicandus, & Medina 1. 2. quæst. 71. art. 6. qui indicat ejusdem sententiæ fuisse Victoriam & Canum. Favet saltem Scotus quodl. 18. art. 1. Idem apertè docet Gregor. in 2. dist. 34. quæst. unicâ. E recentioribus Lessius de perfect. divinis lib. 13. cap. 26. numer. 180. Rainādus disciplinâ morali dist. 4. quæst. 3. art. 2. qui fusè & eruditè eam probat, citatque pro eâ multos alios. Idem sentiunt Theologi morales: Nav. in summâ prælud. 7. qui idipsum probat ex Damaso Papa relato capite, Chorepiscopi dist. 68. *Quod ratione caret, extirpari necesse est.* Azor. lib. 2. cap. 1. aliique. Neque dissentiunt nisi in modo loquendi, Suarez, Vasquez, Granadus, & Salas 1. 2. tract. 13. disp. 2. num. 19. qui addit conclusionem sic explicatam esse probabilem, & defendi à plerisque recentioribus Salamanticæ, Compluti & aliis passim locis.

Nec refert, quòd Doctores expressè non agant de conscientiâ; quia agunt de rectâ ratione, quæ juxta eorumdem mentem, & dicta, certò est conscientia; vel quod in idem recidit, de naturâ rationali, quatenus per illam informata actu vel potentiâ; conformiter dictis de bonitate, ac dicendis. num. 168.

165. Probatur jam primò conclusio ex Scripturâ, ad Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*: quibus verbis, ut dixi, libr. 1. cap. 10. & dicam libr. 5. cap. 14. clarè Apostolus agit de conscientiâ; & indicat eatenus aliquid malum ac peccatum esse, quatenus non est, seu fit ex vel secundùm ejus dictamen; adeoque illi est difforme, scilicet tanquam legi. Nam ut idem docet ad Rom. 4. *Vbi non est lex, nec prævaricatio.* Imò & Ioannes primæ tertio postquam præmisisset: *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit*: subjungit: *& peccatum est iniquitas*, quasi dicat: non tantùm necessariò connexa sunt hæc duo; sed ipsum peccatum ejusque natura est iniquitas, Græcè ἀνομία, id est, difformitas à lege, quæ videlicet simul sit conscientia, & participatio legis æternæ. Similiter alibi passim Scriptura explicat peccatum per recessum, prævaricationem, vel transgressionem legis, non per privationem, aut quid aliud; ergo signum est in eo naturam ejus consistere. Lex autem hæc non est alia

Quo sensu peccatū sit iniquitas.

 quàm

quàm conscientia, de quâ apertè Paulus; non natura aut quodvis aliud, cujus nusquam meminit Scriptura aut Patres: ex quibus

Probatur secundò; quia & illi passim conformiter Scripturæ peccatum explicant per transgressionem, prævaricationem, deviationem, aversionem & alienationem à Deo ejusquíe lege. Ambrosius libro de paradiso cap. 8. *Quid est peccatum, nisi prævaricatio legis divinæ, & cælestium inobedientia mandatorum?* & Augustinus 22. contra Faustum cap. 27. peccatum definit dictum, vel factum, vel concupitum, contra legem æternam. Quibus similia habet libro de fide contra Manichæos cap. 7. & sæpè alibi. Quæ definitio Augustini recipitur ab omnibus Theologis, & D. Thoma tanquam naturam peccati optimè explicans. Itaque omnes fateri debent in illâ contrarietate, seu difformitate à lege æternâ sitam esse rationem peccati. Aliàs non valeret definitio.

Definitio peccati.

Ex dictis autem clarè constat, eo ipso quo aliquid est contra rectam rationem, conscientiam & legem naturalem, esse contra legem æternam, & vice versâ. Eo quòd lex naturalis essentialiter sit æternæ participatio, & promulgatio; ad cujus similitudinem tanquam viva quædam illius imago homini indita est; adeò ut naturalis sine æternâ nullo modo esse possit; nec æterna sine naturali intimari aut peccato formali violari.

Eo ipso quo quid est contra conscientiam est cõtra legẽ æternam, & vice versâ.

Unde apparet primò, quod fusiùs solet disputari, omnino esse de essentiâ peccati, quod sit contra legem æternam: quæ nimirum sit æternum & necessarium mentis divinæ dictamen juxta dicta libr. 1. cap. 11. non liberum imperium voluntatis. Ex quo sequitur ulteriùs juxta ibidem dicta nullum posse dari malum morale seu culpam, quæ non sit Dei offensio, & peccatum. 166.

Apparet secundò, optimè Augustinum definivisse peccatum, potiùs per difformitatem à lege æternâ, quàm conscientiâ vel ratione; tum quia illa est prima radix ac mensura bonitatis & malitiæ; tum quia sic consideratur peccatum magis Theologicè, quatenus scilicet Deum, ejusque legem impetit: quod ipsum facit quatenus difforme rectæ rationi, ac conscientiæ.

Adverte tamen magis moraliter ac philosophicè definiri peccatum: dictum, factum vel concupitum contra rectam rationem vel conscientiam. Quod ipsum docet D. Thomas art. illo 6. in corpore & ad 5. Ne autem à definitione excludatur peccatum omissionis, hæc eodem reducitur, ut negatio ad formam oppositam: quare in idem recidit, si definias peccatum Theologicè: actus vel omissio contra legem æternam: vel moraliter: actus vel

Definitio peccati moraliter spectati.

vel omissio contra rationem seu conscientiam. Priori definitione explicatur prima regula ac mensura: Posteriori proxima, scilicet peccati ideò talis, quia utrique difformis.

Unde apparet tertiò malitiam peccati ideo necessariò summam esse, quia necessariò & essentialiter repugnat, non tantùm rationi ac conscientiæ, adeoque etiam naturæ rationali; sed simul legi æternæ, adeoque infinitæ Dei majestati. Atque etiam à simplicioribus apprehendi sic solet peccatum, vel tanquam malum & indecens, quatenus contra rectam rationem; vel tanquam peccatum, & Dei offensio, quatenus contra legem æternam, vel utroque modo.

167. Probatur tertiò ratione indicatâ ab Apostolo: hoc ipso quo aliquid non est ex fide, id est, conscientiâ, adeoque contra illam, peccatum est & malum; abstrahendo ab omni alio, idque quamvis aliàs materialiter non sit malum, sed bonum: ergo in illâ contrarietate seu difformitate sita est ratio peccati & malitiæ.

Probatur antecedens primò, quia hoc ipso illud est contra legem naturalem, imò & æternam: ergo juxta sensum ejusdem Apostoli, hîc est prævaricatio legis, adeoque peccatum; & hoc ipso juxta sensum ac definitionem Augustini, imò communem Patrum ac Doctorum, hîc est factum contra legem æternam; ergo peccatum.

Probatur antecedens secundò: hoc ipso quo vis, vel prosequeris aliquid quod judicas malum, reddis tibi malum voluntarium: ergo ex naturâ rei hoc ipso peccas, agisque malè.

Confirmatur: Nemo saltem dubitat quin illa difformitas necessariò includatur peccato: atqui non includitur tanquam proprietas consequens rationem peccati: ergo est ipsa ratio peccati.

Probatur minor, quia nil aliud hîc assignari potest difformitate prius, quod illa sequatur; privatio enim rectitudinis difformitatem potiùs sequitur: ideo enim & eatenus actus dicitur carere suâ rectitudine, & esse obliquus, quia suę regulæ & legi difformis, non contrà, ut rectè Medina.

Probatur ultimò: actus bonus est quatenus conformis rectæ rationi, ac conscientiæ; seu quod ferè in idem recidit, naturæ rationali ut sic; ut probavi & explicui suprà, & fatentur plerique etiam adversarii: ergo est malus, seu peccatum quatenus conscientiæ ac rectæ rationi est difformis.

Consequentia ob paritatem rationis videtur satis clara. Probatur tamen: Ideò actus bonus est quatenus conformis rectæ rationi seu conscientiæ; quia hæc est regula illius; & bonitas, quæ est moralis certitudo, sita est in conformitate cum regulâ: atqui eadem conscien-

tia, & ratio, est regula actûs mali; & malitia, quæ est moralis curvitas, sita est in difformitate actûs cum suâ regulâ: ergo hic malus est quatenus illi difformis.

168. Denique idem de malitiâ probant alia argumenta allata cap. cit. de bonitate, quæ non est necesse hîc repetere.

Non satis explicatur ratio peccati per difformitatem cũ naturâ rationali.

Ex quibus etiam constat non satis explicari malitiam moralem, seu inhonestatem per difformitatem cum naturâ rationali; quia hæc est terminus non mensura, aut ratio moralis difformitatis, disconvenientiæ, seu inhonestatis: quare naturæ rationali ut sic, nil magis disconvenit, quàm irrationalitas, seu stultitia; quam tamen nemo dixerit malitiam moralem. Addendum itaque est malitiam esse difformitatem à naturâ rationali, juxta dictamen rectæ rationis ac conscientiæ, vel hoc sensu moralem: quæ ipsa est difformitas à rectâ ratione ac conscientiâ, & semper significatur nomine inhonestatis. Quo modo intelligendi, qui peccatum explicant per difformitatem à naturâ rationali.

Tandem confirmantur hęc omnia; quia nos loquimur consequenter, dicimusque rectam rationem ejusque dictamen esse primò conscientiam; secundò legem naturalem; tertiò rectam rationem ac conscientiam esse regulam ac formam actûs moralis, seu moralitatis in genere; quarto speciatim bonitatis moralis; quintò etiam objectivæ, seu bonitatis, seu malitiæ; sextò igitur consequenter dicendum apparet, eandem esse regulam etsi difformem, actûs mali ut sic, seu malitiæ ac rationis peccati. Quæ omnia apparent sibi invicem, & dicendis Libro quinto de conscientiâ erroneâ cohærentia: de quibus sententiæ adversariorum minimè cohærent.

Dices: si ipse actus quatenus rationi difformis peccatum est, videtur sequi, Deum esse causam & auctorem peccati; quia necessariò est causa omnis entitatis realis. 169.

Respondeo primò, hoc argumentum non magis urgere nostram sententiam, quàm aliam quamlibet; sive malitia dicatur privatio, sive relatio rationis, sive moralitas, nescio quæ, ab omnibus istis & ente reali distincta. Quia certum est nec Deum, nec hominem causare ipsam secundùm se privationem; quæ, quia tantùm negatio est, causari proximè non potest, sed tantùm quasi mediatè, quatenus causatur positivum reale, unde suo modo illa resultat. Nec aliter vel à Deo, vel moraliter ab homine causari possunt relatio rationis & moralitas distincta. Redit ergo difficultas cur positivum, quatenus suo modo fundat privationem, relationem rationis, aut moralitatem, non causetur à Deo, sed ab homine. Et quæcumque ratio hujus afferetur, etiam probabit

actum,

actum quatenus nostrâ sententiâ rationi difformis est, non esse à Deo, sed ab homine.

Cur Deus non sit auctor peccati. Respondeo secundò, veram hujus rationem esse, quòd Deus ad actum peccati concurrat tanquam causa universalis, concursu quantum ex ejus parte universali, & indeterminato: non quòd detur à parte rei concursus universalis in actu secundo omnibus spectatis; sed quod non sit singularis, adeoque universalis quatenus à Deo, ejusque omnipotentiâ provenit. Posito enim decreto Dei auctoris naturæ, quo suam omnipotentiam creaturis suis, & nominatim libertati hominis accommodavit, ea determinatur ad hunc, vel illum actum pro liberâ, vel necessariâ determinatione causæ secundæ: quo modo habitus charitatis, etsi simplex qualitas concurrit cum voluntate ad varios specie actus, prout hæc se simulque illam determinat. Eodem sensu à Tridentino dicitur concurrere ad peccatum permissivè; scilicet permittendo quasi dictâ ratione usum omnipotentiæ suæ, quæ seipsum non determinat ad hunc vel illum actum bonum, aut malum, sed à voluntate tanquam causâ particulari determinatur. Unde sequitur Deum non esse causam peccati simpliciter; quod tantùm convenit causis particularibus determinato ex se concursu causantibus, vel concurrentibus; sed tantùm cum restrictione universalem seu permissivam.

Dico tamen tertiò: non est negandum quod affirmant multi Patres, ac Doctores, peccatum ac malitiam includere & compleri, imò esse & constitui privatione, scilicet in ratione mali simpliciter. 170. *Peccatum est etiam privatio.*

Probatur, & explicatur ex D. Thoma, & Cajetano: imprimis rectè concipitur privationem, cùm sit simpliciter & maxima malitia, ad moralem quoque pertinere eamque in ratione mali augere & complere, si illi conveniat; non tamen integrè. Quia ut dicit D. Thomas quæst. 73. art. 2. & Aristoteles 4. Ethic. cap. 5. ab eo citatus, malum si esset integrum, destrueret seipsum; quia esset privatio omnis bonitatis, etiam entitatis physicæ, adeò ut nil ejus maneret, sed ex parte, suppositâ bonitate physicâ atque ipsius actûs substantiâ, quam non destruat, sed relinquat, & in ratione mali perficiat. Quemadmodum etiam peccatum habituale, quod nil est aliud, quàm actuale jam explicatum moraliter, & habitualiter manens, quatenus non retractatum aut remissum, completur privatione habitualis gratiæ. Restat ergo explicandum, quòd privatio peccato etiam conveniat: quod ostendo, quia eo ipso quo actus est rationi difformis, dicit carentiam conformitatis, adeoque bonitatis, ut clarum est. Hæc autem carentia est privatio; non *Quo sensu?*

quòd

quòd sit rectitudinis tunc debitæ, sed saltem connotet ejus capacitatem in subjecto, vel ipso actu, si non sit essentialiter malus, vel saltem voluntate. Quâ ratione tenebræ sunt privatio luminis in aëre, ejus licet indebiti capace: imò voluntati rectitudo aliqua debita est.

Ex quibus & antè dictis, sequitur eo ipso peccatum insuper includere & compleri privatione conformitatis cum lege divinâ.

Addi potest peccatum actuale etiam compleri & includere privationem gratiæ; cùm eam causat, & habituũ, & promptitudinis bene agendi; quæ tamen illi magis est extrinseca; quamvis de ea agat Dionysius cap. 4. de divinis nominibus parte quartâ post medium, ut magis constat ex textu Græco.

171. Dices, aliqui Patres expressè addunt peccatum nil esse, vel nil aliud, quàm privationem.

Quo sensu peccatũ nil sit nisi privatio?

Respondeo: ut ex dictis, & vel solà definitione Augustini clarum est; id ab omnibus benignè explicandum esse juxta jam dicta; vel de peccato quatenus simpliciter malo, quod ut sic est privatio, & hoc sensu nihil: vel contra Manichæos, nil est, id est, nulla substantia, vel etiam nulla entitas abstracta ab omnibus extrinsecis intrinsecè & essentialiter mala, juxta dicta c.8. concl.3. vel nihil, eo ipso quo ipsum peccatum, ejusque causa quà talis, est quid deficiens à regulâ suâ Deoque: quod utrique convenit, quatenus ex nihilo est, adeoque ipsum ex se nihilum, quatenus Deo opponitur: quo sensu loquuntur aliqui Patres.

Unde etiam juxta sensum eorumdem Patrum desumenda est ratio, quòd ne quidem possit à Deo fieri creatura naturaliter impeccabilis; quia eo ipso quo est creatura, ex nihilo est; & naturâ suâ quid limitatum, imperfectum, ac deficiens. Ob contrariam rationem Deus suâ naturâ est illimitatus, infinitus, adeoque indeficiens, & impeccabilis. 172.

Cur à Deo fieri nequeat creatura naturaliter impeccabilis.

CAPUT XIX.

An post peccatum sequatur conscientiæ remorsus.

Nota primò, remorsum officium, & actum esse conscientiæ rectæ: nam bonum & rectum est peccatum jam admissum improbare, aversari, ac quodammodo punire: quod fit remorsu, ut explicabo sequenti capite. 173.

Remorsus est actus conscientiæ rectæ.

Nota secundò, conscientiam rectam consistere cum conscientiâ malâ & inquinatâ peccato, etsi mortali. Imò illius officium est hanc remordere, pungere, & punire, ut jam dixi: quo officio non potest fungi, nisi utraque tum sit. Quam Hieronymus in c. 1. Ezech. cit. libr.1. cap.12. vocat συντήρησιν & scintillam conscientiæ, quæ neque

Consistit illa cum inquinatâ.

neque in pectore Cain exstincta fuerit, neque in pectore peccatorum exstingui soleat.

174. *Non semper peccatum sequitur remorsus.* Dico primò: Non necessariò ac semper post peccatum sequitur remorsus conscientiæ.

Probatur primò ex Scripturâ, & Patribus. Proverb. 18. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Iuxta Vulgatam lectionem, & communiorem explicationem, sensus est: Impius cùm in profundum, vel cæcitatis, vel consuetudinis, vel ipsius iniquitatis venerit, contemnit; id est, nihili facit ipsum peccatum, nec dolet se id commisisse, adeoque nec sentit ejus remorsum. Quo ferè sensu illum ipsum locum explicat, eamdemque sententiam tradit D.Hieronymus citatus his verbis: *Et tamen hanc ipsam conscientiam juxta illud quod in Proverbiis,* scilicet citatis, *scriptum est, cernimus præcipitari apud quosdam, & suum locum amittere: qui nec pudorem quidem & verecundiam habent in delictis, & merentur audire: Facies meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Quibus non docet contra dicta lib.1. cap.14. in peccatoribus conscientiam exstingui; ut eum aliqui explicant; sed tantùm expresse hanc conclusionem; scilicet illam quasi deturbari suo loco ac dignitate, cùm rebellis voluntas eam non reveretur; sed ejus dictamini reluctatur, idque absque pudore ac dolore. Quâ voluntatis propensione, imò imperio etiam fit, ut intellectus non recogitet peccatum admissum; nedum conscientia improbet ac reprehendat; scilicet post factum: nam antè, & cùm factum fuit, necessariò illud improbavit, ut dixi concl.3. cap.illo 14. Idem apertè tradit Bernardus posteriori libro de Conscientiâ cap.2. quando agnoscit conscientiam malam, & nihilominus tranquillam: quam ipse vocat cauteriatam. Quali conscientiâ laborantes verè de se dicunt Proverb.23. *Verberaverunt me, sed non dolui; traxerunt me, & ego non sensi.* Nimirum similes ebriis, qui non sentiunt verbera & vulnera corporis, ut nec isti animæ. Quæ omnia, tum hujusmodi insensibilitas, tum frons meretricis, tum profundum peccatorum optimè videntur quadrasse in Lutherum, solitum gloriari, quòd totidem annis oppugnasset, & tandem expugnasset, conscientiam suam, quot Græci Troiam; adeò ut deinde non curaret scrupulos, seu conscientiæ remorsus.

Probatur secundò ratione, & explicatur: quamvis intellectus debeat aliquâ ratione cognoscere malitiam peccati cùm fit; nullâ tamen necessitate debet ideo actu reflexo cognoscere, multò minùs improbare jam commissum. Potest enim ab eâ cogitatione se avertere, vel imperio voluntatis, ut jam dixi, vel distractione ad res alias, vel inadvertentiâ ob remis- 175. *Non necessariò cognoscitur malitia peccati jà facti.*

sam cogitationem, quâ peccati malitia cognita fuit: quod contingit peccatis factis ex subreptione & inadvertentiâ, scilicet imperfectâ. Quòd si verò intellectus actu reflexo turpitudinem peccati commissi non proponat, ne quidem potest dolere aut erubescere voluntas; imò, ut ille proponat, potest hæc pro suâ libertate nolle erubescere.

Denique nimis conclusionem probat ipsa experientia in iis, qui iniquitatem bibunt ut aquam, & per risum operantur scelus. Quo modo credibile est Lutherum, qui dicitur decem annis oppugnasse conscientiam suam, tandem eam expugnasse.

176. *Plerumq; peccatum sequitur remorsus.* Dico secundò: Sequitur tamen plerumque post peccatum, præsertim gravius, remorsus conscientiæ, atque etiam voluntatis pudor, & horror.

Probatur primò ex Scripturâ, ad Rom. 2. *Inter se invicem cogitationibus accusantibus*, scilicet post peccatum: accusatio idem est quod remorsus. Ecclesiasticus cap. 3. *Cor*, inquit, *nequam gravabitur in doloribus.* & cap. 14. *Beatus vir qui non est stimulatus tristitiâ delicti.* Gravare, & stimulare cor propter nequitiam & delictum commissum, est conscientiæ remordentis. De eodem conscientiæ remorsu multi explicant illud Isaiæ 66. quod ter repetit ipse Christus Marci 9. *Vermis eorum non morietur. Vermis ille*, inquit in illum locum Hieronymus, *à plerisque accipitur conscientia peccatorum, quæ torqueat in suppliciis constitutos*: idque sive præterea in inferno sint veri vermes, sive non: quia conscientia damnati animam rodit mordetque, ut pannum tinea.

Vermis est coscietia peccatorũ.

Probatur secundò ex Patribus: Hieron. qui ad Algasiam quæst. 8. dicit, Cain per legem naturalem cognovisse peccatum suum, scilicet admissum. Imò Patres ac Interpretes docent signum quod posuit Deus Caïno Gen. 4. fuisse tremorem corporis, ac turbationem vultus natam ex tremore ac turbatione conscientiæ. Idem Hieronymus citatus docet, Pharaonem post peccatum fuisse stimulatum lege naturali; quod item est conscientiæ. Clara etiam sunt illa Augustini in Psalm. 57. *Iudicis tribunal est in mente tuâ*, scilicet peccatoris: *sedet ibi Deus, adest accusatrix conscientia, tortor timor*. Idem in Psalm. 45. *Inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla est major tribulatio, quàm conscientia delictorum: namque si ibi vulnus non est, sanumq; sit intus hominis, quod conscientia vocatur, ubicumque alibi passus fuerit tribulationes; illuc confugiet, & ibi inveniet Deum. Si autem ibi requies non est, propter abundantiam iniquitatum, quoniam & ibi Deus non est; quid facturus est homo?* Qui, ut addit paullò pòst: *Ecce hostem suum invenit, quò confugerat*; scipsum quò fugiturus est: & iterum: *Quid igitur prodest, si quod*

Ex eadem ma[...] signum, & tremor Caini.

quod exterius ſanum eſt, & putrefacta eſt medulla conſcientiæ? Quibus aptè comparat conſcientiam medullæ. Quod enim arbori eſt medulla, hoc interiori homini eſt conſcientia. Ambroſius lib. 3. Offic. cap. 4. *Quæ*, inquit, *pœna gravior, quàm interioris vulnus conſcientiæ? quod ſeverius judicium, quàm domeſticum, quo unuſquiſque ſibi eſt reus?* Eadem diſertè docet Chryſoſt. conc. 1. de Lazaro: & conc. 4. addit tantam eſſe eam pœnam, ut, ſi continuò duraret, eſſet omnino intolerabilis. *Unde*, inquit, *Dei ſapientia non fecit perpetuam conſcientiæ accuſationem: nec enim hoc onus perferre poteramus, ſi jugiter accuſaſſet; neque rurſus adeò levem & imbecillem, ut poſt unam atque alteram admonitionem deſperet.* Poſtremis verbis rectè docet, conſcientiam fungi iſto ſuo officio accuſandi, monendi ac remordendi, variis ac interpoſitis vicibus & occaſionibus. Idem epiſt. 7. ad Olympiadem: *Quòd ſi aliorum condemnationem non morantur; at certè fieri non poteſt, ut ſuæ conſcientiæ judicium effugiant, quod non vitiari poteſt, nec corrumpi, nec ulli terrorum cedit.* Quod pulchrè oſtendit in fratribus Ioſeph, qui Gen. 42. accuſati criminis, cujus non erant conſcii, de eo non erant ſolliciti, ſed de alio cujus erant ſibi conſcii, cùm dixerunt: *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum.* Addit: *Ad hunc etiam modum Iudas coarguentem conſcientiam minimè ſuſferens ad laqueum ſe contulit.* &: *Neque enim conſcientiam, quæ ipſum coarguebat, ferre potuit: ea enim peccati natura eſt, ut, priuſquam omnino perpetratum ſit, hominem temulentiâ afficiat; poſteaquam autem expletum ac perfectum eſt, tunc ea voluptas ſeſe proripiat & extinguatur, ac ſolus jam deinceps ſtet accuſator, conſcientiâ nimirum carnificis locum obtinente, ac peccatorem lancinante, ab eoq; extremas pœnas exigente, ac plumbo quovis graviùs ipſi incumbente.* Hæc Chryſoſtomus; qui rectè etiam conſcientiæ peccati commiſſi, tribuit timorem Adæ audientis vocem Domini. *Quare*, inquit, videlicet, timuit? *quia videbat ſibi trucem ſtare accuſatorem, conſcientiam dico. Neque enim alium objurgatorem habebat & teſtem peccatorum; ſed unicum illum, quem intrinſecus circumferebat.* Bernardus de Interiori domo cap. 45. *Nulla pœna gravior eſt pravâ conſcientiâ; mala conſcientia propriis agitur ſtimulis: ſi publica te non damnat, propria conſcientia te condemnat; quia nemo poteſt ſeipſum fugere quantumcumque fugerit.* Idem breviter, ſed nervosè, ſerm. 3. de aſſumptione: *Infernus quidam, & carcer animæ eſt rea conſcientia.* & libro poſteriori de Conſcientiâ capite ultimo: *Nulla enim pœna major eſt malâ conſcientiâ: omnium ſiquidem delictorum noſtrorum ipſa eſt teſtis, ipſa judex, ipſa tortor, ipſa carcer: ipſa accuſat, ipſa judicat, ipſa punit, ipſa damnat.* quæ ſunt conformia dictis lib. 1. cap. 9.

Conſcientia remordet variis occaſionibus.

177. Probatur tertiò conclusio, ex scriptoribus Ethnicis, qui etiam hos conscientiæ stimulos agnoverunt & senserunt. Seneca epist. 97. *Prima & maxima peccantium pœna est, peccasse; nec ullum scelus impunitum est, quiá sceleris in scelere supplicium est*: quia, ut addit præter alia paulò pòst, *mala facinora conscientiá flagellantur*. Ad quod apposítè Lipsius de eadem conscientiâ: Ante, ait, peccatum est frænum, post peccatum est flagrum. Juvenalis: Quos diri conscia facti Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit, Occultum quatiente animo tortore flagellum. Plutarchus de Serâ numinis vindictâ, aptâ similitudine ostendit non tunc Deum primùm punire, cùm scelerato vitam vel fortunas eripit; sed tunc, cùm post scelus immittit conscientiæ stimulos: ut rei pœna non incipit cùm moritur supplicio; sed dum conjicitur in carcerem, locum causamque doloris & horroris supplicii imminentis. Idem libro de Animi tranquillitate: *Facinorosa conscientia, instar ulceris in corpore, pœnitentiam relinquit in animá lancinantem, pariter ac pervellentem*. Cicero pro Roscio: *Sua quemque fraus, & suus terror maximè vexat: suum quemque scelus agitat, amentiáq; afficit, suæ malæ cogitationes conscientiaq; animi terrent: hæ sunt impiis asiduæ domesticaq; furiæ*. quas verbis præcedentibus indicat significari ardentibus furiarum tædis, quibus in fabulis ac comœdiis solent agitari ac perterreri homines scelerati.

Memorabile de homine præsertim Ethnico, Philosopho Pythagorico, exemplum refert Erasmus libr. 6. apophtegh. qui coëmens sibi à sutore calceos, non promptam habens pecuniam, oravit, ut in crastinum exspectaret diem: quo cùm venisset satisfacturus, audit sutorem jam jam defunctum esse: non faciens igitur mentionem pecuniæ, nummos domum retulit. Verùm cùm conscientiâ subinde torqueretur, acceptâ pecuniâ ad sutoris tabernam regressus est, & eam in domum ejusdem projiciens, dixit, scilicet sibi ipsi: *Tibi vivit, aliis qui defunctus*: atque ita se à conscientiæ tormento liberavit. *Exemplis ostenditur vis ac pondus conscientiæ.* Non potuit ab eo se liberare Theodoricus Rex Gothorum, aliàs felix & strenuus, cui conscientiæ remorsus ac tormentum mortem attulit post occisos Boëtium & Symmachum. *Horrore*, inquit Puteanus lib. 1. Historiæ barbaricæ num. 13. *subito correptus, cùm occisorum à se manes tamquam præsentes minantesq; metueret, impar conscientiæ fuit. Deus ingessit hos stimulos, vindex scelerum, & illatæ mortis pœna tyranno fuit, nemesi suâ exstingui*. Verum igitur est Græcum adagium: συνείδησις πλήττει τὴν ψυχήν: Consciẽtia verberat animam; & meritò. Cicero de Naturâ deorum libr. 3. *Conscientia grave pondus*. *O tristis recordatio*, exclamat Quintilianus decla-

declamatione 12. *ô tormentis omnibus gravior conscientia!*

Verùm meritò gravius est hoc conscientiæ pondus in malo Christiano, quàm Ethnico. Rarum nostræ ætatis ac Belgii exemplum refert Crombecius de Studio perfectionis lib. 2. cap. 2. de viro locuplete, qui miserum in modum torquebatur conscientiâ criminis, quod erubescebat confiteri. Conatus fuerat ab eo tormento se liberare ambulatione per regiones etiam longinquas, variis studiis & occupationibus; quin imò etiam operibus pœnitentiæ, cinere, & cilicio, atque misericordiæ eleemosynis: sed frustrà. Itaque desperabundus vitam sibi ipsi adimere statuit, oppressus tanto conscientiæ pondere. quod meditanti, singulari Dei providentiâ occurrit è Societate nostrâ Pater, qui laudabili caritate & industria vulnus detexit, tandemque sacramentali absolutione curavit, hominemque, ipso teste, securum lætumque reddidit.

178. *Cur conscientia remordeat post peccatum.* Probatur quartò & explicatur ratione; quia, nisi peccator omnino excæcatus sit, non potest non summè ejus conscientia improbare peccatum admissum, tam ingens malum, tamque ingentium malorum causam, & infinitæ majestatis offensam; idque nullâ vel levissimâ de causâ. Quæ cogitatio nata est in voluntate excitare ingentem pudorem ac horrorem, tum culpæ, tum pœnæ. Huc accedere solet supernaturalis stimulus à Spiritu sancto. Quemadmodum enim peccatoribus spiritus malus solet objicere illecebras carnis, & sensuum delectationes, ut monet S. P. N. Ignatius regulâ ad dignoscendos spiritus primâ; ita *spiritus*, inquit, *bonus conscientiam illorum pungit assiduè, & per synteresis rationisq; officium à peccando deterret.*

Concludo hoc caput, & dictam rationem ampliùs explico verbis Hieremiæ Drexelii de Damnatorum rogo cap. 7. §. 1. *Et in promptu ratio est*, scilicet tormenti, ac remorsus conscientiæ; *cùm undique omnia sunt adversa, cùm cælum & terra infestant; etiamnum superest suffugium ad Deum, &, si nemo soletur, satis solatiorum est Deus. Sed si conscientia sit inquinata, nihil usquiam, nec in rebus conditis, nec in conditore solatii est reperire: omnia acerba, fellea omnia. & quò profugias? ad Deum? hostis est. ad conscientiam? carnifex est. ad Divos cælites? offensi sunt. ad socios? augebunt cruciatus. ad delicias & voluptates? conscientiam magis inquinabunt.*

CAPUT XX.

An remorsus conscientiæ post peccatum sit laudabilis, & quibus actibus constet?

Dico primò: Ejusmodi remorsus conscientiæ, & voluntatis pudor ac horror, est laudabilis. est certa. 179. *Remorsus conscientiæ laudabilis.*

Pro-

Probatur ex dictis cap. 12. de quiete ac delectatione post actus bonos, & ratione ibi allatâ. Quia ejusdem rationis sunt prosequi bonum absens, ac delectari de eodem præsenti; & aversari oppositum malum absens, & cruciari ac horrere illud præsens: atqui reliqui actus certò sunt boni: ergo & remorsus conscientiæ, quatenus voluntatem concernit, seu horror ac pudor. Dixi: Quatenus voluntatem concernit; quia remorsus etiam significat conscientiæ accusationem seu improbationem, scilicet intellectualem, quâ conscientia quodammodo mordet & vellicat voluntatem, ut doleat, erubescat, ac horreat. Addiderim, improbationem etiam intellectus ac conscientiæ esse quasi sententiam judicis; quam sequatur dolor in voluntate, quasi sententiæ executio, & punitio peccati; ut sic eadem potentia puniatur, quæ peccavit.

Concernit voluntatē & intellectum.

Confirmatur: quia, ut ex jam dictis constat, remorsus conscientiæ etiam comprehendit dolorem de peccatis perfectum, qui dicitur contritio; vel imperfectum, qui dicitur attritio: certissimum autem est illum esse bonum ac laudabilem, cùm disponat peccatorem ad gratiam, & sit pars Sacramenti pœnitentiæ. Quare Trid. sess. 14. c. 4. definit, etiam attritionem, quæ ex turpitudinis peccati consideratione, vel gehennæ vel pœnarum metu concipitur, donum Dei esse, & Spiritûs sancti impulsum.

Ex dictis colligo & dico secundò: Remorsus conscientiæ constat hisce actibus: primò accusatione, & improbatione intellectûs; secundò dolore, pudore, & horrore voluntatis. 180. *Quibus actibus constet?*

Probatur: quia, ut ostendi, illi actus sunt nati sequi peccatum commissum, & communiter sequuntur; iisdemque quasi mordetur & pungitur peccatrix voluntas: ergo rectè comprehenduntur nomine remorsus conscientiæ: secùs quàm nuda, verbi gratiâ, displicentia & odium peccati; quibus voluntas afficitur quidem, sed non affligitur.

Adverte remorsum conscientiæ potiùs dici de eâ activè: ipsa enim dicitur remordere; quàm passivè, ut ipsa dicatur morderi: quamvis & hoc tribui possit conscientiæ habituali, ipsi animæ.

Ex dictis collige in actibus nominatis, qui voluntatem spectant, sitam esse inquietudinem conscientiæ oppositam quieti: ut enim hæc illi opponitur, ita debet constare oppositis actibus, scilicet quieti ac delectationi; quales sunt illi. Addo, sicut per quietem & delectationem anima consistit in bono vitaliter, ut suo centro; ut dixi suprà: ita per actus illi oppositos, quasi violentè in peccato detineri extra centrum suum: ideoque per remorsum, & actus illo comprehensos 181. *In quibus actibus sita inquietudo conscientiæ?*

hensos quasi gravitare, & conari pertingere ac redire ad centrum suum, statum gratiæ; imò per illum ad Deum ipsum. Quemadmodum saxum sursum detentum gravitat, petitque naturali vi ac pondere centrum terræ. Unde idem constat, animam peccatricem optimè per ejusmodi remorsum actusque disponi ad statum gratiæ, ac remissionem peccatorum in vel extra Sacramentum obtinendam.

182. *Manant iii actus à divers habitibus.* Adverte præterea, dictos actus promanare à diversis habitibus ac virtutibus, prout diversis motivis eliciuntur; si ob offensam Dei, à caritate: si ob pœnarum metum, ac privationem gloriæ peccatis annexam, à spe: si ob turpitudinem peccati in genere, à propensione synteretica: si ob turpitudinem specialem, verbi gratiâ, injustitiæ, à justitiâ.

CAPUT XXI.

An aliquando exstinguatur conscientia offensæ Dei, non mali ut sic?

183. QVamvis, ut dixi lib. 1. cap. 12. concl. 2. magisque constabit sequenti capite, reverà nec sit, nec esse possit ullus actus malus, culpa, seu peccatum, quin simul sit offensa Dei; potest tamen illud præcisè concipi quatenus malum morale, difforme rectæ rationi ac conscientiæ, non quatenus offensa Dei difformis legi æternæ. Quare ex eo capite non repugnat, quin malum morale possit esse objectum conscientiæ ut sic, non quatenus peccatum theologicum, seu offensa Dei.

Itaque status quæstionis est, an hoc aliquando fiat; ita ut, exstinctâ conscientiâ offensæ Dei, maneat tamen conscientia mali. *Status quæstionis.*

Nota duplici causâ id fieri posse, ob inculpabilem inconsiderationem aut ignorantiam divinæ existentiæ, vel providentiæ. 184. Qui enim credit Deum non esse, vel non curare res humanas, facilè credet eum non offendi peccatis, adeoque carebit conscientiâ offensæ Dei. Imò, si credat eum esse, sed improvidum rerum nostrarum, consequenter putabit nullâ eum lege peccata prohibuisse. Quo casu, etsi nihilominus reverà Deus peccatis aliquâ ratione offenderetur, ut ibidem dixi, id tamen sibi talis non persuadebit, ac poterit invincibiliter ignorare.

Respondeo jam ad quæstionem propositam affirmativè. 185. *Resp. affirmativè.*

Probatur, & ostenditur id primò in Ethnicis præsertim ac Barbaris, verbi gratiâ, Brasiliensibus, de qualibus egi libr. 1. cap 14. concl. 2. quos non pauci putant laborare invincibili ignorantiâ, etiam ipsius Dei. Quamvis enim ille evidenter naturæ lumine cognoscatur, non tamen ab omnibus, ut ibidem dixi in simili. Nec Deum esse,

esse, primum principium est per se notum. Faciliùs ignorare possunt Dei providentiam, æternamque ejus legem, quâ peccata prohibuit. Cum neutrâ autem ignorantiâ, in ejusmodi præsertim hominibus, consistit conscientia offensæ Dei: quæ proinde in iis exstinguitur; non tamen mali, quia nihilominus agunt contra rectam rationem, ac conscientiam, cujus ibi ipsi conscii sunt.

186. Ostenditur secundò etiam in cognoscentibus Deum, ejusque providentiam: quia non cognoscunt utrumque semper actu, sed habitu. Itaque potest esse vtriusque inadvertentia: qualis item potest esse principii per se noti, verbi gratiâ in peccatore, qui subitâ passione ad peccandum impellitur. Quemadmodum enim ille defectu plenæ advertentiæ, adeoque libertatis, aliquando peccat tantùm venialiter, quamvis circa materiam peccati mortalis: ita nulla est ratio, quin possit laborare inadvertentiâ Dei, ejusque legis ac providentiæ, adeoque carere conscientiâ offensæ Dei; non tamen mali ut sic, cùm non laboret inadvertentiâ rectæ rationis ac conscientiæ illud improbantis. Quod iis potissimùm potest contingere qui Deum non timent, ideoque vix de eo cogitant. Addo, quamvis Deum ejusque legem cognoscant, cognitionem circa hoc objectum esse subinde tam tenuem, ut non sufficiat ad peccatum mortale.

Adverte tamen responsionem intelligendam conformiter quæstioni de aliquibus aliquando; quia non puto in quoquam habere locum longo, vel toto tempore vitæ, ne quidem Ethnicis & Barbaris. Quia enim nec istis denegatur auxilium sufficiens, subinde saltem Deus supernaturaliter eorum intellectum illustrat aliquo quasi divinitatis suæ ac providentiæ radio: quem si sequerentur, Deum eodem dirigente agnoscerent. Ejusmodi autem, etsi initio dubiâ & tenui notitiâ, desinit Dei ignorantia, & inconsideratio inculpabilis; adeoque suscitatur exstincta vel sopita conscientia offensæ Dei. 187. *Nemo diu laborat inconsideratione Dei inculpabili.*

Confirmatur hoc dictis cap. 19. de remorsu conscientiæ, quem experiuntur etiam Ethnici, quantumvis barbari. Nec enim ille tam oritur post malum & peccatum quodcumque, quàm post Numen offensum; cujus horreant majestatem ac vindictam: non possunt autem timere Deum nisi cognitum. Nec dubito, quin istis conscientiæ stimulis ob causam nunc tactam sæpè se immisceat Dei providentia supernaturalis, instinctu quodam & auxilio secundùm substantiam, aut saltem modum, supernaturali.

CA-

CAPUT XXII.

An conscientia solius mali, non offensæ Dei, seu absque hujus cognitione vel advertentiâ, obliget sub peccato mortali?

188. SUppono obligare saltem sub veniali, quia velle malum cognitum, scilicet liberè, necessariò malum est, adeoque necessariò displicet primæ & summæ bonitati, quæ proinde eo offenditur: ergo verè committitur offensa Dei, & peccatum aliquod, etiam theologicum, non tantùm morale: quod constat ex antè dictis, & confirmabitur jam dicendis.

Ceterùm difficultas hæc de peccato mortali vix à Doctoribus tangitur, etsi non parvi momenti. Salas 1.2.tom.2.disp.16.sect.22.dicit aliquos modernos fuisse ausos dicere, in casu ignorantiæ vel inconsiderationis jam explicatæ nullum fore peccatum mortale; *Sed hæc*, ait, *doctrina improbabilis, & parum tuta, & periculosissima in fide ac perniciosissima mihi videtur.* A quâ tamen censurâ, quia acrior est, cùm præsertim non desint recentiores, qui etiamnum id doceant, libenter abstineo. & tantùm ad quæstionem Respondeo affirmativè.

Resp. affirm.

Probatur Primò, ex Apostolo 1.Cor. 6. *Nolite errare: neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Quibus significat, illa similiaque peccata esse secundùm se & intrinsecè mortalia, adeoque sine advertentiâ Dei ipsis extrinseca.

Quod confirmatur communi Patrum sententiâ, qui ex mente Apostoli ad Rom. 2. passim docent, prævaricatores, & reos æternæ mortis esse eos, qui peccant contra legem scriptam in cordibus suis, scilicet naturalem. Quod omninò faciunt qui laborant Dei ignorantiâ & inadvertentiâ.

Probatur Secundò, ab absurdis: quia ex contrariâ sententiâ sequitur contra communem sensum Christi fidelium, Patrum ac Doctorum, homicidia, adulteria, imò vastationes ac eversiones civitatum, provinciarum, ac regnorum, aliaque scelera, quantumvis enormia contra naturam, homines, ac Deum, quamvis plenâ deliberatione ac voluntate commissa, non esse mortalia, sed tantùm venialia; scilicet in casu præcedentis capitis. Nec tantùm id eveniret atheis, & rudibus, quamvis his sæpiùs illo tempore, quo Deum ignorant; sed aliquando etiam Deum agnoscentibus ac colentibus, & fidelibus eâ temporis morulâ, quâ Deum ejusque providentiam & legem non advertunt, saltem plenè. Sequi illa clarum videtur, nec obscurum esse absurda. Unde se- 189.

quaeretur ulteriùs, peccata ejusmodi non esse manifestanda in confessione.

Certè ob hanc rationem contraria sententia nimiam licentiam, & inauditum privilegium videtur concedere atheis, imò & Deum cognoscentibus; sed non timentibus, & vix de eo cogitantibus; scilicet non peccandi mortaliter. Quâ ratione nimis laxantur eorumdem conscientiae, quae, si ullae, stringendae essent. Quòd si aliqui, ut plures putant, laborarent absolutè ignorantiâ Dei invincibili, illi totâ vitâ carerent periculo peccandi mortaliter, quamvis effusi in omnia peccata.

190. *Peccata mortalia sunt secūdùm speciem suā.* Probatur Tertiò: quia ex contrariâ sententiâ sequitur praetereà contra communem Doctorum sensum, peccata quamvis liberrimè patrata, non esse mortalia secundùm speciem & essentiam suam; sed tantùm extrinsecam & generalem circumstantiam offensae Dei. verbi gratiâ, furtum quantumvis magnum aliquot millionum, non erit mortale, quatenus est ablatio rei alienae contra justitiam erga homines; sed tantùm quatenus praetereà includit rationē accidentalem offensae, & cujusdā injustitiae erga Deum. Idem dicendum de homicidio, imò parricidio, aliisque similibus, quae directè non attingunt Deum. De horum enim essentiâ nullo modo est offensa Dei cogniti: quia furtum ejusdem speciei & essentiae esset, quamvis fieret absque cognitione ac consideratione Dei, ut clarum est. Si ergo tunc non esset mortale, non est tale secundùm speciem.

Confirmatur juxta communem item sensum Patrum, Doctorum, ac fidelium: idem est peccatum grave & mortale; quia eo ipso quo grave, est etiam mortale: atqui casu conclusionis potest esse peccatum grave, imò gravissimum, verbi gratiâ furtum aliquot millionum, parricidium, eversio regni, &c. ergo & mortale. *Idem peccatū, grave & mortale.*

Probatur ultimò, & explicatur: quia istiusmodi peccatis convenit vera ratio mortalitatis peccati, seu cur peccatum sit mortale, non veniale: ea enim est, non Dei offensio, quae etsi tamquam circumstantia generalis peccati malitiam valdè augeat & compleat, verè tamen competit peccato etiam veniali. verè enim Deus eo offenditur, atque etiam afficitur injuriâ. Vera itaque ratio est tandem ipsa peccati secundùm speciem ac naturam suam gravitas. Illa autem istiusmodi quoque peccatis convenit. Qui enim graviter peccat, scilicet plenâ deliberatione & libertate, atque in materiâ gravi; interpretativè & practicè rejicit & renuntiat amicitiae Dei; quia graviter repugnat, adeoque rejicit ac renuntiat ejus vicariae rectae rationi, ac conscientiae; atque etiam ipsi honestati, & hoc ipso utriusque 191. *Ratio mortalitatis est ipsa peccati gravitas.*

auctori Deo, etsi aliàs ignoto, scilicet, ut dixi, practicè, seu in actu exercito, & interpretativè. Quo ferè modo Deum agnoscens eum offendit, etsi id non intendat.

Confirmatur Primò, quia ex contrariâ sententiâ, quæ videtur supponere peccatum casu conclusionis non esse Dei, quia ignoti, offensam, neque ideo mortale, conformiter sequitur, nę quidem esse veniale, nempe contra Deum Theologicum: cùm præsertim ex se leve est ob eamdem causam. Unde sequeretur ulteriùs, si peccatum ob illam non esset dignum pœnâ æternâ inferni, neque esse temporali Purgatorii: quod nemo, puto, dixerit.

Confirmatur Secundò, vel ipsius conscientiæ testimonio, quæ etiam atheo dictabit Deum, si sit, eo facto graviter offendendum. Naturæ enim lumine notum est, Deo naturâ optimo displicere omnem malitiam, atque adeò graviter gravem. Simile est; si Rex Hispaniæ, qui Proregem suum vicarium statuit, verbi gratiâ Indiæ, ab Indis crederetur mortuus, verè & meritò is offenderetur nihilominus ab iis, si Proregi rebellarent, & expellerent. Nec quisquam dubitaret, quin Rex, etsi inculpabiliter creditus mortuus, meritò eos puniret tamquam rebelles. Quidni ergo Deus quamvis creditus non esse, meritò puniat tamquam rebelles, qui deliberatę & graviter ejus vicariæ conscientiæ repugnant ac rebellant?

Ratio ulterior est, quia universaliter, ut quis alium offendat, sufficit faciat aliquid, quod illi rationabiliter displicet, sive noto, sive ignoto: quo ipso etiam pœnam meretur gravem, vel levem, pro qualitate offensionis.

192. Ex quibus sequitur Primò, sic peccantem, si in statu gratiæ & amicitiæ divinæ fuit antè, mereri ejus privationem, adeoque eam amittere & transire ad statum peccati, & inimicitiæ: neque ampliùs diligere Deum super omnia, ne quidem habitu, nedum actu. Esto dicat, sitque reverà ita constitutus, ut nullâ ratione peccaturus esset, si sciret vel adverteret Deum esse, aut peccato offendi. Hinc enim tantùm sequitur, quòd tunc diligeret, non quòd jam diligat Deum super omnia.

193. Sequitur Secundò, tamquam Dei inimicum meritò puniri pœnâ æternâ; quæ non simpliciter, sed secundùm quid infinita est; si nimirum æternùm in eo statu maneat; quia scilicet ipse se in eo posuit, nec retractavit ante mortem. Quo ferè modo juxta communem veramque sententiam peccatum veniale meritò punitur pœnâ æternâ, si ejus culpa semper maneat, quia conjuncta cum peccato mortali.

Confirmatur, quia actus bonus, etsi undique finitus, nec tendens

in objectum infinitum, meretur de condigno æternum præmium in ratione præmii; multò majus quàm sit in ratione pœnæ, pœna peccati: ergo mirum non est, peccatum quamvis undique finitum, nec respiciens Deum, quia ignotum, mereri pœnam æternam, scilicet dicto casu & circumstantiis, saltem quasi consecutivè ad statum in quo ipse se posuit. Dixi; Saltem, quia ob rationes antè allatas probabile videtur insuper eãdem pœnam mereri absolutè.

194. *Peccatum mortale casu proposito majus omnibus venialibus.* Sequitur Tertiò, peccatum quoque ejusmodi mortale majus esse omnibus venialibus; quia hæc eo ipso quo levia & venialia sunt, vel ratione objecti, vel ratione imperfectæ libertatis, juxta humanam & divinam prudentiam, spectatâ fragilitate humanâ, (cui adeò connaturalia sunt, ut omnia caveri non possint) non sufficiunt ad interpretativam illam ac practicam renuntiationem, & moralem mutationem: quare peccatum & ex objecto suo grave & plenâ deliberatione commissum, eo ipso est superioris cujusdam ordinis respectu venialium, quantumvis multorum.

Unde sequitur Quartò, etsi juxta communiorem & veriorem sententiam possit purus homo satisfacere pro peccatis venialibus; non posse tamen, saltem probabiliter, pro ejusmodi mortali juxta communem sententiam de quovis peccato mortali: quia quovis mortali tollitur ipsum vitæ principium, adeoque virtus illam reparandi, secùs quàm venialibus. Fateor tamen ejusmodi peccato, etsi mortali, deesse gravitatem illam secundùm quid infinitam, ratione infinitæ majestatis formaliter seu scienter offensæ: quare illud certius est de aliis mortalibus.

Adverte tamen Primò, quamvis ejusmodi peccatum omninò etiam sit offensio Dei, etsi ignoti, ut ostensum est; cæteris tamē paribus minus esse, tum peccatum, tum offensam, cùm Deus inculpabiliter ignoratur, quàm cùm cognoscitur. 195. *Minor est offensio Dei inculpabiliter ignorati, quàm noti.* Quare in furto, verbi gratià, cùm fieret ab ignorante, requireretur multò major materia ad peccatum mortale, quàm cùm à cognoscente Deum. Quod satis clarum est, vel ipsius conscientiæ testimonio. Non debet tamen in confessione explicari circumstantia, etsi notabiliter aggravans Numinis formaliter ac scienter offensi; quia cùm in Deum noscentibus, adeoque pœnitentibus communiter interveniat, & hoc sensu sit circumstantia generalis, satis à confessario intelligitur.

Adverte Secundò, ex dictis non sequi peccata fore etiam mortalia, etsi Deus reverà non esset: quod tantùm docent aliqui, qui videntur conclusioni refragari. *Nō essent peccata mortalia, si Deus reverà nō esset.* Primò, quia tum Deus reverà peccatis non offenderetur, neque esset qui

ea

ea punire posset pœnâ æternâ: quare neque illa absolutè hanc mererentur. Secundò, quia tunc non esset mors, à quâ dicuntur mortalia, ut neque vita spiritualis gratiæ gratum Deo facientis illi opposita. Tertiò, quia tunc lumen rationis ac conscientiæ non esset irradiatio ac participatio lucis, & legis æternæ, quæ supponitur non esse; adeoque ignobilius, impotentius ad obligandum, & alîus rationis, quàm nunc. Quare & peccata, quæ essentialiter ab eo pendent, alîus essent rationis, & leviora, quàm nunc. Quare dixi suprà num. 166. esse de essentiâ peccati quòd sit contra legem æternam. Itaque si hæc, sive Deus non esset, alia esset essentia peccati quàm nunc: mutaretur enim non quidem ratio, seu differentia specifica, ut sic (nam furtum, etsi Deus non esset, maneret ablatio rei alienæ) sed ratio generica peccati seu offensæ contra rationem, conscientiam, ac Deum ob rationes allatas.

Petes: Quid si Deus non esset, & tamen lumē rationis & gratia manerēt ejusdem rationis cujus nunc.

Respondeo, posito eo novo impossibili, sequi aliud, nimirum tunc peccatum fore ejusdem, cujus nūc rationis, adeoque mortale, scilicet ob suppositionem, & non fore ob rationes jam allatas.

196. Dices, Nemo peccat mortaliter, qui est paratus servare Dei mandata: atqui potest quis sic esse constitutus, ut sit paratus illa servare, etiam cum periculo vitæ; non tamen sequi dictamen solius rationis, ac conscientiæ: ergo plus requiritur ad peccatum mortale.

Respondeo, simpliciter negando minorem: quia reverà etiam Dei mandatum ac lex est, scilicet naturalis, ut sequaris dictamen conscientiæ, fugiasque malum ab eâ propositum. Quòd si agatur de mandatis Dei non absolutè, sed formaliter, ut sic, id est Dei noti, nego majorem. sic enim petitur principium, & sumitur quod esset probandum.

Confirmatur responsio, quia juxta sensum Doctorum, ac Patrum, ipsiusque Scripturæ, ut quis maneat in statu gratiæ, nec peccet mortaliter, debet amare Deum super omnia actu, vel habitu: atqui atheus non amat Deum super omnia, ut clarum est; imò nec fidelis laborans Dei inadvertentiâ, si rationi ac conscientiæ graviter repugnet, adeoque ipsi honestati, & amicitiæ, cùm Deo interpretativè renuntiet, ut dixi probatione ultimâ.

Denique ex dictis collige, quantæ dignitatis & auctoritatis sit conscientia speciatim recta: quæ vi suâ abstrahendo à Deo, ejusque lege cognitâ, etiam obligat sub mortali & pœnâ æternâ. Adeò verum est quod suprà dixi ex Menandro, conscientiam omnibus 197.

hominibus esse Deum, etiam atheis, qui etsi Deum ignorent, conscientiam suam ignorare non possunt. Certè obligare vi suâ sub mortali & pœnâ æternâ, divinæ cujusdam est dignitatis & auctoritatis.

CAPUT XXIII.

Quomodo varietur judicium conscientiæ rectæ circumstantiis, & quî hæ intendi, & in confessione explicari debeant?

198. NOn tantùm actus ipsos, eorumque objecta, sed & eorum circumstantias considerat & judicat conscientia recta; earum autem minima mutatio judicium, totumque conscientiæ casum variat. Quare etiam in confessione earum habenda est ratio, *& alienum à ratione est docere circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse*, ut contra hæreticos nostri temporis docet Trid. sess. 14. cap. 5. Dicuntur autem circumstantiæ, ex mente D. Thomæ 1. 2. quæst. 7. & communi Doctorum, ut ipsum nomen sonat, aliqua quæ non ingrediuntur actûs substantiam; extrinsecè tamen & accidentaliter afficiunt, aut physicè consideratam; & sunt circumstantiæ actus physici, verbi gratiâ, fieri in campo, vel agro; nocte vel die; aut moraliter; & sunt circumstantiæ actûs moralis, verbi gratiâ, fieri ab Ecclesiastico, vel sæculari; loco sacro, vel profano; circa objectum ac materiam parvam vel magnam; longo vel brevi tempore; intensè vel remissè.

Actus etiã interni habẽt circumstantias. Neque tantùm externi, sed & interni actus habent ejusmodi circumstantias; etsi dissentire videantur aliqui Nominales: ut enim furto, vèrbi gratiâ, externo, ita interno accidit esse rei parvæ vel magnæ; Ecclesiastici vel sæcularis. Distinguuntur enim illæ ab objecto; vel omnino, ut quæ se habent ex parte agentis; vel saltem specificativo actus, cùm sic illi superveniant: quomodo homicidio ut sic, circumstantia est & supervenit fieri in templo; etsi non sit circumstantia, sed objectum eidem, quatenus est sacrilegium. Quibus non obstat quòd circumstantiæ morales debeant esse aliquo modo interpretativo volitæ, aut saltem voluntariæ.

199. *Sex circũstantiæ.* Suppono deinde ex D. Thoma cit. art. 3. numerari sex circumstantias hoc versiculo comprehensas:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Earum brevis explicatio. *Quis*, significat conditionem accidentalem personæ operantis; an sit nobilis vel plebejus, laicus an clericus.

Quid, non significat ipsam actûs substantiam: hæc enim non potest

potest sibi ipsi esse circumstantia; sed ejusdem accidentia, qualia sunt, parvum & magnum, intensio & remissio; vel etiam effectuum, ut mortem secutam post læsionem. Prætereà *Quid* significat, circa quid, verbi gratiâ, an occisio fuerit clerici, vel laici.

Vbi, significat accidentia loci, an loco sacro an profano.

Quibus auxiliis, id est, quibus mediis, & instrumentis.

Cur, id est, ob quem finem, bonum vel malum.

Quomodo, significat modum actionis, an fiat lentè aut vehementer; dolo an bonâ fide; liberè vel necessariò; proprio vel alieno motu.

Quando, accidentia temporis, ut etiam durationem. Aliqui huc etiam reducunt, Quoties: sed meliùs Cajetanus dicit eam non esse circumstantiam, sed ejusdem speciе actûs iterationem. Unus autem actus non est accidens aut circumstantia alterius.

200. Nota Primò, potissimùm in ordine ad obligationem confitendi circa actus malos, quænam circumstantiæ soleant mutare speciem, vel non; scilicet ob peculiarem difformitatem à dictamine rectæ rationis, ac conscientiæ, juxta dicta cap. 6. concl. 2.

Quis, sæpè mutat speciē.

Quis, sæpè eam mutat: ut in peccato luxuriæ, si peccet solutus, erit simplex peccatum fornicationis contra castitatem; si conjugatus, insuper contra justitiam, ratione injuriæ factæ uxori: quòd si hic peccaret cum conjugatâ, peccaret peccato injustitiæ, sed novo, ac numero tantùm distincto, ratione injuriæ factæ ejus marito. Quòd si peccaret Religiosus, sacerdos, vel initiatus majoribus Ordinibus, præter peccatum luxuriæ fieret peccatum sacrilegii, saltem latè sumpti contra religionem.

Sed de his tribus, Religioso, sacerdote & initiato majoribus, difficultas est an peccent pluribus specie peccatis ratione voti, si contra castitatem. 201.

Religiosus, sacerdos, & initiatus majoribus, non peccant contra castitatem pluribus specie peccatis.

Verius est quòd non, quia in omnibus peccatum est, vel proximè oritur ex perfidiâ in Deum, contra votum seu promissionem, ipsi factam. quod non tantùm est contra veracitatem; sed hoc ipso cedit in particularem Dei contemptum contra religionem. Imò cùm in omnibus votum sit ejusdem rationis, probabile videtur ne quidem esse circumstantias notabiliter aggravantes. Quod certius videtur de voto simplici, ac solenni; cùm hoc ab illo differat tantùm accidentaliter, constitutione Ecclesiasticâ, non ex naturâ rei.

Quoad peccatum stupri, antiquiores putarunt illud ex parte feminæ includere circumstantiam mutantem speciem, adeoque illam debere explicare, an ante peccatum fuerit virgo. Sed meliùs recentiores dicunt tam ex parte feminæ, 202.

Stuprum non includit circūstantiam mutātem speciem.

miæ, quàm viri, esse illud peccatum primum circa eamdem materiam: quæ circumstantia coram Deo ne quidem notabiliter aggravat. Alia est ratio de incestu, in quo per se apparent circumstantiæ minimùm notabiliter aggravantes; linea directa, & gradus ab Ecclesiâ prohibiti, saltem primus & secundus.

Neque notabiliter aggravātem.

203. Quid, *aliquando non mutat speciem.*

Quid, aliquando non mutat speciem, cùm significat intensionem, vel remissionem actûs, vel objecti, parvam vel magnam, verbi gratiâ læsionem: quo sensu notabiliter vel parum aggravat, ut etiam cùm significat quantitatem honoris læsi, vel rei furto ablatæ. Imò aliquando reddit peccatum de mortali veniale, vel contrà; ut si sis furatus materiam insufficientem, vel sufficientem ad peccatum mortale. Mutat tamen aliquando speciem, si significet objectum, vel circa quid; ut si percusseris clericū, cognoveris dicatam Deo, furatus sis rem sacram.

aliquādo mutat.

204. Ubi *sæpius mutat speciem.*

Ubi, sæpiùs mutat speciem, ut si peccetur loco publico, magnâ cum infamiâ ac scandalo; vel loco sacro; eâ nimirum ratione, ut peccatum peculiariter ejus reverentiæ repugnet. Aliàs ne quidem notabiliter aggravat: quomodo non repugnant illi peccata interna, sed externa, homicidium, effusio sanguinis, vel seminis: quâ tamen nisi publicâ, non debet ecclesia censeri polluta. Item furtum in templo non rei cujusvis, sed probabiliter tantùm peculiari aliquâ ratione spectantis ad ecclesiam, ejusque custodiam. Quòd si in templo existens velis occidere in templo, peccatum contrahet novam speciem, non ex parte subjecti seu actûs interni; sed objecti & homicidii externi voliti, perinde ac si idem velles extra templum.

205. Quibus auxiliis, *nec mutat, nec notabiliter auget.*

Quibus auxiliis, communiter nec mutat speciem, nec notabiliter auget, nisi verbi gratiâ fureris gladium, quo alium occidas.

206. Cur, *solet dare primam speciem, vel addere secundam.*

Cur, solet vel dare primam speciem malitiæ, ut si exeas domo ad occidendum: quo sensu actus mali non est circumstantia, sed objectum seu motivum: vel addere secundam, ut si fureris ad mœchandum. Quo tamen sensu propriè finis, non est circumstantia, sed motivum vel objectum, ut constabit sequenti capite. Numquam tamen vel notabiliter auget, vel mutat speciem, nisi finis ob quem quantumvis intensè volitus includat specialem malitiam, ut nec circumstantia proximè dicta, nisi eamdē includant media. Quod per se satis clarum videtur, etsi aliquibus dubium. Quare non debes in confessione explicare, verbi gratiâ, te die festo non audivisse Sacrum ut studeres, ut nec occidisse hostem sclopo.

207. Quomodo, *nō mutat speciē,*

Quomodo, non mutat speciem; quia tantùm significat modum accidentalem, quo res fit; sæpè tamen nota-

ferè notabiliter auget. notabiliter gravat, ut si actus peccati sit valdè intensus, perfectè voluntarius, ac deliberatus: quâ tamen ratione peccatum de veniali reddit mortale, vel contrà.

208. *Quando, vel dat primam speciem, vel ne quidem notabiliter auget.* *Quando*, dat primam speciem, cùm certum tempus prohibitum, vel præceptum est, ut si comedas carnē die Veneris; omittas Sacrum die Dominico. Quòd alia peccata fiāt die festo, aut Dominico; nec mutat speciem nec notabiliter auget, ut communiter recentiores contra plures antiquiores: quia scilicet finis remotus præcepti, sanctitas, cui repugnant peccata, non præcipitur, aut cadit sub præcepto.

209. Duratio, quæ huc spectat, notabiliter aggravat, si notabiliter longa sit, non tantùm physicè, sed moraliter; etsi plures alii actus intercurrant sine notabili interstitio: quo modo idem numero actus moraliter durare potest, non multiplicari, juxta dicta lib. 1. cap. 18.

210. *Leges præcipientes sub diversâ ratione se habent ut circũstantiæ mutãtes speciē; sub eâdē, ut augẽtes.* Nota Secundò, tamquam circumstantias mutantes speciem habere se præcepta, seu leges, quibus peccata repugnant; si videlicet illa actum præcipiunt, vel prohibent sub diversâ ratione, honestate, vel inhonestate; si sub eâdem, habent se ut circumstantiæ intra eamdem speciem augentes: quæ regula traditur vel indicatur communiùs à Doctoribus 1. 2. quæst. 72. art. 1. Iuxta priorem regulæ partem verisimiliùs duplici specie peccato peccat, qui præceptum legitimi Superioris transgreditur, cui vovit insuper obedientiam. Quia debebat obedire duplici ratione & honestate; obedientiæ, ob legitimam Superioris potestatem; & religionis, ob votum. Similiter sub duplici peccato teneris facere quod jurasti te facturum, si idipsum tibi præcipiat Superior: & Religiosus Franciscanus non jejunans feriâ sextâ Quadragesimæ, peccabit contra religionem ratione voti, & novo peccato contra præceptum Ecclesiæ. Iuxta posteriorem partem regulæ probabiliùs unicum peccatum committit, etsi gravius, qui nō jejunat cùm Vigilia & Quadragesima concurrunt, vel omittit Sacrum die festo, simulq; Dominico; & qui Horas, ad quas tenetur ratione Ordinis, ac beneficii, etsi multiplicis: quia sub vnicâ potestate hic actus virtutis præcipitur. Etsi enim finis vlterior jejunii in Vigiliâ, sit honor Sancti, aut præparatio ad festum, hic tamen non cadit sub præcepto. Imò, non est improbabile ex hoc capite ne quidem notabiliter malitiam augeri. Ratio universalis est, quia sub diversâ ratione prohibita hoc ipso continent peculiarem difformitatem à dictamine rectæ rationis ac conscientiæ; secùs quàm prohibita sub eâdem ratione.

Nota Tertiò, contrariâ ratione ob peculiarem conformitatem cum ratione ac cōscientiâ, circum- 211.

 stantias

ſtantias eaſdem tribuere novam ſpeciem bonitatis; eo tamen diſcrimine, quòd ad hanc opus ſit directâ intentione novæ honeſtatis; ad ſpeciem verò novam malitiæ ſufficiat indirecta, juxta dicta cap. 7.

212. *Actus à circumſtantiis conſtituitur in ſpecie primâ vel ſecundâ.* Nota Quartò, dupliciter actum circumſtantiis conſtitui in ſpecie morali, vel primâ bonitatis aut malitiæ, cùm ſine illis non eſſet moraliter bonus aut malus, ut ſi quis ambulet ad Dei gloriam, aut jejunet ad vanam gloriam: vel ſecundâ, cùm circumſtantiæ ſuperveniunt actui in ſpecie morali conſtituto, ut ſi quis furetur in loco ſacro. Hæc enim circumſtantia loci ſupervenit furto in ſuâ ſpecie conſtituto, & conſtituit novam ſpeciem ſacrilegii. Utroque caſu verum eſt, quod indicat D. Thom. art. 10. quæſt. 18. circumſtantiam tranſire in rationem & differentiam ſpecificam objecti, ſcilicet reſpectu actûs interni. quod clarius eſt priori caſu, quo non afficit accidentaliter actum moralem conſtitutum, ſed ſpecificè primò conſtituit. Poſteriori tamen caſu verum eſt, circumſtantiam loci ſacri manere circumſtantiam reſpectu furti; quia hoc non conſtituit, afficit tamen; quatenus illud non tantùm fit verè loco ſacro, ſed inſuper eadem volitio furti extendit ſe quodammodo ad locum ſacrum. Non eſt tamen circumſtantia, ſed objectum ſacrilegii, quatenus, videlicet, eſt volitio indirecta inhonorandi locum ſacrum.

Unde ſequitur Primò, non repugnare hæc duo: Actus habet ſpeciem moralem ab objecto, ut oſtendi cap. 5. &: Nihilominus habet aliquando à circumſtantiâ, ut jam dixi: quia nimirum tunc circumſtantia tranſit, ſeu fit objectum ſenſu dicto. 213.

Sequitur Secundò, actuum internorum malorum non tantùm dari circumſtantias augentes intra eamdem ſpeciem; ſed & hanc mutantes ſenſu item dicto: non poſſe autem actum bonum vitiari circumſtantiâ malâ, conſtat ex dictis cap. 8. ut etiam, non poſſe illum conſtitui in ſpecie morali à circumſtantiâ phyſicâ: quia hæc bonitas eo ipſo eſſet accidentalis contra ibi dicta: quòd omnis bonitas ſit actui etiam phyſicè ſpectato eſſentialis. 214. *Actuum internorũ datur circumſtãtiæ mutantes, & augentes.*

Quibus præmiſſis, duo hîc paucis definienda magis practica de circumſtantiis actuum malorum. Prius eſt, quomodo debeant eſſe volitæ, ut peccato ſpeciem tribuant. Eſt autem difficultas, tum de circumſtantiis generalibus, quæ omnibus peccatis conveniunt, ut eſt averſio à Deo, ejuſdem offenſio, meritum pœnæ, inobedientia, ingratitudo, ſuperbia, nocumentum ſpirituale peccantis, &c. (quamvis reverâ hæc non tam ſint accidentales circumſtantiæ, quàm quaſi gradus metaphyſici eſſentialiter 215.

liter

tialiter à peccatis incluſi:) tum de particularibus, quæ tantùm conveniunt aliquibus, qualis eſt injuria illata marito adulteræ, virgini in ſtupro, tranſgreſſio præcepti Eccleſiaſtici in luſu, dum eſt audiendum Sacrum, &c. Poſterius, quænam circumſtantiæ explicandæ ſint in confeſſione. Ubi ſuppono tamquam indubitatum ex Trid. ſeſſ.14. cap.5. & can.7. explicandum eſſe pœnitentibus numerum peccatorum mortalium, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent; & circumſtantias quæ ſpeciem peccati mutant.

Circumſtantiæ generales non dant ſpeciem, niſi directè; particulares etiam indirectè volitæ.

216. Dico Primò: Circumſtantiæ generales non tribuunt ſpeciem, niſi directè & explicitè volitæ: particulares etiam tribuunt volitæ indirectè & implicitè. Prior pars eſt communis, & probatur Primò, ab abſurdo: aliàs non poſſet unum peccatum committi, niſi ſimul committerentur plura, inobedientiæ, ſuperbiæ, ingratitudinis: quæ aliæque circumſtantiæ vagantur per omnia peccata, & indirectè ſunt volitæ eo ipſo, quo directè volitum eſt quodvis peccatum, cui neceſſariò annectuntur.

Probatur Secundò, ratione: quia ejuſmodi circumſtantiæ non ingrediuntur ſpeciem aliquam peccati determinatè; ſed per modum generis in quolibet includuntur, eâque ratione cuilibet peccato ſunt eſſentiales; ut gradus metaphyſici ſuperiores cuilibet ſpeciei entis: ergo mirum non eſt quòd recta ratio ac conſcientia propter illas non æſtimet rem ſpecialiter malam, ſi directè non intenduntur: quia nec ſunt quid ſpeciale, nec ſpeciali modo volitionem terminant. Unde expende, quàm grave ſit quodlibet peccatum, quod illas omnes circumſtantias tamquam ſibi eſſentiales includit, etſi iis determinatè in ſpecie non conſtituatur.

Poſterior pars eſt ferè commu- 217.
nis contra Cajetanum, qui etſi 2.2. quæſt.53. art.2. dicat in hoc dubio libenter ſe fore diſcipulum, tamen 1.2. art.8. quæſt.73. docet abſolutè, quod ſpeciem peccato dat, debere eſſe in ſe expreſsè intentum.

Probatur Primò, etiam ab abſurdis: aliàs qui culpabiliter ignorat hoc die jejunandum, v.g. aut audiendum Sacrum; illud omittendo non peccaret. Nihil enim hîc aſſignari poteſt objectivè malum in ſe directè volitum ac intentum: legis enim tranſgreſſionem ſupponitur ignoraſſe, multò minùs directè intendiſſe. Similiter qui improvidâ ejaculatione hominem occidit, peccat peccato homicidii, etſi directè non intenti: quia tenetur ad reſtitutionem, & incurrit irregularitatem homicidii.

Ex quibus & ſimilibus apparet, ſi directè quid intendi debeat ut peccato ſpeciem det, rariſſimè pec-

cata committi: quia vix peccatores intendunt directè objectivam malitiam. Ita fornicator non intendit turpitudinem fornicationis & Dei offensam: utramque enim optaret abesse; sed tantùm voluptatem carnalem; & fur non injuriam alterius, sed lucrum suum.

218. Hanc sententiam ita limitat Vasquez, ut veram putet in peccatis, quæ exteriùs consummantur, non quæ interiùs. Sed Primò, solidum non est hujus limitationis fundamentum, quòd malitia moralis sit primariò in actibus externis, ut ostendi libr. 1. cap. 17. concl. 2.

Secundò, qui cogitat rem turpem, prævidendo periculum delectationis morosæ, etsi actu non delectetur, verè peccat; hoc tamen peccatum non consummatur exteriùs: nec tamen ille quidquam directè intendit objectivè malum, sed tantùm indirectè delectationem turpem.

219. *Peccatum ejusdē est speciei, sive circumstantia directè, sive indirectè intendatur.* Ex quibus universaliter sequitur, quamcumque determinatam circumstantiam actuum internorum, vel externorum, peculiariter rectæ rationi difformem specificare actum peccati, etsi solùm indirectè volitam; atque adeò peccatum ejusdem speciei esse, sive circumstantia directè, sive indirectè intendatur. Ita ejusdem speciei peccatum est velle occidere directè ex odio, & indirectè ex ebrietate prævisâ occisionis causâ. Quibus confirmatur hæc sententia: nam absque fundamēto Cajetanus putat hîc multiplicari speciem, nec potest explicari quæ sit nova hæc species, contra quam virtutem, &c. Quod item verum est de factis ignorantiâ culpabili: nam & in his malum objectivè debet esse aliquo modo prævisum, adeoque indirectè volitum, in alio indirectè intento. Nec quidquam differentiæ hîc parit diversitas ignorantiæ juris, vel facti, juris naturalis, vel positivi.

Probatur denique & explicatur conclusio; simulque solvuntur argumenta contraria. Quia recta ratio dupliciter æstimat malum, v.g. pugnam in templo, ob duplicem difformitatem à ratione ac deformitatem; & utraque æstimatio, & conscientiæ dictamen, habet suam peculiarem vim obligandi. Tenetur ergo quivis duplici causâ non pugnare in loco sacro: quo posito, qui vult unum directè, eo ipso censetur moraliter indirectè ac interpretativè velle & alterum; non solùm quia scit hoc illi annexum, sed etiam quia ratione hujus tenebatur illud non velle. 220.

Confirmatur, quia eventus omissionem secutus voluntarius tibi est, etsi nullo modò physicè à te causatus: quo modo iterum furtum censetur voluntarium illi, qui ex officio debebat illud impedire, adeò ut verè peccet contra justitiam non impediendo: ergo mirum

rum non est illum, qui non solùm omittit quod facere debet, sed positivè vult & facit quod tenebatur nec velle nec facere; hóc ipso moraliter indirectè alterum velle, quod huic necessariò videt annexum, & ratione cujus tenebatur hoc non velle, nec facere.

221. Unde collige, eamdem volitionem, v g. pugnæ, moraliter etiam esse volitionem ac tendentiam in objectum sacrilegii. Quemadmodum etiam in sententiâ Cajetani eâdem de causâ volitio objecti substantis cuivis malitiæ, moraliter est volitio ipsius malitiæ, etsi in hanc directè non tendat. Ob eamdem rationem eadem physica volitio est multiplex peccatum, prout moraliter tendit in multa objecta peculiariter rationi difformia; seu quatenus hoc ipso ipsa difformis est pluribus rationis ac conscientiæ dictaminibus: quibus pleniùs explicantur suprà dicta de ratione peccati, ac malitiâ morali.

222. *Circumstantiæ notabiliter gravantes explicandæ in confessione.* Dico Secundò: Notabiliter judicium conscientiæ variant, ideóque explicandæ sunt in confessione circumstantiæ notabiliter aggravantes, nullæ tamen intra latitudinem peccati mortalis minuentes. Prior pars est Altisiodorẽs. Alensis, Marsilii, Cajetani, Soti, aliorumque quos citat & sequitur Suar. in 3. part. tom 4. disp. 22. sect. 3. contra D. Thomam in 4. Bonaventuram, Paludanum, Navarrum, aliosque quos citat & sequitur è recentioribus Vasquez de pœnitentiâ qu. 91. art. 1. dub. 2.

Probatur auctoritate Trid. sess. 14. cap. 5. & ratione ab ipso assignatâ: quia apertè requirit confessionem, ut possit judex sacerdos primò de gravitate criminum rectè censere; secundò, servare æquitatem injungendo pœnam quam oportet. Unde etsi Concilium tantùm inferat necessitatem confitendi diversa peccata, quod erat apertiùs necessarium, ut singula directè remitterentur; nec putaretur sufficere confessio generalis; ex eodem tamen principio, necessariò idem colligitur de dictis circumstantiis, quarum multæ magis mutant judicium de statu conscientiæ pœnitentis, gravitate criminum, & pœnis injungendis, quàm diversitas multorum peccatorum. Exempli causâ, an is furatus sit florenum unum, vel mille; an cognoverit consanguineam in primo, secundo, aut tertio gradu, ac in lineâ directâ vel obliquâ; an vulneraverit aliũ leviter vel graviter; an delectatus sit morosè exiguâ morulâ, vel pluribus continuò horis. Eademque est ratio de similibus.

Confirmatur communi pœnitentium & Confessariorum praxi, qui non dubitant quin similia sint explicanda. Nec id audent negare aliqui ex adversariis, nominatim de quantitate rei furto ablatæ. Et quamvis alii consequenter negent

eam explicandam quando restitutio est facta; eademque esset ratió quando esset propositum restituendi; id nimis tamen laxum videtur; nimirum quòd non debeat pœnitens tunc confiteri an sit furatus unum florenum, ovem, librum, vel aliquot millia.

223. Posterior pars communis contra Sotum probatur: quia, cùm pœnitens simpliciter confitetur se commisisse v.g. furtum, detractionem mortalem, vel homicidium; Confessarius debet putare id factum esse quomodo communiter solet. Communis autem modus non solet notabiliter augere peccatum supra gravitatem requisitam ad mortale in illâ specie. Itaque quantumvis leve peccatum mortale commiseris, sufficienter illud explicas cùm sine exaggeratione illud fateris. Quare simpliciter dicendum est, non dari circumstantias notabiliter, vel minuentes gravitatem ordinariam talium peccatorum, vel variantes judicium Confessariorum. Dantur tamen notabiliter minuentes gravitatem aliquam extraordinariam, v.g. furti centum millium.

Simpliciter non dantur circumstantiæ notabiliter minuentes.

Confirmatur & explicatur, quando simpliciter confiteris aliquod peccatum, sine tuâ injuriâ Confessarius non potest judicare, vel positivè dubitare, peccasse te graviùs, quàm ex tuis præcisè verbis colligitur, ac communiter eo facto peccari solet, juxta dicenda lib. 4. cap. 19. quia in dubio, ut nemo præsumitur malus, ita nec pejor: quare si velit positivè aliud opinari, debet, leviùs te peccasse. Nisi ergo pœnitens det, vel aliunde habeat Confessarius occasionem suspicandi quid gravius, ne quidem tenetur illum minutiùs examinare. Imò nullo modo id expedit circa peccata lubrica ac carnalia: quod bene notandum est: ipse tamen pœnitens juxta priorem partem debet explicare gravitatem peccati extraordinariam, cùm putat eam intervenisse: cujus conscientiæ id committi ferè debet.

Petes, vnde dignosci debeat circumstantia notabiliter aggravans? 224.

Vnde dignoscenda circumstantia notabiliter aggravans.

Respondeo: Intensio actûs interioris nec potest dignosci, nec debet præsumi extraordinaria, aut notabiliter gravis, nisi aliquo signo exteriùs se prodat, v.g. ira verbis valdè asperis, aut alteratione corporis. Quantitas rei furto ablatæ ut sit notabilis, debet ut minimum esse tanta, quanta sola sufficeret ad peccatum mortale. De aliis circumstantiis consulendum, hîc & nunc, prudens judicium.

Ex quibus non est difficile assignare disparitatem inter circumstantias aggravantes, & minuentes, ac solvere objectiones. 225.

Adverte tamen Primò, sæpè prudenter explicari etiam minuentes, ut Confessarius pleniùs cognoscat statum pœnitentis; imò aliquando necessariò per accidens, v.g.

v. g. ignorantiam esse mortalem, non crassam, quia hæc excusat à censuris inflictis peccantibus scienter, temerè, aut ex præsumptione, ut dicam libr. 5. cap. 1.

226. Adverte Secundò, teneri quidē pœnitentem sic confiteri, ut Confessarius possit de quantitate criminum rectè censere, adeoque hunc debere attendere, & esse instructum sufficienti doctrinâ ad rectè censendum; omnino tamen valere absolutionem, & quidem directam, etsi vel ille sine obice peccati mortalis præ inadvertentiâ non tam exactè confiteatur; vel hic suâ culpâ non rectè censeat, aut censere possit, idque juxta communem satisque securam sententiam, contra Silvestrum & Victoriam, etsi ne quidem discernat mortale à veniali.

Valet absolutio etiam directa, etsi Confessarius malè intelligat aut judicet.

Unde sequitur, etsi postea constaret Confessarium malè judicasse de peccatis, non debere ea iterum explicari; secùs, si constaret aliqua nullo modo intellecta: quia tunc habenda essent quasi non dicta, & remissa tantùm essent indirectè. Id tamen pœnitens non debet facilè credere.

227. Addiderim, nec pœnitentem debere posteà explicare circumstantiam inadvertenter omissam, etsi notabiliter aggravantem: quia si ipsum peccatum confessus sit, nihilo minùs ab eo directè fuit absolutus, secùs quàm à peccatis nullo modo explicatis. Major autem pœnitentia, quæ ob illam fuisset imposita, non est tanti momenti, ut ideò peccatum jam directè remissum, secundò debeat subjici clavibus. Aliàs ob eamdem causam deberet secundò explicari circumstantia semel explicata, sed non intellecta à Confessario.

Non debet repeti circumstantia inadvertenter omissa, etsi notabiliter gravans.

Ex dictis collige, similiter mutari prudens judicium conscientiæ de actibus bonis, scilicet propter circumstantias notabiliter augentes, vel etiam minuentes eumdem bonitatem: sed de illis, hæc doctrina parum utilis est ad praxim. 228.

CAPUT XXIV.

Quomodo varietur judicium conscientiæ circumstantiâ finis?

Finem huic libro imponam hoc capite de fine, significato per, *Cur*: de quo est peculiaris, nec inutilis difficultas paucis hîc expedienda, eaque triplex. Prima, an actus in finem extrinsecum relatus hoc nomine habeat peculiarem bonitatem? Unde item constabit, quâ ratione finis sit circumstantia. Secunda, an intentio boni finis sit mala propter malum medium? Tertia, an electio mali medii sit bona propter bonum finem? 229.

Quoad primam, nota peculiarem esse difficultatem de actu interno bono. Dixi, Interno, quia hic

hic intrinsecè liber est, adeoque moralis; externus tantùm extrinsecè moralitatem, ut libertatem, participat ab interno. Quare communis sententia est, externum imperatum habere bonitatem etiam à fine extrinseco, ad quem dirigitur, v.g. si velis esse temperans, ut placeas Deo; actus externus temperantiæ erit charitatis, cujus interno actu imperatur. Quod item verum esset, etsi idem actus externus etiam imperaretur à virtute temperantiæ: quo casu idem externum opus sortiretur duplicem bonitatem ratione duplicis actûs interni, quo imperaretur, & duplicis objecti ac finis; unius intrinseci temperantię, alterius extrinseci charitatis.

Actus externus habet bonitatem à fine extrinseco.

230. Dixi, Bono: quia de malo dubium non est, quin non solùm ratione finis intrinseci, qui simul est objectum, sed & extrinseci, ad quem ulteriùs dirigitur, malitiam participet: ut si quis furetur ad mœchandum, non tantùm furtum externum habet duplicem malitiam, furti & adulterii, sed & internum, seu volitio eo fine furandi. Quia, ut actus malus habeat aliunde malitiam, non debet hæc directè & propter se intendi, sed tantùm indirectè. Quæ ratio, ut ex dictis constat, cessat de actu bonų. De quo

231. Dico Primò: Actus bonus internus imperatus non habet bonitatem, nisi à fine intrinseco. Est D. Thomæ 1.2. quæst. 18. art. 6. Cajetani, Conradi, Vasquez, & communior contra Medinam ibidem, Salas, & quosdam alios.

Actus bonus internus non habet bonitatem, nisi à fine intrinseco.

Probatur: Actus non potest habere bonitatem à fine, in quem nullo modo tendit, ut clarum est ex dictis suprà: actus verò internus bonus nullo modo tendit ipse in finem extrinsecum; sed alio tantùm actu eò dirigitur. Unus enim actus tantùm potest habere unam rationem formalem, ac motivum, à quo specificetur physicè & moraliter. Cùm ergo illud sit finis intrinsecus, impossibile est, ut idem actus tendat, scilicet directè, in aliam honestatem, aut finem extrinsecum: sicut impossibile est, eumdem actum habere duplicem naturam physicè.

Confirmatur ut suprà dictum; bonitas actûs nil aliud est quàm ipse actus, & tendentia in objectivam honestatem directa & expressa; secùs quàm malitia, ad quam sufficit tendentia indirecta & interpretativa: atqui hîc tantùm est unus actus & tendentia directa: ergo & unica bonitas.

Aduerte tamen, finem intrinsecum, & motivum hujus actûs, Volo esse temperans ut placeam Deo, non esse honestatem temperantiæ, sed charitatis: quod significat particula, Ut: honestas ergo tēperantiæ, sive moralis & formalis, sive objectiva ac materialis, induit rationem objecti materialis. Quare totus ille actus est charitatis, ad cujus 232.

Motivum actûs: Volo esse temperans ut placeam Deo, est charitatis.

jus amplitudinem & dignitatem peculiariter spectat aliis virtutibus imperare, sibique eum in modum subordinare: quamvis aliis etiam virtutibus id sæpè conveniat, v. g. castitati, si dicas, Volo esse temperans, ut sim castus. Similiter si dicas, Volo esse temperans, ut placeam hominibus: esse temperans, est objectum materiale; ut placeam hominibus, formale: quare totus actus est inanis gloriæ. Ratio à priori sumitur ex Aristotele, & D. Thoma cit. cap. 7. in objectione; quia, ut quis agat justè ac temperatè, scilicet eliciendo actus internos earum virtutum, non sufficit agat justa & temperata, sed debet ob ipsa agere sistendo intra limites, v. g. temperantiæ, hujusque motivo. Quæ ob eamdem causam vera sunt, etsi velis ipsam honestatem temperantiæ secundùm se quidem, sed non propter se; quæ proinde transibit tunc in rationem materialem.

233. *Actus internus unius virtutis potest imperari ab alio.* Ubi suppono, omnino posse actum etiam internum, v. g. temperantiæ, imperari ab alio, v. g. charitatis, in exemplo allato: quod immeritò aliqui putant negari ab auctoribus hujus sententiæ. Tantùm dico, actum illum tunc sortiri honestatem temperantiæ, cùm sequitur severà, non cùm imperatur, idque à fine sibi intrinseco temperantiæ: sicut actus imperans charitatis à fine sibi intrinseco charitatis.

Ex dictis collige, quemadmodum actus internus imperatus non participat honestatem imperantis; ita Primò, nec hunc vicissim participare honestatem illius, in exemplo allato, amorem Dei, temperantiæ; quia actus vterque habet moralitatem, libertatem ac motivum suum distinctum. Aliàs actus charitatis deberet participare malitiam vanæ gloriæ, cujus similiter esset occasio. 234. *Actus interni imperans, & imperatus, non communicant honestatem.*

Secundò, neque actus imperantem & imperatum debere sibi respondere aliis conditionibus, v. g. fervore, & intensione. Quare actus imperans potest esse valdè intensus & fervens, imperatus languidus & remissus: ut sæpè contingit piis & ferventibus propositis, quorum tamen exsecutio est languida. Ita etiam contrà potest actus imperatus esse fervens, etsi imperans fuerit languidus. Ratio eadem est diversa eorum libertas, & moralitas.

Collige Tertiò, finem intrinsecum respectu actûs interni non esse propriè circumstantiam, sed motivum & objectum, seu rationem formalem, etsi remotus dici possit comparatus cum objecto materiali, quod propiùs videtur attingi: cujus proinde, actûsque externi est circumstantia, v. g. motivum placendi Deo, temperantiæ: quæ honestatem cha- 235. *Finis intrinsecus actui interno propriè nõ est circumstantia.*

charitatis aliàs sibi extrinsecam participat ab interno, ut moralitatem.

236. Dices: Ex dictis sequitur, omnes electiones quorumcumque tandem mediorum, si tendant ad eumdem finem, ceteris paribus, esse æquè bonas, v. g. esse æquè bonum & meritorium semel ad Dei gloriam velle movere pedem, quàm eodem fine & intentione velle mortem subire.

Respondeo negando consequentiam; quia etsi actus internus ob rationes dictas non habeat specificam bonitatem, nisi à fine intrinseco; habet tamen in eâdem specie intensiorem & quasi substantialem, etiam à mediis, objecto, & materiâ: quo ex capite multò melius est velle mortem subire ad Dei gloriam, quàm movere pedem. Similiter crescit bonitas aliis quoque circumstantiis, ut dignitate personæ operantis, intensione, ac majori libertate: ob quas idem actus recto conscientiæ judicio est magis approbabilis, ac laudabilis. Quod ipsum docet D. Thomas 1. 2. quæst. 19. art. 2. à multis malè intellectus, scilicet bonitatem actûs interni pendere à solo objecto, scilicet integrè constituto etiam fine intrinseco. Addit tamen, circumstantias habere se per accidens, ideoque reducendas ad id quod est per se, scilicet ad objectum, seu objectivam ac specificam bonitatem, sensu & ratione dictâ.

Ex quibus etiam intelligitur quod ex Aristotele docet D. Thomas quæst. 18. art. 6. illum qui furatur ut committat adulterium, magis esse adulterum, quàm furem. Quia finis hic intrinsecus, à quo desumitur primaria ac specifica bonitas, & erga quem verè is potissimùm afficitur, est adulterium, non furtum, quod est tantùm objectum materiale. Quâ item ratione actu bono qui vult esse temperans, ut placeat Deo, magis amat Deum, quàm exercet temperantiam: & qui vult esse temperans, ut sit castus, magis est castus, quàm temperans. Imò, hic exercet actum internum solius charitatis, vel castitatis; externum temperantiæ. Unde colligitur contra mentem Aristotelis, D. Thomæ, & rationem, ab aliquibus uni specie, imò numero ejusmodi bono actui concedi duplicem specie moralem bonitatem; scilicet charitatis vel castitatis, & temperantiæ: unico enim actui bono tantùm potest competere unica bonitas, scilicet ejus virtutis, à quâ elicitur, in exemplo dicto charitatis, vel castitatis. Atque hæc sufficiunt de primâ difficultate propositâ. Circa secundam 237. *Qui furatur, ut cõmittat adulteriũ magis est adulter quã fur.*

238. Nota intentionem rei bonæ esse quadruplicem, à quadruplici modo attingendi media. Primò, potest quis intendere, v. g. largitionem elee-

eleemosynæ per aliqua media, simpliciter & indefinitè. Secundò, per media in confuso, & ita efficaciter, ut paratus sit quodvis potiùs medium adhibere, sive licitum sive illicitum, quàm eleemosynam non largiri. Tertiò, per media honesta, vel dando sua, vel licitè procurando aliena, quæ dentur. Quartò, per media illicita, furtum, vel rapinam.

239. Dico jam Secundò: Intentio secundo & quarto modo inficitur à circumstantiâ mali medii, ideóque mala est. Primo & tertio modo à nullo inficitur, ideoque bona est. Est re communis, etsi aliqui paulò aliter loquantur. Prior pars de secundo & quarto modo probatur, quia malum est ex singulis defectibus. Itaque ad malam intentionem sufficit unicus defectus, quòd sit per malum medium, v. g. dandi eleemosynam per furtum; obtinendi beneficium per simoniam; sive hæc distinctè attingantur, sive confusè. Ratio ulterior est, quòd eo ipso, quo intentio quomodocumque attingat medium malum, sit ejusdem indirecta volitio, quæ non potest non esse mala.

Dupliei modo inficitur intẽtio finis à malo medio; dupliciter nõ inficitur.

240. Probatur posterior pars, de primo & tertio modo; quia in neutrâ illâ intentione est aliquis defectus, cùm sit rei bonæ in se, ut supponitur, & per medium bonum, vel non malum: nec alia circumstantia afferri possit, quæ illam inficiat. Ac de tertio quidem modo nulla potest esse difficultàs, ut clarum est: nec de primo, quia, etsi attingatur medium tantùm indefinitè, nec determinetur illud ad bonum; quia tamen neque determinatur ullo modo ad malum, nulla hîc est mala circumstantiâ, neque indirecta mali volitio: ergo etsi à medio non habeat bonitatem, quam habet à fine, neque tamen habebit malitiam: quod sufficit. vide dicta cap. 17.

Neque refert quòd occasione ejusmodi intentionis, præsertim primo modo, sequi possit mala electio; quia hoc fit per accidens, non per se vi intentionis, quæ proinde manet illæsa. Quemadmodum in vero syllogismo ex vero principio, imò articulo fidei, potest per accidens ratione alterius præmissæ falsæ, inferri conclusio falsa. 241.

Illud Matthæi 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere*; intelligendum de quavis bonâ intentione, imò voluntate, quatenus tendit in objectum bonum, & dirigit actus externos, juxta August. in Enchiridio cap. 15. & D. Thomam qu. 20. art. 2. ad 1. ut sensus sit, nullam arborem, id est voluntatem bonam, malos fructus, id est mala opera externa, facere, scilicet per se. Ut & contrà eodem sensu non potest arbor mala, id est voluntas mala, bonos fructus facere: quia, ut sæpè dictum, voluntas interna ipsam 242.

suam moralitatem, bonitatem, vel malitiam diffundit in actum externum. In idem recidit, si per arborem ipsum hominem intelligas, scilicet præditum bonâ voluntate.

243. De tertiâ difficultate initio propositâ,

Electio mali medii bono fine mala est.

Dico Tertiò: Electio mali medii bono fine mala est; minùs tamen, quàm si bono fine non fieret. Est communis, etsi Almainus tract.1. mor. cap.12. dicat contrariam posteriori parti fuisse cōmunem suo tempore inter Doctores Parisienses.

Probatur prior pars ratione præcedentis conclusionis, quæ est D. Thomæ qu.19 art.7.ad 3.ut electio mala sit, sufficit unicus defectus, qualis est in casu proposito, & quidem electioni intrinsecus, esse mali medii. Unde rectè infert D. Thomas, voluntatem, ut bona sit, debere esse boni, & propter bonum finem.

244. Dices, Matth. 6. dicit Christus: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*, id est, si intentio recta fuerit, omnia opera quæ secundùm eam facta, bona erunt; ut illum locum explicat Augustinus, aliique. Imò auctor operis Imperfecti hom.19.in verba citata superiori conclusione, extendit illud ad opera mala, & Abbas Ioseph apud Cassianum collat. 17. c.17.ac sequenti, ad mendacium.

Respondeo: Verba illa Christi, eodem modo explicanda, quo alia jam explicata; ut simplex oculus sit bona intentio, vel voluntas, corpus opus externum: quod omne necessariò lucidum est, ac perfusum morali luce bonitatis, si dirigatur simplici oculo bonæ voluntatis. Quod universaliter verum est juxta sæpiùs dicta; etsi opus externum de se esset materialiter malum, modò invincibiliter incognitum. Cujusmodi ignorantiâ probabiliter excusatus fuit Moyses occidens Ægyptium; & obstetrices mendacio tegentes Iudæorum infantes. Quo modo benignè explicandi sunt auctores citati, etsi ampliùs videantur dicere, scilicet auctor Imperfecti; quòd bonum propositum excuset opus malum. Contra Apost. ad Rom.3. quòd non sint facienda mala ut eveniant bona; & Abbas Ioseph, quòd bono aliquando fine liceat mentiri. Quod item sensit Plato. Quem errorem impugnat Augustinus toto libro de Mendacio ad Consentium.

Probatur jam posterior pars: 245.
Primò, ex eodem Augustino cit. c.8. *Pejor est*, inquit, *qui concupiscendo, quàm qui miserando furatur.*

Secundò, ratione: quia velle malum, simpliciter malum est & velle malo fine, item malum est: ergo actus cui inest malitia ex hoc duplici capite, pejor est illo cui tantùm ex unico; quòd videlicet sit volitio mali, sed non malo fine.

Confirmatur: quia v. g. furtum volitum propter se magis voluntarium

rium eſt, quàm volitum propter aliud. Nam voluntarium eſt duplici ratione, & quatenus volitum ſimpliciter, & quatenus propter ſe volitum. Quare item in furto ſic collecta eſt tota malitia objectiva, ut & libertas ac conſideratio, aliàs diviſa.

Unde conſtat, non referre, ſítne hic finis intrinſecus, vel extrinſecus: nam & intrinſecus auget malitiam, etſi intra eamdem ſpeciem, quam extrinſecus extendit ad novam.

246. Objicies: Si malitiam malæ electionis bonus finis minuit: ergo melior magis minuet, & ſic aſcendendo totam tandem exhauriet.

Bonus finis minuit malitiam electionis, nō quatenus bonus, ſed non malus.

Reſpondeo negando ſequelam, quia quòd bonus finis minuat malitiam, non fit præcisè quia ille bonus, ſed quia non malus. Hæc autem cauſa, ſeu non malitia ut ſic, non intenditur, ideoque nec effectus ejus augetur; qui eſt præcisè non augere malitiam, ut colligitur ex ratione allatâ. Unde ſequitur, æquè malum eſſe furari calceos ut des pauperibus, quàm ut ipſe iis ambules.

Addo tamen, per accidens aliquando meliorem finem magis 247. minuere malitiam electionis, quatenus majore ſui deſiderio impedit conſiderationem mali medii, adeoque circa hoc libertatem. Quòd ſi illam omnino tolleret, fateor exhauriendam ſic totam malitiam. Quâ ratione vehemens ſubinde virtutis zelus excuſat in probis opera aliàs mala. Quod non improbabiliter aliqui dicunt de Samſone interficiente ſeipſum ex zelo puniendi inimicos ſuos Deique.



LIBER TERTIUS

De conſcientiâ Probabili.



OSTQVAM *ſuperiori libro actum eſt de conſcientiâ rectâ, hoc agendum de probabili, quæ proximè illam ſequitur, etiam ordine dignitatis. imò aliquando ab eâ non differt. Sumitur autem hîc conſcientia ut ſuperioribus libris, non tantùm pro dictamine practico, qualis eſt intrinſecè; ſed etiam pro ejus fundamento, opinione, ſeu cognitione ſpeculativâ, qualis eſt extrinſecè. Vtroque enim ſenſu dicitur, & verè eſt probabilis. Ita conſcientia probabilis dicitur non tantùm judicium, quo probabiliter puto me non debere rem aliquam reſtituere; ſed etiam opinio, quâ credo probabiliter valere contractum, quo eam acquiſivi. Quia verò conſcientia & opinio probabilis ſignificat quidem aſſenſum determinatum alterius partis contradictionis, ſed cum aliquo dubio ſeu formidine de oppoſito; non differt à conſcientiâ dubiâ latè ſumptâ, ſcilicet poſitivè & opinativè. De dubiâ enim ſtrictè ac propriè ſumptâ, ſcilicet negativè & ſuſpenſivè, agendum ſequenti libro. Speciatim explicanda hîc potiſſimùm eſt natura, atque etiam officium, & privilegium conſcientiæ probabilis; ac deinde quinam ſe illi conformare poſſint ac debeant.*

CA-

CAPUT I.

Qui sint gradus ac qualitates opinionis seu conscientiæ?

1. Olet iis affici seu qualificari non tam conscientia, quàm opinio & propositio. Quia verò jam constat opinionem, adeoque etiam propositionem, esse conscientiam, & huic reverà eadem conveniunt, nec tantùm sumptæ pro cognitione speculativâ, sed & dictamine practico: ita non tantùm opinio & propositio, sed etiam conscientia dicitur probabilis, vel improbabilis; eâdemque ratione dici etiam potest Catholica, vel hæretica; temeraria, vel sana, ceterisque affici qualitatibus propositionum. Imò ab Innocentio III. cap. *Inquisitioni*, de sententiâ excommunicat. dicitur, non opinio, sed conscientia ac credulitas temeraria, & probabilis. Itaque majoris claritatis, & plenioris doctrinæ gratiâ, antequam explicem quæ conscientia seu opinio sit probabilis, & improbabilis, paucis declarabo juxta mentem modumque loquendi communiorem Doctorum, alios ejusdem gradus ac qualitates, præsertim propositionis damnabilis, quæ potissimùm iis notari solet.

Etiam cõscientiæ competunt sui gradus ac qualitates.

Quæ propositionis censura.

Nota ergo Primò, qualitates seu censuras propositionis damnabilis præcipuas esse, quòd sit hæretica, erronea in fide, sapiens hæresim, vel de hæresi suspecta, malè sonans, ac piarum aurium offensiva, temeraria, blasphema, seditiosa, scandalosa, & injuriosa. Quæ ferè desumpta sunt ex Concilio Constant. sess. 8. damnante propositiones Wiclef, & sess. 15. quâ damnat propositiones Ioannis Hus, atque ex Bullis Pii V. & Gregorii XIII. damnantium propositiones aliquas Catholici Doctoris. De iisdem agunt Doctores Scholastici in 4. dist. 13. vel in 2. 2. D. Thomæ quæst. 11. Castro lib. 1. de Iustâ hæreticorum punitione cap. 3. Gerson alphabeto 14. Corduba libr. 1. Quæst. Theolog. quæst. 17. Canus libr. 12. de Locis Theologicis à c. 8. Suarez de fide disp. 17. sect. 2. & alii alibi. Infima ac minima censura est, quam omnes aliæ supponunt, quòd propositio sit improbabilis, etsi ea aliis annumerari vix soleat.

Nota Secundò, etiam propositioni, seu conscientiæ irreprehensibili convenire gradus ac qualitates suas; quòd sit Catholica seu fidei, proxima fidei, vel eam sapiens, sana, ac denique probabilis.

Dico jam Primò: Propositio hæretica est, quæ repugnat veritati à Deo revelatæ. Est reipsâ communis. Quamvis enim aliqui ad eam requirant pertinaciam, id intelligendum est de formali hæresi, quâ quis verè coram Deo sit hære- 2.

Quæ propositio hæretica.

ticus,

ticus, priveturque infusâ fide; non autem requiritur ad hæresim materialem, à qua propositio denominatur & damnatur tamquam hæretica, à quocumque prolata, ut bene docent juxta communem, Corduba & Suarez citati. Ratio est, quia ex eo quòd res est, vel non est, propositio vera est vel falsa: ergo etiam Catholica vel hæretica: quia res significata est à Deo revelata, vel illi contraria, etsi à nullo crederetur vel discrederetur. Unde apparet propriè distingui hæresim, id est peccatum formale hæreseos, à propositione hæreticâ, quæ talis manet, etsi à Catholico proferatur: quamvis & hæc dicatur sitque hæresis; latè loquendo, scilicet materialis.

3. *Omnis hæresis æquè falsa.* Ex dictis collige cum Suarez citato nu. 1. propriè item loquendo non esse distinguendos varios gradus ipsius hæreseos. Cùm enim omnis repugnet revelationi ac auctoritati divinæ, æquè infallibili, sive in minimis, sive in maximis, omnis æquè falsa est & hæretica: quare etiam omnis, si accedat pertinacia, destruit, privatque totâ fide. Quibus tamen non obstat, quin juxta aliquos distingui possint diversi quasi gradus hæreseos, non ratione auctoritatis divinæ negatæ, quæ simplex est, sed propositionis seu applicationis, quæ est multiplex. Vel enim est per Scripturam, vel definitionem Ecclesiæ, vel traditionem Apostolorum: vel etiam ratione materiæ, quæ vel propter se revelata sit tamquam necessaria ad finem æternæ salutis, (ut incarnatio & passio Christi,) quæ proinde sit fidei directè & primariò: vel tantùm per accidens ratione aliûs (ut passio Christi, sub Pontio Pilato) quæ proinde sit tantùm fidei indirectè & secundariò. Iuxta quam diversitatem fidei distingui posset diversitas hæresis. Quot enim modis distinguitur unum oppositorum, tot modis distingui potest aliud.

Adverte tamen Primò, ut aliquid fidei sit, ejusque negatio hæresis, sive sensu dicto per se, sive per accidens; vel directè, sive indirectè; debere secundùm se & immediatè, etsi confusè, à Deo verè privatim aut publicè revelatum esse. Quo modo cùm definitum est, totam Scripturam, ejusque singulos libros canonicos esse, definitum quoque est, singula ejus capita, ac periodos tales esse: quia sub Scripturâ comprehenduntur tamquam partes sub toto. Non sufficit autem ex articulo fidei deduci posse, etsi necessariò. Hoc enim est scientiæ, non fidei theologicæ, ut jam dicam. Iuxta quæ explicandus est D. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 5. & quæst. 11. art. 1. & 2. 4. *Vt quid sit fidei, debet immediatè esse à Deo revelatum.*

Adverte Secundò, non facilè privatum Doctorem aut concionatorem debere damnare propositionem aliquam hæreseos: est enim hæc censura omnium gravissima, 5. *Non facilè damnanda propositio hæreses.*

sima, & ab omnibus aliis levioribus deinceps explicandis distincta. Quare non sufficit ut ipsi videatur illa repugnare Scripturæ, vel definitioni Ecclesiæ aut Concilii, nisi hoc ejus judicium confirmetur communi Patrum ac Doctorum consensu. Unde sequitur, si aliqui Patres ac Doctores eam propositionem asseruerint, aut Scripturam, cui videtur repugnare, explicuerint sensu licet reverà improbabili, nec eo nomine damnati sint; propositionem non esse censendam hæreticam, sed improbabilem, vel dignam aliâ censurâ, juxta sequentes conclusiones.

6. *Quænam erronea?* Dico Secundò: Propositio erronea, vel error in fide est, quæ repugnat conclusioni Theologicæ certò & necessariò deductæ discursu naturali ex unâ præmissâ fidei, & alterâ notâ lumine naturæ: qualis vulgari exemplo est: Christus est risibilis. Itaque erronea erit: Christus non est risibilis.

Probatur & explicatur juxta communiorem loquendi modum. Quia Concilia & Pontifices agunt de propositione erroneâ tamquam distinctâ ab hæreticâ. Nec enim videtur probabile, in re tam seriâ uti tam diversis & gravibus verbis, tantùm ad ejusdem rei exaggerationem. Quia tamen proximè hæresi subjungitur, constat ad illam proximè accedere. Nulla autem alia ad illam propiùs potest accedere, ut clarum est: quare foro externo præsumitur, etsi non necessariò sit hæretica. Verè enim posset quis negare Christum, etsi creditum hominem, esse risibilem; vel quia nesciret omnem hominem talem esse; vel quia caperet sequelam de Christo in particulari. Hoc vel simili sensu contra Illuminatos ab Inquisitoribus tamquam erroneæ damnatæ sunt, ut refert Corduba, propositiones sequentes: Quòd actus exteriores, aliarumque virtutum non sunt necessarii, si in corde habentur: imò quòd sunt actus imperfectorum. Item, quòd non est bonum producere in processionibus imaginem Dominæ nostræ. Item, quòd non est ploranda passio Domini nostri. Item, quòd in *Memento* non debet sacerdos specialiter aliquid petere à Deo. Item, quòd non est bonum legere libros sanctos pro spirituali animæ consolatione. Quæ & similes verè repugnant conclusioni, quæ deduci potest, v.g. ex articulo fidei de Deo ac Sanctis colendis, & naturali lumine de modo id faciendi humano.

Adverte hîc, propositionem erroneam, vel errorem, etymologicè significare quamvis falsam. Quo sensu, lib. 5. agemus de conscientiâ erroneâ. Communi tamen loquendi modo receptum est, ut per quamdam antonomasiam significet falsum non quodcumque, sed certò & evidenter tale. Ita in Philosophiâ, erronea propositio dici- 7. *Diverso sensu dicitur propositio erronea.*

 tur,

tur, quæ repugnat certis & receptis ejus principiis, non tantùm probabilioribus. Simili ergo sensu dicetur erronea in materiâ fidei, seu doctrinâ sacrâ. Imò per novam antonomasiam propositio simpliciter erronea hanc tantùm designat. Quia tamen aliàs erroris nomen generale est, eo aliquando significatur etiam ipsa hæresis verè maximus error; etsi simpliciter sumptum, communiori usu ad certam erroris speciem illâ inferiorem determinatum sit, ut dixi.

8. *Quæ propositio sapiens hæresim?* Dico Tertiò: Propositio sapiens hæresim est, quæ repugnat conclusioni, seu propositioni verisimiliter, sed non certò, ex principiis fidei deductæ; vel quia tantùm illa verisimiliter sunt fidei; vel quia tantùm ex iis verisimiliter sequitur. In idem recidit, si dicas cum Suarez esse eam, ex quâ aliísve principiis similiter deducitur hæresis.

Probatur & explicatur eodem ferè modo quo præcedens conclusio: quia ex Concilio citato, Pontificibus ac Doctoribus constat, hanc censuram distingui à præcedenti, propè tamen ad eam accedere. Quod convenientiùs explicari non potest.

Ejus generis propositio videtur: Beata Virgo non resurrexit, seu non est assumpta in cælum, etiam corpore: contrarium enim nusquam apertè definitum est, etsi communi Ecclesiæ & Doctorum sensu traditum. Similis propositio ante Tridentinũ fuit: Beata Virgo peccavit venialiter. Ob eamdem causam, ejusmodi etiam videtur hæc propositio: Non dantur habitus supernaturales, & infusi: quam aliqui damnant tamquam erroneam, imò simpliciter hæreticam.

Huc etiam reducenda videtur propositio suspecta de hæresi, nisi quòd suspicio videatur connotare, & desumi ex aliis etiam circumstantiis personæ, loci & temporis; non ex solis verbis propositionis. Cujus farinæ propositiones sunt: Non sunt curandæ historiæ & vitæ Sanctorum, quas Ecclesia legit in Officio divino: neque credenda eorumdem miracula & revelationes. Item hoc tempore: Fides justificat; quæ propositio ante hujus temporis hæreses absque suspicione proferri poterat. 9.

Dico Quartò: Propositio malè sonans, & piarum aurium offensiva est, quæ etsi cum modificatione bonum sensum habere possit, absolutè tamen prolata malum, peregrinum, atque à Christi fidelium sensu alienum reddit. Hujusmodi propositiones sunt: Deus auctor est mali: quod tamen verum est de malo pœnæ. In divinis, Pater est major Filio; Christus est creatura, & servus Dei. Quæ tamen veræ sunt de humanitate Christi. Similis propositio est: Christus quotidie peccat: quæ etsi proprio sensu, 10. *Quænam malè sonans, & piarum auriũ offensiva?*

meritò

meritò damnetur ut erronea à Concilio Basileensi; metaphorico verè intelligi potest de Christo mystico, seu membris Christi, id est, Christi fidelibus. Ejusdem rationis est hæc propositio: Impertinens est ad Christianam perfectionem manducare vel non manducare carnes; gestare hunc vel illum habitum, & similes.

11. *Quæ temeraria?* Dico Quintò: Propositio temeraria est, quæ in materiâ fidei aut sacrâ doctrinâ contra communem Patrum ac Doctorum sententiam, vel absque evidenti causâ ac ratione, vel absque sufficienti auctoritate asseritur. Id enim per se apparet esse temeritatis, & nimiæ audaciæ. Dixi: In materiâ fidei, quia in re merè philosophicâ non videtur mereri hanc censuram, qui aliquid affirmat posteriori tantùm modo; secùs quàm etiam priori. Quod probatur auctoritate D. Augustini Enchirid. cap. 21. & refertur 22. quæst. 2. cap. *In quibus rebus nil interest ad capessendum Dei regnum, utrùm credantur, an non; & utrùm vera sive sint, sive putentur, an falsa: in his errare, id est aliud pro alio putare, non arbitrandum est esse peccatum; aut si est, minimum esse atque levissimum.* Dixi, Absque evidenti causâ, quia non repugnat recentiorem Theologum invenire evidens aliquod vel argumentum, vel canonem, aut legem ab antiquioribus non expensam, pro novâ sententiâ, ideò non temerariâ: nisi autem sit evidens, minimè præsumendum est antiquos absque sufficienti ratione ac fundamento in eam sententiam conspirasse. Exempla propositionum temerariarum sunt: Intra centum annos mundus peribit; Aliqui Sancti prçter B. Virginem fuerunt immunes ab originali peccato; Aliqui certi certò sunt prçdestinati; Hæc hostia exposita non est adoranda, quia non consecrata. Eamdem censuram videtur mereri sententia, quòd Pontifex possit errare in approbatione Ordinum, & canonizatione, imò & beatificatione Sanctorum. Huc etiam reducendæ, quibus in re morali probaretur contractus, communi Doctorum ac peritorum judicio reprobatus. Eôdem pertinent variæ de rebus similibus prophetiæ, ac revelationes: non tamen piæ devotorum contemplationes, etsi non satis solidæ, de vitâ ac passione Christi ac Sanctorum. Aliud enim est quidpiam meditari tamquam verisimile, aliud asserere, & promulgare tamquam certum.

Dico Sextò: Propositio blasphema est, quæ Deo vel in se, vel Sanctis, aut re sacrâ, imò qualibet, quatenus ejus creatura, contumeliosa, idque sive proferatur per modum maledictionis, irrisionis, convicii, detractionis, juramenti, vel execrationis. Ejusmodi sunt hæreticorum nostri temporis: Deus est auctor peccati; Christus in cruce 12. *Quæ propositio blasphema?*

desperavit; Non est adorandam sacrosanctum Sacramentum; Sancti non sunt colendi, nec juvare possunt suos clientes; Reliquiæ eorum nullo honore afficiendæ, & similes.

13. Adverte insuper, propositionem seu locutionem blasphemam, non debere esse falsam. Ita blasphemant, qui indignabundè nominant vitam Dei, Sacramenta, vulnera aut membra Christi, vel Sanctorum, & qui diceret: Utinam Deus nesciret mea peccata! aut: Velit, nolit Deus, hoc faciam.

14. *Quæ seditiosa?* Faciliùs intelliguntur censuræ aliæ, v. g. Propositio seditiosa est, quæ parat viam seditionibus, vel in corpore politico; ut, Quilibet licitè occidit tyrannum; vel in corpore Ecclesiastico; ut, Papa non potest infallibiliter definire extra Concilium; neque est superior Episcopo, neque hic sacerdote.

Quæ scandalosa? Scandalosa, quæ occasionem ruinæ præbet auditoribus, etsi vera; ut si narrentur incommoda secuta ex confessione, peccata occulta Prælatorum, &c. vel etiam quæ impedit turbatque devotionem fidelium probabili saltem fundamento nixam; ut, si quis prædicet non valere has vel illas Indulgentias; nec esse veras reliquias quæ tales coluntur.

Quæ injuriosa? Injuriosa dicitur respectu communis congregationis, vel etiam personæ, præsertim in dignitate constitutæ, cujus fama injustè lædatur. Ita toti generi humano injuriosa est hæc hæreticorum propositio: Omnia hominum, etsi justorum, opera verè sunt peccata.

Quæ periculosa? Periculosa, quæ dicitur absolutè quid licitum, quod vix sine peccato fieri solet, spectatâ fragilitate humanâ, v.g. Quòd possit quis solus cum solâ familiariter agere; absque jejuniis & pœnitentiis possit homo esse perfectus; non sit pugnandū contra malas cogitationes, modò iis non consentias; Quòd actus externi adorationum & cæremoniarum non sint necessarii, nec utiles ad perfectionem, cùm Deus spiritus velit adorari spiritu. Quas propositiones Illuminatorum testatur fuisse damnatas, ut periculosas Corduba. Periculosa in fide non videtur distingui ab erroneâ, sapiente hæresim, vel etiam in materiâ fidei, malè sonante. De propositione ac conscientiâ scrupulosâ agendum postea. Aliæ censuræ, quæ ab aliquibus usurpantur vel usurpari possunt, non egent explicatione.

15. *Quæ qualitates propositionis irreprehensibilis.* Ex dictis collige à sensu contrario, quæ sint qualitates propositionis irreprehensibilis. Catholica enim directè repugnat hæreticæ, estque quæcumque à Deo revelata est. Fidei proxima videtur opponi erroneæ. Nam quæ certo ex principio fidei deducitur, verè illi est proxima. Talis ergo erit, Christus est risibilis. Fidem sapiens opponi-

tur

tur sapienti hæresim; scilicet quæ verisimiliter deducitur ex articulo fidei, v. g. Beata Virgo resurrexit assumpta in cælum, etiam corpore. Sana videtur dicenda, quæcumque non est obnoxia dictis censuris, quasi propositionum morbis.

16. Adverte Primò, quamvis verisimiliùs, juxta communiorem Doctorum sensum, gradus prædicti sic explicandi sint, quatenus inter sese distincti; sæpè tamen non tam præcisè sumi, sed aliquos cum aliis confundi, ut, v.g. idem sit propositio erronea, & hæresim sapiens; idem fidei proxima, & fidem sapiens.

Eidem propositioni conveniunt qualitates diversæ. Secundò, eidem propositioni sæpè competere plures gradus, v.g. hæc, Pontifex est Antichristus; Cardinales, ejus ministri; Religiosi, ejus præcursores: sunt injuriosæ, seditiosæ, temerariæ, imò & hæreticæ, ut apparet in exemplis allatis. Similiter in Concilio Basileensi propositio: Christus quotidie peccat, damnatur tamquam erronea, scandalosa, & piarum aurium offensiva.

17. *Censura sæpè digna censuris.* Tertiò adverte, dictos gradus non tantùm quadrare in propositiones simplices; sed etiam modales, atque ipsas censuras capaces esse, & sæpè dignas censuris. Ita hæreticum est, propositionem Catholicam damnare hæreseos: & hoc ipsum per se, notare quamvis propositionem absque sufficienti ratione gravis censurâ, temerarium est, & injuriosum illi qui eam asseruit. Quare prudenter monet Suarez, prudentem ac timoratum Theologum diligentissimè observare debere, ut has censuras sine magno judicio non effutiat; quia aliàs peccabit graviter, non tantùm contra prudentiam, sed & conscientiam, charitatem, ac justitiam.

Superest explicandus infimus gradus propositionis damnabilis, quòd sit improbabilis; & propositionis irreprehensibilis, quòd probabilis; sed quia hoc magis spectat ad nostrum institutum, fiet paullò fusiùs sequenti capite.

CAPUT II.

Quæ sit opinio seu conscientia probabilis, & improbabilis?

SUppono, quamlibet propositionem affectam aliquâ explicatarum censurarum, esse etiam improbabilem, imò ideò plusquam improbabilem. 18.

Nota Primò, distingui solere opinionem, suspicionem, fidem & scientiam. *Quid hic scientia?* Scientia est assensus evidens & certus, adeò ut excludat formidinem de opposito, ac dubium. Ita l.2.ff. de aquâ, & aquæ pluviæ arcendæ, facti scientia dicitur, si factum esse non ambigatur. Ut autem hîc agimus de scientiâ morali, ita certitudo non debet esse nisi moralis, non metaphysica

aut mathematica. Imò addiderim, moraliter etiam dici scientiam, quemvis assensum certum, quamvis inevidentem; modò excludat formidinem de opposito, & dubium. Qui est clarus sensus legis citatæ: quâ agitur de notitiâ acquisitâ ex aliorum testimonio, additurque: *Nec utique necesse esse superesse qui meminerint; verùm etiam si qui audierint eos, qui memoriâ tenuerint*, scilicet ad facti scientiam. Ita sciunt, non opinãtur, Romam esse, etiam qui numquam eam viderunt; & dicimus nos certò scire, quæ certis nuntiis accepimus, cęterùm nobis obscura.

Quid fides? Fides ab aliquibus definitur assensus certus, quamvis inevidens, scilicet propter auctoritatem dicentis. Verùm, etsi id verum sit de fide Theologicâ, quæ innititur auctoritati divinæ infallibili; non tamen de fide humanâ ac morali, quæ nititur auctoritate humanâ fallibili: quare non est ratio, quin hæc significare possit assensum etiam incertum cum formidine de opposito. Quo modo experientiâ constat, nos plurima credere etiam in moralibus ob auctoritatem Doctorum unius vel plurium. *Quid quæ?* Unde sequitur, opinionem, quæ est assensus quilibet cum formidine de opposito, non opponi, sed esse sæpè fidem, seu credulitatem; quando nititur auctoritate, non rationibus desumptis ex naturâ rei; ut jam dixi etiam scientiam moralem non opponi, sed sæpè esse fidem. Itaque quivis assensus incertus est opinio, sicut quivis certus potest dici scientia, sive sit fidei, sive scientiæ strictè sumptæ.

Quid formido de opposito? Formido autem, quæ opinionem sequitur tamquam passio quædam, sita est partim in intellectu judicante actualiter, vel saltem virtualiter, fortè oppositum esse verum: partim in voluntate ideò idipsum metuente. Formidini opponitur firmitas, scilicet ex parte subjecti, quæ tamquam passio sequitur scientiam, seu assensum certum.

Quid suspicio? Suspicio significat etiam assensum incertum, sed tenuem cum magnâ formidine de opposito. Unde potest dici remissa opinio. Eadem aliquando dicitur scrupulus; sed impropriè. Propriè enim scrupulus non est assensus seu judicium, sed apprehensio: de quo agendum lib. vlt. quæ eo ferè modo bene explicat Corduba lib. 3. quæst. 2.

Nota Secundò, fieri non posse 19.
Idem non potest simul assentiri utrique parti contradictionis. ut idem intellectus eodem tempore assentiatur utrique parti quæstionis, seu contradictionis. Assensus enim est judicium quòd res sit vera; ut dissensus, quòd sit falsa: utraque autem pars contradictionis non potest esse, vel putari vera. Quod etiam verum est de assensu tenui, & remisso. Potest tamen ab eodem intellectu contradictorium ejus, quod putat esse verum, putari

pro-

probabile. Ita solemus variis argumentis rejicere sententias tamquam falsas, quas tamen fatemur esse probabiles.

20. *Idem est putare quid verũ & verisimilius.* Unde collige Primò, quia probabile idem est quod probabiliter verum; idem esse assentiri absolutè & inopinativè alicui tamquam vero, quod tamquam verisimiliori seu probabiliori. Quare bene consistunt hæc duo: Hoc est probabile seu probabiliter verum, sed oppositum probabilius; non consistunt autem hæc: Hoc est probabile, sed oppositum est verum, id est certum. Hoc enim ipso quo est probabile, oppositum non est certum. Unde etiam scientia, juxta dicta, excludit formidinem & probabilitatem oppositi, non opinio. Item bene consistunt hæc duo: Hoc est probabile, & similiter oppositum.

21. *Quæ dicatur opinio vera?* Collige Secundò, quænam dicatur opinio vera, scilicet, quæ apparet verisimilior. Falsa ergo erit minùs, vel non verisimilis. Atque ita sensus hujus propositionis: Opinio hæc est verior, quàm opposita; est, quòd sit verisimilior. Aliàs veritas absoluta sita est in indivisibili, nec admittit magis & minùs, ut & falsitas; sicuti suprà dixi de propositione hęreticâ. Quòd si non assentiremur opinioni quam sustinemus tamquam veram, eo sensu, scilicet ut verisimiliori, sed absolutè veræ; exponeremus nos continuo periculo errandi. Quia certum est sæpissimè veram non esse; est tamen verum, esse verisimiliorem, vel plerisque, vel nobis; ut de verisimili seu probabili dicam num. 63. quare saltem prudentiùs eo sensu assentimur.

Collige Tertiò, cùm Laiman tract. 1. de conscientiâ cap. 5. nu. 5. cùm una pars quæstionis tibi apparet omnibus consideratis probabilior, altera tantùm probabilis; non esse tibi liberum assentiri absolutè utrilibet, sed si velis assentiri, debere verisimiliori, necessitate quoad specificationem: potes tamen ab omni assensu intellectum cohibere, libertate quoad exercitium; vel alteri parti assentiri, non simpliciter, sed tamquam probabili; vel etiam affectione voluntatis applicare intellectum ad meliùs expendendas rationes illius, non oppositæ: quo fiat, ut de probabili fiat probabilior, & tunc ut tali assentiri absolutè. 22.

Respondeo nunc ad quæstionem propositam, & dico: Conscientia seu opinio probabilis est, quæ nititur ratione vel auctoritate gravi, seu magni momenti. addunt aliqui: Ita tamen ut oppositam nil convincat. Alii: Opinio quæ non est certa. Sed quamvis utrumque verum sit, & ad opinionem probabilem requisitum; neutrum tamen necesse est addere: quia comprehenditur satis sub genere definiti, id est, opinione, quæ etiam est assensus, 23. *Opinio probabilis est quæ nititur ratione vel auctoritate gravi.*

qualis

qualis esse non posset, si opposita convinceretur tamquam certa, juxta jam dicta; & tamen est adjunctus formidini de opposito, qualis esse non posset, si ipsa esset certa. Quo sensu conclusio reipsâ est communis, per se satis clara, juxta prudens & morale judicium; distinctiùs explicabitur & probabitur hæc conclusio sequenti.

24. *Auctoritas supponitur rationæ non destituta.* Antè tamen observa Primò, etsi hîc auctoritas, principium extrinsecum contradistinguatur, vel separetur à ratione, principio intrinseco; supponi tamen ac præsumi, auctoritatem ratione sufficienti non esse destitutam, (nisi, scilicet, contrarium probetur) etsi tibi ea non appareat. Itaque auctoritas verè nititur etiam ratione verâ vel præsumptâ; secùs quàm ratio auctoritate. Meritò tamen hæc assignantur tamquam diversa motiva & fundamenta probabilitatis; quia dum quidpiam credis ob auctoritatem verè, ipsa te movet ad assensum; non ratio tibi ignota. Sicut etiam dum aliquid credis alicui historicè narranti, te movet auctoritas dicentis, non rei veritas. Imò hanc ipsam credis propter illam.

25. *Non ideò opinio sit improbabilis, quia tu putas rationem pro opposità convincere.* Observa Secundò, quod rectè monent Vasquez 1. 2. disp.62. c.4. num.8. & Sanchez in Præcep.lib.1. cap.9. num.6. quamvis quis habeat argumentum pro opposità, quod ipse solvere nequit, & putat ab aliis insolubile; non ideo debere opinionem damnare improbabilitatis. Nam ut ab ejus solius judicio non pendet probabilitas, aut improbabilitas sententiæ; ita nec definitio an argumenta verè sint solubilia, nec ne. Nec enim novum est, facilè solvi ab aliis argumenta, quæ alicui videntur insolubilia. Verum tamen est quod docet Valentia 1.2. disp.2. quæst.12. punct.5. quæst.1. illum non posse censere opinionem probabilem, quamdiu firmiter sibi persuadet oppositam omninò insolubili argumento convinci. Non ideò tamen opinio ipsi improbabilis, desinet aliis esse probabilis. Ratio sumitur ex jam dictis, quia respectu ejusdem intellectûs non consistunt hæc duo; Quòd opinio sit probabilis, & opposita certa. Quæ ratio cessat respectu aliorum, qui oppositam non credunt certam. Verùm superest difficultas, quænam censeri debeat auctoritas, atque etiam ratio tanti momenti, ut opinionem reddere possit probabilem?

CAPUT III.

An & quâ ratione ad probabilitatem sententiæ sufficiat unius auctoritas doctis & indoctis?

DIco Primò: Opinionem probabilem reddit unius viri pii & docti auctoritas, scilicet juxta limi- 26. *Opinionē probabilē reddit*

unius pii & docti auctoritas.

limitationes paullò pòst addendas, quæ bene notandæ, ne quis hac sententiâ abutatur. Est Angeli verb. *Opinio*, num. 2. Silvest. ibidem quæst. 1. Navar. in Summâ cap. 27. num. 289. Azor lib. 2. cap. 14. initio tom. 1. Valent. 1. 2. d. 2. quæst. 12. §. 4. quæst. 4. Emanuel. Sa verb. *Dubium*, num. 3. Sanchez citat. n. 7. Granadi 1. 2. controv. 2. tract. 12. sect. 1. à num. 5. Laiman cit. num. 6. Bonacinæ de peccatis disp. 2. qu. 4. punct. 9. num. 1. Filiucii tract. 21. cap. 4. num. 134. Favet D. Thomas citandus.

Probatur: quia juxta prudens judicium auctoritas viri pii, qui dicat exteriùs quod interiùs dictat conscientia, & docti, id est, in ea materiâ de quâ sit quæstio, bene versati, non est levis, sed magni momenti. Ita unius viri fide digni auctoritas solet sufficere, ut credantur gesta in remotissimis mundi regionibus, aliàs nobis ignotissima: & in foro ac Jure civili unius testimonium sufficit ad semiplenam, seu verisimilem probationem. Duorum autem eodem, imò gentium jure, sufficit ad plenam probationem: quâ nimirum res habeatur non tantùm probabilis, sed certa. Quod indicat ipse Christus Matth. 18. ut *in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*: ergo similiter in re morali ac dubiâ, unius viri & pii & docti auctoritas debet censeri non levis, sed magni momenti, adeoque reddere opinionem, non certam, sed probabilem.

Confirmatur Primò: quia omnes Doctores citati præter alios, tanti eam auctoritatem æstimant, ut expresse asserant, eâ reddi opinionem probabilem. Unde apparet, ipsam conclusionem tot Doctorum auctoritate reddi plusquam probabilem.

Confirmatur Secundò: quia vir pius non debet censeri dicere vel docere aliud, quàm re judicat; nec doctus aliud, quàm intelligit, seu judicat prudenter. Imò faceret illi injuriam, qui aliud judicium de eo formaret: nisi contrarium aliunde constaret. Quando ergo hoc non constat, viri pii simulque docti opinio potest, imò debet, haberi reverà probabilis.

27. *Quæ ratio magni momenti?*

Ex dictis collige conformiter loquendo, eam rationem seu argumentum esse magni momenti, quod sufficit ad persuadendum uni viro sapienti, seu pio ac docto; seu quod ejus judicio aptum est rem efficaciter probare tamquam veram.

28. Ubi adverte Primò, aliud esse opinionem ab auctore asseri, vel argumento probari tamquam veram; aliud tamquam probabilem, ut constat ex prænotatis. Ut ratio, vel unius auctoritas sit gravis ac sufficiens ad probabilitatem opinionis, existimo hanc debere probari vel asseri tamquam veram, non tantùm tamquam probabilem.

lem. Quod etsi Doctores non exprimant, ea tamen videtur eorum mens. Simpliciter enim quis eam opinionem censetur docere, tenere vel asserere, quam dicit putatque veram. Quam enim putat tantùm probabilem, potest rejicere, & refutare tamquam simpliciter falsam: quod item constat ex prænotatis.

Unde apparet, minus esse aliquid asseri vel probari tamquam probabile, quàm asseri vel probari tamquam verum.

Non sufficit ad probabilitatem auctoritas unius dicentis opinionem tantũ esse probabilem,

Ex quo videtur sequi, non sufficere ad probabilitatem opinionis auctoritatem unius viri pii & docti asserentis eam tantùm probabilem; sed eo casu requiri auctoritatem saltem duorum, qui videlicet dicant eam probabilem. Et conformiter loquendo non esset argumentum magni momenti, quo uni persuaderetur opinio solùm, ut probabilis; esset verò, quo talis persuaderetur duobus aut pluribus. Saltem sequitur, auctoritatem unius, quia ea non est indivisibilis, debere esse majorem, v.g. fundatam in majori doctrinâ, ut reddat opinionem probabilem, si putet tantùm probabilem, quàm si putet veram. Atque hæc sit prima limitatio conclusionis.

29. *vel non respondẽtis deliberatè.*

Secunda est primæ conformis, quòd non sufficiat ad probabilitatem auctoritas unius Doctoris vel viri docti non respondentis seriò ac deliberatè, sed quasi per transcursum in discursu, vel probatione alterius opinionis, aut solutione argumenti, quod fortè eum coëgerit ad sic respondẽdum. Ita Navarr. in cap. *Si quis autem*, de pœnitentiâ, dist. 7. num. 53. & Granadus citat. num. 10.

30. *Opinio unius non est probabilis, cum ab aliis rejicitur ut improbabilis.*

Tertia limitatio est, ne unius opinio rejiciatur ab aliis communiter non tantùm tamquam falsa, sed improbabilis, vel erronea. Quod contigit variis opinionibus antiquorum jam antiquatis, ob novam aliquam rationẽ, legem, vel auctoritatem, quam illi non viderunt. Eôdem recidit, si contraria opinioni, vel antiquioris vel recentioris, non tantùm sit communis, sed à plerisque vel pluribus habeatur omnino vel ferè certa. Tunc enim unius auctoritas non posset præponderare tot aliorum auctoritatibus. Ita ferè Sanchez cit. num. 11. sequens Vasquez disp. 62. cap. 4. num. 17. & Sayro Claui regia libr. 1. cap. 5. num. 6. Saltem ut unius auctoritas tunc reddat opinionem probabilem, debet esse valdè magna; si præsertim nullam is rationem aut auctoritatem afferat, quam alii non viderint. Imò tunc ea debet esse magna, ut reddat opinionem probabilem cuivis communi cõtrariam. Clarum enim est, cæteris paribus majorem auctoritatem requiri ad probabilitatem opinionis, quæ repugnet torrenti Doctorum, quàm paucis aliquibus.

Addit

31. Addit Vasquez citatus, si cui viro docto magis probatur communis sententia, non tantùm ob principia extrinseca, quia cōmunis; sed etiam ob intrinseca principia, quia videtur ipsi niti melioribus rationibus; tunc illi contrariam unius tantùm auctoris, nō posse esse probabilem. Quod verum puto moderatione jam allatâ, nisi unius auctoritas sit valdè magna.

32. *Quæ cēsenda opinio communis.* Adverte autem, quod bene docet Navar. in Summâ c. 27. nu. 28. Sanchez num. 9. & fusiùs de Matr. lib. 3. disp. 44. num. 2. eam deberi censeri opinionem communem, quæ repugnet plerisque Doctoribus, qui illius ac contrariæ fundamenta expenderint, non autem qui cæco modo aliis solâ auctoritate eum sequuntur instar avium vel ovium. Addo, numero similium Doctorum non multùm augeri sententiæ probabilitatem. Ratio est, quia, ut dixi num. 24. auctoritas Doctorum reddit opinionem probabilem, quia supponitur illa sufficienti ratione non esse destituta, nisi contrarium constet. Hîc autem constat auctoritatem ejusmodi vix niti ratione. Eadem esset ratio, si plures Doctores constaret nixos fuisse falso fundamento, v. g. canone aut lege falsò citatâ, vel malè intellectâ. Ordinariè tamen ac cæteris paribus, communior opinio habenda item est probabilior; non tantùm à personis privatis in operando, sed etiam publicis, v. g. Judicibus in judicando. Quod adeò verum est, ut aliqui subinde pro eodem sumant opinionem probabiliorem, & communiorem. Quare Aristoteles 1. Top. cap. 1. sic definivit probabilia: quæ videntur plurimis, & sapientibus, & maximè illustribus. Imò videtur accepisse strictiùs probabilia, quàm nunc accipiantur communiter, ut idem sint quod probabiliora, non tamen certa.

Ex quibus collige, quo sensu ac moderatione verum sit, quod docet Ferdinandus de Castro Palao noster lib. 2. operis moralis disp. 2. punct. 1. num. 4. videlicet, si in libro alicujus Doctoris neoterici invenias aliquas propositiones absolutè affirmatas, quæ adversus communem videntur; non judicandas illas improbabiles, sed potiùs probabiles, dum tibi non constat à Sede Apostolicâ improbabiles judicatas; si videlicet, & ille Doctor gravis sit, nec ejus opinio ab aliis rejiciatur ut erronea, vel improbabilis; præsertim à recentioribus, qui omnia ejus argumenta possint examinasse.

Quartò, quia, ut ex dictis est colligere, auctoritas Doctoris nititur partim ejus pietate, partim doctrinâ. Primò, considerandum est, an is non loquatur magis ex passione, quàm ratione; an non sit præceps, singularis, & audax in sententiis suis: quarum aliquas constet non esse probabiles. 33.

Notandū an is Doctor magis loquatur ex passione;

Si enim talis sit, quantumvis doctus, sola ejus auctoritas ad probabilitatem non sufficit. Ob similem causam non sufficit ad probabilitatem exemplum aut factum unius, etsi pii doctique: quia id posset fecisse aliquâ passione, inadvertentiâ, quæ etiam in probos cadit, vel etiam dispensatione. Requiritur ergo exemplum plurium proborum, vt bene Sa verb. *Dubium* num. 3.

& an doctus etiã in moralibus. Secundò, præcipuè expendendum est an sit satis doctus, præsertim in Theologiâ morali. Constat enim multos insigni ingenio & doctrinâ in Theologiâ Scholasticâ, parum in morali ac casibus versatos esse. Quorum proinde auctoritas resolutionem casûs practici non reddet probabilem, nisi diligenter illum examinarint: reddet tamen probabilem opinionem aliam speculativam. Nam universaliter hîc verum est, cuique in suâ arte seu facultate credendum esse; Doctori Scholastico in speculativis, morali seu Casistæ in moralibus vel casibus; Jurisperitis item ac Canonistis in materiâ ac facultate suâ.

34. *Dupliciter quid est probabile, absolutè & respectivè.* Sed petes, quàm doctus quisque in suâ facultate esse debeat, ut opinionem suam reddat probabilem? Adverte, dupliciter aliquid dici posse probabile. Primò, absolutè & respectu cujuscumque etiam Doctoris, ac Professoris Theologiæ: quod communiùs ac simpliciter dici solet probabile, scilicet inter homines: nam respectu Dei & Angelorum idipsum sæpè est improbabile. Secundò, respectivè, id est, respectu aliquorum tantùm, seu vulgi Christi fidelium. Nec enim negari potest, quin respectu diversorum diversimodè se habeat probabile. Nam idem quod uni prudenter ac verè est probabile, alteri, vel etiam eidem, paulò pòst est omninò improbabile. Cujus ratio est, quòd probabilitas non innitatur reali & indivisibili veritati, sed argumentis & signis variis respectu variorum. Similiter etiam alius dicitur vir doctus absolutè, etiam à Doctoribus & Professoribus, alius à simplicioribus ac vulgo.

Respondeo jam Primò: Ut quis opinionem reddat probabilem, absolutè debet esse actu vel potentiâ probatus Doctor, id est, cum approbatione facultatem aliquam publicè docuisse, aut calamo & impressis libris; vel saltem judicari ad id idoneus, idque potentiâ aliquo modo proximâ, habitâ ratione doctrinæ jam acquisitæ. Ita intelligo Doctores qui requirunt auctoritatem idonei, probati, vel etiam classici Doctoris sive Auctoris, scilicet, ut dixi, actu vel potentiâ. Aliàs nullius, quantumvis docti, auctoritas sufficeret, nisi jam editis libris clarus in scholis citari soleret: quod nec est rationabile, cùm libri vel professio publica *Quantâ doctrinâ opus ad reddẽdam opinionem probabilẽ?*

publica non augeant, sed supponant doctrinam; nec conforme menti Doctorum, qui supponunt passim resolutiones casuum probabiles reddi vivæ vocis oraculo, seu responso unius viri docti, etiam respectu Doctorum.

Imò aliqui præferunt vivæ vocis oracula responsionibus impressis. Quæ duo tamen habent se tamquam excedens & excessum: nam ex unâ parte responsio impressa supponitur profecta à majori studio ac præmeditatione: ex alterâ parte, vivus Doctor jam detegere potest novam circumstantiam, rationem, auctoritatem, canonem vel legem, quæ latuerit mortuum, vel scriptorem dum scripsit; quâ tamen mutetur talis casus, ejusque probabilitas.

35. *Ad probabilitatem absolutam non sufficit auctoritas cujusvis Professoris;* Ex dictis collige, ad probabilitatem absolutam non sufficere auctoritatem cujuscumque publici Professoris, seu Lectoris: constat enim aliquos isti muneri non satisfacere, vel quia non satis docti; vel quia in delectu opinionum nimis præcipites sunt, ac singulares. Idem eâdem ferè de causa dicendum de Scriptoribus. Certè constat, varios libellos protrusos in lucem non satis eruditos seu elaboratos. Quorum proinde auctoritas vix est major, quàm rationum quas afferunt, ideoque in scholis allegari non solet.

36. Adverte, aliud judicium ferri debere de scriptore, qui cùm sui juris sit, scribit quæ vult proprio motu & judicio; aliud de eo qui nec scribit, nisi judicio & beneplacito Superiorum, nec edit in lucem, nisi seriò examinata & approbata à pluribus Theologis, seu viris in eâ facultate bene versatis. Hujusmodi enim scriptoris auctoritas quasi virtualiter est multiplex, scilicet tot etiam Theologorum, quot librum approbarunt.

Clarius est, non sufficere ad ejusmodi probabilitatem auctoritatem Doctoris, id est, promoti in aliquâ Universitate ad Doctoratum; nedum Licentiati & Baccalaurei. Nam experientia testatur, ad illos gradus promoveri multos tenuiter solidâ doctrina tinctos; neque isti tituli conferunt doctrinam ex opere operato. *neque promoti Doctoris, aut Licentiati.*

Respondeo Secundò: Ut quis reddat opinionem probabilem respectivè vulgo Christi fidelium, ita ut hi illam tamquam probabilem sequi & credere possint, sufficit non tantùm docere, v.g. Theologiam moralem; sed illi studuisse ac profecisse, ita ut ab illis vir doctus habeatur, si præsertim ex officio, v.g. Confessarii, aut Pastoris, illi incumbat Christi fideles instruere. Ita intelligo Doctores, qui juxta conclusionem dicunt sufficere auctoritatem, non tantùm Doctoris, sed viri docti. Quod juxta hanc & præcedentem responsionem verum est universaliter, ut quicumque ab aliquibus habetur 37. *Ad probabilitatem respectivè sufficit auctoritas cujusvis viri docti.*

vir doctus, is illis reddat opinionem probabilem, scilicet, juxta limitationes allatas. Ratio enim universalis est, quia illis meritò ac prudenter ejus auctoritas est magni momenti, eo ipso quo habetur vir doctus, &, ut suppono, pius. Similiter quoad historias rerum gestarum, seu quæstionem facti, verè probabile mihi faciet unus nuntius, aut vir fide dignus; quod non faciet tale alteri, rerum ejusmodi magis perito ac conscio. Atque ita juxta utramque hanc responsionem videntur mihi conciliari posse Doctores, qui aliàs variè loquũtur.

38. *Ordinariè parochiani tutò sequuntur opinionem Pastoris, & pœnitentes Cõfessarii.* Unde sequitur, juxta communem Christi fidelium sensum ac praxim, parochianos tutò credere & sequi opinionem tamquam probabilem Pastoris sui, & pœnitentes Confessariorum suorum; scilicet ordinariè, nisi juxta priorem responsionem Doctor aut Professor Theologiæ, v. g. habeat Pastorem, aut Confessarium multò se indoctiorem. Eademque esset ratio, si quis alius proponeret casum in materiâ quâ sciret se doctiorem Confessario, v.g. mercator in materiâ cambii. Tali enim sola Confessarii auctoritas responsionem ejus non faceret probabilem: nemo enim prudenter alteri credit, quod ipso meliùs novit. Cæterùm possunt, imò debent, Christi fideles credere non promoveri ad ejusmodi officia, nisi idoneos satisque doctos. Similiter D. Thom. quodlib. 3. art. 10. docet in ordinariis auditores discipulos posse absque periculo amplecti quamlibet opinionem Magistrorum suorum; & Panorm. in cap. *Capellanus*, de feriis, atque Imola in cap. *Pertuas*, 2. de simonia, docent excusari eum, qui operatur secundùm opinionem sui Doctoris. *& discipuli Magistrorum* Quòd si quis his & similibus casibus diceret opinionem talibus non esse, sed tantùm videri probabilem, quæstio esset de nomine; ad praxim sufficit illos eam ut verè probabilem sequi posse. Quamquam ob rationes indicatas, meliùs dicitur non tantùm videri, sed esse probabile. Probabile enim magis respectivè dicitur, quàm verum.

Ex dictis collige, quid sit sentiendum de limitatione conclusionis, quam adhibet Corduba lib. 2. quæst. 3. §. 1. ad 2. confirmationem, scilicet veram esse respectu simpliciorum, qui rationes opinionum non possint examinare; non autem respectu doctiorum, qui eas possint & debeant examinare. Quamvis enim juxta jam dicta agnoscenda sit hic differentia inter rudes ac doctos; omnes tamen, etiam docti, debent magni facere auctoritatem unius Doctoris, quem sciunt momenta rei examinasse, quæ meritò æquivalet rationi alicui, quâ eorum judicio opinio esset probabilis. 39.

Præterea idem Corduba §. *Ad*

Lan-

Landulphum, quem ipse citat pro nostrâ sententiâ, hanc limitat, ut sit vera de spectantibus ad jus humanum, non divinum, quod exigat diligentiorem inquisitionem. Verùm & hæc limitatio meritò rejicitur à recentioribus; nam etiam in spectantibus ad jus divinum magni momenti est unius viri pii ac docti auctoritas, qui præsumi debet hoc ipsum quoque expendisse, quantam ea inquisitionem exigant.

40. *Opinio improbabilis est, quæ nec gravi auctoritate, nec ratione nititur.* Ex dictis colligo à sensu contrario, & dico ultimò: Opinio ac conscientia improbabilis est, quæ nec nititur ratione, nec auctoritate magni momenti, scilicet sensu & ratione explicatâ toto hoc capite, quo eâdem operâ hæc conclusio satis probata est.

41. Ex dictis facile est colligere, quæ fusè ab aliis disputantur, nominatim Azor cit. quænam opiniones aliis sint probabiliores, vel improbabiliores. Nam quo sensu gravis ratio vel auctoritas facit opinionem simpliciter probabilem, ut jam explicatum est; eodem gravior ratio sive auctoritas, vel intensivè si sit unica, vel extensivè si sit multiplex, faciet opinionem probabiliorem. Similiter, quo sensu ratio vel auctoritas levis reddit opinionem improbabilem, eodem levior vel nulla reddet improbabiliorem.

Speciatim tamen observa varias regulas, quibus una opinio tamquam probabilior alteri præferenda sit, ex Navarro cit. & fusè Azor à cap. 9. Prima est antè indicata, ut cæteris paribus, & ut plurimùm, ea habeatur probabilior opinio, quæ est communior, scilicèt Doctorum, ad quos materia opinionis spectat. Secunda, ut cæteris item paribus eligatur opinio, ut probabilior, saltem practicè, quæ magis favet pietati, juramento, matrimonio, doti, testamento, libertati, valori actûs, pupillo, viduæ, peregrino, aliisque personis miserabilibus. Tertia, ea opinio eligenda, quæ est conformior consuetudini, usui ac sensui Christi fidelium magis recepto. Quarta, & illa, quæ magis favet reo, seu benignior mitiorque; quia pœnæ & odia restringenda. Quinta, item tutior: quarum regularum sensus & ratio distinctiùs explicabitur dicendis hoc & sequentibus libris; nec tantùm pro foro externo, sed etiam conscientiæ: utroque enim receptæ sunt.

Denique adverte, omnia hoc capite dicta non tantùm vera esse de conscientiâ speculativè sumpta, id est opinione, sed etiam applicari posse eidem practicè sumptæ, id est dictamini practico: nam & hoc iisdem fundamentis verè est probabile, vel improbabile. 42.

Alio sensu dici etiam potest conscientia probabilis vel improbabilis; non ratione motivi sufficientis, vel insufficientis, quod juxta

juxta dicta vel est gravis auctoritas, vel ratio; sed quasi ex modo tendendi, seu objectivè, si expressè dictet aliquid probabile, vel improbabile. Quo modo etiam conscientia dubia dicitur, quâ judicatur expressè res dubia, etsi aliàs conscientia esset certa, quòd certum sit rem esse dubiam: verùm etiam eo modo sumpta eodem fundamento ac ratione examinanda est, an sit verè sensu antè explicato probabilis, vel improbabilis, v.g. an nitatur gravi auctoritate, seu ratione, vel non.

CAPUT IV.

Quæ diligentia adhibenda sit in delectu opinionis probabilis doctis & indoctis?

43. POtest ferè id intelligi ex dictis superiori capite; quia tamen opinio probabilis, adeoque ejus delectus in moralibus summi est momenti, (quod magis patebit sequentibus capitibus,) magis practicè & distinctè id explicandum hoc capite.

Suppono ex dictis, gravem auctoritatem vel rationem, modò talem esse constet, in quacumque materià casuque ad probabilitatem sufficere; sed item non quamcumque auctoritatem, vel rationem statim gravem judicandam esse. In quo sæpè graviter peccatur.

Nota Primò, indoctis doctisque aliquam hîc diligentiam adhibendam; majorem tamen doctis, qui ut habent plures rationes dubitandi, ita diligentiùs examinare debent, an & quæ opinio sit probabilis. Indocti quodam privilegio simplicitatis minori examine possunt doctis credere, aliâve ratione formare sibi probabilem conscientiam: quare indocti sæpiùs deligunt & formant sibi probabilem conscientiam auctoritate; docti ratione, quamvis etiam hi auctoritate duci debeant, & illi ratione. 44.

Doctis & indoctis adhibēda diligentia in delectu opinionis probabilis, his minor.

Nota Secundò, quod dicam in simili lib. 5. cap. 11. in fine, de diligentiâ necessariâ ad expellendam ignorantiam invincibilem, hanc rem pendere ex tot circumstantiis, ut generali regulâ definiri non possit; sed tandem committi debere judicio prudentis, quanta hîc & nunc huic in hoc negotio diligentia adhibenda sit: quare tantùm afferam generaliores aliquas regulas, ex quibus illud judicium formari possit.

Dico Primò: Major diligentia adhibenda est in deligenda opinione probabili in re magni, quàm parvi momenti. Idem dicam in simili, cap. citato ex communi Doctorum sensu. 45.

Majori diligentiâ opus in re magni momenti.

Probatur facilè: quia juxta prudens dictamen apparet rem, quò major ipsa est, egere majori examine. Ratio ulterior est, quia in eâ periculum est majoris peccati, quod

quod majori diligentiâ cavendum, quo ipsum est majus.

46. Hinc sequitur, si Confessarius, vel vir doctus interrogetur de restitutione magni momenti, v. g. aliquot millium, non sufficere ut quomodocumque putet probabile nil debere restitui; sed debere consulere Doctores, qui de eâ vel simili materiâ bene scripserunt, eorumque rationes diligenter expendere, donec satis certò constet id saltem probabile esse. Quòd si ageretur de restitutione parvi momenti, v. g. pauculorum florenorum, posset exiguâ vel fortè nullâ diligentiâ & examine præmisso, ex tempore respondere, nil debere restitui. Idem suo modo dicendum de indocto & interrogante, qui si habeat aliquam rationem dubitandi de sufficienti auctoritate ac doctrinâ Confessarii, aliúsve à se consulti, debebit se de eâ pleniùs informare in eodem vel simili casu magni momenti: secùs dicendum de casu minoris momenti.

47. *Consultissimum in rebus gravibus consulere Spiritum sanctum.* Adverte diligenter Primò, in omnibus casibus, præsertim magni momenti, etsi non sit absolutè necessarium, consultissimum esse, viris etsi doctissimis, consulere ipsum quoque Spiritum sanctum, saltem animo in Deum elevato: quemadmodum etiam indoctis expedit consulere viros pios, non tantùm doctos. Verè Ecclesiasticus cap. 37. *Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.*

Adverte Secundò, neminem quamvis virum doctum, debere pudere, si in casu alicujus momenti non respondeat ex tempore, sed petat tempus aliquod antè studendi ac deliberandi. Sæpè casus pendent ex aliquâ circumstantiâ, lege aut canone, qui facilè excidit è memoriâ: quare hoc est maturæ prudentiæ. Contrà valdè imprudenter Confessarii pœnitentes suos periculo exponunt, & majori seipsos; qui fortè, ne non videantur satis docti, verentur tempus deliberandi petere ad casum meliùs examinandum. Tenerentur illi ipsi etiam ad restitutionem, si falsò dicerent nil esse restituendum, & peccarent verè & formaliter, etsi pœnitentes tantùm materialiter: qui juxta dicta superiori cap. prudenter acquiescunt eorum consilio tamquam probabili, quamvis falso. 48. *Neminem debet pudere petere tempus deliberādi ante casûs resolutionem.*

Dico Secundò: Cùm res non patitur moram, Confessarius, vel quivis in morali Theologiâ mediocriter versatus, absque periculo peccati, potest ad casum propositum respondere ex tempore, quod elevato in Deum animo, vel bonâ fide hîc & nunc judicaverit probabilius. Ita Sanchez cap. illo 9. nu. 25. Granadus cit. sect. 2. num. 14 secutus Valent. etiam cit. Qui bene addunt sufficere, ut illo casu quisque respōdeat, quod attentâ ejus capacitate, 49. *Cùm res non patitur morā, quivis potest respōdere ex tempore.*

citate, & rei conditione, meritò ipsis potest videri verum, aut probabile; etsi videlicet verè aliàs probabile non sit. Dixi tamen in conclusione, *probabilius*: quia id tantùm ex mente illorum aliorumque Doctorum, sic constituto dicitur probabile, quod omnibus spectatis melius ac reliquis probabilius judicaverit. Quare non liceret ipsi tunc relictâ probabiliori sententiâ, judicio suo sequi tantùm probabilem, quia ne quidem scit an illa verè sit probabilis, ut in casu supponitur.

Probatur hoc sensu conclusio, quia sic constitutus facit seu respondet quod moraliter potest. Non potest autem obligari ad amplius quàm potest.

50. *Regula quâ quivis Confessarius se expediat à scrupulis.* Ex utrâque hac conclusione collige Primò, generalem regulam, quâ Confessarii etiam mediocriter tantùm docti possint se expedire à scrupulis contra confessiones audiendas ratione dubiorum casuum in illis occurrentium. Vel enim illi sunt magni momenti, & patiuntur moram, & debent, si dubitent, petere tempus deliberandi, studendi, vel consulendi alios: vel sunt parvi momenti, aut non patiuntur moram, & possunt absque periculo & scrupulo respondere, quod hîc & nunc sibi visum fuerit in Domino: quâ ratione non tantùm non peccabunt, etsi errent, sed verè merebuntur.

Collige Secundò, eâdem ratione & securitate, cùm res non patitur moram, nec possunt alii consuli, expedire se posse indoctos, formando sibi probabilem conscientiam, seu faciendo ac decernendo, quod sibi hîc & nunc videtur probabilius, melius, vel minùs malum.

51. *Vir doctus non potest sibi formare sententiam probabilē contra cōmunē, nisi ob rationē certam in materiâ fidei, in aliis praegnantem.* Dico Tertiò: Ut vir doctus possit sibi formare opinionem seu conscientiam probabilem contra communem, debet valdè diligenter illius rationem expendere, & in materiâ fidei seu doctrinâ sacrâ judicare eam certam & evidentem: in aliâ materiâ saltem valdè praegnantem & efficacem. Iuxta utramque conclusionis partem concilio inter se Doctores, quorum aliqui dicunt non licere recedere à communi sententiâ, nisi ob rationem certam & convincentem. Silvest. v, *Opinio*, qu. 2. Angelus ibidem num. 1. Quod verum est juxta priorem. Alii dicunt sufficere solidam & constantem; ut Vasquez disp. 52. cap. 4. initio, quem sequitur Sanchez num. 9. & Granadus num. 12. quod verum est juxta posteriorem partem conclusionis.

Probatur prior pars, quia, ut dixi cap. 1. concl. 5. juxta communem Doctorum sensum, ea propositio seu opinio censetur temeraria, quae sustinetur in materiâ sacrâ contra communem Doctorum sententiam. Ratio ulterior est,

est, quia res sacræ & fidem spectantes nituntur fundamentis supernaturalibus, ac revelatione Dei, qui eas etiam docet Ecclesiam suam, seu Christi fideles per Doctores: quos eo fine peculiari assistentiâ ac lumine illustrat, nec tantùm antiquiores, sed eâdem ratione etiam recentiores. Quare non desunt qui asserant, eos omnes nullo modo errare posse: quod tamen minùs certum est.

52. Probatur deinde posterior conclusionis pars, quia de eâ cessat ratio allata, & aliunde apparet rationabile, in re pendente à solo lumine rationis & ingenio plus rationi tribui. Quæ tamen nisi constanter appareat valdè prægnans & efficax, temeritatis & arrogantiæ est suum unius tot Doctorum judicio opponere, vel præponere, contra communem eorum sententiam, singulari suæ tamquam probabili adhærendo; si præsertim nil novi afferatur, quod illi non viderint. Ita dixi in simili, superiori cap. majorem auctoritatem requiri ad probabilitatem contra communem, quàm minùs communem opinionem. Fieri enim vix potest, ut etiam in re philosophicâ tam varia ingenia conveniant, nisi vel splendore veritatis, vel diviniore aliquo instinctu.

Posse tamen, imò de facto aliquando contingere, ut contra communes antiquiorum sententias à recentioribus Doctoribus afferantur in re quavis philosophicâ, morali & theologicâ novæ rationes vel auctoritates evidentes, aut prægnantes, docet quotidiana experientia. Et ratio est tum supernaturalis, quia Deus paulatim magis magisque illuminat Ecclesiam suam, & videtur aliquando aliquos errores seu ignorantias permittere ad ostendendam hominibus cæcitatem suam, ac necessitatem gratiæ & luminis supernaturalis: tum naturalis, quia humanum ingenium limitatum est, & facilè inventis ab antiquis, aliquid potest addi à recentioribus.

Ita in hac ipsâ materiâ communis est opinio recentiorum contra plures antiquiores, quòd liceat sequi opinionem minùs probabilem, etsi minùs tutam, ut dicam cap.6.num.73. Ita etiam satis communis antiquiorum fuit opinio, quòd non detur ignorantia invincibilis mysteriorum fidei nostræ; communis tamen & vera est contraria sententia recentiorum, ut dicam lib.5.cap.9.

Satis item communis opinio fuit aliquo tempore in scholis, quòd Deus physicè prædeterminet causam secundam; nec detur in eo scientia conditionalium: contraria tamen sententia jam est multò communior & verior: quòd prius non videatur consistere cum libero hominis arbitrio,

posterius cum perfectâ Dei providentiâ.

53. *Absque prægnanti causâ non oportet formare probabilẽ sentẽtiam cõtra sensum Christi fideliũ.* Dico Quartò: Absque diligenti examine, & evidenti vel prægnanti causâ, non oportet deligere vel formare sibi probabilem sententiam contra communem, aut communiorem sensum Christi fidelium, nec in re sacrâ, nec morali.

Probatur Primò, ratione supernaturali, quia Christus credendus est, etiam peculiari instinctu ac lumine assistere, ac illustrare Christi fideles, maximam partem Ecclesiæ suæ. *Verisimile est Christi fideles omnes errare non posse, etiã seclusos ab Episcopis.* Quare verisimile est, omnes Christi fideles, quamvis seclusos ab Episcopis & Doctoribus suis, errare non posse. Videtur enim spectare ad providentiam Christi, quam debet Ecclesiæ suæ tamquam ejus caput & sponsus, ut id impediat. Imò propter illos instituti sunt in Ecclesiâ & Episcopi & Doctores, juxta Apost. ad Ephes. 4. & his propter illos Deus peculiariter assistit. Nec tamen illos, quamvis ordinariè illuminet per alios, ita ipse deserit, quin interna etiam doctrinâ & inspiratione instruat dirigatque, præsertim in casibus extraordinariis. Itaque non est verisimile, Christum permissurum ut isti errent, qui ne errarent, totam ferè Ecclesiasticam hierarchiam instituit. Quòd si omnes errare non possint, non est verisimile de facto errare plerosque: quod aliquo etiam modo repugnaret dictæ providentiæ Christi; quia sic etiam erraret maxima Ecclesiæ pars. Quæ ratio maximè procedit de materiâ sacrâ ac spectante ad fidem.

Probatur Secundò, ratione naturali, quia singuli Christi fideles, imò homines, præditi sunt synteresi, lumine rationis, ac judicio naturali, quod non est facilè præsumendum errare in omnibus, vel plerisque, saltem in re morali ipsos spectante. Imò ad Deum auctorem naturæ, ac luminis naturalis, videtur aliquo modo spectare, ut & hoc impediat. 54.

Itaque merentur etiam notam alicujus temeritatis & arrogantiæ, qui tam libenter & facilè ob levem aliquam rationem ac speculationem dicunt aliquid paradoxum, & alienum à communi hominum sensu, præsertim in moralibus & sacris. *Merentur censuram qui facilè dicunt aliquid paradoxum.*

CAPUT V.

An conscientia probabilis sit sufficiens regula actûs boni, scilicet ultima?

INstituitur hæc quæstio de conscientiâ propriè & intrinsecè sumptâ pro ipso dictamine practico: quia huic tantùm competit esse ultimam regulam actûs humani; non opinioni probabili ejus fundamento, de quâ agam sequ. capite. Status ergo quæstionis est, 55. *Status quæstionis*

an

an dictamen practicum, quod actum bonum proximè præcedit, tamquam proxima ejus regula ac mensura, debeat esse certum, vel sufficiat tantùm esse probabile, sensu jam explicato. Quo sensu apparet, hanc quæstionem esse magni ad praxim momenti, & universaliter procedere de quovis actu bono. Solet eadem quæstio proponi etiam de conscientiâ dubiâ, his quoque terminis: An liceat operari conscientiâ dubiâ? Sed dubia hîc est probabilis, scilicet, ut jam dixi, latè sumpta; seu dubia opinativè & positivè: nam de strictè sumptâ suspensivè & negativè agam sequenti libro, dicamque non posse esse regulam actûs boni.

56. Prima sententia est Cajetani in Summâ, verbo *Opinio*, Navarri in cap. *Si quis autem*, de pœnit. dist. 7. à num. 61. Halli lib. 2. cap. 2. Lessii lib. 1. de prudentiâ, cap. & dubit. 1. quòd dictamen illud debeat esse certum, non quidem mathematicè, sed moraliter, & actus prudentiæ, non opinionis. Unde sequitur, dictamen & conscientiam tantùm probabilem non sufficere ad actum bonum, imò eâ operantem periculo se peccandi exponere, ideoque peccare, juxta illud Ecclesiast. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit*. Quæ opinio etiam tribuitur D. Thomæ quodl. 8. art. 13. Sed immeritò; quia non agit ibi de conscientiâ probabili; sed dubiâ, scilicet propriè, quâ non liceat retinere duas præbendas. Magis illi favet Adrianus in quodlibetis, qu. 2. Eamdem docui in scholis, estque haud dubiè probabilis. Jam tamen omnibus meliùs expensis, puto contrariam practicè esse multò commodiorem, & speculativè æquè vel magis probabilem.

57. *Conscientia probabilis est sufficiens regula actûs boni.*

Dico itaque Primò: Conscientia probabilis est sufficiens regula actûs boni: seu, Licitum, imò laudabile, est eâ operari bonum. Ita communiùs recentiores, Vasq. 1. 2. disp. 62. cap. 5. num. 26. Salas ad quæst. 21. tract. 8. sect. 4. num. 40. Lorca disp. 39. Sanchez cit. nu. 18. Granadus cit disp. 3. sect. 3. Citantur & alii, Gerson tract. de Præparatione ad Missam, cōsider. 3. Corduba lib. 3. quæst. 5. proposit. 3. qui saltem favent, quatenus non excludunt opinionem cum formidine de opposito, etsi videantur requirere probabiliorem cum exiguâ formidine: quò item videtur propendêre Adrianus cit.

Probatur Primò, ab absurdo, quia aliàs oportet plurimos actus, qui habentur boni etiam à sapientioribus, non tantùm fraudare bonitate suâ, sed damnare peccati sæpè mortalis. Sæpissimè enim, præsertim tenerioris conscientiæ, ac scrupulosi, operantur conscientiâ tantùm probabili operis boni, cum formidine magnâ, vel parvâ de opposito, id est, peccato veniali, vel etiam mortali, v. g. dum confi-

tentur timentes, ut sunt contriti, vel attriti, communicant eodem modo dubitantes, an sint in statu gratiæ, adeoque ne peccent mortaliter communicando. Imò solent ejusmodi in plerisque operibus suis ita timere & dubitare, ne vel iis peccent, vel periculo peccandi se exponant.

58. Nec sufficit ad pacandas eorum conscientias, vel solvendum hoc argumentum, dicere, quòd securè possint & debeant ejusmodi dubia, metus scrupulosque contemnere, & formare sibi certam conscientiam eo ipso quo formarunt quocumque fundamento probabilem. Primò, quia simpliciores hoc non sciunt, nedum considerant. Secundò, quia, etsi considerent etiam doctiores, non est tam facile, imò sæpè impossibile, inter tot rationes probabiles vel improbabiles dubitandi, formare judicium certum. Tertiò, ut forment, de hoc ipso tamen meritò dubitant, an verè formarint; vel supervenit aliunde novus timor, ac dubitatio, quæ vim illius elidit, & conscientiam rejicit in easdem anxietates.

Cessant hæc incommoda & tricæ conscientiarum in nostrâ sententiâ, quâ sufficit ad bonum opus probabiliter judicare, quòd hîc & nunc illud bonum sit, v.g. communicare aliquâ ratione, vel auctoritate, v.g. quia Confessarius dixit, juxta dicta cap.3. num.37. idque quamvis eodem tempore æquè vel magis probabiliter dubites vel judices illud malum esse. Nec enim propter hoc, desinit illud judicium verè probabile esse, sicut nec hoc propter illud.

Probatur Secundò, simulque evertitur præcipuum fundamentum contrariæ: qui operatur juxta dictamen cõscientiæ verè probabilis, verè operatur prudenter: atqui ad bene operandum sufficit ex parte intellectûs operari prudenter: ergo etiam sequi dictamen conscientiæ probabilis, etsi non certæ. 59. *Operatur prudenter qui juxta conscientiam probabilem.*

Probatur major, quia sequens dictamen conscientiæ verè probabilis, facit quod judicat vir sapiens, duciturque gravi auctoritate vel ratione: ergo non operatur leviter & irrationabiliter, sed prudenter & rationabiliter.

Probatur minor, quia dictamen prudentiæ, ut fatentur etiam adversarii, est ipsa recta ratio actuum humanorum regula ac mensura. Huic qui se conformat, eo ipso rectè beneque operatur, cùm in eo sita sit ipsa eorum bonitas. Quemadmodum autem nemo tenetur operari meliùs & optimè; sufficit benè: ita nec prudentiùs & prudentissimè; sufficit prudenter: ergo nec tenetur sequi conscientiam probabiliorem aut certam, sed sufficit verè probabilem.

Confirmatur Primò: quia propter eamdem ferè rationem communis recentiorum, etiam adver-

adversariorum, sententia est, quòd liceat sequi quamvis opinionem probabilem, etsi nec probabiliorem, nec certam: cur non ergo conscientiam?

60. Si dicas, quòd opinio probabilis sit fundamentum certi judicii ac conscientiæ, quam tandem proximè sequaris; contrà argumentor: quia si non possis prudenter sequi proximè conscientiam tantùm probabilem, non potes etiam vel conscientiæ, vel opinioni tantùm probabili prudẽter superstruere certum judicium; aut si potes, potes etiam illam proximè sequi. Vel enim illud fundamentum conscientiæ aut opinionis probabilis, est solidum, vel non. Si est, cur non licet illud proximè sequi? si non, ergo non potest esse solidum ac certum, quod illi innititur & superstruitur judicium. Quemadmodum si vacillat fundamentum domûs, tota domus vacillet necesse est.

Confirmatur Secundò: quia, si non licet sequi conscientiam probabilem boni, quia cum illâ consistit conscientia etiam probabilis mali, adeoque periculum peccati: ergo nec licebit sequi conscientiam probabiliorem, nec probabilissimam, nec etiam moraliter certam, nisi absolutè certa sit. Aliàs enim cum eâ potest consistere aliqua conscientia & formido probabilis peccati: & parum refert sive sit periculum paulò majus, vel minus, modò reverà subsit periculum: quod totum, vel nil probant argumenta adversariorum. Illud autem haud dubiè excedit captum modumque agendi humanum. Satis laboramus miseri homines, ut sciamus quid sit probabile; vix docti discernere possunt, quid sit probabilius. Certi autem præter articulos fidei vix quidquam est in rebus humanis; ubi multa falsa sunt probabiliora veris, ut verè dixit Aristoteles. Quod satis probant tantæ virorum, etsi doctissimorum, inter se dissensiones, & de rebus omnibus opinionum diversitates. Itaque non debuit, nec prudenter potuit exigi alia humanorum actuum regula, quàm opinio ac conscientia probabilis: quę proinde objectum etiam sufficienter proponit sub ratione boni.

Unde apparet, eum, qui operatur conscientiâ probabili, non amare periculum juxta Ecclesiasticum; sed operari tutò juxta conditionem & prudentiam humanam. Contrariæ sententiæ potiùs objici potest illud Ecclesiastæ 11. *Qui observat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, numquam metet.* Qui enim terretur omni suspicione metuque peccati, deberet abstinere à plerisque contractibus: quare addi potest illud ejusdẽ c. 7. *Noli esse justus multùm, neque plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas.* *Qui operatur cõscientiâ probabili, non amat periculũ.*

Probatur Tertiò: quia saltem nostra tot Doctorum sententia 61.

proba-

probabilis est, ideoque ut talem licebit sequi, juxta dicenda seq. capite; scilicet operando conscientiâ probabili, non certâ: quod si uno casu vel fundamento liceat, corruit fundamentum contrariæ sententiæ: quod in omni casu, vel nullo valet.

62. Dices: Licet sequi eam sententiam ut probabilem, modò formes judicium certum quòd hoc liceat, & hoc saltem fundamento certâ conscientiâ opereris.

Sed hoc est sequi contrariam sententiam, non nostram; quæ est, quòd nullum certum judicium requiratur: cur autem hanc sequi non liceat, cùm saltem sit probabilissima?

Imò hinc collige, etiam secundùm rationes & principia adversariorum, hanc sententiam posse censeri moraliter certam; quia non tantùm ipsa secundùm se est probabilior; sed quia longè probabilius est, adeoque moraliter certum, licere sequi quamvis sententiam probabilem, multò magis longè probabiliorem. Itaque conclusio est conformis doctrinæ Aristotelis Ethic. cap.3. quòd eruditi seu disciplinati ingenii sit in re qualibet eam quærere certitudinem, quam materia seu natura rei exigit. Quam constat in re morali non debere esse mathematicam.

63. *Dictamen consciẽtiæ probabilis* Ex dictis collige Primò, dictamen conscientiæ quamvis tantùm probabilis, esse etiam prudentiæ. Qui enim eam sequitur, prudenter operatur, imò & opinatur, scilicet eo ipso quo probabiliter. Prudentiæ enim est, & quidem sæpè magnæ, ex tot opinionibus, quibus res humanæ expositæ sunt, probabilem deligere. Ita communiter etiam dicimur prudenter aliquid opinari vel credere, cùm movemur non levi, sed gravi ratione, vel auctoritate, etsi reverà falsum sit quod credimus. Atque ita non tantùm evertitur præcipuum fundamentum contrariæ sententiæ; quòd conscientia probabilis non possit esse actus prudentiæ, qualis ad actum bonum requiritur: sed contra illam retorquetur: nam omnis actus prudentiæ sufficit ad actum bonum, nec plus requiritur ad bene, quàm prudenter operandum ex parte intellectûs: atqui conscientia probabilis est actus prudentiæ, quod ex dictis satis clarum videtur: ergo est sufficiens mensura actûs boni. Quod ut certiùs constet, *est etiam prudentiæ.*

Adverte, quamvis omnis opinio, etiam probabilis, sit incerta, quatenus incertum est absolutè id quod opinamur; certum tamen esse, imò evidens, quòd sit probabilis, sive probabilitatem ipsius, vel, quod in idem recidit, etiam objecti. Hæc enim ostenditur vel evidenti ratione, vel evidentiâ in attestante: evidens enim est, virum gravem id docere, vel dicere. Quod adeò verum est, ut, si quis dubi- 64. *Quãvis opinio probabilis sit incerta, certum tamen esse probabilẽ.*

dubitet de conscientiæ vel opinionis probabilitate, non possit illã sequi, ut docet Sanchez præter alios, & fortè D. Thomas citatus. Similiter, quod attinet ad fidem divinam, fidei nostræ mysteria, etsi in se obscura, apparent tamen evidenter credibilia propter notas fidei seu Ecclesiæ.

Conscientia probabilis est actus prudentis, etiam certus. Unde apparet Primò, quâ ratione dictamen conscientiæ probabilis sit actus prudentiæ, & quidem certus, evidens & infallibilis; quatenus, scilicet, est & nititur gravi motivo. Nec dictat conscientia vel prudentia probabilis rem certam esse, vel etiam veram simpliciter seu probabiliorem necessariò; sed sufficit dictet probabilem seu probabiliter veram: quod certum est & infallibile, etsi vera non sit. Itaque sensus hujus propositionis seu conscientiæ: Bonum est mihi communicare, non est; id certò est bonum, sed probabiliùs, vel probabiliter, juxta prænotata cap. 2. quod certum est eo ipso, quo conscientia est probabilis. Quâ item ratione nec fallimur, neque fallimus, cùm credimus & narramus nova verè probabilia tamquam talia, esse sæpè falsa sint; nisi ea credamus dicamusq; certa.

Apparet Secundò, quo sensu Aristoteles suprà citatus rejiciat opinionem à ratione virtutis intellectualis, adeoque prudentiæ; scilicet juxta rationem ab ipso allatam, quatenus non repugnat illi falsitas; seu quatenus opinio est, eaque fallibilis; non autem quatenus probabilis est & infallibilis, sensu jam explicato. Opinio autem, adeoque conscientia improbabilis rejicienda est absolutè.

Apparet Tertiò, non esse necessarium cum Granado sect. 4. recurrere ad judicium prudentiæ à conscientiã probabili distinctum, virtuale vel formale: quo expresè judices id certò & evidenter probabile. Nam, ut dixi, ipsa conscientia probabilis eo ipso quo talis, dictamen prudentiæ est; idque non tantùm virtualiter, sed formaliter ratione evidentis motivi. Aliàs simpliciter non esset dictamen prudentiæ, nec posset esse regula actûs boni. Similiter actus scientiæ certus est & evidens; fidei certus, etsi illo ipso expresè res non judicetur evidens & certa.

65. *Conscientia probabilis est regula certa.* Ex quibus collige Secundò, conscientiam quatenus probabilem, non tantùm intrinsecè certam esse & infallibilem, sensu dicto; sed etiam extrinsecè, seu directivè, sive esse certam & infallibilem regulam actuum bonorum. Quia semper qui illam regulam sequitur, prudenter operatur, adeoque bene ac laudabiliter; neque reverà quamdiu illam regulam sequitur, exponit se morali periculo peccati: sive imprudenter apprehendat timeatque periculum, sive non; quod non est curandum. Atque hoc sensu meritò

Oo con-

conſcientia hæc, & regula dicitur etiam moraliter & practicè certa. Quo modo non eſt difficile ſolvere argumenta adverſariorum, imò fortè aliquos nobiſcum conciliare.

Imò, adverte hoc ſenſu & ratione opinionem probabilem eſſe veram & certam, ſcilicet practicè; quatenus eſt regula actûs, etſi quatenus talis cognitio, & ſpeculativè ſenſu dicto certa non eſſet. quod dicendum in ſententiâ eorum qui opinionem ejuſque ſignificationem ſic explicant, ut res dicatur vera abſolutè. Ita ut probabilitas ſe habeat tantùm ex parte ipſius opinionis, non objecti. Poteſt enim aliquid judicari non tantùm probabile, ſed verum, imò & certum, etſi non certò, ſed tantùm probabiliter, & cum formidine de oppoſito. Ut ſi probabiliter opineris aliquid eſſe de fide: atque ita ſi probabiliter judices tibi hîc & nunc bonum communicare; hoc ipſo illud practicè fit non tantùm verum, ſed certũ. Quia eo judicio poſito, etſi tantùm probabili, non tantùm probabile, ſed moraliter certum eſt, tibi bonum eſſe cõmunicare juxta jã dicta; etſi aliàs juxta rei exigentiam malum eſſet. Quia videlicet veritas & certitudo dicti judicii non deſumitur per conformitatem ad rem, ſed appetitum rectum. Quâ ratione conſcientia probabilis eſt actus prudentiæ, non quatenus cognitio ſpeculativa & fallibilis, ſed quatenus practica & infallibilis regula.

Ex quibus deducitur duplex reſponſio precipui argumenti adverſariorum, & explicatio, quibus modis conſciẽtia probabilis ſit actus & dictamen prudentiæ: ſcilicet, vel quatenus talis cognitio, vel quatenus regula, vel utroque modo. Quæ confirmantur ex doctrinâ Ariſtotelis, & D. Thomæ explicatâ lib. 2. cap. 1. à num. 2. quòd veritas, adeoque certitudo intellectûs practici, qualis eſt prudentia, non deſumatur per conformitatem ad rem, ut intellectûs ſpeculativi; ſed per conformitatem ad appetitum rectum, ſeu bona opera ab appetitu imperata. Itaque etiam juxta Ariſtotelem & D. Thomam illa conſcientia erit vera & certa, quæ dirigit appetitum rectum & opera bona; etſi aliàs rebus ipſis difformis ſit, vel incerta, ac tantùm probabilis. 66.

Dices, Qui operatur conſcientiâ boni tantùm probabili, etiam operatur ſæpiùs conſcientiâ mali æquè, imò magis probabili; quòd probabile putet ſe bene facturum, ſed probabilius peccaturum: ergo ille modus operandi nullam dicit repugnantiam, ſed potiùs convenientiam cum peccato, & ſic operans verè ſe exponit periculo peccandi, adeoque peccat. 67.

Confirmatur: quia, quando objectum ſic proponitur etiam ſub ratione mali, id fit objectivè malum,

malum, neque potest objectum appeti, nisi simul ratio mali appetatur, scilicet indirectè: quod sufficit ad peccandum.

Aliud est operari cũ, aliud ex conscientiâ mali. Respondeo, distinguendo antecedens: etiam operatur conscientiâ mali, id est ex conscientiâ mali, ut operatur ex conscientiâ boni, negando: etiam cum conscientiâ mali, seu habet tunc conscientiam mali, licet otiosam, concedendo: quare nego consequentiam. Quia cùm prudenter appetat objectum ut bonum, tale sibi probabiliter propositum & creditum; quâ ratione illud malo repugnat; necessariò ipsa volitio peccato repugnat; adeò ut implicet esse vel fieri malam, aut etiam non bonam; quia conformis est rectæ rationi. Unde etiam deducitur responsio ad confirmationem; quia prudens illud dictamen sufficienter purgat objectum, efficitque ne sit malum objectivè respectu voluntatis ex eo operantis. Nego itaque totum quod assumitur.

68. *Consultius operari conscientiâ rectâ.* Dico tamen Secundò: Consultius est operari conscientiâ non tantùm probabili, sed etiam certâ, scilicet absolutè, quâ certò vel absolutè opus judicetur bonum absque formidine de opposito.

Probatur, non tantùm quia contraria sententia, ut dixi, est probabilis; sed etiam, quia ille modus operandi est perfectior. Quo enim objectum voluntati certiùs proponitur ut bonum, eo hæc confidentiùs & intensiùs solet istud prosequi. Aptiorque est certa conscientia ad dispellendos omnes scrupulos, totumque animum quietè componendum.

Suppono autem (quod colligitur ex dictis hoc capite, & dicendis sequenti) omni conscientiæ & sententiæ verè probabili posse superaddi certam, quod illam tutò absque periculo peccati sequi liceat. Imò hæc ordinariè quasi naturali sequelâ solet illi supervenire, eamque confirmare; nisi scrupulus aliquis impediat, vel ignorantia veritatis jam dictæ. Non est autem scrupulosè inquirendum, an ejusmodi conscientia formata sit, nec ne; nec laborandum si à quopiam facilè formari non possit, cùm ad benè agendum non sit necessaria, ut jam satis probatum est.

CAPUT VI.

An liceat sequi opinionem minùs probabilem, etsi minùs tutam?

Non est eadem hujus capitis quæstio, quâ agimus de opinione etiam speculativâ; & præcedentis, quâ egimus de conscientiâ tantùm practicâ. Imò nec ita cohærent inter se, quin sint qui concedant licere sequi opinionem, etsi minùs probabilem, negent ta- 69.

 men

men de conscientiâ. Nec videtur necessariò concedendum, licere sequi opinionem, etsi liceat conscientiam etiam minùs probabilem, cùm hæc, quia ultima actûs humani regula, securiùs illum dirigat, quàm illa.

Etiam in practicis utraque contradictionis pars potest uni videri probabilis.

Suppono juxta prænotata c. 2. notando 2. ut in speculativis, ita in practicis posse alicui utramque contradictionis partem esse seu videri probabilem, vel unam minùs, alteram magis probabilem; cùm nulla sit repugnantia istorum assensuum. Quod ita limitat Vasquez disp. 62. cap. 3. ut una pars probabilis videatur ob extrinseca principia, seu Doctorum auctoritatem, altera ob intrinseca ac propria, quales dicuntur rationes petitæ ex naturâ rei, caussis, effectibus, absurdis vel impossibilibus.

Sed meliùs Sanchez cit. nu. 12. & Granadus sect. 3. num. 19. rejiciunt hanc limitationem: quamvis enim non sit negandum ita contingere ordinariè; non est ratio,

Etiam ob principia intrinseca.

quin etiam ob intrinseca principia utramque contradictionis partem probabilem, vel unam alterâ probabiliorem possimus opinari. Exemplum aptum affert Granadus: nam probabile est, non esse peccatum mortale, detegere uni, vel duobus viris gravibus ac secretis peccatum grave alterius, non tantùm ob auctoritatem Doctorum, Cajetani, Cordubæ, Sa: sed & rationem, quòd ea non videatur gravis infamia. Contrarium tamen etiam est probabile, nec tantùm ob auctoritatem Navarri, Soti, Valentiæ; sed & rationem: quia videtur ea gravis infamia. Aliqui enim mallent conscios esse plures è vulgo, quàm unum virum gravem. Ratio universalis est, quia sicut opiniones, ita rationes oppositæ possunt videri probabiles. Imò, rationes sunt etiam quædam opiniones, v.g. in casu allato, quòd ea sit, & non sit gravis infamia. Clarius est unum posse videri probabile ex ratione à priori, alterum à posteriori, seu ab absurdo; ut clarissimum est, utrumque posse videri probabile ob principia tantùm extrinseca, seu auctoritatem Doctorum opposita sentientium.

Nota Primò, aliud esse minùs vel magis probabile; aliud minùs vel magis tutum. exempli causâ: dubium est, sítne aliquid restituendum, necne: si plures Doctores judicent non esse restituendum, vel melior ratio id suadeat; hoc erit probabilius. Tutius tamen erit restituere, adeoque id faciendum existimare. Quia restituendo declinabitur omne periculum peccati, etiam materialis contra justitiam: cui periculo exposita est opposita sententia. 70.

Aliud est minùs probabile, aliud minùs tutũ.

Ubi Nota Secundò, eam opinionem vel partem dici tutiorem, quæ nulli vel minori periculo peccati formalis, vel etiam materialis, exposita est. Ita ferè juxta commu-

Opinio tutior est quæ nulli, vel minori periculo peccati exposita.

nem

nem docent Medina 1.2.quæst. 19. art. 6. quæst.4. concl.4. Vasquez disp. 66. cap.1. initio, & colligitur ex capite, *Ad audientiam*, de homicidio, & cap. *Significasti*, 2. eodem. Minus periculum voco, quod est etiam minoris peccati materialis; quia in concursu duorum præceptorum incompatibilium, violandum esset quod minùs obligaret. Quibus positis, quæstio esse potest de opinione magis tutâ & minùs probabili, atque etiam de magis probabili minùs tutâ, & maximè de minùs tutâ simulque minùs probabili.

71. *Laudabile est sequi opinionē magis tutā, minus probabilem.*

Dico Primò: Licitum, imò laudabile, est sequi opinionem magis tutam, etsi minùs probabilem. est certa & communis.

Probatur: quia ex unâ parte nullâ lege tenemur facere quidquid probabilius est licere; ex alterâ laudabile est evitare omnem umbram ac periculum etiam materialis peccati, cui non desinit esse obnoxia opinio quamvis probabilior, quia non certa. Itaque non tantùm licitum, sed laudabile erit, sequi opinionem magis tutam, etsi minùs probabilem, v.g. abstinendo à contractibus probabiliùs, non tamen certò licitis. Qualia sunt cambia, Francofurtense, & præsertim Bisuntinum, seu Placentinum, aliaque. Similiter, quod attinet ad usum Sacramentorum, probabilius est attritionem etsi cognitam, sufficere ad Sacramentum & effectum pœnitentiæ. Non est tamen dubium, quin multò laudabilius & tutius sit in praxi sequi contrariam sententiam; nec accedere ad illud Sacramentum, nisi contritum.

72. *Licet sequi opinionē magis probabilē, minus tutam.*

Dico Secundò: Licet sequi opinionem magis probabilem, etsi minùs tutam. est etiam satis certa & communis.

Probatur Primò, ab absurdis: quia alioquin improbandi essent plurimi contractus, actusque humani, qui jam ubique receptissimi sunt etiam inter doctos & probos: quod sine maximâ commercii humani jacturâ, & conscientiarum etiam piarum turbatione fieri non posset. Ita deberent damnari cambia jam dicta, atque etiam Montes Pietatis in Belgio usitati, nec liceret in mutuo quidquam recipere ultra sortem ratione lucri cessantis. Similiter omnes diebus festis deberemus in nobis excitare dolorem de peccatis; & qui peccasset, sub novo peccato deberet primâ occasione confiteri; & semper in confessione explicanda esset circumstantia diei festi, quo peccatum commissum est. Quæ aliaque ob auctoritatem Doctorum sunt probabilia, etsi minùs; magis tamen tuta: opposita autem, etsi magis probabilia, sunt minùs tuta.

Probatur Secundò, ratione: quia, etsi iis & similibus casibus sit aliquod periculum peccati materialis,

rialis, id tamen est parvum, cùm probabilius sit non esse juxta probabiliorem opinionem, quam sequimur: parvum autem periculum non tenemur vitare tam magno incommodo, ut constat ex dictis, & à fortiori constabit ex dicendis sequ. conclusione.

73. *& minùs probabilē, minùsq; tutam.* Dico Tertiò: Licet etiam sequi opinionem minùs probabilem & minùs tutam. est Medinæ 1.2.q.19. art.6. Arragonii 2.2. qu.63. art.4. & communis recentiorum, quos citat & sequitur Sanchez num. 14. è quibus multi idipsum exprimunt, scilicet jam esse communem, nominatim Filiucius tract.21. cap.4.num.128. & Diana tract.13. de opinione probabili, resolut. 1. Contra plures antiquiores Angelum in Summâ verb. *Opinio*, Silvestr. ibidem quæst. 2. Sotum in 4. dist.18. quæst. 2. art.5. Cordubam lib.2. quæst.3. Cajetan. in Summâ verbo *Opinionis usus*; qui tamen cum quibusdam aliis explicari posset de conscientiâ, non opinione minùs probabili.

Probatur Primò, ex dictis superiori cap. non tantùm à pari, sed fortiori. Quòd enim conscientia sit practica & ultima regula actûs, non minuit, sed auget difficultatem, seu periculum peccandi, & quidem formaliter contra rectam rationem, ultimam actûs humani regulam, scilicet quoad æstimationem operantis conscientiâ minùs probabili, etsi aliàs reverâ nullum subsit periculum, juxta ibidem dicta. At verò operans secundùm opinionem minùs probabilem, tantùm se exponit periculo peccati materialis. Si ergo liceat sequi conscientiam, etsi minùs, verè tamen probabilem, magis licebit opinionem. Quare nemo est Doctorum quem legerim, qui id concedat de conscientiâ, neget de opinione; etsi aliqui concedant de opinione, negent de conscientiâ. Quare etiam rationes allatæ pro conscientiâ à fortiori id probant de opinione: quòd sequens opinionem verè probabilem agat prudenter, nec plus requiratur ad benè agendum, nemoque teneatur agere prudentiùs & meliùs, sed prudenter & bene. Aliàs omnes deberent non tantùm servare præcepta, sed sequi consilia: quòd nimis difficile sit & incertum, quæ opinio probabilior, aliaque ibi dicta.

Neque refert quòd tu judices contrarium esse probabilius, quia cum eo rectè consistit quòd fortè illud sit falsum, ut judicant viri te sapientiores. Imò monitum Sapientis est Proverb. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*. Et: *Ne sis sapiens apud temetipsum*.

Confirmatur. Non tenentur Christi fideles ad majorem delectum opinionum in praxi operando, quàm Doctores in speculatione docendo: imò potiùs ad minorem, cùm minùs de earum majo-

majori vel minori probabilitate judicare possint: sed Doctores prudenter censentur docere, nec à quoquam reprehenduntur, si doceant opiniones verè, etsi minùs probabiles: ergo & isti juxta eas prudenter & irreprehensibiliter operantur.

74. Probatur Secundò: ut fatentur adversarii, licet sequi opinionem minùs tutam, quando est probabilior: ergo etiam quandocumque est probabilis.

Probatur consequentia. Si licet aliquando sequi minùs tutam, ergo falsum est debere evitari omne periculum peccandi etiam materialiter. Quâ causâ & argumento cessante nulla certè est ratio, quin possimus in re dubiâ nos conformare sententiæ à viris & rationibus gravibus confirmatæ. Nec obest quòd contraria sit & videatur mihi probabilior, quia non ideò cessat verè ejus probabilitas, sufficiens fundamentum prudenter adeoque bene agendi.

Cùm sequor sententiã meo etiã judicio minùs probabile, non ago cõtra, sed juxta conscietiam.

Unde etiam apparet, me, dum contra meam opinionem probabiliorem, sequor contrariam probabilem, non agere contra, sed juxta conscientiam; quâ prudenter judico mihi illud licere. Neque illi repugnat judicium, quòd illa sit probabilior; tum quia illud non est practica conscientia; sed speculativa opinio; tum quia, ut antè dixi, non repugnat aliquid mihi esse probabilius, & oppositum probabile. Unicâ hac probatione facilè solvuntur duo præcipua, & ferè sola argumenta contrariæ sententiæ, quòd, scilicet opinionem minùs probabilem sequens, exponat se periculo peccandi, agatque contra conscientiam suam.

Probatur ultimò, argumento ad hominem; licet saltem secundùm adversarios sequi opinionem probabiliorem, relictâ minùs probabili: atqui nostra hæc sententia non tantùm praxi est commodior, sed ratione & auctoritate probabilior; adversariorum minùs probabilis: ergo licet illam sequi hac relictâ, vel ipsis judicibus: nostra autem sententia est, quòd liceat sequi opinionem minùs probabilem: itaque si illam, & hanc licet sequi. 75.

Conclusio est moraliter & practicè certa.

Ex quibus sequitur Primò, hanc sententiam posse dici & haberi non tantùm multò probabiliorem, sed moraliter & practicè certam; ita ut excludat prudens dubium. Quia & melioribus fundamentis nititur, & est communis Doctorum recentiorum: quorum auctoritas, quia expenderunt rationes omnes antiquorum, majoris est ponderis. Satis apparet, antiquiores saltem plures non satis hanc quæstionem explicasse, nec distinxisse inter opinionem & conscientiam probabilem. Probabilior est eorum sententia de conscientiâ strictè sumptâ juxta dicta cap. præcedenti.

Sequi-

Sequitur Secundò, axioma illud: In dubiis eligenda est via tutior, non esse intelligendum de præcepto, nisi in dubiis strictè sumptis, juxta dicenda libro sequ. Nec enim de iis & opinativis est eadem ratio, ut putat Salas sect.18. num.158. qui enim operatur dubio stricto & negativo, nullo probabili fundamento nititur; ideóque non potest non operari temerè & imprudenter: secùs qui operatur dubio lato, ac probabiliter opinativo, ut jam ostendi. Quare etiam etsi speculativè utrobique possit esse æquale periculum materialis peccati, non tamen practicè quoad modum operandi.

76\. *Privilegio probabilis sententiæ fruuntur etiam indocti.* Adverte Primò, eo privilegio probabilis sententiæ gaudere non tantùm doctos, qui norunt examinare & judicare de probabilitate variarum sententiarum; sed etiam indoctos, modò forment opinionem sibi, juxta capacitatem & conditionem suam verè probabilem, juxta dicta cap.3. Neque ad hoc necesse est sciant, & expresè judicent licere sequi opinionem probabilem: sufficit ea ipsis verè probabilis sit.

& adversarii. Adverte Secundò, eodem privilegio frui posse etiam adversarios, etsi nostram sententiam putent minùs probabilem; quòd scilicet eo ipso frui liceat, quia, modò nihilominus putent probabilem, de illis etiam procedunt rationes allatæ.

Ex dictis collige Primò, quamvis juxta dicta cap.2. probabilitas opinionis non consistat in indivisibili, sed detur non tantùm major & minor, sed & minima probabilitas, uti etiam maxima; si non tantùm minùs, sed minimè probabilis sit; id est, habeat minimum gradum probabilitatis; licere eam sequi, modò verè probabilis sit. Id enim probant rationes allatæ. Unde sequitur propriè loquendo non posse dari casum, quem habet Sanchez num.25. & definit, quòd aliquando opinio ita parum probabilitatis habeat, ut eam sequi non liceat, nisi urgeat periculi gravis vitandi necessitas, vel res non patiatur moram, scilicet juxta conclus.2. cap.4. Nam, ut jam dixi, quantumvis parum habeat probabilitatis, modò eam habeat, semper licet eam sequi. Vera tamen est hæc responsio de opinione non quidem probabili, sed semiprobabili, vel propè ad probabilitatem accedente. Qualis esset quæ niteretur ratione non magni, sed alicujus momenti, vel auctoritate ejusdem ponderis, v.g. viri mediocriter docti. Nec puto Sanchez aliud intendere. 77. *Licet sequi opinionē etiā minimo gradu probabilem:* *non licet ferè, vel semiprobabilem.*

Collige Secundò, quid dicendum ad casum, quem idem disputat num. 24. Anin conscientiâ tutus sit, qui statuit vel solet consulere Doctores varios, donec tandem inveniat aliquem respondentem 78.

tem ad beneplacitum suum. Aliqui eum damnant, aliqui excusant. Sed est distinguendum: quia vel intendit consulere varios, qui omnes possint velintque probabiliter respondere, & est tutus in conscientia: quia non intendit sequi nisi opinionem probabilem, etsi ex probabilibus unam quærat sibi commodiorem: vel intendit consulere varios, sive responsuros putet probabiliter, sive non; & non est tutus, quia paratus sequi sententiam non probabilem.

Tutò consulis Doctores varios si responsuros putes probabiliter: secùs, si aliquos improbabiliter.

79. Collige Tertiò, à fortiori licere sequi opinionem probabilem in dubio strictè sumpto, cùm propter principia intrinseca neutri parti contradictionis assentiris, sed ob extrinseca judicas alterutram probabilem: si enim potes sequi opinionem probabilem contra positivam tuam, multò magis poteris contra negativum dubium.

Conclusio universaliter vera est, etiam citra incommodũ.

Collige ultimò, conclusionem veram esse universaliter, seu licere sequi opinionem verè, etsi minùs probabilem & tutam, etiam citra incommodum, & specialem causam in hoc vel illo casu particulari; etsi contrarium videatur sentire Salas sect. 6. num. 70. & sect. 22. in fine: quia rationes allatæ id probant, abstrahendo ab ejusmodi incommodo. Quamvis in genere grave incommodum esset non licere in particularibus casibus, quamvis citra particularia incommoda; sequi opiniones probabiles, ut dixi. Aliàs verè evertitur conclusio, & privilegium sententiæ probabilis.

Dico tamen Quartò: Consultius ac laudabilius est, non sequi opiniones minùs probabiles, minusque tutas, absque justâ ac speciali causâ. 80.

Cõsultius est non sequi opiniones minùs probabiles minusq; tutas.

Probatur facilè ex mente Doctorum omnium: quia qui sequitur ejusmodi opinionem, verè se exponit periculo probabili, imò probabiliori, saltem materialis peccati. Hoc autem etsi peccatum non sit, cùm contrarium est probabile juxta jam dicta, est tamen aliqua inordinatio & imperfectio; si fiat absque justâ causâ, ut per se satis constat, & magis apparebit è dicendis sequ. libro.

Itaque qui sequitur opinionem probabilem minùs tutam, etsi sine speciali causâ, operatur prudenter & licitè juxta præcedentem; qui tamen non sequitur, operatur prudentiùs & laudabiliùs juxta hanc conclusionem. Quare etsi in dubiis latis, ac probabiliter opinativis, non sit eligenda via tutior ex præcepto juxta præcedentem; est tamen ex consilio juxta hanc conclusionem. Quare in illum quadrare etiam aliquo modo videtur illud Ecclesiastici: *Qui amat periculum, in illo peribit*. Amare enim illud videtur, qui suo quasi motu absque justâ causâ illud subit. Dixi, *Absque speciali & justâ causâ:*

quia hæc facilè potest efficere, ut, quod sine illâ erit licitum, fiat cum eâ laudabile; ut gravis causa, aut necessitas reddit etiam illud necessarium, juxta dicenda cap. 8. Specialem autem voco, aliquam distinctam ab illis communibus, ob quas dixi licere sequi sententiam, vel etiam conscientiam verè, etsi minùs probabilem. Juxta hanc conclusionem intelligenda sunt, eamque confirmant capitula quæ ab aliquibus allegantur contra præcedentem. Nam hoc sensu & ratione cap. *Capellanus*, de feriis, Pontifex eligit ex duabus opinionibus illam, quæ meliori & subtiliori nititur ratione. eodemque modo intelligi potest id, quod cap. *Si quis autem*, de pœnitentiâ, distinct. 7. dicitur ex Augustino: *Ergo tene certum, & dimitte incertum*. Agit autem Augustinus iis verbis homiliâ 41. inter 50. de non differendâ pœnitentiâ usque ad finem vitæ, quando peccata potiùs deserunt peccatorem, quàm peccator peccata. Plura alia capitula, quibus dicitur in dubiis tutior pars eligenda, explicanda sunt de dubio stricto, juxta dicenda libro sequenti.

Caput VII.

An eidem conscientiæ conveniant, & quomodo differant probabilitas ac veritas speculativa & practica?

Cajetanus tom. 1. opusc. tract. 31. resp. 13. dubio ult. ut distinguit duplicem cognitionem, speculativam & practicam, ita docet propositionem seu opinionem, adeoque conscientiam, posse esse dubiam, seu probabilem, speculativè, & in communi; certam verò practicè, & in particulari. Quam doctrinam sequitur Navarrus in Summa prælud. 9. num. 9. & fusiùs in cap. *Si quis autem*, cit. Sotus in 4. d. 27. quæst. 1. art. 3. sub finem, Corduba libr. 3. de conscientiâ, quæst. 5. post primam propositionem; & alii tam antiquiores, quàm recentiores, qui etiam solent diversimodè loqui de veritate ac probabilitate opinionis speculativâ & practicâ. Vasquez tamen, quem sequuntur aliqui recentiores, disp. 62. cap. 5. putat illam carere fundamento, etsi addat multos recentiores eam sequi, & magni facere. 81.

Nota, hæc disputari posse de conscientiâ, opinione, vel propositione spectatâ, non tantùm intrinsecè ratione sui, sed etiam extrinsecè ratione alterius opinionis,

seu

ſeu propoſitionis, cui illa inniti-tur; quomodo jam ſæpiùs dixi ſumi conſcientiam, cui ſtrictè ſumptæ pro practico & ultimo dictamine, potiſſimùm convenit alteri propoſitioni tamquam fundamento inniti. Ita, v.g. putas tibi licitum ac bonum, ſumere ſacroſanctum Sacramentum Euchariſtiæ; quia putas te bene confeſſum, vel eſſe in ſtatu gratiæ. At verò conſcientiæ latiùs ſumptæ, pro opinione quavis morali, etſi ſpeculativâ, potiùs convenit dirigi & applicari ad actionem per ejuſmodi practicum conſcientiæ dictamen; quo modo in exemplo allato fretus opinione, quâ putas te eſſe in ſtatu gratiæ, accedis ad ſacroſanctum Sacramentum, eam quodammodo redigendo ad praxim, ut in exemplis aſſerendis rediguntur ad praxim opiniones, etſi tantùm probabiles, de valore Sacramentorum. Vel diſputari poteſt de unico dictamine conſcientiæ, ſeu propoſitione tantùm ſecundùm ſe & intrinſecè ſpectatâ, v.g. quâ judicas certò vel probabiliter tibi licitum vel bonum eſſe, ſacroſanctum Sacramentum ſumere.

82. *Idem dictamen conſcientiæ latiùs ſumptæ poteſt eſſe improbabile practicè, probabile ſpeculativè.*

Dico Primò: Priori ſenſu idem dictamen conſcientiæ, ſeu opinio, poteſt eſſe probabilis vel certa practicè, & incerta vel falſa ſpeculativè; aut etiam contrà, probabilis & vera ſpeculativè, improbabilis & falſa practicè.

Probatur & explicatur exemplis, juxta communem omnium doctrinam, & communiorem ſaltem modum loquendi. Primò, dubius an poſſideas rem alienam, probabilem vel certam conſcientiam ac opinionem formas, quòd hîc & nunc nil debeas reſtituere. Quo caſu practicum hoc dictamen, quòd nil reſtituere debeas, eſt practicè & intrinſecè probabile, vel certum; ſpeculativè autem & extrinſecè poteſt eſſe falſum; quòd reverà res, quam poſſides, aliena ſit, ſeu falſa ſit opinio, cui illud innititur, quòd res illa tua ſit. Idem dicendum eſſet, ſi falsò putares non tantùm dubium, ſed certum rem tuam eſſe. Contrà verò alter dubius, etſi probabiliter, an tu rem ſuam poſſideas, improbabilem & falſam conſcientiam ſibi formaret, quòd eam poſſet tibi eripere. Quò caſu hæc ejus conſcientia eſſet practicè improbabilis, ſpeculativè probabilis. Secundò, ſimiliter in materiâ Sacramentorum, conſcientia quam format Confeſſarius, quòd debeat abſolvere tantùm attritum, eſt practicè certa; etſi ſpeculativè tantùm ſit probabilis, quatenus probabile tantùm eſt, quòd attritio, ſcilicet cognita, ad Sacramentum & abſolutionem ſufficiat. Contrà, in articulo mortis conſcientia, quam formaret ſibi moribundus, quòd tantùm attrito liceret Sacramentum pœnitentiæ & abſolutionem recipere, eſſet practicè improbabilis

bilis & falsa, etsi speculativè probabilis, quatenus probabile est attritum absolutionis capacem esse. Tertiò, in hac ipsâ materiâ juxta dicta superioribus capitibus, quãvis reverà putes opinionem aliquam falsam, potes certò vel probabiliter judicare, quòd illam sequi liceat, quia probabilem. Quo casu judicium hoc erit practicè certum, vel probabile, speculativè falsum. Quorum & similium exemplorum veritatem sigillatim probare, non est hujus loci; universalem aliquam rationem assignabo sequentibus capitibus.

83. Probatur hîc tantùm modus loquendi, adeoque conclusio ratione indicatâ: quia cùm diversæ opiniones sibi respondeant, non est mirum unamquamque non tantùm denominari à veritate, seu significatione sibi intrinsecâ, quæ ipsi convenit ratione intrinsecorum ejus terminorum; sed etiam à veritate seu significatione extrinsecâ, quæ ipsi tribuatur, & participetur ratione propositionis alterius, cui ipsa innititur, vel quâ ipsa quasi applicatur. Neque mirum est in diversis propositionibus fundari diversas, imò contrarias denominationes.

Confirmatur: quia juxta communem sententiam modumque loquendi, etiam adversariorum, ipsum conscientiæ nomen eâ ratione & sensu commune est & tribuitur non tantùm practico & ultimo dictamini, seu & speculativæ opinioni illud fundanti. Nam hoc sensu ab omnibus dividitur conscientia in sua membra, rectam, probabilem, dubiam, erroneam, ac scrupulosam: sub quibus membris omnes comprehendunt etiam opiniones, juxta dicta lib.1. cap.9. & alibi. Si ergo diversæ propositiones à se invicem denominentur conscientiæ, non est mirum, sed conveniens ac consequens, ut etiam denominentur à se invicem, probabiles vel improbabiles, veræ vel falsæ.

Adverte tamen, uti magis propriè dicitur conscientia, practicum & ultimum dictamen quale est intrinsecè; ita etiam eam magis propriè denominari, v.g. probabilem vel improbabilem à probabilitate vel improbabilitate sibi intrinsecâ. Quare cùm dubius de possessione rei alienæ, judicas hanc non debere restitui; propriè & strictè hæc conscientia est probabilis vel certa. Idemque dicendum de quavis opinione, etiam speculativâ, quæ item simpliciter dicenda esset talis, qualis est intrinsecè ratione sui; nisi addatur practicè: quia cùm dicitur improbabilis practicè, satis apparet sensum esse, quòd sit improbabile, ejus praxim seu usum esse licitum, seu licere eam sequi in praxi, juxta dicenda seq. cap. Imò hinc iterum confirmatur conclusio: Idem est, opinionem practicè esse improbabilem vel certam, quod, 84.

Magis propriè cõscientia dicitur probabilis à probabilitate intrinsecâ.

quod, certò non licere, vel licere eam in praxi sequi: atqui juxta omnes, opinionem licèt aliàs probabilem, certò aliquando non licet, aliquando licet sequi: ergo eadem practicè potest dici improbabilis, vel etiam certa. Imò hæc est conveniens, quia expedita satisque clara locutio.

85. *Idem quoque dictamen conscientiæ strictè sumptæ potest esse speculativè falsũ, practicè verum.*

Dico Secundò: Etiam posteriori sensu idem dictamen practicum conscientiæ, potest secundùm se esse speculativè falsum, vel tantùm probabile, practicè verum ac certum. Hæc etiam conclusio videtur reverà communis, vel saltem communior, contra recentiores citatos: saltem quoad modum loquendi.

Probatur Primò, & explicatur exemplis antè allatis, juxta communem doctrinam. Primò, quia, ut dixi cap. illo 9. Jacob putans sibi licitum ad Liam accedere, habuit conscientiam speculativè falsam & erroneam, practicè veram ac certam. Quamvis autem ejus speculativa falsitas refundi possit in alium errorem, quo putabat eam esse suam conjugem, juxta præcedentem conclusionem; id tamen non est necesse, cùm eadem illa conscientia, & propositio etiam secundùm se falsa fuerit speculativè, abstrahendo ab omni aliâ opinione juxta sequentem probationem. Secundò juxta communem sententiam recentiorum, etiam adversariorum, probatam cap. 5. conscientia absolutè tantùm probabilis, est sufficiens, adeoque certa regula actûs boni: quo sensu eadem speculativè, quatenus talis cognitio & opinio, est tantùm probabilis; practicè, id est quatenus regula actûs, est certa.

86. Probatur Secundò, certâ clarâque doctrinâ & ratione Aristotelis, D. Thomæ, ac Scoti, explicatâ lib. 2. cap. 1. Quia veritas intellectûs practici, scilicet quatenus practicus est, adeoque conscientiæ, desumitur per conformitatem ad appetitum seu voluntatem rectam, actusque ab ipsâ imperatos. Quandocumque ergo conscientia verè & certò conformabitur, vel diriget voluntatem rectam, ipsa erit vera & certa: atqui in casibus & exemplis allatis, & conscientia Jacob aliàs erronea, & conscientia probabilis verè & certò sunt conformes, ac dirigunt voluntatem rectam, actusque ab eâ imperatos: ergo ipsæ erunt veræ & certæ. Unde apparet, conclusionem hanc intelligendam tantùm esse de conscientiâ, id est, dictamine practico, ut in illâ dixi: quod proinde simpliciter potiùs dicendum est tale, quale est practicè in casibus dictis verum & certum; ut dixi lib. 1. c. 9. n. 66. Non desinit tamen ideò conscientia Jacob esse speculativè falsa & erronea, & conscientia aliis casibus tantùm probabilis: quia verè tales sunt, si conformentur ad rem; non

appetitum rectum, id est, si comparentur cum objectis suis, qualia sunt à parte rei, abstrahendo à praxi seu operatione, juxta eamdem doctrinam.

Unde apparet, hac ratione diversas denominationes convenire eidem conscientiæ seu propositioni diverso respectu; non ad aliam propositionem, ut in præcedenti conclus. sed vel ad rem ipsam, vel operationem.

87. *Insufficiēter distinguitur cognitio speculativa & practica, quòd hæc versetur circa rem singularē, illa universalem.* Ex dictis collige Primò, non sufficienter nec ex mente Aristotelis & D.Thomæ à recentioribus quibusdam explicari, & distingui cognitionem speculativam & practicam; quòd illa versetur circa rem universalem, hæc verò singularem cum omnibus suis circumstantiis hîc & nunc: quamvis enim ordinariè ita fiat, non est tamen necessarium; quia & potest cognitio rei, imò & operis, singularis abstrahere, nec dirigere praxim: quo casu non erit practica. Et contrà potest cognitio rei universalis, v.g. honesti in genere, dirigere praxim, id est, excitare & dirigere amorem honesti in genere. Quo casu quis neget eam esse practicam? Omnis bonus actus etiam circa honestum in genere debet dirigi actu & dictamine practico prudentiæ, ac conscientiæ juxta communem & certam sententiam. Prætereà satis clarum videtur, aliud esse, cognitionem esse speculativam, quàm versari circa rem vel etiam actionem universalem: aliud esse practicam, quàm versari circa singularem.

Itaque cognitio speculativa est, quæ versatur circa rem, prout est à parte rei, nil circa eam mutando: sub quâ etiam comprehenditur opus, modò ab eâ non promanet, aut dirigatur: qualis tamen sæpiùs esse solet cognitio rei universalis. *Speculativa est quæ nil mutat circa rem, practica quæ mutat.* Cognitio practica, quæ non tantùm versatur circa opus internum & externum, sed illud aut voluntatem illud imperantem excitat & dirigit, adeoque mutat actu vel potentiâ. Cujusmodi est dictamen conscientiæ suo loco definitum, quod pro objecto, adeoq; fine suo habet praxim seu operationem, & sæpiùs est cognitio operis singularis. Quo sensu dubium practicum bene distinguit à speculativo Corduba cit. quòd illud, de quo dubitatur practicè, ordinetur ad opus; non autem id, de quo speculativè. Quibus tamen non repugnat sed consonat, quòd ex communi sensu Doctorum ea sit cognitio practica, quæ hîc & nunc singularem actionem dirigit, scilicet actu vel potentiâ: quod est proprium conscientiæ. Alia autem quæcumque cognitio censeatur speculativa: vide dicta lib. 1. num.36.

Hinc collige Secundò, frustra ab iisdem recentioribus oppugnari doctrinam Cajetani aliorumque, & conclusionem nostram, 88.

argu-

argumentis, quibus probant non posse aliquid esse licitum vel illicitum, v.g. contractum in universali, nisi etiam sit in singulari: sicut homo non potest esse rationalis, nisi talis sit Petrus & Ioannes. quod tam clarum est, ut non egeat probatione.

Sed Primò, non repugnat huic conclusioni. Ut enim cognitio speculativa falsa sit, practica autem vera; non debet illa talis esse circa rem universalem, hæc particularem, ut illi supponunt: sed illa debet esse falsa circa rem, id est difformis rei; hæc vera circa opus, id est conformis appetitui recto, & operi ab illo imperato. quæ duo non repugnant: sed optimè consistunt, ut jam ostendi.

Dubius potest esse de contractu in communi, certus in particulari.

Secundò, bene consistunt hæc duo; ut quis dubitet de contractu in communi seu secundùm se spectato, certus tamen sit de eodem in singulari, seu hîc & nunc spectato; scilicet ob peculiarem aliquam rationem ac circumstantiam. Quo item sensu rectè Corduba, qui immeritò citatur pro contrariâ sententiâ, loco citato docet, dubitantem speculativè teneri dubitare etiam practicè, nisi aliquâ caussâ aut ratione excusetur: ut cum illo dicam libr. sequ. cap. 2. conclus. ult.

89. Collige Tertiò, quomodo doctrina applicari debeat exemplis Cajetani & Navarri, quæ Vasquez dicit nil habere momenti. Potest enim quis conscientiâ practicè verâ & certâ putare sibi hîc & nunc licere aliquid supra sortem recipere ex mutuo, ratione lucri cessantis, etsi dubitet speculativè, vel probabiliter tantùm putet, ejusmodi contractum secundùm se & absolutè licitum esse: quod est exemplum Cajetani. Similiter potest quis absque scrupulo existimare sibi licitum hîc & nunc iter die festo conscientiâ item practicè certâ, etsi dubitet speculativè, an reverà iter die festo facere sit licitum: quod est exemplum Navarri. eademque erit ratio de similibus. Nec tantùm unicâ, sed duplici, vel triplici ratione & sensu utrumque verum est.

Primò enim potest quis ob alicujus auctoritatem, aut peculiarem necessitatem putare utrumque sibi hîc & nunc licitum, etsi aliàs dubitet an secundùm se licitum sit. Quo modo dubitabit speculativè, certus erit practicè. Secundò, eo ipso quo dubitat, seu probabiliter putat utrumque secundùm se licere, etsi cum formidine de opposito; conscientiâ hac probabili absque novo judicio potest licitè, imò laudabiliter id facere: quo casu illa eadem conscientia erit speculativè tantùm probabilis, practicè certa, juxta hanc conclusionem & dicta cap. 5. Vel Tertiò, conscientiæ illi probabili potest superaddere judicium certum, quòd sibi hîc & nunc

utrum-

utrumque liceat; quo casu erit illud practicè certum, etsi speculativè tantùm probabile, vel etiam falsum, juxta hanc conclusionem, & dicta cap. 6. Quæ hîc dixi de conscientiâ probabili, dicam quoque de dubiâ lib. seq. cap. 1. num. 8. ubi hæc confirmabuntur.

90. *Advocati etiā potest opinio esse speculativè probabilis, practicè improbabilis.*

Collige Quartò, posse alicui, v.g. Advocato, opinionem aliquam esse speculativè seu theoricè probabilem, quia docetur à Fabro, Cujacio, alioque; practicè tamen improbabilem, quia non est recepta à judicibus ob consuetudinem loci, aliámve rationem, aut circumstantiam. Quo item sensu potest dici probabilis in scholis, non tribunalibus: cui tamen non repugnat, quin ordinariè practica probabilitas innitatur theoricæ, tamquam effectus suæ causæ; illæque opiniones communiter sint etjam in praxi solidiores, quæ in scholis disputatione ac speculatione bene sunt discussæ. Juxta quæ conciliari inter se possunt hac de re diversæ, non tam sententiæ, quàm locutiones, quas refert Diana citatus resolut. 5. & 12.

Capvt VIII.

An & quâ ratione necessarium sit sequi opinionem, aut conscientiam probabilem?

91. Status hujus quæstionis jam colligitur ex præced. cap. an scilicet opinio seu conscientia speculativè tantùm probabilis, sit aliquando practicè certa, adeoque necessaria; vel contrà practicè illicita, adeoque improbabilis. Et quidem ex dictis cap. 6. constat, si opinio sit probabilis, quòd hoc vel illud liceat omnibus consideratis; hoc ipso licitum esse, nō illicitum, illud sequi: &, si utraque pars contradictionis sit probabilis, quòd liceat, & quòd non liceat; hoc ipso non esse necessarium illud sequi. Non est tamen necesse, ut, quod secundùm unam rationem ac considerationem est licitum, vel illicitum, tale etiam sit omnibus consideratis.

Sæpè necessarium est exercere practicè quod tantū probabile est valere.

Dico Primò: Obligatione charitatis, justitiæ, obedientiæ, aliarumque virtutum, sæpè necessarium est exercere aliquid in praxi, quod tantùm probabile est speculativè valere aut licere, spectatâ ejus naturâ, vel particulari aliquâ conditione. Universalem hanc regulam colligo ex communi responsione Doctorum ad particulares casus jam explicandos.

Probatur tamen antè ratione universali: quia ultimum judicium ac dictamen practicum conscientiæ, quod proximè actus humanos dirigit, ut prudens sit, debet desumi ex omnibus ejus circumstantiis, seu omnibus consideratis hîc & nunc: ergo non est mirum, quòd aliud sit circa rem hoc modo spectatam, quàm tantùm secundùm natu-

naturam suam, aut particularem conditionem. Imò hoc necessarium est; quia minima circumstantia seu ratio superveniens mutat totum casum, adeoque judicium de eo formandum. Juxta universalem hanc regulam & rationem resolvendi sunt particulares. quare

92. *Confessarius debet absolvere pœnitentē secundùm hujus opinionē probabilem, contra suam.* Dico Secundò: Confessarius contra suam opinionem non tantùm potest, sed debet, pœnitentem absolvere secundùm probabilem ipsius. Exempli causâ, pœnitens confitetur se inivisse contractum sibi lucrosum, ac probabiliter justum: quem tamen Confessarius putat usurarium; non tantùm potest, sed debet eum absolvere, etsi nolit ab eo deinceps abstinere, ac lucrum restituere. Ita Navarr. in Summâ cap. 26. num. 4. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 3. art. 5. ad 5. Azor tom. 1. lib. 2. cap. 17. quæst. 10. Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 32. sect. 5. estque ferè communis, præsertim recentiorum, quos citat & sequitur Sanchez num. 28. Ratio est, quia Confessarius non tantùm potest, sed debet, absolvere pœnitentem, quem deprehendit ritè dispositum. Eo enim fine Christus Sacerdotibus tamquam judicibus contulit potestatem ligandi & solvendi, idque exigit recta judicii ratio: atqui in casu præsenti pœnitens est ritè dispositus, non tantùm ad Sacramentum, sed & ejus effectum, ut suppono; nec ponit obicem sequendo sententiam probabilem: quod licet juxta dicta: ergo Confessarius non tantùm potest, sed debet, eum absolvere. Itaque quamvis tantùm probabile sit contractum illum pœnitentis justum esse, iis tamen circumstantiis accedentibus, debet Confessarius practicè eam sententiam sequi, ac pœnitentem absolvere, quasi certò contractus justus esset.

Distinguunt aliqui inter Confessarium necessarium, seu Parochum proprium, qui tenetur audire confessiones ex officio; & inter voluntarium, qui tantùm ex commissione, ac charitate; quòd hic possit, ille etiam debeat. Sed ratio allata valet, & Doctores citati id docent de utrisque. 93. *Nec tantū necessarius, sed & voluntarius.*

Aliam distinctionem addit Joan. Medina, quòd Confessarius necessarius possit & debeat absolvere pœnitentem juxta ejus probabilem opinionem, etsi cedentem in damnum tertii; voluntarius ne quidem possit. Sed neque hæc distinctio recipienda est, tum quia, ut pœnitens sequens opinionem probabilem, non facit injuriam tertio; ita nec Confessarius eâdem ratione: tum quia Confessarius non minùs debet agere causam pœnitentis, ne restituat quod probabiliter non debet; quàm tertii, ut illi restituatur quod probabiliter debetur. Illud tamen discrimen est inter utrumque Confessarium, 94.

rium, ut rectè docet Vasquez disp. illâ 62. cap.7. num.39. quòd necessarius, seu Parochus, teneatur audire confessiones suorum cùm volunt, etiam extra tempus, quo illi ad confitendum obligantur: addiderim, etsi præsciret eos ita constitutos, ut velint sequi opinionem suæ contrariam; voluntarius, uti supponit casus, posset se excusare ab audiendis iis, quos nosset sic constitutos: postquam tamen audivit, debet absolvere.

95. Petes, an sub gravi peccato? Respondeo ex mente Suarez, Vasquez, Sanchez cit. excusari à mortali, vel bonâ fide, ac zelo erga probabiliorem sententiam; vel parvitate materiæ, ut si pœnitens tantùm venialia confessus sit, quæ facilè possit confiteri alteri. Aliàs ex genere suo videtur id mortale, quia graviter repugnat officio Confessarii, & institutioni sacramentali, eâque positâ juri pœnitentium. Unde apparet, secundùm speciem suam illud repugnare virtuti justitiæ, etsi prætereà repugnet reverentiæ erga Sacramentum, atque etiam charitati erga pœnitentes.

Obligatio illa est ex genere suo sub mortali.

96. Adverte ex mente Doctorum hæc etiam vera videri, etsi Confessarius putet opinionem pœnitentis esse improbabilem, modò hic bonâ fide putet probabilem. Ratio est, tum quia hic manet ita rectè dispositus ad Sacramentum, ejusque effectum; tum quia non ideò opinio verè est improbabilis, quia talis à Confessario creditur. Potest enim, ut sæpè contingit, haberi probabilis ab aliis: quibus pœnitens meritò potest credere, itaque formare sibi prudenter conscientiam probabilem. Imò ob easdem rationes eadem vera sunt, etsi opinio non tantùm judicio Confessarii, sed verè esset improbabilis: quia scilicet non debet esse certum aut verum, sed satis est, sit, ut ita dicam, probabile esse probabilem: hæc enim eo ipso practicè est probabilis, etsi speculativè improbabilis. In idem recidit, si dicas, sufficere opinio sit pœnitenti prudenter probabilis, etsi improbabilis Confessario; vel etiam absolutè. Quæ doctrina confirmatur aliâ communiter receptâ, quòd Confessarius possit, imò teneatur, absolvere aliquando pœnitentem juxta opinionem aliàs omnino improbabilem, ab hoc tamen creditam bonâque fide putatam veram, v.g. de valore matrimonii sui certissimè nullo: quando ex ejus notitiâ sequerentur majora peccata vel incommoda. Ob eamdem ergo rationem in casu proposito Confessarius non tantùm poterit pœnitentem juxta opinionem putatam probabilem absolvere; sed aliquando ne quidem poterit illi injicere scrupulum, aut monere de improbabilitate sententiæ; ne fortè, qui hactenus tantùm materialiter, deinceps verè peccet & formaliter:

Conclusio item vera videtur modò pœnitens bonâ fide, etsi falsò, putet opinionem suam probabilem.

liter: ut si constet eum nihilominùs practicè opinionem illam secuturum.

97. *Confessarius debet absolvere moribundum solis signis testantem dolorem.*

Dico Tertiò: Confessarius non tantùm potest, sed tenetur absolvere moribundum solis signis testantem dolorem, vel petentem absolvi, etsi ipse putaret absolutionis esse incapacem. Ita expressè Vasquez num. 40. & Coninck de Sacram. pœnitent. disp. 7. dub. 10. concl. 2. num. 105. & Præpositus de qualitate confessionis dub. 5. num. 84. qui certò ostendunt huic sententiæ non obstare definitionem Clementis VIII. Ratio est eadem, quia non tantùm probabile, sed multò probabilius est eo casu moribundum, illis ipsis signis implicitè confessum, absolutionis capacem esse: ergo tenetur Confessarius eam illi impendere: necessarius quidem non tantùm ex charitate; sed & ex officio & justitiâ, ut casu superiori: voluntarius ex charitate; ne fortè illa anima defectu negatæ absolutionis æternùm pereat.

98. Imò, non defuerunt nostro hoc tempore & Belgio qui dicerent docerentque, moribundum absolvi posse, etsi ne quidem signo ullo dolorem de peccatis testaretur. De quo rogatus fui sæpiùs an saltem esset probabile, adeoque practicè licitum?

Non est probabile absolvi posse moribundum, ne quidem signo testatum dolorem.

Respondi, atque etiamnum respondeo negativè; quia nemo, quod sciam, eam sententiam libris impressis docuit ut veram, vel probabilem. Imò Vasquez de pœnitentiâ quæst. 91. art. 2. initio dubii 1. addit ne quidem ullum id dixisse; certè si ea esset probabilis, deberent Doctores eam tradidisse in praxi tam commodam. Communis item Doctorum id asserentium confirmata communi Christi fidelium sensu est, quòd non consistat Sacramentum pœnitentiæ sine confessione aliquâ, qualis nulla hîc est, quæ, scilicet tamquam rei accusatio prærequiritur ad judicialem ejus absolutionem. Contrà ejusmodi autem sententiam, ut opinio reddatur probabilis, requiritur auctoritas certa, & magna juxta dicta num. 30. præsertim ubi agitur de valore Sacramenti; qui cùm pendeat ab institutione Christi, magis auctoritate & quadam traditione probandus, quàm ratione. Augustini, qui pro eâ sententiâ citatur, verba lib. 1. cap. ult. de Adulter. conjugiis, saltem nimis sunt dubia, cùm facilè aliter explicentur: ob rationem nunc tactam deberent esse clara, ut eam sententiam redderent probabilem. Quare Doctores ea expenderunt, & nihilominùs contrarium sentiunt: meritò itaque per suam Diœcesim illius sententiæ usum prohibuit Eximius & Rever. Dominus Malderus. His scriptis, dictam sententiam legi tract. 3. de absolutione moribundi, Antonini Dianæ, qui eam docet non ut veram, sed

probabilem ſaltem ex principio extrinſeco, id eſt, auctoritate, citatque pro more ſuo diligenter pro eâ auctores, & libellos aliquot: quos ego inſpicere ac conſulere non potui, credoque aliter explicandos, ſaltem plures. Non muto tamen judicium meum de probabilitate abſolutâ: quamvis poſſit illi concedi probabilitas aliqua reſpectiva, juxta dicta num. 34. Quia nec ex dictis auctoribus ſolvuntur argumenta indicata, præſertim de neceſſitate confeſſionis; nec ratio nova affertur, quam non examinarint alii Doctores, qui communiter tamen hactenus ſuppoſuerunt, & expreſsè plures rejecerunt dictam ſententiam ut improbabilem: præter Vaſquez, Coninck & Malderum citatos, Petrus du Fay citatus ab ipſo Dianâ; qui addit, eam practicari indiſcretè & ignoranter ſine ullo prorſus vel apparente fundamento. Certè auctores illius ſententiæ vix ducti aliâ ratione videntur ſe, etſi pauci, ſequi tamquam oves; eò quòd unus id aſſeruerit, & ſit favorabile in praxi: quaſi verò ideò neceſſariò probabile. Vide dicta num. illo 30. & 32 atque etiam 28. Quid ni dicant ſimili ratione probabile ac practicabile, quod aliqui item dixerunt, licere in neceſſitate confiteri, & abſolvi à laico, cùm deeſt Sacerdos? Quod attinet ad auctoritatem duorum Pontificum citatorum à Dianâ, ea nulla eſt; imò potiùs contraria, ut colligitur vel ex ipſis verbis ab eo allegatis. Nam Clemens VIII. tantùm dicitur ſic abſolviſſe conditionatè lapſum è fabricâ D. Petri. Vnde juxta jam dicenda infertur potiùs, non eſſe illam ſententiam verè probabilem: præterquam quòd ex variis indiciis factum hoc dicti Pontificis videatur vix credibile, ipſeque ut perſona privata in eâ errare potuerit. Gregor. XV. dicitur in quodam memoriali eam ſententiam tenuiſſe, quinimò juſſiſſe praxim. Verùm, ut conſtat ex verbis ab ipſo Dianâ citatis, addidit clauſulam planè juxta concluſionem: *Si tamen aliquis teſtetur, eum oſtendiſſe confitendi deſiderium.* Quare & hinc infertur contrarium, juxta axioma, Exceptio firmat regulam in contrarium. Præterquam quòd id factum ſit ab Archiepiſcopo Bononienſi, necdum Pontifice. Simili limitatione explicari poteſt, quod idem refert ex Sacerdotali Romano, poſſe abſolvi moribundum, quamvis Sacramentum non petierit, ſcilicet, modò ſaltem oſtenderit dolorem de peccatis. Ex quibus deſumi poteſt æſtimatio, vel explicatio aliorum ab eodem citatorum.

Adverte, quando probabile eſt licere hîc & nunc abſolvere, vel quodvis Sacramentum adminiſtrare; tunc non debere illud adminiſtrari conditionatè, ſed abſolutè. Itaque in caſu concluſionis 99.

Cùm probabile eſt licere, non debet adminiſtrari Sacramẽtum cõditionatè.

abſo-

absolutè absolvendus est moribundus signis testatus dolorem. Conditionatè administranda sunt Sacramenta in dubio strictè sumpto; ut si eodem casu dubium esset, an moribundus signo aliquo testatus esset dolorem de peccatis, vel tantùm vi morbi naturalem. Aliàs nimis sæpè administranda essent Sacramenta conditionatè præter morem Ecclesiæ. Quamvis nil vetet, quin etiam in dubiis positivis ea administrans possit secum concipere intentionem conditionatam, etsi non teneatur. Idem in simili, citans alios docet Diana tractatu de opinione probabili resolut. 13.

100. *Timeris dare pecuniâ aliter non administraturo Sacramentû necessarium.* Dico Quartò: Non tantùm licitum, sed necessarium est, dare pecuniam aliter non administraturo, v.g. Sacramentum baptismi infanti, vel adulto in necessitate, seu gravi vitæ periculo. Quia eo casu valdè saltem probabile est id licere, ut præter alios docet Lessius de Jure & justitiâ libr. 2. cap. 35. dubit. 7. num.39. eâ nimirum ratione, ut pecunia detur, non tamquam pretium baptismi, quod intrinsecè malum est, & simoniacum; sed ad redimendam quasi vexationem. Quo casu necessitatis cedit potiùs in reverentiam, quàm contemptum Sacramenti: & quia probabile, adeoque licitum est; exigitur omnino à charitate erga constitutum in eâ necessitate, ac periculo mortis, non tam corporalis ac temporalis, quàm spiritualis, & æternæ.

Ex iisdem principiis infertur Primò, absolvi debere pœnitentes pueros probabiliter absolutionis capaces, ob probabile signum judicii & dispositionis sufficientis; etsi non desit ratio dubitandi etiam probabilis, de eorumdē incapacitate, de quibus scrupulosè dubitant multi Confessarii: quia, ut suppono, nihilominus omnibus spectatis, est probabile esse capaces absolutionis: ad quam proinde obligat charitas. Quod confirmatur dicendis nu.113. quòd in similibus religio erga Sacramentum, quasi cedat charitati erga proximum; adeoque eligenda sit opinio favorabilis potiùs suscipienti, quàm Sacramento. Addo, juxta jam dicta absolutionem iis impendendam absolutè, non conditionatè. *Absolvēdi pueri probabiliter absolutionis capaces.*

Inferri videtur posse Secundò, subito morbo aut periculo mortis correptum, debere communicare per modum viatici, quamvis alio fine præcedenti vel eodem die communicasset. Quod, etsi Doctores non exprimant, necessariò sequitur ex eorum sententiâ, saltem valdè probabili, quam tradit nominatim Vasquez de Sacramentis disp. 214. num. 13. quòd nisi in morbo, præcepto divino tunc communicandi satisfieri non possit. Omitto alios particulares casus.

CAPUT IX.

An aliquando id sit illicitum?

101. *Sæpè illicitum est sequi conscientiam probabilē.* RESpondeo, & dico breviter: Simili ratione, & obligatione sub peccato, sæpè illicitum est sequi conscientiam ac sententiam probabilem. Est etiam communis, quia colligitur similiter ex communi responsione ad particulares casus etiam dictos. Quia Confessarius hoc ipso quo tenetur sequi practicè opinionem probabilem pœnitentis, non potest suam illi contrariam, licet fortè probabiliorem. Quare ratio quoque eadem est; quia eadem justitia vel charitas, quæ illum obligat ad sequendam sententiam pœnitentis, eo ipso vetat vel obligat ad non sequendam suam. Potest etiam aliquid probabiliter valere vel licere, secundùm rationem aliquam particularem, quod tamen non valeat aut liceat, omnibus consideratis.

102. Juxta universalem hanc regulam resolvuntur etiam particulares casus, & quidem clariùs quàm juxta præcedentem. Exempli causâ, probabile est, valere baptismum collatum infanti in digito. Certum tamen est, non licere practicè infantem in solo digito baptizare; nisi urgeat extrema necessitas ac periculum mortis, quo aliter baptizari non possit. Tunc enim non tantùm licitum, sed necessarium est sic baptizare juxta præcedentes conclusiones.

Similiter probabile est in Sacramento Extremæ unctionis non requiri ad ejus valorem quintuplicem repetitionem formæ, & unctionem quinque sensuum: quare approbante Universitate Lovaniensi, in Pastorali Mechliniensi declaratū aliquando fuit, tempore pestis sufficere inungi unicum sensum magis obvium sub formâ semel continuò prolatâ: *Quidquid deliquisti per visum, auditum,* &c. cujus sententiæ usus omnino illicitus est extra necessitatem. Imò & tunc saltem tutius est, & fermè æquè commodum, sub formâ eodem modo dictâ, vel etiam quinquies celeriter repetitâ inungere quinque sensus in capite; scilicet genam pro tactu, & quatuor alia organa usitata. Imò propterea vix videtur occurrere casus, quo necessarium, ac licitum sit hoc Sacramentum administrare sub unicâ partiali formâ & inunctione unius sensûs. Quare in dicto Pastorali omissa deinde fuit illa declaratio, ut testatur Præpositus de Extremâ unctione dub.9.num.79. Addo, ne quidem posteriori illo modo usum hujus Sacramenti licitum absque gravi necessitate ob ritum ac consuetudinem Ecclesiæ. Plures alii casus secundùm easdem regulas ac principia definiendi sunt, præsertim in materiâ Sacramentorum: *Vixunquā licet administrare Sacramentum Extremæ unctionis sub unâ partiali formâ & inunctione.*

qui

qui tamen, cùm habeant peculiares difficultates, resolventur sequentibus capitibus.

103. *Cùm debes sequi sententiam probabilē, non est probabile, sed certū quòd debeas.* Tantùm circa omnes definitos & definiendos, observa Primò; quod plures non advertunt, & initio capitis præced. indicavi; cùm teneris vel vetaris sequi opinionem probabilem, non esse tantùm tibi probabile, quòd tenearis vel veteris, sed certum. Nam hoc ipso quo tantùm est probabile, non teneris nisi aliquid superveniat, quo de probabili fiat tibi certum ac necessarium. Quemadmodum hoc ipso quo probabile esset tibi licere non sequi sententiam probabilem, non teneris sequi. Quibus tamen minimè obstat, quin secundùm aliquam aliam rationem vel considerationem maneat probabile tantùm, quòd, v.g. vel Sacramentum valeat, aut non; vel etiam extra has circumstantias aliquid liceat, vel non; ut jam satis clarum est rationibus & exemplis allatis.

Aliud est esse quid licitū, vel illicitū, ex naturâ rei, aliud ex beneficio sententiæ probabilis. Observa tamen Secundò, aliud esse, aliquid esse licitum vel illicitum ex naturâ rei, & spectatâ sententiæ veritate, aliud beneficio sententiæ probabilis. Ita dicam infrà, non licere medico adhibere medicamentum probabiliter profuturum, relicto probabiliùs profuturo: neque judici proferre sententiam juxta opinionem probabilem, relictâ probabiliori: nimirum ex naturâ rei, & veritate: quò tamen nec volo, nec possum sententiæ contrariæ adimere suam probabilitatem: cujus beneficio liceat illam sequi & medico & judici. Idem dicendum de similibus. Moneo tamen, laudabilius & perfectius esse, juxta dicta num. 80. non sequi opiniones minùs probabiles minusque tutas; cùm præsertim illas non teneret ipse qui sequeretur. Hoc enim esset conscientiæ æquo laxioris.

CAPUT X.

An, & quâ ratione, illicitum sit in administratione Sacramentorum sequi opinionem de eorumdem valore?

SVperiori cap. actum est de sententiâ probabili, ejusque usu quolibet; hoc tantùm agitur de sententiâ probabili circa valorem Sacramenti, ejusdemque usu circa ipsam Sacramenti administrationem. Probabili, inquam, etsi minùs tutâ, juxta dicta cap. 6. concl. 3. est autem hîc magis tuta, quâ certiùs consulitur valori Sacramenti, ut patebit exemplis jam afferendis. Contrario ergo sensu dicitur minùs tuta. Eo itaque sensu 104.

Ad quæstionem propositam Respondeo & dico Primò: Ordinariè illicitum est in materiâ Sacramentorum sequi sententiam probabilem, vel etiam probabiliorem *Ordinariè nō licet in materiâ Sacramētorū sequi sentētiam probabilē minùs tutam.*

rem minùs tutam. Est communis, ac necessariò deducitur ex superiori cap. Nam non licet extra necessitatem baptizare infantem in digito; neque etiam aquâ rosaceâ; adeoque practicè non licet sequi opinionem etsi probabilem, quòd baptismus sic collatus valeat: neque licet moribundo testanti signis dolorem de peccatis negare absolutionem; quamvis sit probabile eam non valere, ut dixi nu. 97. Itaque non licet sequi opinionem quòd illa & Sacramentum tunc non valeant. Plurimi casus his addi possunt. Primò, probabile est speculativè valere hanc formam baptismi: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*: certum tamen est non licere practicè eâ formâ baptizare. Secundò, probabile, imò multò probabilius est, valere formam hanc consecrationis calicis: *Hic est calix sanguinis mei*; & Sacramenti Pœnitentiæ: *Absolvo te*: neque tamen licet solis illis verbis consecrare, & absolvere. Tertiò, similiter probabile est, materiam sufficientem Eucharistiæ esse panem siligineum, quem tamen non licet consecrare. Quartò, probabile est, valere ordinationem sine tactu instrumentorum, non tamen licere. Denique probabile est, Extremam unctionem validè conferri formâ indicativâ, non deprecatoriâ; & Confirmationem absque balsamo, non tamen licitè citra necessitatem.

Dixi in conclusione, *Ordinariè*: 105.
quia, ut jam indicavi, juxta communem sententiam, saltem non est illicitum casu necessitatis; nec tantùm spectantis suscipientem, sed eâdem ratione administrantem Sacramenta. Quare si quis tyrannus sub pœnâ mortis juberet, v.g. baptizanti, uti formâ illâ dubiâ, posset eo casu id facere.

Probatur deinde conclusio, quoad omnes hos similesque casus ratione universali, indicatâ superiori cap. quia ultimum judicium & dictamen practicum conscientiæ, quòd aliquid; in casu nostro, administratio Sacramenti hîc & nunc sit licita, vel illicita, desumendum est omnibus consideratis, objecto & circumstantiis, non tantùm probabili valore hujus vel illius Sacramenti. Præterea specialiùs hîc considerandum est, sententiam probabilem, vel etiam probabiliorem, quam non licet sequi, esse minùs tutam: quia, etsi, v.g. probabilius sit valere formam consecrationis solis illis verbis; si tamen id falsum esset, eaque sola adhiberetur, verè non consecraretur. Si addantur verba sequentia, indubitatum est consecrari omniū sententiâ. Itaque sententia, quòd sine illâ formâ non subsistat, tutior est, etsi improbabilior: contraria minùs tuta, etsi magis probabilis: quare dixi in conclusione, *probabilem, vel etiam probabiliorem.*

Con-

In materiâ Sacramentorũ, & opinionibus spectantibus ad factũ, eligenda via tutior.

Confirmatur: quia ob rationes sequentium conclusionum, valet in materiâ Sacramentorum axioma, Quòd in opinionibus spectantibus ad factum; an scilicet Sacramentum fiat, vel non; eligenda sit via tutior. Quia tamen ex universali hac ratione non constat, quænam particulares administrationem Sacramentorum dictis casibus probabiliter validam, reddant illicitam; variant hîc sententiæ Doctorum: qui dubitant de tribus: prohibitione Ecclesiæ, obligatione charitatis erga proximum, ne fortè fraudetur Sacramento, ejusque fructu; vel religionis erga ipsa Sacramenta, ne fortè reddantur irrita. Addiderim: vel justitiæ, ne minister Sacramentorum malè fungatur officio suo. Quas quatuor rationes explicabo, quatuor sequentibus conclusionibus.

106. *Non obstãte probabilitate sententiæ servandus ritus Ecclesiæ.*

Dico ergo Secundò: Non obstante ullâ probabilitate sententiæ, in administratione Sacramentorum servandus est ritus ab Ecclesiâ præscriptus, vel usitatus. Est item certa & communis, quia ab omnibus supponitur. Imò aliqui recentiores apud Vasquez, ac nominatim Salonius 2.2.quæst.63.ar.4. controv.2.concl.4.resp.ad 3. hanc tantùm afferunt rationem præcedentis conclusionis.

Probatur: quia, si in ullâ materiâ Ecclesia habet auctoritatem & potestatem præcipiendi, & obligandi sub peccato, habet circa administrationem Sacramentorum, ritumque à Christo ipsius determinationi relictum. Quam rem per se patet esse summi momenti. Nam si quævis sancta sanctè ac decenter tractanda sint, maximè Sacramenta, scilicet ritu uniformi, & ab Ecclesiâ usitato. Cujus item usus ac consuetudo hîc, si uspiam, obtinet vim legis.

Mutatio materiæ vel formæ Sacramẽtorũ, etiã accidẽtalis, ex suo genere est mortale.

Quam ob causam mutatio, etsi accidentalis, materiæ vel formæ Sacramentorum usitatæ peccatum est ex suo genere mortale; nisi excuset materiæ parvitas. Ita peccatum mortale esset circa materiam Eucharistiæ, consecrare in Ecclesiâ Latinâ panem fermentatum; vel consecrando vino non immiscere aquam; etsi valdè modica misceri soleat, nec ea mixtio sit necessaria ad valorem consecrationis, ac Sacramenti, ut nec panis azymus. Circa formam ejusdem Sacramenti haud dubiè mortale esset omittere verba, *Novi & æterni testamenti*, etsi multò probabiliùs non requisita ad ejus valorem. Idem dicendum circa formam Sacramenti Pœnitentiæ, de verbis, *A peccatis tuis*.

Excusat materiæ parvitas.

Ob parvitatem tamen materiæ, veniale videtur circa formam consecrationis omittere: *enim*; vel circa formam absolutionis: *ego*, vel *tuis*.

Adverte, peccatum hoc repugnare religioni, circa cujus materiam versatur, non quidẽ ex naturâ 107.

rei aut Sacramenti; ſed poſito Eccleſiæ præcepto vel uſu: quo materia religionis aliàs libera, redditur neceſſaria. Atque hæc vera ſunt etiam de mutatione, ut dixi, accidentali, quâ non exponitur periculo valor Sacramenti. Unde apparet à fortiori etiam conſuetudine ac lege Eccleſiaſticâ vitandam ſub graviſſimo peccato mutationē ſubſtantialē, quâ certò vel probabiliter reddatur Sacramentum irritum.

108. *Etiam charitas erga proximum obligat te, ne ſequaris ſententiam probabilem, minùs tutam.* Dico Tertiò: Etiam charitas erga proximum Sacramentum ſuſcepturum, obligat, ne illud adminiſtrans ſequatur ſententiam probabilem, vel probabiliorem, minùs tutam de ejus valore. Eſt communis: contra recentiores citatos à Vaſquez, & Salonium, atque etiam Medinam 1.2. qu.19. art.6.

Probatur Primò, auctoritate Auguſtini, contra Donatiſtas c. 3. *In rebus ad ſalutem animæ pertinentibus hoc ipſo graviter quis peccat, quòd certis incerta præponat.* Quod maximè juxta mentem ipſius intelligendum eſt de motivo charitatis; quare dubitantem an apud Donatiſtas ſuſcipiatur verus baptiſmus, dicit apud eos non poſſe ſuſcipere, ſcilicet ne exponat periculo ſalutem animæ ſuæ. Si ad hoc obligat charitas erga ſeipſum; ſimili ratione obligabit erga alium.

Probatur Secundò: quia juxta prudens judicium ac dictamen luminis naturalis obligat charitas, ac miſericordia, ut, cùm facilè potes, ſuccurras proximo, adhibendo ejus egeſtati remedium certum & infallibile, non dubium ac fallibile: atqui adminiſtrans Sacramentum, qui ſequitur ſententiam probabilem vel probabiliorem minùs tutam de ejus valore, (v.g. omittendo verba illa poſteriora formæ conſecrationis & abſolutionis) adhibet remedium dubium ac fallibile; quia fortè Sacramentum irritum: ergo id vetat charitas. Certè valdè inordinatum & irrationabile eſſet, nullâ causâ, vel ſolo affectu ſequendi ſententiam, quam tu judicas probabiliorem, proximum tanto periculo exponere, ſive parvulum, ſiv eadultum.

Obſerva tamen, quod ex hac ratione colligitur, & monetur à Doctoribus communiter, concluſionem reſtringendam eſſe ad ea quæ debent adhiberi ab ipſo miniſtro Sacramenti, non autem ſuſcipiente. Quare ſi pœnitens velit accedere ad confeſſionem attritus, non contritus; Confeſſarius non peccabit contra charitatem erga illum abſolvendo ſic diſpoſitum, etſi tutius eſſet accedere contritum. Imò juxta dicta ſuperiori cap. peccaret contra charitatem nolendo abſolvere, ſaltem probabiliter abſolutionis capacem. 109. *Debet abſolvi tantùm attritus,*

Quam reſtrictionem reſtringit Sanchez lib.1. in Præc. cap.9. n.34. ad caſus ordinarios extra periculum mortis: quo obligetur etiam 110.

etiam pœnitens, ut illo vitæ, imò æternitatis, discrimine sequatur opinionem ac viam tutiorem, excitando se ad contritionem; & ideo Confessarius, ne illi aliter Sacramentum administret. Quæ sententia probabilior, ut securior, est quoad ipsum pœnitentem: quia tamen non est adeò certa, quin contraria sit probabilis ob rationem sequenti conclus. indicandam, juxta jam, & superiori cap. dicta, Confessarius non tantùm non peccabit, si attritum, etsi cognitum tunc absolvat: quem videlicet ad contritionem excitare non posset (quod deberet conari) sed peccabit, idque contra eamdem charitatem, si non absolvat.

etiam in articulo mortis.

Confirmatur: quia moraliter vix continget, ut Confessarius, atque etiam ipse pœnitens certus sit se attritum, nec tamen contritum: difficile est homini illos actus, eorumque motiva discernere. Imò non est dubium, quin sæpè verè contriti sint, qui ex humilitate vel scrupulo se vix attritos dicunt, & putant: sicut & contrà, aliquando ne quidem attriti sunt, qui se contritos existimant. Atque ex hoc capite saltem videtur teneri pœnitens in articulo mortis se excitare ad contritionem, ne fortè, si illam habere non conetur, ne quidem habeat veram attritionem. Quibus discussis potissima restat difficultas, de tertiâ ratione, obligatione religionis.

Dico Quartò: Probabilius etiam religio ad idem obligat, videlicet, ne Sacramentum reddatur irritum. Ita Petrus de Soto de Instruct. Sacerd. lect. 2. de Eucharistia, Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 16. sect. 2. & tom. 4. disp. 26. sect. 6. Malderus 1. 2. disp. 86. concl. 6. Contra Vasquez 1. 2. disp. 63. cap. 2. Sayr. clavi regiâ lib. 1. cap. 7. nu. 4. Sanchez lib. 1. in Præcept. cap. 9. num. 33. quorum sententia est valdè probabilis. III.

Ad idem obligat religio.

Probatur Primò, conclusio à fortiori ex antiquo testamento, quo constat gravissimè prohibitam & punitam negligentem administrationem Sacramentorum, ac ceremoniarum antiquæ legis, ne, v. g. ignis alienus offerretur, Levit. 10. ergo majori curâ & diligentiâ in novo testamento debent administrari Sacramenta novæ legis, tantò illis præstantiora, ne fortè reddantur irrita.

Probatur Secundò: quia Sacramenta novę legis secundùm se sunt maximi momenti, & præcipua tum fidei nostræ mysteria, tum materia religionis: ergo ideò tractanda sunt magnâ & reverentiâ & circumspectione; saltem cùm agitur de eorumdem substantiâ & valore. Non debent igitur juxta prudens dictamen exponi periculo absque justâ causâ irritationis, seu nullitatis. Nam satis clarum videtur, hunc nec reverenter, nec circumspectè ea tractare, qui sine justâ

justâ causâ ipsam eorumdem substantiam exponit vero periculo nullitatis, & fortè rebus verbisque tam sacris nil agit. Cessat hæc ratio in materiâ justitiæ, v.g. restitutionis ac contractûs: quibus, cùm ne quidem sacri sint, non debetur ea circumspectio & reverentia: quare ut contractus sit licitus, sufficit probabiliter esse validum ac justum, secùs quàm modò dixi de Sacramentis.

112. *Discrimẽ inter obligationem charitatis, & religionis.* Adverte tamen, videri discrimen aliquod esse inter obligationem charitatis, & religionis, quòd, cùm materialiter tantùm, etsi non formaliter, peccatur irritatione Sacramenti; nihilominus inferatur damnum sæpè gravissimum proximo. Quo ex capite magis videtur obligare charitas: Deus autem verè materiali peccato non offendatur; neque lædatur ejus honor: quo ex capite minùs videtur obligare religio. Quare rationabiliter videtur ulteriùs dici posse charitatem obligare, juxta præcedentem conclusionem; nisi excuset gravis causa, vel incommodum, adeoque moralis necessitas: religionem verò juxta hanc; nisi excuset justa causa & incommodum aliquod, etsi levius. Nec enim tantùm gravis, quod dicunt omnes qui hanc conclusionem sequuntur, sed & justa causa videtur sufficienter tollere contemptum & irreverentiam aliàs Sacramento irrogandam. quod enim facio justâ & rationabili de causâ, & probabili nixus fundamento, id est, opinione de valore Sacramenti, non possum dici facere ex contemptu: quo modo explicandum erit, quod addidi in conclus. 1. *Ordinariè*, scilicet, nisi excuset justa vel gravis causa.

Atque hinc videtur colligi facilior solutio argumenti contra hanc conclusionem; cur juxta eamdem non peccet contra religionem, ac reverentiam Sacramenti instituti ad consolationem ac favorem fidelium, qui accedit ad confessionem tantùm attritus, cùm tantùm probabilis sit opinio ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficere attritionem, scilicet cognitam, adeoque illud exponat periculo nullitatis. 113. Quia esset reverà alicujus momenti incommodum, onusque pœnitenti, semper debere elicere contritionem non adeò facilem vel elicitu, vel cognitu. Quare ob ejusmodi causam Sacramentum quasi cedit jure suo; adeò ut in similibus casibus potiùs eligenda sit opinio favorabilis suscipienti, quàm ipsi Sacramento, ut post alios docet Diana tract. de opinione probabili resolut. 13.

Respondent alii, opinionem illam non tantùm esse probabilem, sed moraliter certam, præsertim post Trident. adeoque sufficientem ad tollendum morale periculum nullitatis: sed quamvis sit multò probabilior, præsertim post Trid.

Trid eoque sensu possit dici etiam moraliter certa; non ausim tamen dicere, contrariam, quam etiam post Tridentinum secuti sunt viri docti, nullo modo esse probabilem. Itaque nihilominus alicui periculo exponetur Sacramentum, si fortè illa sit vera: quare communis sententia est, etsi ob rationem allatam contraria non videatur improbabilis, in periculo mortis unumquemque debere se excitare ad contritionem, quamvis suscepturum Pœnitentiæ Sacramentum. Sicuti tunc deberet repetere, qui antè fecisset confessionem informem: quod tamen non est necesse extra illum casum, juxta probabilem sententiam. Eâdem ratione ante martyrium requiritur contritio, saltem existimata in conscio sibi mortalis culpæ, quamvis probabile sit sufficere attritionem etiam cognitam. Ratio omnium est, quia tunc ad id illum obligat charitas erga seipsum; ne ulli se periculo exponat æternæ damnationis. Quo iterum confirmatur differentia jam assignata inter obligationem charitatis & religionis. Unde etiam patet, aliquo casu, scilicet jam allato, obligare charitatem ad sequendam sententiam tutiorem, etsi improbabiliorem, non autem religionem.

In articulo mortis quisq; se debet excitare ad contritionem.

114. Limitat doctrinam & regulam traditam de non operando juxta sententiam probabilem Suarez cit. sect. 6. à num. 7. nisi ea sit de jurisdictione Confessarii, tum quia ob titulum coloratum, & errorem publicum, Ecclesia supplet jurisdictionem, si fortè ipse eâ caret, ut Jure civili statutum in simili, lege *Barbarius*, ff. de officio Prætorum; tum quia saltem quivis Sacerdos potest absolvere à venialibus directè, atque adeò à mortalibus indirectè. Quod probant alii recentiores, Sanchez, & Malderus.

Non absque fundamento tamen eam limitationem rejicit Salas 1.2. tract. 8. disp. unicâ sect. 27. n. 287. quia, etsi utrũque sit probabile, neutrum tamen certum; nec Ecclesiam eo casu supplere jurisdictionem, nec carentem eâ jurisdictione posse absolvere à venialibus. Itaque manet incertum, an reverà administretur Sacramentum, & hoc exponitur periculo irritationis: cui rationi innititur doctrina tradita, & obligatio tum charitatis, tum religionis: utraque enim hîc concurrit, ideoque magis urget. Præterea etsi validè, non tamen licitè, videtur hoc casu dimidiari Sacramentum, seu absolutio directa. Neque saltem licebit confiteri sola mortalia, sed studiosè oportebit aliquod saltem veniale, quod directè absolvatur præter morem Ecclesiæ. Quare non videtur mihi Confessario de jurisdictione suâ dubio licere audire confessiones, nisi saltem gravis vel justa causa id exigat; quòd v.g. ægrè possit inveniri alius. Nam,

Confessarius de jurisdictione dubius, illicitè audit cõfessiones, nisi sit justa causa.

Nam, quod hac occasione notandum est, quò sententia probabilior est; in casu nostro, quòd valeat absolutio; eò minor causa requiritur ut eam liceat sequi. Atque hanc sententiam securiorem ac certiorem fatetur etiam Suarez.

115. *Confessus habēti jurisdictionem dubiā nō tenetur eadē alteri confiteri.* Addit rectè Salas, eum qui eâ ratione confessus est habenti jurisdictionem dubiam, non teneri postea, cùm v.g. ad manum est habens certam, huic confiteri eadem peccata: quia nimis dura esset hæc obligatio. Secundò, in dubio etiam stricto, posse esse obligationem confitendi habenti jurisdictionem dubiam, ut si urgeat præceptum, vel necessitas, communicandi, vel celebrandi; tunc enim potiùs debet præmitti confessio dubia, quàm nulla. Eadem est ratio, si alias ob causas & circumstantias scandalum esset non confiteri habenti jurisdictionem dubiam.

116. *Minister sacramētorum ad idipsum obligatur ex officio.* Dico ultimò: Minister Sacramentorum ad idipsum obligatur ex officio ac justitiâ. Hanc videntur Doctores potiùs supponere, quàm exprimere; saltem eam negare non possunt qui admittunt tertiam. Indicat eam Malderus cit. §. rectè urgeri.

Probatur à pari, ex communi tum sententiâ, tum ratione allatâ cap. 8. concl. 2. Nec enim minùs ex officio tenetur minister sive voluntarius, sive necessarius, postquam eo fungitur, consulere suscipientibus Sacramenta quævis ad ea ritè, ut suppono, dispositis, conferendo valida ac certa, quàm eo casu absolvendo ad id dispositum, quamvis contra suam & probabiliorem sententiam. Quòd si ibi non licet ipsi per justitiam & officium suum, sequi sententiam probabilem, cur hîc licebit? Præterea non tantùm ex eodem quo fungitur officio dispensatoris mysteriorum Dei, sive Sacramentorum, tenetur consulere saluti suscipientium, sed etiam, & quidem directiùs & proximiùs, ipsorum Sacramentorum valori & integritati, scilicet juxta moderationem utrâque conclusione explicatam. quod non videtur egere ampliore probatione, confirmabitur tamen simili concl. 2. cap. 12.

Unde bene infert Malderus cit. contra Cisterciensem, non excusari à mortali ministrum, etsi Sacramentum quod dubiè administrat, non sit ad salutem necessarium, vel etiamsi semel tantùm ac iterùm illud administret: quia, etsi fortè illo casu non esset tanta obligatio solius charitatis, vel etiam religionis, fit tanta cùm simul est justitiæ. Præterea confirmatur hac ratione quod dixi num. 113. de pœnitente tantùm attrito, quòd minùs teneatur consulere valori Sacramenti, quàm Confessarius: hic enim tenetur etiam ex officio, non ille. 117. *Peccat mortaliter quiSacramentum dubiè administrat, etsi nō necessariū.*

Idem eâdem ratione videtur dicendum 118.

Minùs peccat illud administrans ex necessitate quã officio.

cendum v.g. de baptizante non ex officio, sed necessitate, quòd nimirum minùs peccet pronuntiando formam incertam, quàm minister ordinarius. Neque enim ille tam id facit ex officio, quàm merâ necessitate. Quia tamen reverà & ille est minister baptismi, postquam eo officio fungitur, etsi necessariò, debet, si potest, bene fungi, adeoque consulere substantiæ Sacramenti etiam ex officio. Quamvis ob rationem indicatam aliquantò minor in illo videatur hæc obligatio, quàm ministro ordinario.

Ubi adverte, aliud esse ex officio debere baptizare, aliud ex officio baptizandi, quo jam fungeris, debere bene baptizare. Ordinario ministro convenit utraque obligatio, extraordinario tantùm posterior.

CAPUT XI.

Quotuplex peccatum committat minister Sacramentorum, ea administrans juxta sententiam probabilem minùs tutam?

119. VIdetur quòd minimùm triplex, contra charitatem, religionem, justitiam, juxta tres ultimas conclusiones superioris capitis. Imò fortè quadruplex, insuper contra obedientiam, juxta conclusionem secundam.

Practicè nõ est hæc quæstio tanti momenti.

Respondeo Primò, practicè, & in ordine ad confessionem non esse hanc quæstionem tanti momenti, quia sufficiet dicere te, v. g. Pastorem, tali vel dubiâ formâ baptizasse, unde satis colligitur gravitas peccati: ad quam non multùm refert sítne simplex, multis æquivalens, vel multiplex.

120. *Speculativè videtur probabilius esse peccatum simplex, etsi cõtra tres virtutes.*

Respondeo tamen Secundò, speculativè videri probabilius, vel saltem probabile, esse simplex, etsi contra tres virtutes, charitatem, religionem, justitiam: quæ tamquam tres causæ partiales, triplici motivo conspirent in unicam ac simplicem obligationem, ad eamdem collationem Sacramenti certam; adeò ut incerta collatio repugnet quidem tribus virtutibus, non ut distinctis, sed ut transeuntibus in unam causam totalem.

Probatur: quia, si peccata essent distincta, unum non intenderet aliud, nec alii superveniens efficeret mortale: at verò ratio justitiæ superveniẽs aliis rationibus, idem peccatum intẽdit, imò efficit mortale, ut jam dixi. Quia aliquando singulæ, vel duæ seorsim, rationes non videntur continere gravem indecentiam, ut patet, v.g in pœnitente attrito: secus quàm omnes simul unitæ in Confessario. Nec sufficit conjungi, nisi fiat unica totalis ratio peccati: quia multa venialia, etsi conjuncta, non faciunt peccatum mortale. Idem dicendum de obligationibus, quæ si ma-

maneant diversæ, non possunt efficere unam sub mortali, ut contingit in casu nostro.

Pastores tempore pestis debent administrare Sacramenta ex charitate & justitiâ.

Clariùs id videtur ostendi in simili de justitiâ & charitate obligante, v.g. Pastores ad Sacramenta administranda ovibus suis in gravi earumdem necessitate, v.g. tempore pestis, etsi certo vitæ suæ periculo. Ad tantam obligationem, nec sufficit sola charitas, quia aliàs etiam non Pastores ad id tenerentur; nec sola justitia, tum quia fortior in eo casu videtur obligatio charitatis, quàm justitiæ; tum quia Pastor non debet censeri ex justitiâ oppignorasse, aliquo exiguo stipendio vitam & sanguinem suum. Huic autem contractui ea obligatio administrandi Sacramenta innititur, secùs quàm in casibus allatis obligatio benè ac tutò ea administrandi. Cùm ergo nec sola justitia, nec sola charitas satis virium habeat ad tantam obligationem, utraque conjunctis viribus debebit eam complere, tamquam unica causa totalis, idemque præstabunt in casu nostro illæ duæ, & religio; & posset quoque obedientia. Nec enim difficiliùs tres vel plures, quàm duæ virtutes conspirabunt.

121. Ratio ulterior videtur, quòd justitia obliget in simili allato ad administrationem Sacramentorum, quatenus est actus seu materia charitatis; & in casu conclusionis, quatenus est charitatis & religionis simul, ut patet ex ejus probatione. Contrariâ verò ratione oppositum prohibeat; quia, ut dixi, minister Sacramentorum debet ex officio, & ipsis Sacramentis consulere & suscipientibus. Quæ fortè ratio est, quòd Doctores non meminerint hîc obligationis justitiæ tamquam distinctæ. Itaque illa virtutum ac motivorum aliàs sæpè differentium, subordinatio sufficit ad eâdem obligationem eodem peccato violandam; etsi aliàs illæ disparatæ sufficerent ad diversa sæpè peccata formalia, uno etiam materiali opere committenda.

Confirmatur: quia constat in physicis à duabus speciebus similiter produci tertiam, v.g ab equo & asino mulum. Quando item voluntas vel intellectus assentitur propter diversa motiva, ita ut ob singula, vel aliqua eorum non assentiretur, non facit id pluribus actibus. aliàs deberet simul elicere tot actus, quot sunt motiva, sæpè valdè multa, sed unico actu propter omnia. Quâ etiam ratione, motivo charitatis, religionis & justitiæ, posset unico actu minister Sacramenti velle id tutò administrare. Similiter fidem & scientiam, habitus tam diversos coëfficere tertium actum ab actu singulorum sæpè distinctum, docent Durandus, & Molina, aliique: ergo à fortiori variæ virtutes simili modo concurrentes poterunt moraliter

taliter conspirare ad unicam obligationem violandam unico peccato.

122. Ex quibus collige, & hujusmodi actum physicè, & illud peccatum moraliter esse reverà simplex; quamvis virtualiter multiplex, ratione diversorum motivorum; & distinguendum ac mutandum specie, si vel unicum motivum addatur, vel dematur. Essentialiter enim respicit omnia, cùm non sit major ratio de uno, quàm altero.

Non explicatur species illius peccati, nisi explicentur singulæ virtutes, quibus repugnat.

Unde iterum constat, ad explicandam speciem illius peccati explicandas esse singulas virtutes, quibus repugnat.

CAPUT XII.

An, & quâ ratione, illicitum sit medico sequi opinionem probabilem in medendo?

123. POstquam superioribus capitibus actum est de medico, ac medicamentis spiritualibus; hoc cap. agetur de medico ac medicamento corporali: de quo etiam est practica, nec contemnenda difficultas, eâdem ferè ratione dissolvenda.

Suppono juxta ibidem dicta, non agi hîc de opinione seu conscientiâ practicâ probabili, quòd aliquid liceat, v.g. applicatio hujus medicinæ. Nam eo ipso quo probabile est licere, licet illud facere. Nec enim medicus debet excludi à privilegio conscientiæ probabilis suprà universaliter probato. Agitur ergo de opinione probabili speculativè, quòd tale medicamentum sit profuturum.

Dico Primò: Non licet medico sequi sententiam probabilem applicando medicamentum tantùm probabile relicto certo. est communis & certa. 124.

Non licet medico applicare medicamentum probabile certo relicto.

Probatur: quia id apparet graviter repugnare tum charitati, tum justitiæ & officio ejus; scilicet, exponere ægrum probabili periculo mortis medicamento probabili, cujus vitæ certò consulere potest, ut suppono, medicamento certo. Quare valet hîc regula Juris: *Certum est tenendum: incertum est posthabendum.* Similiter non licet ægro needum deposito, experientiæ gratiâ, dare medicamentum dubium, de quo nescitur, vel dubitatur, sítne salutiferum, vel mortiferum. Quia eâ quoque ratione æger temerè exponitur periculo mortis. Quod medicorum vitium reprehendit Plinius: *Discunt*, ait, *periculis nostris, & experientiam per mortes agunt, medicoq; tantùm occidisse impunitas summa est.* Verùm etsi impunitas ipsi sit foro & judicio humano; minimè tamen divino, quo peccat mortaliter, ideoque dum alium corpore, seipsum animâ occidit.

Dico Secundò: Si nullum inveniatur medicamentum certum, non 125.

Nec licet adhibere

probabile relicto probabiliori. non licet adhibere probabile, relicto probabiliori. Est Soti lib.3.de Justitiâ,quæst.6.art.5. ad 4.Salonii 2.2.quæst.63. art.4. controv. 2. ad 2. Suarez citati superiori cap. & Sanchez item cit. num.41. contra Arragonium 2.2. quæst. 63. art.4. dub. penult. Azor lib. 2. cap. 17. quæst.11.Salas sect.14.num.136.

Probatur conformiter dictis superioribus capitibus; quia & charitas & justitia à medico exigunt,ut,ubi agitur de salute proximi,sequatur viam seu sententiam tutiorem: qualis hîc est probabilior,consulendo, scilicet, ejus saluti modo ac medicamento quàm potest certissimo. Ut enim in simili dixi cap. 10. concl. 1. hæc etiam quæstio spectat factum; an scilicet æger curandus sit, nec ne; quia, ut etiam in simili dixi cap.cit. nu.112. æger revera moriturus esset,quamvis medicus sequeretur opinionem probabilem. Quare non videntur loqui consequenter Salas aliique, qui nobiscum docent, sequendam sententiam tutiorem in materiâ Sacramentorum, seu medicamentorum spiritualium; non autem in materiâ medicamentorum corporalium. Quæ etsi eo minora sunt spiritualibus, quòd spectent corpus, illa animam; non minùs tamen videntur æstimanda & examinanda,cùm sæpiùs noceant absque remedio. Vita enim spiritualis semel amissa variis modis reparari potest, nullis corporalis.

Addo, quod item dixi in simili cap.10.conclus.ult.contra Sanchez cit. medicam ad id obligari non tantùm charitate, sed & justitiâ, quamvis probabiliter unicâ obligatione. Quia non est ratio, cur obligationi charitatis non conformetur obligatio justitiæ & officii, quod circa charitatis materiam & factum versatur. Imò videtur hoc dictare prudens judicium, & communis hominum æstimatio, quòd ad officium medici, non tantùm charitatem, spectet ægros curare modo quàm certissimo, neque, si aliter fecerit, putabitur bene functus officio suo. Alia longè est ratio de justitiâ, v.g circa contractus: quibus & peccatur juxta sententiam minùs tutam multò minori incommodo ullius; & is qui uno contractu subit damnum, alio ejusdem probabilis sententiæ beneficio potest reportare lucrum. Secùs omninò res habet in casu hujus conclusionis, atque etiam citatæ. 126. *Obligat ad id justitia, & charitas.*

Confirmatur: quia, si ulla esset ratio cur medicus ad id non teneretur etiam ex officio; esset, quia officio & justitiæ satisfacit sequendo sententiam probabilem, etsi minùs tutam. hæc autem ratio non valet, etiam juxta Sanchez. Quia aliàs non peccaret contra justitiam & officium sequendo sententiam, & utendo medicamento tantùm probabili, relicto certo, contra primam conclus. quod nobiscum

biscum negat Sanchez num.38.

127. *Idq; sub mortali.* Ex dictis collige (quod nec Sanchez putem negaturum) medicum debere sequi sententiam probabiliorem sub mortali; nisi excuset parvitas materiæ, vel differentiæ sententiarum quoad probabilitatem. Nam etsi sola charitas erga alium non obliget facilè sub mortali, præsertim operantem ex sententiâ probabili; faciliùs tamen sub eo obligat accedente justitiâ, si præsertim hæc cum illâ conspiret; augeatque eamdem obligationem modo antè explicato præced. cap.

128. *Licet, imò necesse est, ægro desperato adhibere medicamentum probabile, cùm non invenitur certius.* Dico Tertiò: Si æger aliàs est desperatæ salutis, nec invenitur remedium ullum certius; licitum, imò necessarium est, adhibere illi medicamentum quodvis probabile. Est reverà communis.

Probatur: quia ea tunc est via & sententia tutior: si enim non adhibeatur medicamentum, certò æger morietur; si adhibeatur, probabiliter curabitur. Imò id verum esset, etsi æquè probabile, vel probabilius, esset medicamentum nociturum: quia nihilominus probabile esset profuturum. Quare hoc casu intelligendum, quod ex Galeno ad hoc probandum afferri solet: *Interfice audacter.*

129. *In æquali periculo, sive adhibeatur medicamentum, sive non, nō licet id adhibere.* Dico Quartò: Si æquale est periculum mortis omnibus spectatis, sive adhibeatur medicamentum, sive non; illicitum est illud adhibere. Ita expressè Salas cit. num. 135. concl. 3. nec dissentiunt reverà alii.

Probatur: quia in æquali periculo ac dubio cōsultius est ægrum committere Deo ac naturæ; ita ut moriatur naturaliter, quàm adhibere medicamenta, quibus moriatur violentè. Imò idipsum est contra charitatem, ægrum morbo satis afflictum affligere novis medicamentis, sine probabili spe fructûs.

130. *Neque desperato licet adhibere medicamentum dubium negativè.* Ex quibus collige à pari, ne quidem ægro desperato licitè adhiberi medicamentum dubium propriè, ac negativè, ut docent Angelus verbo *Medicus*, nu. 2. Silvest. ibidem quæst. 4. Azor cit. Vasquez disp. 64. cap. 4.

Probatur eâdem ratione: quia, cùm nullâ ratione positivè probabile est, medicamentum profuturum, consultius & tutius est ægrum Deo & naturæ relinquere.

Sanchez tamen num. 39. docet, ægro desperato non tantùm licitè, sed necessariò adhibendum medicamentum dubium: sed conciliandus cum Doctoribus citatis, & intelligendus est juxta conclus. 3. de dubio positivè, seu probabili, ut probant ejus rationes, sine quo non potest esse spes salutem medicamento adipiscendi, quam ipse etiam requirit.

Nec refert quòd requirat spem dubiam, quia omnis spes significat positivum motum voluntatis, etsi cum formidine de opposito; ideo-

 que

quæ prærequirit in intellectu, ut rationabilis sit, opinionem aliquo saltem modo probabilem, ac dubitationem positivam; secùs quàm dubitatio negativa, & propria, quæ non est opinio, ne quidem probabilis, sed negatio omnis opinionis: de quâ agunt Doctores citati. Atque in praxi vix videtur occurrere casus, quo nulla sit probabilis ratio, cur medicamentum positivè credatur profuturum, vel obfuturum.

131. *Medicus tenetur monere ægrum de periculo jure naturali.* Denique adverte Primò, medicos teneri jure ac præcepto charitatis naturali, monere per se vel alium, ægrum in periculo mortis constitutum, de periculo; ut scilicet, temperi possit prospicere conscientiæ & animæ suæ, atque etiam rebus temporalibus; nisi putaret monitionem suam non profuturam, vel quòd illum sciret de omnibus disposuisse, vel quòd videret monitionis non esse capacem, & forte eâ valdè turbandum. *Periculũ autē accipiendū pro quovis probabili.* Periculum autem illud videtur accipiendum pro quouis probabili; etsi probabilius esset ægrum non moriturum. Quia prudens charitas exigit, ut quivis in dubio, & quovis vero periculo sibi & proximo prospiciat in rebus tanti momenti; scilicet eligendo viam tutiorem ad æternitatem. Unde apparet, medicum non tantùm posse, sed debere sequi sententiam probabilem de periculo ægri, juxta illam hunc monendo. Ea enim hoc casu est tutior, etsi contraria sit probabilior.

Adverte Secundò, Jure Ecclesiastico cap. *Cùm infirmitas*, de pœnit. & remiss. ab Innocentio III. destrictè iisdem præcipi, ut vocati ad medendum infirmo in lecto jacenti, cum moneant ante omnia inducantque, ut confiteatur; quod verisimiliùs intelligendum de quovis morbo gravi, qualis solet lecto affigere. Innovat hoc, & extendit Pius V. motu proprio: *Supra gregem Dominicum*, jubens medicis ne ultra diem tertium ægrum visitent, nisi per Confessarii, (nisi hic putaret tempus prorogandum) scriptum de ægri confessione certiores fiant: Universitatibus verò, ne iis gradum Licentiæ aut Doctoratûs conferant, nisi præmisso juramento illud servandi. Addiderim tamen, huic decreto per contrariam consuetudinem derogari posse, adeoque non obligare, nisi ubi & quatenus receptum est, scilicet, videntibus & dissimulantibus Prælatis. Qui tamen præstiterunt hoc juramentum, viderint ut servent: quia juramento obligantur, etsi non præcepto. 132. *Iure positivo tenetur in quovis gravi morbo ægrum inducere ad confessionem.*

CA-

CAPUT XIII.

An Advocato liceat sequi sententiam probabilem in patrocinando?

133. IDem est hoc cap. ut & seq. sententia, quod causa probabilis: status ergo quæstionis est, an Advocato liceat suscipere, ac patrocinari cuivis causæ probabili?

Nota Primò, causam, uti sententiam, esse certam, probabiliorem, probabilem vel improbabilem. Quos causæ gradus eodem ferè modo sensuque oportet distinguere & explicare, quo sententiæ juxta dicta cap. 2. & 3. Quia verè causa est sententia seu opinio quædam, non tantùm de jure, sed etiam facto.

Certò Advocatus nec debet patrocinari causæ tãtũ certæ, nec potest improbabili.

Nota Secundò, citra controversiam, Advocatum nec debere patrocinari causæ tantummodò certæ, ut à fortiori constabit ex dicendis, nec posse improbabili. Quia improbabilis idem est quod certò injusta: quod enim ne quidem probabiliter justum est, certò est injustum; tueri autem causam certò injustam clarè injustum est.

Quare meritò Doctores dicunt, Advocatum tum demum causam suscipere posse, quando post sufficientem diligentiam, anceps justitia videtur: de quâ, scilicet, sint vel esse possint variæ ac contrariæ, probabiles tamen opiniones. Quo in negotio majori ratione valent de diligentiâ adhibendâ in causæ delectu, quæ capite 4. diximus de delectu cujusvis sententiæ probabilis. Quare in eo delectu & examine causæ quoad quæstiones facti & juris illi immistas, primùm debet Advocatus satisfacere officio & conscientiæ suæ. Aliàs errabit in principio, & exponet periculo seipsum magni peccati cum obligatione restituendi, clientes verò damni. Prætermissis ergo extremis causæ gradibus, certâ & improbabili; manet dubium de mediis; an scilicet necesse sit patrocinari causæ probabiliori, nec liceat probabili?

Respondeo & dico Primò: Licet Advocato sequi sententiam, seu tueri causam quamlibet verè probabilem; etsi opposita sit probabilior. Ita expressè Vasquez disp. 64. cap. 1. Lessius de Justitiâ cap. 31. dub. 9. Salas sect. 11. Sanchez à num. 51. Idemque expressè docent ferè communiter Doctores citati à Sanchez, si utrimque res est æquè probabilis, contra Silvest. & Valent. qui tunc putant licitè agi causam rei, sed non actoris. Item contra Sotum, Salonium, Arragonium, quando opposita est probabilior, agiturque de causâ criminali, aut civili maximi momenti. 134.

Licet Advocato tueri causam quãvis probabilem.

Probatur Primò, ex ipso Jure: l. *Rem non novã*, §. *patroni*, C. de judicio,

cio ubi de patronis causarum, ut à Jure vocantur Advocati, *Non autem*, ait Imp. *creditâ sibi causâ cognitâ, quòd improba sit, vel penitus desperata, & ex mendacibus allegationibus composita, ipsi prudentes scientesq; malâ conscientiâ liti patrocinabuntur*. Itaque jubentur tantùm deserere causam improbam, seu injustam, & penitus desperatam, ac mendaciis nixam: qualis nullo modo est verè probabilis.

Probatur Secundò, universaliter ratione, ex ipso Advocati officio, quod est, non rem controversam definire, sed fundamenta juris & facti faventia causæ suæ judici proponere, ut is definiat: qui fortè probabiliorem censebit sententiam, quam Advocatus putabat minùs probabilem. Quod prudenter credi potest aliquando eventurum, si sententia ac causa verè probabilis sit. Ut enim aliis viris doctis, ita judici videri ea potest probabilior, etsi Advocato videatur minùs probabilis: quare, ut bene Lessius, ille, cujus causa probabilior, videtur quidem, sed non est semper, jure potior. Itaque non debet hîc considerari, quæ sententia videatur Advocato vera ac probabilior; sed quæ talis videri possit judici: qualis est quævis verè probabilis.

Debet ea esse probabilis absolutè, non tamen respectivè. Dixi *verè probabilis*, scilicet absolutè judicio virorum doctorum, qui de re rectè judicare possint; non autem respectivè, v.g. judicio ipsius clientis bonâ fide putantis esse probabilem.

Confirmatur Primò: cliens, cujus causa est probabilis, hoc ipso probabiliter & prudenter potest litigare: ergo & Advocatus causam ejus agere.

Confirmatur Secundò: quia hæc est praxis doctorum ac proborum Advocatorum, quæ à Prælatis, Doctoribus, & Confessariis non damnatur.

Ex universali hac ratione colligitur solutio objectionum, & Primò, regulam Juris 11. de reg. Juris: 135.
Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs, quàm actori; spectare judicem, non Advocatum; atque adeò non esse hîc distinguendum inter causam rei, & actoris. Eodem modo accipi potest illud: *In dubio melior est conditio possidentis*, scilicet, declaranda à judice, non Advocato: quare in civilibus reus dicitur etiam possidens: quia nimirum illum impetere solet actor.

Eadē hic est ratio causarum magni, & parvi momenti. Secundò, hinc colligitur contra Sotum, non esse hîc distinguendum inter causas magni, & parvi momenti: nam in utrisque vel neutris debet esse melior conditio rei, ac possidentis: nec enim minùs possidentur res parvi, quàm magni momenti.

Adverte tamen Primò, Advocatum in examine causæ, & judicio, an sit verè probabilis, debere ad hoc ipsum etiam attendere; an 136.
vide-

videlicet possessio rei non obsit causæ clientis sui actoris; adeò ut ratione illius sit improbabilis, quæ fortè aliàs esset probabilis. Itaque cùm causa dicitur probabilis, id intelligitur omnibus examinatis, etiam rei possessione.

Adverte Secundò, Sanchez sequentem Salonium, restringere conclusionem, & putare, Advocatum non posse tueri partem clientis tam parum probabilem, ut vix in eam judices soleant inclinare. Verius tamen est, & dictis jam & num. 77. conformius, clientem, si habet causam verè, licet parum probabilem, litigare posse, si velit; adeoque Advocato licere eam tueri, modò juxta sequentem conclusionem de parvâ probabilitate, & periculo amittendi illum præmoneat.

Sufficit quævis, etsi parva probabilitas.

157. *Etiã licet tueri causam strictè dubiã.*

Petes, quid si causa sit dubia, scilicet strictè: Aliqui judicant Advocato non licere eam tueri. quod verum est, nisi juxta dicta, ejus merita diligenter examinata fuerint; si tamen omnibus satis examinatis dubia maneat, videtur ad judicem quoque spectare eam definire, eâdem ferè ratione quâ positivè dubiam, adeoque licere Advocato proponere eam definiendam. Quod expresè docet Malderus 1.2. disp. 86. concl. 8. Diana cit. resol. 6. Non videtur tamen in praxi sæpè contingere, ut sententia bene examinata maneat strictè ac negativè dubia; ita ut nec videatur ullâ ratione positivè probabilis, nec improbabilis.

Dico Secundò: Debet Advocatus sincerè clientem informare de statu causæ, dicendo non esse certam, sed tantùm probabilem; cùm præsertim opposita sententia est probabilior. Aliàs tenetur ad reparationem damni ex malâ informatione secuti. Est Silvestri, verbo *Advocatus*, quæst. 10. Sayri lib. 1. cap. 11. in fine, Salas cit. num. 108. Sanchez num. 51. alii id non affirmant, sed neque negant. 138.

Debet Advocatus clientẽ monere de statu causæ.

Probatur: quia aliàs non tantùm mentitur contra veritatem, sed clientem decipit contra justitiam, malè eum informando & inducendo ad litem. Itaque & peccat graviter, & clienti est causa injusta justæ aliàs litis, adeoque tenetur, si litem amittat, ad restitutionem expensarum, ac reparationem damni. Dixi tamen: *Ex malâ informatione secuti*, non ex lite: quia si cliens etiam cognitâ veritate erat litigaturus, Advocatus malè informando verè non fuit causa damni, etiam secuturi, si bene informasset: ergo nec tenetur ad restitutionem.

Possent præterea excusari Advocati, etiam à peccato, quando clientes viderentur sibi satis sapere, nec de probabilitate causæ suæ illos consulerent, sed tantùm ejus patrocinium ipsis committerent. Tunc enim videntur absque informatione eam suscipere posse, nisi

nisi vix aut saltem valdè parum probabilis esset, juxta dicta paulò antè.

CAPVT XIV.

An liceat judici sequi sententiam probabilem in judicando?

139. SVppono Primò hîc, quæ dixi cap.2. not.2. dum quis assentitur alicui sententiæ, assentiri illi tamquam verisimiliori omnibus consideratis; adeoque non posse fieri, quod cum aliis hîc supponit Salas, ut judex alienam sententiam suæ contrariam judicet suâ verisimiliorem. Nam hoc ipso, quo haberet verisimiliorem omnibus consideratis, haberet tamquam suam, & veram. Ob eamdem causam fieri non potest, ut quis credat se decipi sua opinione: nam implicat, eum credere se decipi in eo, quod credit probabilius, ut bene Corduba lib. 3. qu. 9. ad 2. argum.

Non potes alius sententiam credere, tuâ veriorem.

Secundò suppono, quod ibidem dixi, ut aliqua sententia judicetur verisimilior ac probabilior, non pendere à liberâ voluntate ac determinatione, sed intellectui propositis rationibus & auctoritatibus, seu principiis intrinsecis & extrinsecis, juxta dicta cap.2. Quare bene consistunt hæc duo: Hæc sententia est omnibus spectatis vera, seu probabilior, & tamen contraria est communior, & nixa majori auctoritate. Item hæc duo: Hæc sententia nititur meliori ratione, & tamen contraria est vera seu probabilior, scilicet, ob majorem auctoritatem Doctorum: quæ magni est ponderis ad majorem probabilitatem, cùm vel unius Doctoris auctoritas ad probabilitatem sententiæ sufficiat, ut ostendi cap. 3. Quæ eâdem ratione applicanda sunt judici laturo sententiam de causis sui tribunalis. Ceterùm duplex de eo superest difficultas quid agere debeat: Primò, quando ex duabus causis altera apparet illi probabilior, altera minùs; sed tamen verè probabilis: Secundò, quando utraque apparet æquè probabilis.

Non pendet à liberâ voluntate ut sententia judicetur probabilior.

Dico Primò: Non licet judici 140. sequi quamlibet opinionem probabilem: sed tenetur ferre sententiam juxta opinionem vel causam probabiliorem. Ita Sotus lib. 3. de Justitiâ quæst. 6. art. 5. ad 4. Bañez 2.2. qu. 63. art. 4. dub. 1. Valent. 2.2. disp. 5. quæst. 7. punct. 4. dub. 3. Vasq. cit. c. 2. Malderus 1.2. disp. 86. concl. 9. Becanus 1.2. tract. 1. cap. 4. quæst. 9. num. 14. Tannerus 2.2. disp. 4. quæst. 4. dub. 6. num. 128. Sanchez num. 47. Coninck de Sacramentis disp. 34. dub. 10. num. 91. Granadus 1. 2. tract. 12. disp. 4. sect. 4. num. 39. contra Medinam 1.2. quæst. 19. art. 6. dub. penult. Arragon. 2.2 quæst. 63. art. 4. dub. penult.

Iudex debet ferre sententiam juxta opinionẽ probabiliorẽ.

penult. Salon. ibidem controverſ. 2. concl. 4. Sayr. lib. 1. cap. 11. num. 8. Salas cit. ſect. 12. qui putant licere ipſi, ut Advocato, ſequi quamvis opinionem verè probabilem.

Probatur Primò, ex Scripturâ, Exodi 23. Deus per Moyſen mandat judici: *Nec in judicio, plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies:* ergo non debet ſequi ſententiam plurimorum, ſeu communiorem, niſi eam veram, ſeu, quod idem eſt, veriſimiliorem ac probabiliorem exiſtimet. Deuter. 1. ubi principibus, adeoque quibuſvis judicibus dicitur à Moyſe: *Audite illos, & quod juſtum eſt judicate; ſive civis ſit ille, ſive peregrinus, nulla erit diſtantia perſonarum: ita parvum audietis, ut magnum: nec accipietis cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt.* Ubi, ut ſæpè alibi in Scripturâ, improbatur omnis acceptio perſonarum; adeò, ut nulla ſit earum diſtantia. Quòd ſi liberum eſſet judici pronuntiare ſententiam juxta quamlibet opinionem probabilem, liceret, ut fatentur adverſarii, deligere illam, quæ magis faveret amico, civi, magno, vel diviti. Et cùm ordinariè utraque pars cauſæ ſit probabilis; liceret id ordinariè, adeoque in pleriſque cauſis haberet locum quæſtio vel caſus pro amico, ut vocant, quo liceat accipere & reſpicere perſonam amici, vel divitis; idque quamvis ejus cauſa eſſet minùs probabilis, planè contra univerſalia Scripturæ verba, & mentem. Additur ratio: *quia Dei judicium eſt*, qui nimirum numquam judicat, aut remunerando puniendóve reſpicit perſonas; ſed tantùm merita & demerita. Quod proinde judicium judices imitari & exercere debent, ut iiſdem mandat rex Joſaphat 2. Paral. 9. *Videte,* ait, *quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini.* Quæ etiam cauſa eſt cur peculiariter judices in Scripturâ Dii appellentur, ut Patres etiam obſervant Pſalm. 81. *Deus ſtetit in ſynagogâ deorum, in medio autem deos dijudicat:* id eſt, maximus judex minores.

Probatur Secundò, ex Jure civili, quo, ob cauſam ex Scripturâ jam indicatam ſapienter & religiosè ſtatutum eſt, ne judices judicent niſi jurati, nec niſi coram S. Scrip. l. illâ, *Rem non novam*, C. de judiciis. *Sic enim*, ait Imp. *attendentes ad ſacras Scripturas, & Dei præſentiâ conſecrati, ex majori præſidio lites diriment; ſcituri quòd non magis alios judicant, quàm ipſi judicantur: cùm etiam ipſis magis, quàm partibus terribile judicium eſt; ſiquidem litigatores ſub hominibus, ipſi autem Deo inſpectatore adhibito cauſas proferunt trutinandas.* Subjungitur eâdem lege: *Hodie jurant ſe facturos ſecundùm quod eis viſum fuerit juſtius & melius.* Idem hîc, vel ſaltem ejuſdem rationis eſt, facere juſtius & melius, & practicè ſequi ſententiam in judicando probabiliorem ac certiorem. 141.

rem. Sequendo enim sententiam probabilem, etiam secundùm adversarios, facerent justum & bonum, non justius & melius.

142. Probatur Tertiò, ex Patribus: quorum multorum unus instar sit Ambrosius sapientissimus & integerrimus utriusque fori civilis & Ecclesiastici judex, in Psalm. 118. *Bonus judex nil ex arbitrio suo facit, sed juxta leges & jura pronuntiat; statutis juris obtemperat; nihil indulget propriæ voluntati; nil paratum & meditatum domo desert; sed sicut audit ita judicat, & sicut se habet negotii natura, decernit; obsequitur legibus, non adversatur; examinat merita causæ, non mutat.* Quibus clarè S. Ambrosius docet, boni judicis esse nil facere ex arbitrio suo & propriâ voluntate, sed totum ex legibus, negotii naturâ, & meritis causæ: quod non potest facere sequens contrariam sententiam. Universaliter item & clarè, quamvis breviter, Isidorus de Summo bono l.3. cap.51. *Non est persona in judicio consideranda, sed causa.*

143. Probatur Quartò, ratione, ex ipso officio, atque etiam nomine judicis: quia ejus est, causam utrimque propositam, & examinatam definire, & judicare, scilicet, intellectu pro meritis causæ, non voluntate pro suo beneplacito. Ad ejusdem ergo officium spectat pro eâ causâ sententiam ac judicium ferre, quam probabiliorem judicat; non quam ut sibi vel amicis commodiorem eligit. Quare judex est quasi intellectus reipublicæ, qui est potentia necessaria, non quasi libera voluntas, cui similior est Princeps. Quod ipsum significant etiam, sententia & judicium, scilicet actus intellectûs, non voluntatis. Itaque eo ipso quo judex ab interno judicio, etiam ab officio deflectit. Unde universaliter sequitur; cujus causa est probabilior, ejus jus esse potius, & pro eâ judiciũ ferri debere; adeoque judicem aliter judicantẽ peccare contra suum officium, & jus partis, causam probabiliorem sustinentis: neque facere justius & melius, (ut debet juxta legem citatam) sed ne quidem justum & bonum.

Judex est quasi intellectus reipubl.

14[illegible] Confirmatur Primò: quia judex ex officio administrat justitiam distributivam, cujus actus est ejusdem sententia. At verò secundùm præscriptum justitiæ distributivæ, dignior est præferendus. Dignior autem hîc censetur, cujus est probabilius jus.

Confirmatur Secundò: quia, ut verbum externum oris debet respondere interno mentis; ita etiam ex naturâ rei judiciũ externum interno; quia hujus tantùm est declaratio, & pronuntiatio. Sicut ergo mentitur & decipit, qui aliud ore significat, quàm mente concepit; ita etiam qui aliud judicat exteriùs, quàm interiùs: atqui judex qui sequitur sententiam

tentiam minùs probabilem, aliud judicat exteriùs, cùm illam pronuntiat ut veram; aliud interiùs, quia contrariam veram putat, seu probabiliorem: ergo mentitur ac decipit. Uti faceret qui actu fidei externo aliud ostenderet se credere, quàm credit: ut enim se habet actus fidei externus ad internum, ita judicium externum ad internum. Alia est ratio de Advocato, quia, ut dixi cap. præced. ejus non est rem judicare, sed causæ suæ probabilitatem ostendere: quò tantùm tendunt, eoque sensu accipiuntur omnes ejus probationes. Itaque ille tantùm argumentatur, nil definit; adeoque non mentitur: longè aliter judex.

144. Probatur ultimò: quia per se apparet absurdum, & alienum à mente Scripturæ, Juris, & Patrum, licere judici, non tantùm in aliquibus, sed in omnibus causis licitè ac propriè spectantibus ad ejus tribunal, aspicere personam, seu gratificari amico judicando pro utralibet: atqui hoc licet ipsi, si licet sequi sententiam probabilem relictâ probabiliori. Quia, ut constat ex superiori capite, causæ spectantes propriè ad ejus tribunal sunt probabiles: improbabilis enim licitè sustineri non potest. Certæ autem ambæ esse non possunt, cùm sint oppositæ: atqui quando sunt causæ probabiles, etsi una sit probabilior, licet illi, ut volunt adversarii, eligere, & sequi utramlibet, eâque ratione gratificari amico: ergo id licebit ipsi semper in omnibus causis propriè ad se, suumque tribunal spectantibus. Exempli causâ, poterit in civilibus, suo judicio ac beneplacito probare, vel improbare, quòd expositi sint censendi legitimi; quòd fructus industriæ sint restituendi à possessore bonæ fidei, etsi consumpti; quòd parens teneatur dotare filiam naturalem; quòd valeant plurimi contractus & cambia, ac liciti sint Montes pietatis nunc usitati. In criminalibus, quòd in iis unicus testis omni exceptione major efficiat semiplenam probationem; quòd in causâ capitali, possit judex obligare reum ad confessionem veritatis, cùm delictum est semiprobatum; quòd possit incarcerare ac punire delinquentem in alieno territorio; quòd filii reorum læsæ divinæ vel humanæ majestatis, nati ante eorum crimen, rei sint pœnæ filiis inflictæ. Quia hæc, aliaque probabiliter affirmari vel negari possunt: quæ etsi concedantur ab adversariis; verè tamen excedunt rationabilem ac moderatam potestatem judicis.

Confirmatur Primò, utraque hæc ratio, * cùm judex à Deo, vel ipsâ hominum communitate potestatem suam acceperit, juxta prudens dictamen, debet censeri eâ moderatione eam accepisse, quâ communitati expedit: atqui omnino expedit, accepisse juxta con-

clusionem. Contrarium enim, ut coram Deo & hominibus odiosum, ita communitati esset valdè noxium: ergo eâ moderatione illam accepit, debetque exercere judicando.

Confirmatur Secundò: quia juxta dicta lib. 1. cap. 2. forum externum civile debet esse conforme interno conscientiæ, & quò huic conformius, eò erit illud perfectius: atqui in foro conscientiæ, recta ratio, seu ipsa conscientia, nihil judicat pro voluntatis beneplacito, sed totum judicio intellectûs, ac pondere rationum: ergo etiam in foro civili judex, qui est quasi conscientia recta, ac ratio reipublicæ. Minor probatur ex secundo supposito. Unde item constat, nil committi libero judicis beneplacito, sed totum judicio, quod necessariò formatur ex allegatis & probatis.

145. Dices: Ut probatum est cap. 6. licet sequi quamvis opinionem probabilem, & qui juxta illam, prudenter, adeoque licitè operatur: ergo & judex.

Judici licet sequi sententiam contrariam, quia probabilis est, etsi falsa.

Respondeo, ut explicatum est capitibus illud sequentibus; aliud esse opinionem probabilem, quòd aliquid liceat, aliud quòd v.g. valeat, aut probabile sit, secundùm aliam rationem. Priorem opinionem probabilem licet omnibus sequi, etiam judici: quo item titulo licet eidem sequi opinionem conclusioni contrariam, quia probabilis est, etsi falsa. Quod tamen est imperfectionis, & conscientiæ laxioris, nec ullo modo decet judicem, ut clarum est ex antè & nunc dictis. Posterior, seu in casu nostro, causa aliàs probabilis, judici reverà probabilis non est; ita ut secundùm illam judicare possit, ob rationes allatas, scilicet spectatâ rei veritate, non probabilitate. Ejusmodi igitur sententia seu causa judici speculativè probabilis est, sed non practicè: secùs quàm Advocato. Quæ distinctio etiam admittitur ab adversariis, nec tantùm nobiscum illis capitibus, sed hoc ipso capite & materiâ; quando docent judici non licere sequi sententiam minùs probabilem ex parte facti, cùm probationes facti essent minùs probabiles. Itaque hîc ipsi debent solvere argumentum, quod nobis objiciunt.

Minimè id illum decet.

Non est hic differentia inter probationem ex parte facti, & juris.

Nec video hîc differentiam inter probabilitatem ex parte facti, & juris. Si enim non operetur judex prudenter & licitè, sequendo sententiam minùs, etsi verè probabilem ex parte facti; cur operabitur prudenter & licitè, sequendo minùs probabilem ex parte juris? Salas num. 118. dicit jura ita disponere de probationibus facti. Sed id probat legibus quæ reverà id non statuunt, & ut statuerent, quia contrarium non disponunt de probationibus juris, potiùs inde à pari de iis idem esset deducendum.

Ex dictis videor mihi colligere, contrariam sententiam magis esse probabilem ob principia extrinseca, auctoritates Doctorum eam tuentium; quàm ob principia intrinseca, rationes ex naturâ rei, vel etiam jure desumptas.

146. *Cùm utraque causa est æquè probabilis, debet judicari in favorem rei; vel litigantes componi.*

Dico Secundò: Quando utraque causa apparet judici æquè probabilis, in criminalibus debet judicare in favorem rei: in civilibus litigantes componere, vel rem litigiosam, aut, si ipsa sit indivisibilis, ejus fructus æqualiter inter illos dividere.

Prior pars est communis; quia ob naturalem quamdam æquitatem & clementiam definita ipso Jure de regulâ Juris in 6. reg. 11. *Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs, quàm actori.* & reg. 30. *In obscuris minimum est sequendum.* Reg. item 49. *In pœnis benignior interpretatio est facienda.* Idem extendendum est ad causas civiles, & reum, id est, possessorem, juxta illud: *Melior est conditio possidentis*; nisi juxta dicta superiori capite, in iis possessio adnumeretur rationibus quibus causa fiat probabilis. Huc etiam reducendæ sunt aliæ quædam causæ privilegiatæ & favorabiles, ut de matrimonio, libertate, dote, ac testamento: pro quibus & similibus in dubio, seu pari probabilitate, judicandum est juxta caput finale, de sententiâ, & re judicatâ.

Posterior pars est Bañez, Coninck & Granadi, citat. eamdem obiter docet Suarez de charitate dis. 13. de bello sect. 6. num. 4. & 147
colligo ex Navarr. in cap. *Si quis*, de pœnitentiâ, dist. 7. num. 130. Ubi universaliter & expresè docet, peccare judices omnes, qui varietate opinionum confisi pronuntiant pro amiciore, volentes ei in dubio gratificari. Agit enim de dubio opinativo, ut constat ex verbis prioribus: quale planè supponitur casu conclusionis. Quam opinionem asserunt esse probabilem, ac niti optimo fundamento, Salas & Sanchez citati: quamvis & ipsi cum plerisque aliis, quos citant, sequantur contrariam, quòd scilicet judex tunc possit sequi opinionem probabilem utramlibet; vel ferre sententiam in favorem utriusque causæ. quod à fortiori debent asserere, qui dissentiunt à conclusione præcedenti.

Probatur Primò, ex Augustino lib. de Pœnitentiâ cap. 3. ut refertur cap. *Grave satis est & indecens, ut in re dubiâ, certa detur sententia,* 11. qu. 3. Ut jam dixi, in casu conclusionis res est dubia, & tamen juxta contrariam sententiam dari potest absoluta & certa sententia, perinde ac si res certa esset: ergo juxta eamdem committitur à judice aliquid grave satis & indecens. Nec tantùm in dubio negativo, sed ob eamdem ferè rationem etiam in positivo, ad quod proinde

extendenda quoque sunt verba citata: quæ confirmabuntur sequenti conclusione.

Probatur Secundò, ex dictis superiori conclusione: eadem enim ferè argumenta quæ illam, etiam hanc probant. Nam aliàs hoc saltem casu judici licita esset acceptio personarum, & definitio causæ pro arbitrio suo, ac propriâ voluntate. Nec is sincerè ageret, sed quodammodo mentiretur, exteriùs judicando causam & sententiam veram, seu probabiliorem, quæ à parte rei, & in mente ac conscientiâ ejus talis non esset; sed dubia, seu tantùm æquè probabilis atque opposita, quam damnat ut falsam. Neque expedit reipubl. judicem vel hoc casu habere potestatem gratificandi amico, cùm multò æquius appareat rem litigiosam tunc dividi.

Ex quibus desumitur universalis regula, ac fundamentum conclusionis, scilicet, cùm utrimque opinio ac causa est æquè probabilis, seu merita ipsius causæ æqualia; necessariò jus utriusque partis esse æquale: quod proinde judex (qui jus tantùm administrat, non facit) violat, si unam alteri præferat.

Confirmantur hæc omnia: quia, ut fatentur hîc etiam adversarii, nominatim Sanchez, conclusio saltem vera est, quando æquales sunt ex parte facti probationes: ergò etiam quando ex parte juris; quia, ut etiam dixi conclus. præcedenti, non potest assignari differentia hîc inter factum, & jus. Reverà enim nulla est, quæ à Sanchez affertur, quòd probationes facti se habeant ex parte causæ, & sint propria media, quibus ea decidenda est, secùs quàm probationes juris. quia & hæ reverà sunt media, quibus causa decidenda est, non minùs quàm illæ; nec minùs judex has debet examinare, quàm illas: ergo non minorem debet habere rationem harum in judicando, quàm illarum.

Petes, An ergo judex pro suo arbitrio unam causam, etsi judicio suo non probabiliorem, alteri præferens, teneatur ad restitutionem faciendam parti condemnatæ? 148.

Iudex si ferat sententiam juxta cōtrariam opinionem probabilē, nō tenetur restituere.

Respondeo negativè, si videlicet formet sibi conscientiam falsam probabilem juxta contrariam sententiam; quæ haud dubiè est probabilis: quia ad obligationem restituendi ex solo delicto, ut hîc suppono, prærequiritur injustitia, & peccatum formale: quale non consistit cum ejusmodi conscientiâ. Quâ ratione cessante reverà teneretur, si contra conscientiã judicium ejusmodi pronuntiasset, non tantùm materialiter, sed formaliter injustum.

149. *Vtraque conclusio potissimū intelligē-*

Adverte, ut bene docet Vasquez cit. & ex illo alii, Primò, conclusionem utramque potissimùm intelligendam de judice supremo.

Nam

da de judice supremo. Nam inferior posset sententiam ferre contra opinionem suam, juxta magis communem & receptam, quando aliter putaret eam reformandam. Hæc enim causa redderet illi licitam quamdam in judicando restrictionem mentalem. Secundò, quoad ordinem à judice servandum, illum debere instituere sufficiens examen circa jus & factum secundùm allegata & probata; ita ut, si pars altera in probatione deficiat, aut aliquid necessarium omittat, non debeat ferri judicium secundùm alleganda, sed, ut dixi, secundùm allegata. Deinde illum non debere alterutri parti quidquam aperire pertinens sive ad jus, sive ad factum, aut utriusque probationem. Hoc enim esset Advocati, non judicis.

Debet ferri judicium secundùm allegata, non alleganda.

150. Atque hinc videtur etiam inferri posse, judicem non tantùm posse, sed debere condemnare reum publicè probatum nocentem, etsi privatim à judice cognitum innocentem, juxta sententiam D. Thomæ 2. 2. qu. 67. art. 2. & communiorem: quia videlicet sustinet personam publicam, quæ uti debeat scientiâ publicâ, juxta allegata & probata; non privatam, quæ uti debeat scientiâ privatâ. Neque sic aget contra, sed juxta conscientiam strictè sumptam, id est, practicum dictamen, etsi agat contra conscientiam latè sumptam, id est, scientiam innocentiæ damnandi. Contraria tamen non est improbabilis, quam præter alios probat Lessius de Just. cap. 29. dub. 10. scilicet intellecta de criminalibus, ac damnatione ad mortem; quòd ne quidem ipsa respublica videatur habere, aut in judicem transferre posse, potestatem in vitam innocentis. Alia est ratio de civilibus, ac pœnâ pecuniariâ; quia de bonis ejusmodi potest respublica disponere ad majus bonum commune. Atque hæc omnia intelligenda sunt, non tantùm de uno judice, sed ob easdem planè rationes de variis, quando plures ad unum judicium vel sententiam concurrunt in concilio, vel magistratu.

Non est improbabile, judicē nō debere dānare ad mortem, privatim notum innocentē: etsi publicè probatum reū.

CAPUT XV.

An Regi liceat sequi opinionem probabilem in bello inferendo, v. g. ob jus ad regnum probabile?

QVod de Rege hîc dicetur, eâdem ratione intelligendum de supremo principe; & quod de regno, etiam de Principatu, Marchionatu, Comitatu, alioque dominio; licet aliquo discrimine postea indicando in probatione posterioris partis cōclus. secundæ. Non immeritò Vasquez dicit, hāc quæstionem esse dignissimam, quæ à Theologis exactè tractetur, quòd ex eâ maximè pendeat pax aut discordia inter principes Christianos. 151.

Sup-

Nõ datur bellum utrimque justum.

Suppono Primò, juxta communem Doctorum sententiam, non dari bellum utrimque justum. Ratio est, quòd bellum sit actus quidam justitiæ vindicativæ, quo nimirum vindicetur ac puniatur aliqua injuria. Ubi itaque nulla injuria, nullus potest esse locus bello justo; adeò ut hoc ipso quo hoc justum est ex parte inferentis, supponat injustitiam ex parte ejus cui infertur: quam clarum est justo bello defendi non posse. Vel itaque verè irrogata est injuria, vel non: si est irrogata, bellum justum est ex parte inferentis, injustum ex parte resistentis: si non, injustum est ex parte inferentis, justum ex parte resistentis. Nullo itaque casu potest dari utrimque justum.

Confirmatur: quia vel solo naturæ lumine apparet, ad tam violentum remedium non esse veniendum, nisi urgeat necessitas, scilicet vindicandæ injuriæ: quod non tantùm verum est de bello offensivo, sed & defensivo: quod ut justum sit, prærequirit etiam injuriam saltem inchoatam, quæ simul vindicetur dum repellitur.

Unde collige disparitatem inter litem judicialem, quæ etsi sit bellum quoddam civile, datur utrimque justa; & bellum propriè dictum seu castrense, quod non potest dari utrimque justum. Quia hujus finis est punire injuriam jam irrogatam, illius tantùm inquirere in dubio veritatem ad declinandam omnem injuriam.

Nota tamen, hoc intelligendum esse de bello utrimque justo, non tantùm formaliter, sed etiam materialiter. Nam formaliter utrimque potest esse justum ob ignorantiam invincibilem alterius partis. Quâ ratione potest fuisse utrimque justum bellum Judæorum, & Amorrhæorum, aliarumque gentium, quæ nesciebant, nec tenebantur credere suam terram à Deo Judæis datam esse: quamvis reverà ob Dei supremi omnium Domini dispositionem ex parte illorum injustum fuerit, scilicet materialiter. Atque hoc tantùm sensu bellum utrimque justum admittunt Victoria relect. de Jure belli num. 32. Covarr. reg. *Peccatum*, 2. p. §. 10, num. 6. & Abulensis in Iosue cap. 11. 152. *Datur tamẽ utrimque justũ formaliter ob ignorãtiam invincibilem.*

Suppono Secundò, juxta communem item certamque sententiam, licere Regi habenti jus ad regnum evidens, si illud occupans auditis rationibus, etsi non creditis justis vincibiliter, vel invincibiliter credere noluerit, bello illud invadere, sibique armis comparare. Ratio est, tum quia hîc ex parte occupantis est injuria, quæ vindicetur, saltem materialis, atque in similibus etiam foro civili præsumi solet culpa & injuria etiam formalis: tum quia hoc saltem casu Rex, cùm superiorem se judicem ac dominum non habeat, potest ipse 153. *Rex habens jus ad regnũ evidens, certò potest illud bello invadere.*

ipse sententiam ferre, & armis mandare exsecutionem: aliàs nullum esset hominibus relictum remedium ad hujusmodi injurias propulsandas. Non obligat tamen illa sententia, quatenus hominis & positiva est, alterum regni possessorém: quia, ut suppono, hic illius subditus non est: hunc ergo obligat lex naturalis, ac sententia propriæ conscientiæ. Dubium ergo est, quando jus non est certum ac evidens; sed manet dubium & probabile, idque propositis, auditis & diligenter utrimque examinatis rationibus. Quod certò ante omnia pacificè fieri debet, missis ad certum aliquem locum viris doctissimis (ut factum scribitur à Carolo V. & Ioanne III. Rege Lusitaniæ, ad dirimendam controversiam circa insulas Molucas) vel consultis Universitatibus, alióve modo in quem utraque pars convenerit.

154. *Si duo habet jus ad regnum probabile, relinquendum est possidēti.* Dico jam Primò: Si duo jus habent ad regnum omnibus consideratis probabile, & alteruter illud legitimè possidet, illi relinquendum est. Unde sequitur, alteri, etsi Regi, non licere sequi sententiam probabilem ob probabile jus, bellum illi inferendo: quod injustum esset. Ita Victoria relect. de Jure belli cit. num. 27. Molina tom. 1. de Justit. tract. 2. disp. 103. §. *Quando inter duos*; Suarez sect. illâ 6. num. 3. Salas cit. sect. 15. num. 128. & sequ. contra Vasquez disp. 64. cap. 3. num. 10. qui putat non esse habendam rationem possessionis, nisi in dubio stricto, ac negativo: de quo solo explicat Victoriam, sed præter ejus mentem.

Probatur: quia nulla est ratio cur, juxta axioma ab omnibus receptum, non sit hîc melior conditio possidentis, non tantùm in dubio negativo, sed & eâdem ratione in positivo, seu opinativo. Nam & hoc omnibus consideratis, rem relinquit dubiam, seu incertam.

Confirmatur Primò, ex regulâ Juris in 6. *In pari causâ & delicto melior est conditio possidentis*: quæ sumitur ex cap. *Ex litteris*, de probationib. cui respondet regula Juris: *In pari causâ possessor potior haberi debet.* ff. de regulis Juris antiqui. Quibus verbis nulla fit mentio dubii, sed tantùm paris causæ: atqui quando utrimque est jus seu opinio, adeoque dubium opinativum æquè probabile, scilicet de proprietate regni, abstrahendo à possessione, clarè est par causa: ergo melior conditio possidentis.

Confirmatur Secundò: quia ratio cur ceteris paribus melior sit conditio possidentis, quia molestum & incommodum, adeoque odiosum est aliquem deturbari suâ possessione; multò magis urget in possessione regni, quàm rei alicujus privatæ, ut clarum est.

Limitant hæc aliqui, ita ut, si probabilius sit jus non possidentis, possessor debeat rem litigiosam 155. *Quāvis probabilius esset jus non possidētis.*

ſam pro quantitate dubij dividere. Sed meritò rejicitur limitatio à Molina & Salas citatis: quia juxta ſenſum axiomatis communiter receptum, in quovis dubio melior eſt conditio poſſidentis: atqui per limitationem non tollitur dubium, cùm verè, etſi minùs ſit probabile jus poſſeſſoris: ergo nec privilegium, meliorque conditio poſſeſſionis.

Confirmatur: quia omne jus, & opinio verè probabilis, poteſt aliquibus videri ſimpliciter vera vel probabilior: ergo moraliter ad evitandas novas lites non debuit hîc haberi ratio exceſsûs probabilitatis. Quæ ratio fortior eſt, quando eſſet controverſia inter duos Reges, ſeu ſupremos principes: inter quos juxta limitationem facilè oriretur occaſio belli, ſi uterque judicaret ſuum jus probabilius.

156. Advertendum tamen hîc eſt, non ſufficere ad hoc, aliaque privilegia quamvis poſſeſſionem naturalem, ac violentam; ſed requiri civilem, ac jure toleratam, juxta leges ff. de acquirendâ & amittendâ poſſeſſ. Item deturbatum à poſſeſſione vi aliáve ratione primò omnium reſtituendum eſſe: §.4. in fine Inſtit. de interdictis, & cap. 1. 2. aliiſque de reſtitut. ſpoliat.

157. *Si duo habent jus probabile ad regnũ, quod non poſſident, debẽt ſtare judicio regni.* Dico Secundò: Si duo Reges habeant jus probabile ad idem regnum, quod neuter poſſidet, non poſſunt illud bello occupare; ſed debent ſtare judicio ipſius regni controverſi, vel certè inter ſeſe tranſigere, aut eligere judices arbitros. Ita ferè Navarr. in Summâ cap. 25. num. 4. Victoria, Molina, Salas, Suarez, & Vaſquez citati. Priori parti repugnant aliqui recentiores, & nominatim Petrus de Navarra 2. de Reſtitut. cap. 3. num. 205. Imò Suarez videtur dicere, communiorem contrariam: non immeritò tamen videtur dicere Vaſquez, eam nil habere probabilitatis, nec cedere in parvam reipublicæ Chriſtianæ perniciem & detrimentum. Utinam nulli eam principes ac Reges ſequerentur in praxi!

Quoad poſteriorem partem, Molina negat, principem regno non ſubditum debere ſtare ejus judicio: quod aſſerit Vaſquez: alii hoc expreſsè nec negant, nec affirmant.

Probatur Primò, prior pars: quia aliàs daretur bellum inter eos utrimque juſtum. Vel enim uterque, vel neuter juſtum bellum gereret, cùm de utroque ſit eadem ratio: uterque enim, ut ſuppono, habet jus verè, & fortè æquè probabile. Neuter itaque poteſt alterum, vel regnum bello impetere ſeu punire; cùm nulla præceſſerit injuria, quæ puniri debeat; niſi per ſummam injuriam, injuria æſtimetur, alterius ad idem regnum probabile jus.

Confirmatur: quia verè barba- 158.

rum

rum est jus regnandi constituere in armis; quasi is potior esset jure, qui fortior armis. Nimis id repugnat æquitati naturali, ac lumini rationis, præsertim fide Christianâ illustratæ. Nec referret, etsi unus verè haberet, vel putaret se habere, jus altero probabilius: quia cùm alter habeat etiam verè probabile; prudenter posset ipsi, aliisque ab ipso consultis videri suum quoque jus probabilius; atque ita vel neuter potest inferre bellum, vel uterque inferret justum. quod jam dixi fieri non posse.

Ex quibus apparet, neutri Regi, casu conclusionis licere sequi opinionem seu jus probabile; imò ne quidem probabilius, atque adeò illam esse quidem probabilem speculativè, sed practicè omninò improbabilem sensu explicato cap. 7. concl. 1.

159. Probatur jam posterior conclusionis pars ex priori: quia aliquis debet superesse modus definiendi controversiam inter Reges ac principes; non armis & bello, ut jam probatum est: ergo aliquo judicio; non ipsorum Regum, quia cùm neuter alteri subditus sit, neuter ab altero potest vocari in jus, ut causam suam coram eo agat, & sententiam audiat. Neque est major ratio, cur unus debeat se subjicere, quàm alter. Non potest igitur hujusmodi controversia certiori & convenientiori regulâ terminari, quàm judicio ipsius regni controversi, scilicet juxta ejus leges scriptas ac consuetudinarias: quas interpretentur, judiciumque ferant illi, quorum est defuncto Rege jus administrare.

Confirmatur: tum quia æquum est, ut regnum, quod ab ipso Rege gubernari non debet, nisi secundùm ejus privilegia ac leges, non transeat, nisi juxta easdem in ejus potestatem, saltem simili dubio ac controversiâ: tum quia Jure civili universim lis orta super bonis, definiri debet juxta leges loci, quo illa sita sunt. Quod itèm verum est, etsi ea sita essent sub jurisdictione alterius principis. Quare si lis sit de Comitatu, seu Marchionatu, debet ea judicari secundùm leges regni seu reipubl. cui ille est subjectus; idque quamvis lis esset cum ipso Rege. Imò ratione Comitatûs ejusmodi, alter, licet aliàs non subditus, imò supremus princeps, fieret subditus quà Comes, Marchio, vel etiam quà dominus alicujus pagi aut civitatis: ergo etiam lis de regno judicanda est secundùm ejusdem leges. Atque hac ratione litigantes de regno Arragoniæ tempore S. Vincentii dicuntur fuisse coacti stare judicio regni.

Addidi tamen in conclusione: *vel certè inter sese transigere*, &c. quia sicut privatis, ita multò majori ratione Regibus, licet & expedit pacificâ transactione litem dirimere, dividendo rem controversam, ejus- 160. *Expedit principes litẽ inter sese cõponere pacificâ trans-*

actione, vel electis arbitris. ejusque fructus, aut aliâ ratione. Eademque est ratio de eligendis judicibus arbitris. Imò, ut docet etiam Vasquez, si unus litigator rationabiliter suspectos haberet judices ordinarios regni controversi; posset contra illos excipere, & litem evocare ad judices arbitros; alterque deberet justæ huic petitioni acquiescere: aliàs injuriam illi irrogaret, quæ justo bello ab eodem vindicari & puniri posset.

Idem dicendum videtur, cùm de Comitatu, v.g. lis esset cum Rege, qui esset pars, & simul deberet esse judex, juxta dicta paulò antè; ille enim facilè videri poterit alteri suspectus.

161. Addiderim Primò, ob rationem paulò antè allatam, etiam judices arbitros debere expendere, & judicare secundùm leges regni controversi.

Habet etiam hic locum appellatio. Addiderim Secundò: etsi is pro quo sententia lata fuerit, possit regnum controversum bello invadere, si alter injustè resistat; hunc tamen posse à primâ sententiâ ad secundam, imò & tertiam appellare. Primò, quia id licet personis privatis ob res multò minoris momenti: ergo multò magis Regibus ob regnum, rem tanti momenti. Secundò, quia non nisi post plures sententias videtur res fieri evidens, euidentiâ quadam legali: nec videtur licere ob ejusmodi controversias bellare, quæ res tam violenta est, aliasque reipublic. tam noxia, nisi ad propugnandum jus evidens, ac puniendam injuriam evidentem, juxta suppositum secundum. Quod colligo ex Salas num. 132. & Antonio Perez ab eo citato: contra quem bene docet ille, eo casu non licere regnum occupare, nisi post ultimam sententiam. Aliàs damnatus, etsi duabus sententiis, justo bello occupantem expellet, & vindicabit injuriam sibi factam. Cujusmodi etiam injuria fieret homini privato, si ante ultimam, ad quam legitimè appellasset, sententiam, alter rem litigiosam apprehenderet. Quæ tamen intelligenda sunt, & moderanda juxta dicta, ac leges & consuetudinem regni, seu provinciæ, in quâ lis instituta est. Si enim semel sententia lata est in Concilio supremo, à quo non solet esse appellatio; neque in casu proposito potest esse locus appellationi: potest tamen revisioni, ut vocant, quatenus hæc ibidem usitata est.

Ex dictis collige, eodem modo componendam esse inter principes ac Reges quamvis aliam controversiam; ut si dubitetur non de acquirēdo regno, aliòve dominio, sed irrogatâ ab alterutro injuriâ qualibet. Nam ejusmodi de causâ, nisi urgeat necessitas, multò minùs veniendum est ad bellum: quod tantùm est ultimum remedium, cùm non superest aliud. 162. *Simili modo cōponenda inter Reges controversia qualibet.*

Deni-

163. Denique, adverte Primò, tunc univerſim eſſe ſufficiens dubium ac controverſiam inter principes, quæ ſic componi debeat, quando inter privatos ac ſubditos illud ſufficeret ad litem inſtituendam foro civili, ſcilicet utrimque juſtam; ita ut juxta dicta cap.13. Advocato liceret utrilibet parti ac cauſæ patrocinari.

Adverte Secundò, quòd ſi alteruter, vel uterque princeps invincibiliter putaret jus ſuum ad regnum; aut ob injuriam ſibi ab altero illatam in proceſſu litis, aliâve ratione evidens, etſi reverà dubium; tunc dandum ſeu inferendum bellum utrimque juſtum formaliter, ſeu per accidens ratione ignorantiæ invincibilis; non autem materialiter, & per ſe, juxta dicta ſuppoſito primo; quòd ejuſmodi numquam detur juſtum utrimque. Imò, ut ex dictis quoque colligitur, rarò datur juſtum offenſivum, ex parte illud inferentis; qui antè debet tentare viam juris, ſeu pacificæ tranſactionis, antequam recurrat ad arma ac bellum, remedium extremum tunc tantùm licitum, cùm non ſupereſt aliud. Aliàs graviſſimè peccat, nec tantùm contra juſtitiam, ſed & charitatem: neque tantùm erga illum cui bellum infert; ſed integras plureſque provincias & regna, quibus bellum adeò pernicioſum eſt. Quibus item debet & reſtituere, ac compenſare omnia damna inde ſecuta. Quæ utinam bene expenderent principes ac Reges, præſertim Chriſtiani, eorumque Conſiliarii!

Rarò datur bellū juſtum ex parte inferentis.

Injuſtum repugnat non tantū juſtitiæ, ſed & charitati erga integras quoque provincias.

CAPUT XVI.

An ſubditus contra ſuam, teneatur ſequi probabilem opinionem Superioris, illi obediendo?

EXempli causâ, Superior præcipit aliquid probabiliter licitum, quod tamen ſubditus probabiliter, vel etiam probabiliùs putat illicitum, aut excedens ejus poteſtatem: quæſtio eſt, àd quid teneatur ſubditus? 164.

Reſpondeo & dico Primò: Tenetur obedire, ſcilicet ſequendo probabilem opinionem Superioris contra ſuam. Ita Corduba lib.3. queſt.9. Vaſquez cit.cap.6.& Malderus 1.2.diſp.86.concl.4. aliique, quos citat & ſequitur Diana reſolut. 10. contra Joannem Sancium ab eodem citatum, qui non videtur diſtinxiſſe opinionem ſubditi probabilem ſpeculativè jam dictam, & practicè: quòd probabile ſit juxta illam licere operari, nec obedire. Prior hîc ſupponitur, non poſterior, ut ſupponere videntur ejus argumenta.

Subditus debet ſequi opinionem probabilē Superioris contra ſuam.

Probatur concluſio: ſubdito ob probabilem opinionem eſt licitum obedire: ergo mandatum

Superioris illi superveniens facit necessarium: debet enim mandatum expleri necessariò, cùm potest licitè, juxta dicta cap.8.

Confirmatur: aliàs nimis enervaretur vis obedientiæ, & auctoritas Superioris, ac turbaretur sæpè tota communitas; si videlicet ob quamvis rationem probabilem liceret subditis mandata Superiorum non curare; sed contemnere, quasi ad se non spectantia.

165. *Aliud est obedire cōtra propriā opinionem, aliud cōtra conscientiam.* Suppono autem hîc, longè aliud esse subditum Superiori obedire contra propriam opinionem, quàm contra conscientiam. Hoc intrinsecè, & necessariò malum est juxta dicenda cap.21. & 22. libri 5. nisi, scilicet, conscientia deponatur: illud non tantùm licitum, sed, juxta conclusionem, necessarium; idque quamvis opinio illa maneat. Quæ duo non distinxit Adrianus quodlib. 2. punct.3. ubi indefinitè docet, subditum non posse obedire Superiori contra propriam opinionem.

166. *Limitāda conclusio ad Superiorem certum.* Gerson alphabeto 62. littera N. eumque secutus Vasquez cit. num.34. bene limitat responsionem ac conclusionem, vt vera sit cùm non dubitatur de legitimâ electione ac jurisdictione Superioris: de quâ si essent diversæ ac probabiles opiniones, posset subditus sequi illam, quâ non haberetur verus Superior, adeoque ipsi non parere. Hanc tamen limitationem rejicit Salas 1.2. tract.8. disp. unicâ, sect.8. num.78. quia cùm dubitatur an Superior, licet aliàs indubitatus, præcipiat illicitum, verè dubitatur an in eo casu & actu sit Superior. Neque competit illi jus & possessio præcipiendi illicita. Si ergo possit subditus sequi opinionem probabilem, quòd non sit Superior absolutè, poterit etiam quòd non sit in hoc casu, seu actu præcipiendi.

Sed etsi hæc ratio probet etiam indubitati Superioris jurisdictionem hîc & nunc reddi dubiam, cùm dubitatur an illicitum præcipiat; non tamen probat reddi æquè dubiam, ac si aliàs de legitimâ ejus electione ac jurisdictione non constaret. Si enim de hac quoque dubitetur, duplex est ratio dubitandi. Primò, dubia electio; Secundò, dubium mandatum, seu dubia ejus materia: cùm autem de electione constat, tantùm est unica ratio dubitandi, scilicet posterior. Jam verò æquius apparet, ut subditus pareret mandato probabiliter justo Superioris, qui est in possessione jurisdictionis, seu præcipiendi alia; cùm tantùm habet unicam rationem probabilem illi oppositam; quàm si habeat duas, quarum alterâ revocetur in dubium etiam ipsa possessio. Imò hæc unica sufficeret ad liberandum ab obligatione obediendi subditum: quia cùm non constat Superiorem esse in possessione potestatis præcipiendi,

di, subditus manet in possessione libertatis suæ non obediendi, juxta dicenda de privilegio possessionis seq.lib.c.5. Quâ aliàs erga Superiorem censetur cessisse juxta jã dicta.

167. Docet præterea Vasquez nu. 33. subditum non debere ex eo judicare opinionem Superioris probabilem, quia Superior est.

Subdito ordinariè ad probabilitatem sufficit auctoritas Superioris.

Probabilius tamen ac rationabilius omninò existimo, ut juxta dicta num.38. ac D.Thomam ibi citatum, in ordinariis ad probabilem opinionem discipulo sufficit auctoritas magistri, ac pœnitenti auctoritas Confessarii, parochianis Pastoris; ita subdito sufficere auctoritatem Superioris.

Confirmatur hoc doctrinâ Sanctorum, quòd juxta dicenda lib.5. cap.21.& lib.4. cap.14. & 15. subdito laudabilius, atque etiam tutius sit simplici ac cæcâ etiam intellectûs obedientiâ, non tantùm licitum, sed melius credere quidquid Superior injunxerit; modò in eo non cernatur peccatum, scilicet, contra legem naturæ, vel mediati Superioris: ergo si quid ille injunxerit in quo peccatum non cernitur, quod in casu supponitur, subditus omninò potest illud habere, ut saltem probabile, non dicam moraliter certum, quod confirmabitur item sequenti conclus.

168. *Subditi debẽt obedire principi evocanti ad bellum de cujus injustitiâ ipsis non constat.*

Dico Secundò: Subditi possunt & debent sequi, ac obedire principi evocanti eos ad bellum, de cujus injustitiâ ipsis non constat. Est communis sententia Doctorum: quos citant & sequuntur Vasquez cit. & Sanchez lib. 6. de Matrim. cap.3. num.15.

Probatur Primò, ex Augustino lib.22.contra Faustum, cap.74. & refertur cap. *Quid culpatur*, 23.qu.1. *Ergo vir justus, si fortè etiam sub rege, homine sacrilego militet, rectè potest illo jubente bellare, si vice pacis ordinem servans, quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est.* Nota verba, *certum non est*, vel negativè, vel etiam positivè ad probabiles utrimque rationes.

Probatur Secundò, ratione superioris conclusionis: quia principes sunt verè, imò eminenter Superiores, & quidem supremi.

Probatur Tertiò, ratione Vasquez, quia Rex non debet rationem reddere subditis cur bellum indicat alteri Regi. Satis est illi sciant, apud eum viros esse doctos & sanctos, qui sanum consilium illi dent. Itaque auctoritas principis sufficit subditis ad probabilitatem; idq; quamvis ipsi probabiliter putarent bellum esse injustum.

Unde apparet, eâdem vel majori ratione subditis etiam ad probabilitatem sufficere auctoritatem aliorum Superiorum, præsertim Ecclesiasticorum, ac regularium: qui & præsumi debent satis docti ac probi, & reguntur peculiari aliquâ directione Spiri- 169.

tûs

tûs sancti, nec debent subditis reddere rationem præcepti sui. Quare probabilem sententiam non facit illorum sola dignitas, ut argumentatur Vasquez, sicut neque principis; sed auctoritas, nixa partim propriâ prudentiâ, partim naturali, vel supernaturali directione. Utraque hæc conclusio confirmabitur sequ. libro cap. 16. ubi ostendam aliam esse rationem de militibus stipendiariis, non subditis: qui proinde nec debent, nec possunt sequi opinionem probabilem principis contra suam militando illi in bello dubio, seu probabiliter injusto.

Ex dictis utrâque conclusione collige, ob easdem rationes subditos contra probabilem opinionem suam, quòd sint injusta vectigalia principis, multò probabiliùs debere sequi hujus probabilem, quòd sint justa, adeoque solvenda, ac reipsâ solvere. Aliàs certè nimis facilis & frequens daretur iis occasio rebellionis, dareturque bellum utrimque justum, idque citra ignorantiam, si utraque opinio sciatur, & sit verè probabilis. Huc accedit, quòd hoc ipsum judicium, an vectigal, sicut & bellum, sit justum, nec ne, spectet ad principem, non subditos, juxta jam dicta, & dicenda cap. citato.

Etiam puniri possunt subditi in casu conclusionum inobedientes.

Ex utrâque conclusione sequitur contra Sancium citatum, utriusque casu à Superiore ac principe puniri posse subditos, si non obediant; esto hi formaliter coram Deo non peccarent, eò quòd contrariam sententiam putarent probabilem. Quia Superior utitur jure suo in puniendo, ut mandando; & foro externo ob rationes allatas meritò præsumerentur simpliciter illi inobedientes ac rebelles. Quemadmodum non est dubium, quin à judicibus multi damnentur in civilibus ac criminalibus, etsi immunes à formali peccato; idque ob sententiam aliquam verè, vel creditam probabilem. Alia est ratio de pœnitente, quem foro illo interno Confessarius debet absolvere, quandocumque coram Deo absolutionis est capax, etsi beneficio sententiæ falsæ, modo verè, vel creditæ probabilis, ut suprà dixi.

CAPUT XVII.

An viro docto liceat sequi opinionem probabilem in dando consilio?

NOta Primò, variis modis consuli virum doctum: Primò, quid expediat; Secundò, quid fieri debeat, v. g. an debeat fieri restitutio, seu quid ipse de eo judicet, scilicet tamquam probabibilius, aut verum: Tertiò, etiam expresè addendo, an & quæ sint de eâ re opiniones probabiles, v. g. an non sit probabile restitutionem 170.

Variè consulitur, & respondet vir doctus.

nem

nem non esse faciendam. Similiter consultus variè ad petitionem potest respondere; vel hoc expedire; vel esse melius; vel necessarium seu verum, scilicet, suo judicio, vel probabile.

Opinio probabilis hic etiam dicitur practicè. Nota Secundò, opinionem probabilem non sumi hîc tantùm speculativè, ut capitibus proximè præcedentibus, sed etiam practicè, prout dictat aliquid licitum, seu faciendum, aut non. Nam non tantùm vir doctus consulitur, quid speculativè verum sit: quo sensu sæpiùs Professor dicitur docere in scholis opiniones probabiles; sed etiam, idque sæpiùs, quid hîc & nunc sit faciendum, aut licitum.

171. *Si rogeris quid expediat, debes respondere juxta opinionem tutiorem.* Dico Primò: Si consulatur primo modo, ordinariè debet sequi, seu respondere juxta opinionem tutiorem, nec potest juxta quamvis probabilem.

Probatur ex conclus. quartâ cap. 6. quia ordinariè consultius & laudabilius est sequi opinionem tutiorem: ergo vir doctus rogatus quid expediat, seu melius ac consultius sit; debet juxta eamdem respondere, dicendo, v.g. expedire non ineatur contractus dubius; vel ut fiat restitutio; cùm probabile, vel probabilius, est eam fieri debere. Aliàs mendacio aliquo consulentem deciperet, eidemque sine causâ dissuaderet modum operandi perfectiorem, & exponeret periculo peccati saltem materialis. Dixi tamen, *ordinariè*: quia, justâ aliquâ de causâ facilè fit, ut non sit melius operari juxta sententiam tutiorem; ut si, exempli causâ, pauper probabiliter debeat magnam summam restituere diviti, ita tamen ut æquè vel magis probabile sit non debere: eo enim casu meliùs & pauper non restituet, & idipsum Doctor consulet. Quia, ut suppono, dives eâ summâ non eget, & fortè abutetur, si accipiat; pauper autem si restituat, se & familiam suam conjiciet in magnam necessitatem. Idem dicendum de similibus.

Dico Secundò: Si consulatur tertio modo, potest, imò debet, respondere juxta opinionem probabilem. Ita expresè Salas sect. 9. num. 85. & sect. 10. num. 95. quem sequitur Sanchez cap. illo 9. num. 21. 172. *Si rogeris de rei probabilitate debes respondere juxta opinionē probabilem.*

Probatur eâdem ratione: quia aliàs mentietur negando, exempli causâ, esse probabile, quòd non debeat fieri restitutio, aut sit licitus contractus, v.g. cambium Francofurtense, aut Bisuntinum; cùm tamen, ut suppono, id sit probabile; & consulentem decipiet, non tantùm ingenerando illi errorem, sed fortè etiam inferendo damnum pecuniarium.

Dixi in conclusione, *debet*, scilicet, in sensu composito, si velit consilium dare, uti videtur debere ex officio Confessarius, quod docet Salas cit. sect. 9. Aliàs, si ab-

solutè non tenetur consilium dare, multò minùs tenetur juxta minùs probabilem sententiam, præsertim contra suam. Atque eodem modo de obligatione in sensu composito intelligenda est præcedens & sequens conclusio.

173. *Rogatus & respondens absolutè debes juxta opinionē tuā: cum moderatione potes respondere juxta probabilem.*

Dico Tertiò: Si absolutè consulatur & rogetur, v.g. an restitutio sit facienda, aut contractus licitus, vel non; debet sequi & respondere juxta opinionem suam, quam veram, seu probabiliorem judicat, si respondet absolutè. Potest tamen respondere juxta quamvis probabilem, cum moderatione, dicendo, v.g. probabile est non esse faciendam restitutionem, aut contractum esse licitum. Priorem partem docet Sotus in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 5. ad 5. cum quo concilio recentiores Vasquez disp. 62. cap. 9. num. 47. Salas sect. 6. nu. 69. Sanchez num. 19. juxta posteriorem. Nec aliud probat eorum argumentum: Licet mihi opinionem sequi: ergo & aliis eam consulere, scilicet, tamquam probabilem, non tamen tamquam simpliciter veram, aut probabiliorem; ut satis se explicat Salas eo loco, & Sanchez num. 20. etsi addat alia minùs cohærentia.

Probatur conclusio Primò: qui absolutè petit an restitutio facienda, non petit an sit probabile, sed an verum, seu probabilius sit eam esse faciendam, scilicet judicio ejus, quem consulit. Atque hoc ipsum significat, qui absolutè respondet eam esse faciendam: nec tantùm juxta mentem petentis, sed & significationem verborum: quæ ab ipso prolata rem significant prout ab ipso intelligitur, non prout ab aliis. Qui ergo respondet absolutè, v.g. restitutionem esse faciendam, quæ tamen ejus judicio & opinione, non est facienda, etiam mentitur, estque doctor falsi dogmatis, ut ait Sotus, adeoque consulentem decipit: vel certè, si subintelligeret, nec exprimeret, Juxta probabilem opinionē aliorum, uteretur restrictione mentali: cujus suppono non esse hîc sufficientem causam.

174. *Bene consistūt hæc duo: Hoc est falsum, & est probabile.*

Ubi adverte, juxta dicta superiùs, bene consistere hæc duo: Hoc est falsum, scilicet, meo judicio, & tamen hoc est probabile; imò eo ipso, quo judicatur minùs probabile, judicatur falsum: quare immeritò Sanchez putat Sotum non agere de dogmate probabili, quia agit de falso. Quâ ratione idem esset opinio falsa & improbabilis, planè contra mentem Soti, & communem Doctorum, quorum nemo dubitare potest, quin sit illicitum dare consilium contra opinionem propriam, juxta alienam improbabilem.

Confirmatur deinde probatio: quia, ut fatetur Vasquez & Salas, non licet juxta opinionem alterius contra propriam aliquem condemnare ad restitutionem, aut quid

Conclusio universalis est in materiâ restitutionis, & cujusvis virtutis.

quid simile, quia, inquiunt, iniquum est fictâ auctoritate convincere alium: ergo qui sic respondet, fingit & mentitur auctoritatem, scilicet suam, significando se sentire, quod non sentit, planè juxta dicta. Si hoc facit cùm obligat ad restitutionem, idem facit cùm ab eâ excusat; si etiam excuset contra propriam, juxta aliorum, ut clarum videtur. Quare universaliùs Valent. 2. 2. disp. 5. quæst. 7. puncto 4. §. *Respondeo dupliciter*, docet, in materiâ justitiæ respondendum juxta opinionem probabiliorem. Verùm non minùs clarum videtur, rationes conclusionis, ut & sententiæ contrariæ, universales esse respectu omnis materiæ, atque adeò valere de omni, vel nullâ, materiâ cujusvis virtutis.

175. Probatur Secundò: communi loquentium & audientium sensu aliud respondet, qui dicit absolutè: Restitutio est facienda; aliud qui dicit: Probabile est eam esse faciendam: ergo prior locutio non bene explicatur sensu posterioris. Quæ etiam causa est, cur Doctores consulti de casu aliquo, si resolutionem putant absolutè veram, seu probabiliorem, subscribant absolutè: Ita sentio. Cùm tantùm putant probabilem, addunt moderationem: Puto probabile, seu tutum in praxi, planè juxta conclusionem.

Unde etiam colligitur, Doctorem, qui consulitur, non debere consulentem remittere ad alium Doctorem, quem scit esse alius opinionis consulenti commodioris, quòd nil sit restituendum, modò eam putet probabilem. Tunc enim sufficit ad praxim dicere eam esse probabilem, ac practicè tutam, juxta posteriorem conclusionis partem: quæ non eget aliâ probatione. Nam sine periculo mendacii ac deceptionis potest dici opinio probabilis, quæ verè talis est.

Sed quid si Doctor consultus putet opinionem esse improbabilem, quam alter Doctor putat probabilem aut veram, ob ignorantiã legis, aliúsve fundamenti, cujus ille conscius est? 176.

Non potes te consulẽtem remittere ad alterum quẽ putas tenere opinionẽ improbabilẽ.

Respondeo cum Vasquez cit. num. 48. Salas sect. illâ 9. num. 84. Sanchez num. 23. non posse tunc ad alterum remittere. Addit tamen Sanchez posse remittere, si alter non ob ignorantiam, sed alias rationes suo aliorumque judicio probabiles, opinionem judicaret probabilem, quam remittens judicat improbabilem. Sed tunc potest quidem consulens alterius cõsilium petere, & sequi, quia verè probabile. Is tamen qui putat nihilominus improbabile ob conscientiam erroneam, non potest ad illud petendum & sequendum remittere: quia operaretur ex opinione sibi improbabili, & quantum ex parte suâ consulentem induceret ad peccatum: nil enim refert

fert ex quo capite, si verè opinio ipsi sit improbabilis. Quemadmodum non licet mihi saltem citra grave incommodum consulere Petro, ut cognoscat quam quomodocumque scio non esse suam, etsi ipse suam putet, ut universaliter docet Corduba quæst. 9. in fine.

177. Probatur Tertiò, ex sequ. cap. & à pari: quia Professor, seu Doctor publicus, cùm dicit & statuit conclusiones, absolutè significat eas suo judicio & opinione veras, non tãtùm probabiles, nisi hoc expresse addat: ergo etiam qui consulit privatum, quia hic est Doctor quidem privatus: sive autem quis publicè, sive privatim doce..., debet esse doctor veritatis. Præterea qui consulitur, non habetur tamquam Advocatus, qui proponat sententiam ab alio judicandam, sed tamquam judex privatus & extraordinarius, cujus judicio se subjicit consulens: ergo non potest sequi sententiam quamvis probabilem, ut Advocatus; sed tenetur sequi suam ac probabiliorem, ut judex.

Confirmatur: quia aliàs nimis invalescerent opiniones laxæ quomodocumque probabiles, quibus convenit tantùm uti, ut quibusdam medicamentis, & remediis majorum malorum, præsertim post factum. Quod peculiariter spectat viros doctos, qui de majori, vel minori probabilitate judicare possunt.

Confirmatur Secundò: quia juxta prudens dictamen, indecens est, & abusus quidam scientiæ, dando consilium accipere personas pro affectu solo, non ratione, seligendo opinionem commodam; quòd non debeat restitui pro amico; quòd debeat, pro alio. Quippe hæc varietas in respondendo, & discretio opinionum & personarum meritò viros cordatos ac sinceros offenderet, si detegeretur.

Respondere videntur aliqui, cavendum ne varietas illa deprehendatur. Sed contrà: Ergo si deprehenderetur, meritò offenderet, quia indecens & reprehensibilis est; præterquam quòd illa cautela videatur repugnare sinceritati. Similiter iniquum apparet, è duabus causis, quarum una judicatur æquior & probabilior, in gratiam amici alteram præferre, quæ judicatur minùs probabilis: hoc autem reverà facit, qui privatim judicat, & consilium dat juxta opinionem minùs probabilem.

Itaque probatur etiam conclusio à pari ex dictis de judice c. 14.

Addiderim tamen, simpliciores, qui non sciunt distinguere inter opinionem probabilem & veram, propriam & alienam, dum consilium petunt, v.g. an ille contractus sit licitus, tantùm sæpè intendere an ullâ ratione vel auctoritate sit licitus: quare ipsis contra propriam opinionem juxta alienam probabilem, *Simplicioribus sæpè licet respõdere absolutè juxta opinionem probabil.*

bilem, liceſet conſultò reſpondere abſolutè, quòd liceat. Quia ſic reſpondetur ad mentem interrogantium, juxta concluſ. ſecundam.

178. *Eadē vera ſunt de Confeſſario conſulto in confeſſione.*

Ex quibus collige, idem dicendum, ſi conſulatur Confeſſarius in confeſſione; tum quia rationes concluſionis univerſalis ad illum etiam extendũntur; tum quia ille in foro pœnitentiæ verè exercet officium judicis. Nec refert quòd non inter partes, ſed pœnitentem, & Deum: quia ideò potiùs debet ejus judicium eſſe rectius, integrius, ac conformius judicio Dei, cujus peculiariter in illo foro vicarius eſt.

CAPUT XVIII.

An idem liceat Profeſſori in docendo?

179. *Profeſſor abſolutè debet docere ſententias veras, expedit tamen indicare probabiles.*

RESpondeo & dico: Profeſſor debet docere ſententias veras, ſeu, quod idem eſt, ſuo judicio probabiliores, quas, ſcilicet, aſſerit & docet abſolutè: probabiles tamen poteſt, imò expedit, indicare vel docere tamquam probabiles. Priorem partem, de quâ ſolùm poteſt eſſe dubium, docet Sanchez num. 26. Becanus 1. 2. tract. 1. cap. 4. quæſt. 9. num. 14. & aliqui apud Salas cit. ſect. 6. Nec repugnat ipſe Salas, quia tantùm dicit aliquando per accidens ratione ſcandali meliùs taceri propriam opinionem, quando eſt ſingularis: quod verum eſt.

Probatur Primò, & explicatur tota concluſio eodem modo quo præcedens: hujus enim rationes magis hîc urgent; quia quid gravius eſt, aliud dicere & docere quàm ſentias, publicè multos, quàm privatim unum atque alterum.

Probatur Secundò, prior pars: tum quia, ut bene Sanchez, aliàs non fideliter docet, quod ſentit, adeoque etiam peccat contra officium Profeſſoris, quod eſt docere veritatem; tum quia aliàs nonnullam diſcipulis injuriam irrogat, quatenus nimirum illis ingenerat opiniones minùs probabiles, adeoque ejus judicio, & ut plurimùm falſas. Ceſſat hæc ratio juxta poſteriorem concluſionis partem, cùm eas tantùm docet cum moderatione, ut probabiles: quia idipſum verum eſt, eſſe probabiles. Atque id omnino expedit in moralibus ac practicis; cùm juxta caput ſextum liceat unicuique practicè ſequi, quamvis opinionem verè, etſi minùs probabilem: quare magna pars doctrinæ ac Theologiæ moralis in eo ſita eſt, quænam opiniones ſint probabiles. 180.

Adverte autem juxta dicta c. 3. & limitationes ibi additas, ſatis indicari probabilitatem ſententiæ eo ipſo, quo pro eâ citatur probatus aliquis auctor. 181.

Petes, quantum peccatum ſit, 182.

 doce-

docere, vel etiam consulere sententias falsas?

Docere sententias probabiles, etsi falsas, est peccatum veniale: improbabiles ex genere suo, est mortale.

Respondeo ferè cum Sanchez cit. si illæ sint verè, etsi minùs probabiles, non esse nisi peccatum veniale, ut colligitur ex rationibus conclusionum precedentium: quia tantùm est mendacium quoddam, aut illicita restrictio potissimùm circa virtutem veritatis ac simplicitatis. Si verò sint improbabiles ex genere suo, est peccatum mortale, præsertim in re morali. Quia id non fit absque gravi injuriâ discipulorum, vel etiam consulentium, in re magni momenti, nec absque periculo & occasione peccandi. Itaque graviter repugnat, non tantùm veritati, sed justitiæ & charitati. Quare Doctores sic docentes, vel consulentes, obligantur ad restitutionem damni inde secuti. Quod signum & effectus est in similibus peccati mortalis, quando illa oritur non è contractu, aut re acceptâ, sed delicto: ex quo juxta communem sententiam nemo obligatur ad restitutionem, saltem magni momenti, nisi sit mortale. Dixi tamen, *Ex genere suo*: quia haud dubiè excusat parvitas materiæ, ut si quis doceat aliquid improbabile in Logicâ vel Grammaticâ.



LIBER

LIBER QVARTVS.

De conſcientiâ dubiâ.



OSTQVAM *ſuperiori libro actum de probabili, congruo ordine hoc libro agetur de conſcientiâ dubiâ; quæ adeò illi affinis eſt, ut eodem aliquando nomine vocetur. Nam opinio vel conſcientia tantùm probabilis dicitur etiam dubia, ſcilicet latè & poſitivè. Quæ item cauſa eſt, cur ſeparari ſæpè à ſeſe non poſsint duæ hæ conſcientiæ. Quare etiam hoc libro ex occaſione ſæpiùs agendum de probabili, & confirmanda ſunt plura ſuperiori libro de eâ dicta. Quia tamen strictè & negativè ſumpta à probabili omninò distinguitur, magiſque à ratione conſcientiæ deficit, poſt eam explicanda eſt. Quamvis verò ſic ſumpta non tam ſit conſcientia, quàm conſcientiæ propriæ ac poſitivæ privatio quædam, ut jam magis explicabitur; eſt tamen expoſita variis ac moralibus difficultatibus, quæ ad conſcientiæ directionem plurimum conducunt, ideóque meritò hunc librum ſibi poſtulat. In quo non eſt agendum, ut in præcedentibus, de officio ejus dirigendi actus humanos, ad quod ob rationem indicatam inepta eſt: ſed de variis ejus, ſive animæ dubiæ, obligationibus, à lege, vel naturali, vel poſitivâ, promanantibus.*

CAPUT I.

Quæ & quotuplex sit conscientia dubia?

1. Rimò, sumitur conscientia dubia, ut jam indicavi, latè, positivè, minusq; propriè. Quo sensu nil est aliud quàm opinio, seu assensus cum formidine de opposito, juxta dicta superiori libro num.10. Quia formido significat non tantùm metum in voluntate, sed etiam dubitationem in intellectu, an oppositum sit verum; eamque vel actualem, qualis sæpè opinioni adjungitur: vel saltem virtualem, ob modum & motivum opinandi fallibile. Quia tamen ipsa opinio propriè non est dubitatio, ea magis propriè dicitur conscientia probabilis quàm dubia.

Conscientia dubia strictè est suspensio animi, nec assentientis, nec dissentientis.

Secundò, ergo sumitur conscientia dubia strictè, negativè, magisque propriè: quo sensu nil est aliud, quàm ambiguitas sive suspensio animi constituti in æquilibrio; nec assentientis, nec dissentientis. Quæ quidem suspensio, est privatio assensûs & dissensûs, scilicet, non tantùm de veritate objecti, sed etiam probabilitate. Ita Doctores communiter. Quamvis aliqui recentiores apud Vasq. 1.2. d.65. cap.1. in fine, requirunt expressam dubitationem per judicium reflexum, ut dicatur homo operari cum dubiâ conscientiâ. A quibus non videtur dissentire Salas 1.2. tract.8. disp. unicâ, sect.16. num.139. qui negat esse dubium propriè, quando dicta suspensio non est conjuncta assensui formidoloso de rei fallibilitate. Qui tamen assensus distinguitur ab opinativo, de quo jam egi: quia hoc judicatur res expressè vera, vel saltem probabilis, illo dubia. Idem dicitur reflexus, non super assensu alio qui supponitur non esse, sed super ipsâ suspensione animi, vel dubietate objectivâ. Ceterùm hæc quæstio videtur tantùm de nomine, & parvi esset momenti, nisi magni referret an conscientiæ utroque, vel alterutro tantùm modo dubiæ conveniant deinceps dicenda de conscientiâ dubiâ.

Conscientia dubia propriè dicitur, sive negativè ac suspensivè, sive positivè & reflexè.

Dico itaque: Quod attinet ad præsens institutum, & dicenda hoc libro, nil refert, an intellectus dubitet tantùm negativè & suspensivè, vel etiam reflexè & positivè judicet rem dubiam esse: sed utrovis modo conscientia dicitur simpliciter ac propriè dubia. Ita expressè Vasquez cit. Suarez tom.5. in 3.p. disp.40. sect.5. num.2. Sanchez in præcepta lib.1. cap.10. nu.3. Alii id supponunt. 2.

Probatur facilè: quia privativa illa judicii suspensio eidem omnino periculo perpetrandæ rei illicitæ exposita est, cui reflexa illa ac positiva dubitatio. Periculum

enim

enim illud inde oritur, quòd absque determinato alterius propositæ partis assensu, & plenâ bonitatis vel malitiæ cognitione voluntas prosequatur objectum dubiè sub ratione boni & mali propositum. Hoc autem æquè facit voluntas, sive intellectus tantùm negativè, & suspensivè, vel etiam positivè, & reflexè dubitet.

Unde colligo juxta posteriorem conclusionis partem, suspensionem illam etsi solam propriè esse ac dici dubium; tum quia sic communiter loquuntur Doctores; tum quia, ut ex hac ratione constat, intellectus sic suspensus verè manet indeterminatus ad cognoscendam veritatem: ergo dubius. nec est ratio cur hæc vox dicatur necessariò significare positivam actionem.

3. *Dubii ejusmodi causa est defectus, vel æqualitas rationum.* Adverte Primò, utrumque dubium hoc contingere vel ob defectum rationum, seu mediorum assentiendi, aut dissentiendi: quo modo dubitamus an astra sint paria, vel imparia: vel ob mediorum utrimque æqualitatem. Quando enim pro utravis parte sunt rationes æquales, meritò intellectus hæret dubius, utra alteri præferenda sit; etsi, cùm illæ apparent probabiles pro utrâque vel alterutrâ parte, possit utramque vel alterutram judicare probabilem.

4. *Requiritur ad dubiũ advertentia rationis;* Adverte Secundò, ad dubium hoc requiri advertentiam aliquam rationis; aliàs nemo teneretur habere rationem conscientiæ dubiæ, quam non adverteret, & omnes dubitarent de omnibus, de quibus non cogitant.

Adverte Tertiò, requiri peculiarem aliquam rationem dubitandi, nec sufficere universalem, v. g. vt censearis dubius an tale peccatum feceris, non sufficit illud à multis committi, nisi particulari aliquâ ratione hæreas, dubites, vel suspiceris te id fecisse: aliàs non censetur id dubium morale, sed potiùs metaphysicum, ut particulariùs dicam cap. 18. concl. 1. *eaq; peculiaris.*

Ex dictis collige, conscientiam strictè & propriè dubiam, non esse propriè conscientiam, sed tantùm impropriè; ut homo mortuus dicitur homo, adeò ut vox dubia, conscientiæ addita, sit alienans. Quia conscientia definitur dictamen & judicium, quòd aliquid sit faciendum, vel non. Conscientia verò dubia non est dictamen, sed privatio ejusmodi dictaminis, sicut etiam homo mortuus, est, vel includit privationem veri ac vivi hominis. Addo, hoc item verum esse de conscientiâ positivè ac reflexè, strictè tamen dubiâ: quia illa est quidem dictamen, sed non determinatè alterius partis, quòd aliquid sit faciendum vel non: verùm quòd hoc ipsum sit dubium: quare dubium confirmat, non tollit. Spectat tamen huc & reducitur dubia ad propriè dictam conscientiam, ut negatio ad affirmationem, privatio ad habitum, cùm 5. *Consciẽtia propriè dubia non est propriè conscientia.*

præsertim ad praxim non minùs conducat ejus consideratio, quàm conscientiæ propriè dictæ.

6. *In negotio fidei dubius positivè infidelis est, non negativè.*

Dixi in conclusione, *quoad præsens institutum*: quia in materiâ fidei, magni refert an intellectus tantùm negativè, vel etiam positivè, suspensus sit ac dubius. Positivè enim dubius in fide, probabiliùs infidelis est seu hæreticus: sic enim intelligendum videtur caput 1. de hæreticis. Nam qui positivè judicat fidei articulum dubium, atque adeò aliter se habere posse, eo ipso errat contra infallibilem Dei auctoritatem: ergo fit hæreticus seu positivè infidelis; si videlicet ex parte voluntatis accedat sufficiens libertas, deliberatio, ac pertinacia. Cessat ea ratio de suspenso ac dubio negativè; qui non errat, nec elicit ullum actum fidei contrarium: sed tantùm non cognoscit aliquam veritatem: ergo nec est infidelis, seu hæreticus.

Dubius itē negativè constanter, potest dici infidelis negativè.

Addiderim, etiam dubium negativè, non tantùm uno aliquo casu aut tempore, sed constanter, ac quasi habitualiter, qualis est qui numquam actum fidei elicuit, nec habitum infusum recepit, esse infidelem saltem negativè. De quo videtur etiam agi cap. cit. loquitur enim Pontifex de ignorantibus fidem veritatis. Nec dicit dubium in fide esse hæreticum, sed infidelem. Qui semel credidit, & ad fidem conversus est, habitumque fidei recepit, etsi deinde negativè dubitēt de aliquo mysterio, non censetur dubius, sed manere in fide certus; doneç cōtrario actu priorem fidem retractet.

Secundò, dividitur dubium in juris, & facti; eodemque sensu distinguenda est conscientia, in dubiam de jure, & dubiam de facto. Dicitur autem dubium eo sensu, quo juxta dicenda libr. 5. cap. 11. ignorantia juris & facti. Dubitatur itaque de jure, cùm dubitatur an lata sit aliqua lex, vel mandatum: de facto, an illud vel illud contigerit, v.g. an quis occiderit. 7. *Dubium est juris, vel facti;*

Aliqui tamen, nominatim Salas, universaliter tunc dicunt dubium esse juris, cùm dubitatur an actio vel omissio sit honesta, vel inhonesta, licita, vel illicita. Ratio esse potest, quòd verè nil sit inhonestum, vel illicitum, nisi contra aliquam legem, aut jus positivum vel naturale.

Conformiter dubium facti erit, cùm dubitatur de quovis alio, etiam an hæc sit propria uxor, an filius legitimus, an valeat Sacramentum, &c. quorum veritas solet saltem fundari in aliquo facto. Quo sensu hæc divisio dubii, seu conscientiæ dubiæ, non distinguetur à sequenti.

Quartò igitur & ultimò, dubium, seu conscientia dubia, dicitur speculativè vel practicè. Practicè dubia est, quandocumque de praxi seu actione, ejusque omissione, an ea hîc & nunc honesta 8. *& speculativum, vel practicum.*

vel

vel inhonesta, licita vel illicita sit. Speculativè, quando dubitatur de quocumque alio: nec enim malè dicitur speculari intellectus, quando praxim non considerat, dirigitque. Practicum dubium subdividitur in completum, & incompletum. Completum est, quando de actu interno, & bonitate vel malitiâ formali. Incompletum, quando de actu externo, & bonitate vel malitiâ objectivâ. Hoc aliqui non malè vocant, incompletè & speculativè practicum: illud completè & practicè practicum.

Distinctionem hanc conscientiæ speculativè vel practicè dubiæ, non admittit Vasquez disp.62 c.5. & disp.65.cap.1. Sed ea satis explicata & confirmata est superiori lib. cap.7. Ubi quæ dicta sunt de conscientiâ probabili, eodem ferè sensu & ratione vera sunt de dubiâ. Ibidem satis explicatum est, quo sensu dubium speculativum sit de re in communi, practicum verò de singulari. Quo item sensu divisionem dubii speculativi & practici defendit Sayrus clavi regiâ lib.1. cap.13. nu.2. citans alios, diciтque sustineri posse Salas cit. num. 141. præsertim de dubio incompletè practico: de quo verum est rem esse clariorem. Vasquez etiam fatetur fieri posse, ut quis dubius de re aliquâ universim consideratâ per intrinseca principia, determinatum de eâ assensum eliciat per principia extrinseca. Sed idipsum facere posse etiam per intrinseca, satis constat ex ibidem dictis, atque iterum dicendis, capitibus seqq. Exempli causâ dubius speculativè, an res tua sit, vel aliena, atque adeò an restituenda, nec ne; practicè judicare potest sibi, quòd eam nunc possideat, non esse restituendam. Similiter dubius esse potes speculativè, & in communi, an lex verè exstet, adeoque an eâ obligeris; practicè tamen judicare te hîc & nunc in dubio eâ non obligari; non tantùm ob auctoritatem Doctorum, sed etiam rationem ac privilegium possessionis & libertatis tuæ. Neque verum est quod addit Vasquez, nec docetur à Cordubâ quem citat, cùm habetur ejusmodi judicium de re in singulari, debere etiam per eadem principia haberi in universali. Etsi enim loquendo logicè non detur universale, sine singulari, vel contrà; moraliter tamen possum, imò debeo formare aliud judicium de re in singulari spectatâ cum omnibus circumstantiis, quàm de eâdem in universali, id est, sine omnibus circumstantiis, ut patet in exemplis allatis. Simili ratione dixi cum D.Thomâ lib.2.c.9. nō sequi: Datur actus indifferens secundū speciem, seu in universali; ergo etiam secundùm individuum, seu in singulari.

Potes dubitare speculativè, non tamē practicè, idq; propter principia intrinseca.

Denique adverte, utrumque hoc dubium de jure & facto, seu spe- 9.

ſpeculativum & practicum concipi, vel tantùm negativè & ſuſpenſivè, vel etiam reflexè ac poſitivè; atque adeò utrumque, utrovis modo contingat, comprehendi concluſione. Atque hoc ſenſu agã deinceps de dubio, ſcilicet ſtrictè ac propriè ſumpto: nam ob rationes indicatas à num. 2. Doctores poſitivè, ſed tamen ſtrictè dubium comprehendunt ſub negativo.

CAPVT II.

An conſcientia dubia poſſit eſſe regula actûs boni, ſeu liceat cum eâ operari?

10. SVppono hîc conſcientiam probabilem, atque ideò dubiam latè & opinativè, eſſe ſufficientem regulam actûs boni, juxta dicta cap. 5. & 6. ſuperiori libr. dubium ergo eſt de conſcientiâ ſtrictè dubiâ.

Conſcientia dubia numquam poteſt eſſe regula actûs boni.

Dico Primò: Nulla umquam conſcientia dubia poteſt eſſe regula actûs boni. eſt communis, quam omnes ſupponunt, ac certa.

Probatur facilè: quia cognitio ac conſcientia, quæ eſt regula proxima actûs boni, debet determinatè voluntati proponere, approbare, & quodammodo efficere bonitatem objectivam, itaque dirigere voluntatem & actum, ut conſtat ex libr. 2. Hoc autem non poteſt præſtare conſcientia dubia: quâ determinatè nil proponitur & approbatur, nec magis res judicatur bona, quàm mala objectivè: ergo illa omnino inepta eſt ut ſit regula actûs boni. Quæ ratio procedit de omni conſcientiâ quovis modo ſtrictè dubiâ, de jure vel facto, ſpeculativè vel practicè.

Confirmatur: quia eſſe regulam actuum humanorum eſt officium, & quidem præcipuum, conſcientiæ, ſcilicet propriè dictæ: atqui conſcientia dubia, ut dixi nu. 5. non eſt ſimpliciter & propriè conſcientia: ergo nec debet illi tribui illud officium.

Licet operari cum conſcientiâ ſpeculativè dubiâ.

Dico tamen Secundò: Licet tamen ſæpè operari cum conſcientiâ ſpeculativè dubiâ. eſt item communis & certa. 11.

Probatur Primò, variis exemplis antè indicatis. Quia ſpeculativè dubius, an res quam bonâ fide poſſidet, ſua ſit, vel aliena, poteſt eam retinere, nec reſtituere: quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis: & dubius de lege, an lata ſit, non tenetur eam ſervare gravi ſaltem incommodo. Similiter dixi ex Auguſt. libr. ſuperiore cap. 16. num. 168. militibus licere bellare ad imperium ſui principis, etſi dubitent an bellum juſtum ſit. Eâdem ratione mulier dubia de valore matrimonii, poteſt, imò tenetur, reddere debitum, cap. *Dominus*, de ſecundis nuptiis, cap. *Inquiſitioni*, de ſententiâ excommunicat. vt dicam cap. 12.

Con-

Confirmatur; quia iiſdem exemplis & pluribus aliis antè allatis licet ſæpè operari contra conſcientiam, etſi poſitivè dubiam ac probabilem: ergo magis contra ſtrictè & negativè dubiam: quâ objectum reverà non improbatur, nedum actus ſecutus. Quæ cauſa eſt cur magis propriè dicamur operari cum, quàm contra conſcientiam.

Probatur Secundò, ratione: quia ne quidem cognitio ac conſcientia ſpeculativa eſt propria ac proxima regula actuum humanorum. Imò nec eſt propriè ac ſtrictè conſcientia, quæ eſt dictamen practicum: ergo multò minùs conſcientia ſpeculativè dubia & ſuſpenſa poteſt eſſe regula, quam debeamus operando ſequi. Si ergo aliqua alia ratio & regula actum dirigit & juſtificat, licebit illius nullam habere rationem.

12. *Numquã licet operari conſcientiâ practicè dubiâ.* Dico Tertiò: Numquam licet operari conſcientiâ practicè dubiâ. & hæc eſt communis: vide Salas num. 143. qui plurimos citat.

Probatur Primò, ex illo Apoſtoli Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Ubi poſt Adrianum Corduba quæſt. 5. poſt 1. propoſit. rectè notat Apoſtolum vigilanter dixiſſe *ex fide*, non, contra fidem, ut oſtenderet peccatum eſſe, non tantùm operari contra conſcientiam, ſed etiam non ex conſcientiâ: quod propriè convenit conſcientiæ dubiæ. Dubius enim quamvis propriè non operetur contra conſcientiam, nec tamen operatur ex, vel juxta conſcientiam, ſed cum conſcientiâ dubiâ.

Confirmatur ex dictis tum lib. 1. cap. 10. ubi oſtendi Apoſtolum per fidem intelligere conſcientiam, quod juxta dicenda libr. 5. cap. 14. concl. 1. extendit etiam ad conſcientiam dubiam; tum libr. 2. cap. 9. quòd non detur actus in individuo indifferens.

Idem probatur ex Eccleſ. cap. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Amare periculum peccandi cenſetur, qui abſque certâ vel probabili ratione, temerè & voluntariè ſe exponit periculo peccandi, ut dixi aliquoties: quod clarè facit operans cum conſcientiâ dubiâ. Itaque peribit in illo, peccando: quia ejuſmodi periculo peccandi ſe exponere, peccare eſt.

Probatur Secundò, ratione: quia actus, ut ſit bonus, vel quia non datur indifferens, ut ſit non malus, debet eſſe conformis menſuræ ac regulæ ſuæ, ſcilicet rectæ rationis ac conſcientiæ dictamini ac judicio; & debet tendere in bonitatem aliquam objectivam determinato aſſenſu ac judicio propoſitam. Quæ duo non tantùm neceſſaria ſunt ad actum bonum, ſed ipſi eſſentialia. Quæ omnia conſtant ex dictis lib. 2. Nihil autem iſtorum poteſt convenire conſcientiæ dubiæ, nec quidquam di-

dictanti, nec magis proponenti bonitatem, quàm malitiam objectivam.

Confirmatur: quia, ut actus malus est imprudens, ita bonus debet etiam esse prudens, adeoque dirigi dictamine aliquo prudentiæ: quod ipsum sit etiam rectæ rationis ac conscientiæ, ut jam indicavi. Æquè autem clarum est, conscientiæ dubiæ nullum competere dictamen prudentiæ. Unde sequitur, eâ operantem necessariò operari imprudenter, adeoque peccare.

Probatur Tertiò: quia, sicut rationabilis lex amicitiæ humanæ postulat ut abstineas, non tantùm ab iis, quibus certò, sed etiam quibus amicus dubiè, vel fortassis offendendus est: ita majori jure lex amicitiæ divinæ postulat, ut abstineas ab iis quibus Deus non tantùm certò, sed fortassis offendetur: qualia sunt peccata dubiè proposita per conscientiam dubiam, nisi saltem excuset causa aliqua, aut incommodum urgens.

13. *Ut practicè quis censeatur dubius, debet esse respectu sui, non aliorum;*

Adverte Primò, quod etiam bene docet Corduba loco citato, & in fine quæst. 4. quemadmodum ut quis agat contra conscientiam, debet judicare se, non alium quempiam peccaturum: ita ut practicè quis sit dubius, debere esse dubium respectu sui, non aliorum, seu an ipsemet, non alius, peccaturus sit.

Adverte Secundò, quemadmodum ut quis rectè operetur, sufficit dictamen practicum conscientiæ, quod ultimò ac proximè opus dirigat, & retractet, si fortè contraria dictamina præcesserint: ita contrario sensu hîc accipi dubium practicum, quatenus isti dictamini ultimo ac proximo opponitur privativè, illudque excludit, ita ut nullum superveniat. Aliàs enim præcedens dubium retractaret, adeò ut qui sic operaretur, non operaretur ex dubiâ, sed certâ vel probabili conscientiâ: qualem habet tunc cùm operatur. Quæ causa est cur dubius etiam de praxi, v.g. an licitus sit contractus aliquis secundùm se, non autem an sibi hîc & nunc, censeatur à Doctoribus dubitare speculativè, non practicè. Quia nimirum juxta conclus. secundam cum priori dubio potest consistere dictamen, quòd mihi hîc & nunc liceat contrahere: non autem cum posteriori juxta conclus. tertiam.

neque dubium expellere positivo judicio.

14. *Ad expellendum dubium sufficit judicium quantumvis remissum:*

Ex dictis collige Primò, quodvis dictamen & judicium, quantumvis tenue, quòd aliquid sit faciendum, vel non, reverà sufficere, ut tollatur dubium, ac conscientia de dubiâ mutetur in certam, vel probabilem: quia positum illud judicium formaliter & necessariò expellit animi suspensionem. Neque ad certitudinem, aut probabilitatem conscientiæ requiritur certa ejus intensio. Quare verum non est quod docet Corduba initio quæst.

quæst.5. non licere operari cum judicio ejusmodi & assensu tenui, nisi per accidens, si ob tenuitatem non advertatur. Neque aliud tandem docet Vasquez disp.67.cap.2. num.7. Sanchez cit.num.4. Addiderim, quando judicium est valdè tenue, ordinariè etiam esse inconstans, & contrario aliquo judicio facilè retractari.

non sufficit tamen formido solius voluntatis. Quo posito certum est non licere illud sequi. Non retractatur tamen formidine ac metu solius voluntatis; qui major solet esse quo judicium est tenuius: quia motus voluntatis non repugnat actui intellectûs. Quare licet operari conscientiâ quâvis, non tantùm certâ, sed & probabili, non obstante quâvis formidine voluntatis. Alia est ratio, si formido se haberet ex parte etiam intellectûs hæsitantis strictâ ac positivâ dubitatione. Hæc enim assensum illum necessariò expellit & retractat.

15. *Operans conscientiâ dubiâ ejus speciei peccatum facit, de quâ dubitat.* Collige Secundò, operantem cum conscientiâ dubiâ ejusdem speciei peccatum committere cum eo, de quo dubitatur. Ut enim in genere periculo peccati se exponere, peccare est: ita in specie, periculo se exponere talis peccati, talis speciei peccatū est. Quia nimirum hoc ipso quo dubiè cognitum, indirectè illud ei voluntarium est: quare qui die feriato omittit Sacrum, dubius an sit festum, ejusdem rationis peccatum committit, ac si festum esset.

Collige Tertiò: idem dicendum de gravitate peccati: quare si dubium sit de peccato veniali, committetur peccatum veniale; si de mortali, mortale: quiá, ob eamdem rationem exponere se periculo peccati mortalis, mortale est; venialis, veniale.

16. *Dubius conscientiâ si velit operari debet eligere viâ tutiorem.* Collige Quartò, si dubius conscientiâ operari velit, debere eligere partem tutiorem, v.g. audire Sacrum, cùm dubium est, an illud audiendum sit, nec ne: nec enim est dubium, quin licitum, imò laudabile, sit illud audire: quare illud audiens verè non operatur cum conscientiâ dubiâ, sed ex certâ, quòd illud licitum sit, & laudabile.

17. *Qui dubitat speculativè, debet & practicè, nisi specialis ratio excuset.* Dico Ultimò: Qui dubitat speculativè, debet etiam dubitare practicè, nisi specialis aliqua ratio excuset. Ita Corduba quæst.5. cit. in respons. ad dub. post 1. proposit. Suarez cit.cap.1. Vasquez disp.65. cap.1.num.2. Sanchez cap.9. nu.3. & cap.10.num.7.

Probatur: qui dubitat speculativè, dubitat de re in communi, sive secundùm se spectatâ, v.g. an contractus sit licitus, nec ne; an audiendum eo die Sacrum: qualis autem res est secundùm se, & in communi, talis debet esse in particulari, seu respectu particularium personarum, quæ solæ possunt contrahere, & obligari ad Sacrum. Sicut ergo cùm scitur contractus secundùm se illicitus, vel Sa-

Sacrum audiendum, debet id etiam ſciri & judicari hîc & nunc reſpectu ſingulorum, qui non excuſantur legitimè. Ita etiam cùm dubitatur de iiſdem & ſimilibus in communi ſpeculativè, debet item in particulari dubitari reſpectu ſingulorum practicè, niſi ſpeciali ratione excuſentur. Atque hoc ſenſu & ratione verum eſt, judicium ſpeculativum & practicum debere convenire, niſi excuſet ſpecialis ratio.

18. Unde ſequitur, dubium ſpeculativè, vel debere eligere partem tutiorem, ſi velit operari, v. g. in exemplis allatis audiendo Sacrum, & abſtinendo à contractu dubio; vel poſt ſufficiens examen & inquiſitionem, aut dubium illud deponere, aut ob ſpecialem rationem, non dubitare practicè, ſed formare hîc & nunc conſcientiam ſaltem probabilem, quòd ſibi liceat contrahere, nec neceſſarium ſit audire Sacrum. Quale autem examen & diligentia ad hoc neceſſaria ſint, diſcernendum eſt juxta dicta cap. 4. libr. ſuperiori de diligentiâ adhibendâ in delectu opinionis probabilis. Cujuſmodi verò rationibus judicium practicum à ſpeculativo differre ſoleat, explicabitur ſeqq. capitibus.

CAPUT III.

An dubius ſitne res aliena, vel propria, poſſit eam retinere privilegio poſſeſſionis?

Ex ipſo hujus quæſtionis titulo ſatis apparet ea inquiri, an conformiter jam dictis, poſſeſſio ſit ratio ſufficiens judicandi & operandi practicè cum conſcientiâ ſpeculativè dubiâ de rei proprietate. Hoc autem propono primùm examinandum, quia ejus deciſio viam aperiet aliis. 19.

Nota Primò, poſſeſſionem eſſe detentionem non quamlibet, ſed rei tamquam ſuæ, & à jure confirmatam; quare ad eam ſimpliciter dictam, ejuſque privilegia non ſufficit ſola naturalis rei detentio, ſed requiritur etiam civilis, quæ à jure toleretur, ac nitatur legitimâ apprehenſione, fiatque non tantùm corpore ut illa, ſed etiam animo: non requiritur tamen ut confirmetur ea à jure tamquam juſta: ſed ſatis eſt ſi tamquam valida. Quare poſſeſſio etſi reverà injuſta, ſi ſit tamen bonæ fidei, ſufficit ad præſcriptionem aliaque poſſeſſionis privilegia. Quæ hîc ſuppono ex 2.2. vide ff. toto titulo de acquir. vel amitt. poſſeſſ. *Quid poſſeſſio.*

20. *Dubitans, an* Nota Secundò, dubitantem primò omnium debere inquirere

rei

omnia debet inquirere rei veritatem rei veritatem juxta rei dubiæ qualitatem ac quantitatem, ut jam indicavi in fine præced. capitis; &, si certum dominum deprehenderit, debere illi rem restituere: durante autem eâ inquisitione eam retinere posse, sed non consumere. Quod per se æquum apparet, nec meritò potest displicere rei domino cuicumque. Imò ipsi expedit rem apud alterum manere quasi depositam, donec compertâ veritate ipsi reddi possit, si interim nec consumatur, nec alienetur. Quia aliàs frustra quæreretur verus dominus, cui invento restitui non posset. Quod docent, vel supponunt omnes. Ante sufficientem inquisitionem posset dubium dici vincibile, postea invincibile. Itaque manet dubium quid fieri debeat, si factâ sufficienti inquisitione pergat speculativè & invincibiliter possessor dubitare, an sua res sit, vel aliena.

21. *Quæsito nec invẽto domino potest res dubitata retineri.* Respondeo & dico Primò: Potest sibi totum retinere. Est ferè communis, præsertim recentiorũ, Vasquez disp. 66. c. 7. n. 36. Sanchez libr. 2. de Matrim. disp. 41. à nu. 12. & in Præcepta cap. 10. num. 9. Salas cit. sect. 22. nu. 226. apud quos vide alios. Contra Adrian. de restitut. quæst. de præscriptione, §. *Hoc supposito*: qui putavit totam debere restitui, quia id est tutius, & contra Sotum in 4 lib. de Justitiâ quæst. 5. art. ult. sub finem, etsi alibi contrarium doceat; Arragonium 2. 2. quæst. 62. art. 1. tract. de dominio, ante §. *His constitutis*: quorum opinionem saltem docet ut probabilem Corduba libr. 3. quæst. 6. ad 3. in 1. solut. qui pro eâdem citat Fr. Barnabam de Rosalibus, quòd, scilicet, debeat rem dubiam dividere cum altero, de quo dubitat pro ratione dubii; vel cùm pauperibus, si de nullo certò dubitet.

Probatur conclusio Primò, ex ipso Jure, regulâ illâ 65. Juris in 6. *In pari delicto, vel causâ, melior est conditio possidentis*. Cui consonat cap. *Ex litteris*, de probationib. & reg. Juris 125. *Favorabiliores rei potiùs quàm actores habentur*; & regul. 128. *In pari causâ possessor potior haberi debet*, ff. de diversis regulis Juris antiqui: atqui cùm de duobus dubium est, uter sit dominus, par est amborum causa, scilicet, quoad rei dominium ac proprietatem: ergo tunc melior est conditio possidentis, seu possessor potior haberi debet. Unde sumptum commune axioma: *In dubio melior est conditio possidentis*, scilicet, ad rem dubiam retinendam.

Probatur Secundò, ex praxi fori externi, quo in pari causâ ac dubio possessor præfertur: quare nullo tribunali ille possessione deturbaretur, sed res dubia ipsi adjudicabitur retinenda. Quod ipsum constat ex regulis Juris jam citatis, ac regulâ 11. Juris in 6. *Cùm sunt partium jura obscura, reo potiùs favendum est, quàm actori*. Quo item

 sensu

ſenſu cap. *Ex litteris*, citato, dicuntur promptiora jura ad ſolvendum, ſcilicet reum, quàm ad condemnandum. Si hoc ſervetur foro externo civili, ſervari etiam debet foro interno conſcientiæ: quia, ut oſtendi lib.1. cap.21. judicium & forum externum debet eſſe conforme interno ordinariè, & cùm non nititur falsâ præſumptione: qualis hîc nulla eſt.

22. Probatur Tertiò, ratione: tum quia inſiſtendo naturali tantùm æquitati ac lumini, melius apparet ut in dubio parique causâ res dubia non transferatur in alium, nec eâ ſpolietur poſſeſſor. Illa enim tranſlatio & ſpoliatio non poteſt fieri ſine ſtrepitu, & turbatione pacis ac quietis publicæ: quæ cauſa eſt, cur adeò illi reſiſtat ac repugnet jus forumq; externum. Tum quia, ſaltem poſtquam poſſeſſioni Jure poſitivo civili & eccleſiaſtico privilegium illud conceſſum eſt, plus in rem dubiam juris habet poſſeſſor; adeò ut omnibus conſideratis, etiam ipsâ poſſeſſione, ejuſque privilegiis, deſinat eſſe par cauſa.

Poſſeſſor cæteris paribus habet plus juris in rē dubiam.

Unde apparet Primò, non poſſeſſori, etſi habenti jus aliàs dubium, nullam fieri injuriam, ſi ipſi res non tradatur; ſed contrà ſi tradatur, fieri injuriam poſſeſſori.

Apparet Secundò, ut ſervetur cuique jus ſuum, ob poſſeſſionem debere practicum judicium differre à ſpeculativo. Imò eo ipſo quo ſpeculativè dubitatur utrius res ſit, practicè debere judicari, quòd ſit relinquenda poſſeſſori.

Petes: Quid ſi dubites quidem, ſed tamen magis inclineris in eam ſententiam, quòd res aliena ſit quam poſſides? 23.

Reſpondent aliqui, tum partem rei reſtituendam majorem vel minorem, pro majori vel minori inclinatione. Ita Salonius 2.2.qu.62. art.6. controv. 4. concl.4. Bañez 2.2.quæſt.40.art.1. dub.5. concl. 4. Quos ſequitur Sanchez cit. de Matrim. num.19. Communior tamen, ſaltem recentiorum, uti probabilior, opinio eſt, quòd privilegio poſſeſſionis nil detrahat major illa inclinatio: quare

Dico Secundò: Tota nihilominus res retineri poteſt. quod docent Vaſquez nu. 42. Salas n.231. Sanchez in Præcepta cap.10.nu.9. ubi revocat contrariam ſententiam loco citato traditam.

Poteſt res dubia tota retineri, etſi magis inclineris quòd ſit alterius.

Probatur: quia illa inclinatio non tollit dubium: quo juxta axioma manet melior conditio poſſidentis; adeò ut poſſeſſio certa prævaleat omni probabilitati rationum non generanti ullum aſſenſum.

Confirmatur: quia quamdiu non ſufficiunt ad aſſenſum, non poteſt eſſe moralis inæqualitas rationum ac dubii, eſto ſit aliqua metaphyſica: quâ non obſtante moraliter manet par cauſa, ideóque melior conditio poſſidentis.

Quod

Quod saltem verum est juxta sensum dicti axiomatis, & regulæ sic communiter receptæ, præsertim foro externo. Idem ob easdem rationes dicendum de dubiis sequentium capitum.

24. Addit Salas contra Vasquez, idem dicendum, quando rationes valent generare & generant assensum, modò non convincant, nec assensus sit certus physicè aut moraliter, sed opinativus. Quòd & tunc res verè maneat dubia, & rationes quæ non convincunt, sed utramque partem reddunt probabilem, æquales sint, aut ferè æquales.

Quæ recipienda sunt juxta limitationem Sanchez satis indicatam ab ipso Salas posterioribus verbis: quando rationes generant assensum probabilem de utrâque parte, ita ut, v. g. judices quidem probabilius rem quam possides esse alienam, sed tamen etiam probabiliter esse tuam. Tunc enim, ut jam dixi in simili, inæqualitas rationum, adeoque imparitas causæ, non est notabilis aut moralis. Itaque manet par causa & dubiũ, quo prævalet possessio; secùs quàm si de alterutrâ parte esset assensus probabilis, de alterâ nullus: ut si probabiliter putares rem esse alienam, nullâ autem ratione aut judicio posses colligere esse tuam. Itaque hoc casu debere eam restituere: quia non est dubii & causæ paritas, quam requirit regula & axioma citatum.

Addiderim tamen, vix posse contingere quin possessor bonæ fidei habeat probabilem aliquam causam credendi rem esse suam. Imò ipsa possessio bonaque fides probabile argumentum videtur proprietatis. Ceterùm non putarem ob probabilem tantùm assensum, seu dubium opinativum de re alienâ, debere illum se spoliare possessione, rem integram alteri restituendo, sed ut summum æqualiter cum illo dividendo: quia, ut docet etiam Sanchez, simili dubio de re suâ, non posset spoliare alterum possessione, quòd ad hoc requiratur certitudo: ergo minùs debet simili dubio spoliare seipsum. Itaque in eo etiam dubio valet aliquid possessio, etsi non tantum quantum in pari dubio ac causâ.

Præterea Vasquez nu. 43. Sanchez in Præcepta num. 12. Salas num. 25. citato limitant axioma illud & conclusionem, ut non habeat locum, cùm certum est debitum, dubia autem & incerta solutio; eò quòd certo debito non possit ad æqualitatem satisfieri incertâ solutione: quare eo casu deberes rem quam possides, restituere: possessioni enim prævalet certum debitum. Quæ doctrina ab iisdem aliisque recentioribus extenditur ad varios casus. Sed hæc limitatio videtur indigere limitatione & explicatione. 25.

Primò enim peto, quid intelligatur *Quo sensu debito*

certo non satisfiat incertâ solutione.

gatur per debitum certum? an præteritum, quod aliquando fuerit certum, quia v.g. constat te inijsse talem contractum? vel præsens, quod etiamnum certum sit, ita ut non tantùm debueris, sed jam certò debeas?

Posteriori sensu verum est, certo nunc debito non satisfieri, nisi certâ solutione. Sed hoc non sufficit menti Doctorum regulâ illâ utentium; nec ex illâ sic intellectâ quidquam singulare confici potest: tota enim difficultas esse solet, quodnam sit hîc & nunc certum debitum. Hoc autem regula illa non explicat, sed supponit.

Priori sensu, qui magis à Doctoribus intenditur, statim apparet valdè incerta hæc regula. Ut enim ex debito præterito quantumvis certo, non potest certò inferri præsens: ita nec apparet ratio cur illi incertâ ac dubiâ solutione non censeatur satisfactum. Nec enim curandum est, ut solvas id quod aliquando debuisti, sed quod nunc debes. Imò iniquum videtur debito præsenti incerto debere satisfacere præsenti certâ solutione.

Confirmatur: quia, si reverà solveris, etsi antè debueris, non magis jam debes, ac si numquam debuisses. Si itaque dubium sit, an solveris, erit etiam an nunc debeas. Cur ergo in ejusmodi etiam dubio non sit melior conditio possidentis?

26. Vera nihilominus est ea Doctorum doctrina & utilis regula. Primò, in foro etiam conscientiæ juxta jam dicta, cùm solutio est dubia strictè, ita ut nullus sit ejus factæ probabilis ratio & assensus; debitum autem, etsi præteritum, est certum, vel etiam tantùm probabile: tunc enim judicio speculativo de debito in genere, debet conformari practicum de debito solvendo hîc & nunc, cùm non occurrat ratio differentiæ. Quòd si verò ob verisimilem aliquam rationem credas te solvisse, licet assensu tantùm opinativo & incerto; quamvis certus sis de debito & contractu inito, argumentum jam factum videtur mihi convincere, quòd nil debeas, scilicet beneficio possessionis pecuniæ, quam solvere deberes. Hoc enim casu est par dubium & causa: nam uti habes probabilem rationem credendi, quòd etiamnum debeas ob contractum initum: ita habes, quòd hîc & nunc non debeas ob probabile argumentum solutionis factæ: ergo debet esse melior conditio possidentis; vel abstrahendo ab hoc privilegio, ob dubium & probabile utrimque jus, res seu debitum esset dividendum. Aliàs iniquum videretur hoc casu ob incertum debitum omnibus consideratis cogere ad certam solutionem.

Debito certo, imò & probabili, non satisfit strictè dubiâ solutione, satisfit tamen probabili.

Unde apparet, non esse hanc propriè limitationem, aut exceptionem à communi regulâ & axiomate, quòd in dubio sit melior conditio possidentis, sed potiùs

tiùs explicationem, quo modo illa debito & solutioni applicari debeat.

27. *Foro externo præsumitur pro debito cujus exstet testimonium.*

Secundò, eadem doctrina & regula vera est ac præcepta foro externo: quo præsumitur pro debito, v.g. ex contractu inito, cujus certum exstet instrumentum, vel etiam ex delicto notorio; non autem pro solutione, nisi probetur. Itaque judicio externo non satisfacit debito certo, nisi solutione certâ, id est sufficienter probatâ. Ceterùm ne quidem foro externo debet tam certa esse solutio, quàm debitum aliquando contractum, quia debita ac contractus solent probari instrumentis authenticis, solutiones privatis syngraphis. Quę conformia sunt jam dictis de foro conscientiæ, quo etiam statur pro debito contracto, nisi probetur solutio.

28. *Regula sic explicata extenditur.*

Atque hoc modo explicata regula, quòd certo debito non satisfiat incertâ solutione, extenditur etiam ad alios casus & materias utroque foro. Ita certus de voto emisso, dubius scilicet strictè, non opinativè, de expletione factâ, tenetur illud explere. Item dubius an legi satisfecerit, v.g. Beneficiarius, an integras, vel partem Horarum recitarit, tenetur illi satisfacere, ut docet juxta communem Sanchez cit. qui fatetur non esse plenam undequaque hujus obligationis rationem, æqualitatem, quam lex justitiæ exigit; sed quia, cùm executio obligationis sit quid facti, non præsumitur: nisi itaque probetur, stat præsumptio prò lege & obligatione, ut jam dixi.

CAPUT IV.

An possit etiam consumere?

DIco Primò: Potest etiam possessor rem dubiam consumere & alienare, ita tamen ut paratus sit ejus pretium restituere vero domino, si is postea deprehensus fuerit. Est ferè eorumdẽ, quorum est prima conclusio, qui eam vel supponunt, vel exprimunt, ut Vasquez, Sanchez, Salas citati, ac præterea Joan. Medina, Cod. de restitut. quæst. 10. Covarr. regulâ *Peccatum*, p.3. initio, nu. 4. Bañez 2.2. quæst. 62. art. 6. dub. 5. concl. 4. contra Cordubam quæst. 8. ad 1. rationem. 29. *Possessor rem dubiã potest etiã cõsumere, modò paratus sit pretium invento domino restituere.*

Probatur Primò, tum quia aliàs possessori inutilis redderetur detentio rei, quâ liberè uti non posset tamquam suâ; tum quia non tantùm ipsi, sed domino, si fortè alius ab illo deprehendatur, id expedit, quando præsertim res est usu consumptibilis: quæ aliàs neutrius commodo corrumperetur. Si servando servari possit, nihilominus expedit utrique rem alienari, ac vendi opportunè summo pretio, modò illud vero domino restituatur. Quare id verum est, sive res dubia recipiat functionem in eodem genere, ut triticum, vinum,

lac, &c. sive non recipiat, ut pallium, equus, domus, &c.

30. Addo, si, postquam rem consumpsit, verus dominus compareat, debere illi tantùm restituere id quo factus est ditior: quia fuit bonæ fidei possessor quamdiu juxta caput, *Si virgo*, 34. quæst. 2. ignoravit se possidere alienum. Ita Silvest. verbo *Restitutio*, 3. quæst. 7. dicto 3. & Salas cit. num. 228. Quæ tamen intelligenda sunt juxta moderationem paullò pòst addendam.

Debet domino restituere, id quo factus est ditior.

31. Objicit Corduba legem *Alienationis*, ff. de verb. significat. quâ statuatur eum qui non potest præscribere, nec posse alienare: atqui sic dubiè possidens non potest præscribere: ergo nec alienare.

Respondet Vasquez, Sanchez & Salas, lege illâ tantùm definiri, eum qui non potest alienare, nec posse præscribere, quod longè aliud est. Verùm ne quidem hoc dictâ lege statuitur, sed tantùm præscriptionem seu usucapionem contineri ac significari etiam verbo alienationis, illumque videri alienare, non qui præscribit: ille enim nil alienat, verùm acquirit; sed qui patitur usucapionem, seu contra quem præscribitur. Unde nil potest inferri contra conclusionem, quâ possessor, si præscriberet, nil alienaret, sed acquireret. Addiderim, probabile esse, quod docent recentiores jam citati, imò probabilius & conformius jam dictis, eum tamquam bonæ fidei possessorem præscribere posse, si concurrant alia ad præscriptionem necessaria. Quia potiùs videtur minus requiri, ut qui rem possidet tamquam suam, sibi acquirere possit, quàm alienare.

Probabilius possessor rem dubiã potest præscribere,

Adverte tamen, ut censeatur bonæ fidei possessor, posse quidem dubiam rem retinere continuando possessionem, sed non accipere possessionem inchoando, juxta jam dicenda: quare bene docet Covarr. in reg. *Possessor malæ fidei*, p. 2. §. 7. num. 3. citans alios, dubiam conscientiam ac fidem sufficere ad cursum, non initium præscriptionis. Ratio est, quia ad præscriptionem requiritur bona fides: quod statuitur cap. ult. de præscrip. & probatur verbis Apostoli & magni Concilii Lateranensis: *Quia omne quod non est ex fide, peccatum est.* Conscientia dubia, sicut antè dixi, ut non est propriè conscientia, ita nec fides, quæ significat etiam positivam credulitatem: quare propriè nec est bona, nec mala fides, sed quid medium, ut Covarr. ibidem. Quando tamen possessio, adeoque præscriptio bonâ ac positivâ fide incepta est, meritò censetur hæc moraliter durare, donec contrario actu retractetur, ut etjam dixi de fide theologicâ nu. 6. vel saltem potest præscriptio dici esse ex fide, cujus initium verè ex fide est. Ubi 32.

non tamẽ cum dubio incipere possessionem.

Conscientia dubia, nõ est fides bona vel mala.

Adverte Secundò, fidem hîc sumi 33.

mi pro conſcientiâ ſeu dictamine non tantùm ſpeculativo, quòd res tua ſit; ſed etiam practico, quòd tamquam tuam poſſidere ac retinere poſſis. Cujuſmodi fides meritò dicitur bona, & neceſſaria eſt ad poſſeſſionem non tantùm moraliter bonam, ſed & validam, ex quâ niſi poſſideas, poſſeſſio verè peccatum eſt, juxta concl. 3. præced. cap. & explicationem verborum Apoſtoli ibi traditam. Peccaminoſæ autem poſſeſſioni meritò reſiſtit Concil. citatum, negando illi ſive canonicæ, ſive civili, vim præſcriptionis. Addit Concil. *Unde oportet, ut qui præſcribit, in nullâ temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ.* Quia conſcientiæ ſeu judicio illi ſpeculativo, quòd res aliena ſit, deberet conformari practicum, quòd ſit reſtituenda: quo poſitivo judicio retractaretur bona fides, etſi præceſſiſſet, adeoque inciperet malæ fidei poſſeſſio. Quod non convenit conſcientiæ dubiæ.

Bona fides neceſſaria eſt ad bonam validamque poſſeſſionem ac præſcriptionem.

34\. Dico Secundò: Dubius an res ſua ſit, vel aliena, quam non poſſidet legitimè, v.g. an furtiva quam emit, debet eam dividere cum altero, de quo dubitat, pro ratione dubii, æqualiter, ſi dubium eſt æquale; inæqualiter, ſi inæquale. Eademque eſt ratio, ſi dubium ſit de ipsâ poſſeſſione, an ſit legitima. Eſt communis Doctorum, quos citat & ſequitur Sanchez cit. de Matrim. num. 24. & Salas à num. 232. contra Medinã lib. 1. Summæ c. 14.

Non poſſidens debet rem dubiam cũ altero dividere.

Probatur: quia hoc caſu ceſſat ratio præcedentium concluſionum, & privilegium poſſeſſionis, ſcilicet, legitimæ, quæ non debet ſupponi, cùm verè non eſt, vel meritò de eâ dubitatur. Itaque nil amplius juris in rem habet unus, quàm alter de quo eſt æquale dubium: cui proinde fieret injuria majori juris uſurpatione. Cùm ergo jus utriuſque ſit æquale, uti dubium, æqualiter res ejuſque pretium dividendum eſt. Si dubium eſt inæquale, tale etiam ſit jus quod illi innititur: quare plus dandum eſſet illi, pro quo eſſent meliores conjecturæ, aut rationes magis accedentes ad probabilitatem, ob quas magis inclinareris, quòd res ejus eſſet, quàm tua. Quia tamen, ut paulò antè indicavi, inæqualitas illa rationum non ſufficientium ad aſſenſum ſaltem probabilem vix poteſt eſſe moralis, videtur probabile non habendam ejus rationem ſub peccato ſaltem mortali.

Confirmatur: quia exceptio firmat regulam in contrarium. Cùm autem dicitur, in dubio ſeu pari causâ meliorem eſſe conditionem poſsidentis, poſſeſsio inducit exceptionem: ergo firmat hoc axioma ſeu regulam in contrarium, ut abſque eâ in dubio parique causâ par ſit conditio utriuſque, de quo eſt par dubium.

Addiderim tamen, ſi quo caſu res ejuſque pretium dividi non poſſet,

posset, v.g. equus, cùm urget necessitas fugiendi, tum tibi licere eo fugere; etsi eadem necessitas urgeret alterum. Atque hoc tantùm probat argumentum Medinæ, quòd possis consulere indemnitati potiùs tuæ, quàm alienæ, cùm, scilicet, non potes utrique.

35. *Si possessori rem eripueris, debes totã restituere, etsi habeas ad eam jus æquè probabile.* Ex dictis collige cum Sanchez cit. num. 26. citante alios, contra Medinam Cod. de restitut. qu. 20. §. *Secundum quia*, si quis habens jus æquè vel magis probabile ad rem ejusque proprietatem, eam alteri eripuerit legitimè possidenti, debere totam restituere. Quia juxta conclus. primam hic jus habebat totam retinendi: ergo qui eripuit, fecit illi injuriam, debetque totam restituere. Quod item statutum est jure positivo utroque; ut nimirum ante omnia restituatur in integrum spoliatus cap. 1. & 2. de restitut. spoliator. & §. 4. in fine, Inst. de interdictis.

36. *Cum pauperibus res dubia dividẽda, si de nullo certo domino dubitetur.* Adverte Primò, si de nullo certo domino dubium esset, sed de aliquo tantùm in genere, huic juxta communiorem sententiam succedere pauperes, ideoque cum illis rem dubiam dividendam, etiam pro ratione dubii in genere: quamvis probabiliter putent aliqui, tunc rem retineri posse, v.g. ab inventore, cum animo tamen eam reddendi, si fortè dominus compareat.

37. *Si dubius an res sit furtiva eã emas cum animo reddendi domino, hic debet tibi pretiũ emptionis.* Adverte Secundò: si quis dubitans an res sit furtiva, eam emat à furè, vel dono accipiat, cum animo domino reddendi, non peccare; sed utiliter ejus negotium gerere, ideoque ab eo posse exigere pretium rei emendæ impensum, ut docent Covarr. & Medina citati pro conclus. 2. quos sequitur Sanchez num. 29. & Salas num. 237.

CAPUT V.

An privilegium possessionis valeat in materiâ solius justitiæ, vel aliarum quoque virtutum?

RAtio difficultatis præcipua est, quia cum dicto privilegio seu axiomate, quòd in dubio melior sit conditio possidentis, non videtur consistere altera regula, quòd in dubiis sit eligenda via tutior. Si enim prior regula valet, non tantùm in materiâ justitiæ, sed quarumvis virtutum, in nullâ materiâ videtur admittenda posterior. Semper enim dubius, qui possidet non tantùm rem externam, sed libertatem suam, poterit eligere viam sibi commodiorem non restituendo, nec legem explendo, aut satisfaciẽdo obligationi dubiæ; non autem tutiorem, restituendo, legem explendo, & obligationi satisfaciendo. 38. *Ratio difficultatis.*

Unde intelligitur ratio hujus difficultatis, certè non exiguæ, & magni ad praxim momenti. Nec enim minùs vel ad praxim utilis est secunda hæc regula, quàm prima; neque

neque minùs, imò magis, Jure Canonico stabilita, cap. *Ad audientiam*, de homicidio, ubi Pontifex apertè: *Cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem.* & cap. *Illud*, de clerico excommun. *Quia in dubiis via est eligenda tutior.* Item cap. *Significasti*, 2. de homicidio: *Cùm in hoc casu cessare sit tutius, quàm temere celebrare, pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.* Quibus etiam verbis indicat Pontifex, quæ sit via tutior, juxta dicta lib 3. num. 70. Præterea cap. *Iuvenis*, de sponsalibus, *Quia*, ait, *Pontifex in his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.* Nota verbum, *debemus*, quod item habetur cap. *Ad audientiam*: quo videtur significari regulam hanc non esse consilii, sed præcepti. Quod ipsum tamen ad hanc quæstionem etiam spectat.

39. Unde etiam collige, *semitam tutiorem* non sumi hîc prout supponit tutam, vel ab eâ distinguitur: nam si esset alia via tuta, eo ipso liceret eam eligere, nec deberemus eligere tutiorem; ut licet sequi sententiam probabilem, nec est necesse probabiliorem.

Via tutior dicitur prout opponitur dubiæ, nô tutæ.

Tutior ergo dicitur prout opponitur dubiæ, de qua quæstio est, an sit tuta, nec ne. Quod ipsum indicat Pontifex cap. *Iuvenis*. Ubi pro, *tutius*, dicitur *Certius*: quia idem est tutius & certius, scilicet practicè; tutius, inquam, & certius quàm sit dubium, non certum, seu præ dubio, non certo. Quod non videntur advertisse, qui dicunt vel supponunt, hîc licere sequi viam tutam. si enim ex præcepto via tutior sit eligenda, non est alia hîc via tuta, quàm tutior; dubia enim tunc non est tuta.

Prima sententia est, priorem illam regulam de privilegio possessionis tantùm habere locum in materiâ justitiæ; in aliis servandam alteram de eligendâ viâ tutiori, sub peccato ac præcepto. Ita D. Thomas in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 6. Glossa & cõmuniter Canonistæ, in cap. citata, Hostiensis, Cardin. Abbas, aliique Summistæ; item v. *Dubium*, ac *Dubitatio* Rosella, Angelus, Sylvester, Armilla, quos è recentioribus sequuntur Azor tom. 1. lib. 2. Instit. moral. cap. 18. quæst. 4. & cap. 19. qu. 10. Vasquez disp. 65. cap. 3. ubi agit de dubio juris, & disp. 66. cap. 31. ubi idem docet de dubio facti. Contra aliquos recentiores, qui distinguunt hîc utrumque illud dubium, voluntque regulam hanc servandam in dubio facti, non semper in dubio juris. Pro eâdem sententiâ plurimos alios citat Sanchez num. 10. Idem de dubio juris docet Salas sect. 17. de dubio facti sect. 19. de utroque tamen addit limitationem, nisi excuset magnum incommodum; de priori num. 154. de posteriori num. 176. Quâ item limitatione magistralem, ut vocat, hanc regulam antè 40.

explicavit Medinā quæst.19. art.6. dub.4. concl.3.

Secunda sententia est, privilegium illud possessionis extendendum quoque ad materiam aliarum virtutum, ac proinde tantùm ex consilio eligendam esse viam tutiorem, in quâvis materiâ & dubio. Ita D. Antoninus 1. p. tit. 3. cap.10.§.10. post 6.regul. Navarr. in cap. *Si quis autem,* num. 34. de pœniten.dist. 7. & in Summâ c.27. nu. 281. Henriquez lib.14. de irregular. cap.3. num. 4. in fine, & in comment.littera E. Suarez in 3. p. tom.5.disp. 40.sect.5. à num.12. & tom.2. de Relig. lib.4. cap.5. Sanchez cit. in Præcepta num.11. Coninck de Sacramentis disp. 34. dub.10. num.86. Nec refert quòd aliqui illorum admittant, etiam ex præcepto eligendam viam tutiorem; quia hoc intelligunt per se, nisi obstaret possessio.

41. *Non est hic distinguendum inter dubiū juris & facti.* Nota Primò, non esse hîc distinguendum inter dubium juris & facti, quod supponunt omnes de priori regulâ, ac privilegio possessionis. Nam juxta dicta superiori cap. universaliter, saltem in materiâ justitiæ, utrovis dubio melior est conditio possidentis. De posteriori regulâ idem supponunt vel docent plerique. Et ratio est, quia ideò tutior pars eligenda est, ut evitetur periculum peccati: ergo cùm utrovis dubio hoc est æquale, illa æqualiter eligenda est, sive præcepto, sive consilio.

Confirmatur. Ideò malum, vel minùs conveniens, est eligere partem minùs tutam, quia huic fortassis ratio mali annexa est. Quæ item ratio æquè convenit utrovis dubio, v.g. sive dubites an possis interesse sacris, aut sis excommunicatus ob factum aliquod, vel legem dubiam.

Nota Secundò, hæc disputari posse vel secundùm jus tantùm naturale, vel etiam secundùm jus positivum. Supponunt quidem Doctores communiter, quod affirmat Vasquez disp. 66. cap.8. num.46. utrâque regulâ exprimi ipsam naturalem æquitatem; nihilominus potest jure positivo cautum esse, ut quis tali dubio sequatur partem tutiorem abstinendo à sacris, v.g. in dubio irregularitatis, de quo infrà. His duobus capitibus agam tantùm de jure naturali, sequentibus acturus etiam de positivo. Quibus præmissis,

Respondeo: Privilegium possessionis valet etiam in materiâ aliarum virtutum. 42. *Privilegium possessionis se extēdit ad materiam quarūvis virtutū.*

Probatur. Valet in materiâ justitiæ, ut jam probatum est, & fatentur omnes: ergo etiam in materiâ aliarum virtutum.

Probatur consequentia à pari. Quod argumentum firmum est, cùm agitur non de positivâ & liberâ, sed naturali ac necessariâ lege seu æquitate, ad quam jam dixi spectare regulam illam ac privilegium possessionis.

Nec

Nec sufficit dicere, possessionem esse titulum vel materiam solius justitiæ: quia, etsi verum sit eam ejusque definitionem antè traditam ita sumi à Jurisperitis, prout spectat ad rem forumque ipsorum; non ideò tamen excluditur à materiâ aliarum virtutum etjam propriè dictâ. Nam Beati propriè & simpliciter dicuntur posside re ipsum Deum; nec minùs propriè possidemus libertatem nostram in cujuscumque virtutis materiâ, quàm in materiâ justitiæ jura quævis incorporalia, v. g. census, officia, &c. Cujusmodi etiam possessioni facilè accommodari possunt verba definitionis allatæ num. 19. Ut igitur nomen, ita privilegium possessionis, quod non est tam juris positivi, quàm naturalis, debet esse commune aliis etiam virtutibus. Itàque non potest solvi hoc argumentum, nisi afferendo rationem disparitatis, quæ non videtur afferri posse.

ut & ipsa possessio.

Probatur deinde consequentia ac paritas: quia in materiâ justitiæ ac dubio est melior conditio possidentis, partim quia in dubio nemo condemnandus est, præsertim ad pœnam tam molestam, ac est spoliatio possessionis, juxta regulas utriusque Juris citatas num. 21. partim, quia certum jus possessionis prævalet alteri dubio. Utraque autem ratio, & quævis alia excogitabilis, æquè valet in materiâ aliarum virtutum: quia spoliatio libertatis in materiâ aliarum virtutum, non est minor, imò sæpè major ac molestior, pœna onusque, quàm spoliatio possessionis in materiâ justitiæ: neque minùs, imò magis, certum atque innatum est jus possidendi libertatem, quàm rem extrinsecam.

Confirmatur: quia, etsi possessio, ejusque privilegium versetur circa materias aliarum virtutum, nihilominus qui iis aliquem spoliaret illegitimè, peccaret contra justitiam, & faceret ipsi veram injuriam: v. g. uxor negando marito debitum, in materiâ temperantiæ; vel subditus privando Superiorem, sive impediendo potestatem præcipiendi, in materiâ quâvis obedientiæ. Similiter, qui vi aliquem impediret, ne die Dominicâ audiret Sacrum, inferret ei injuriam privando eum libertate suâ, ejusque possessione, in materiâ religionis. Quo sensu ipsa possessio & privilegium potest dici materia justitiæ, etsi circa materias aliarum virtutum versetúr.

Probatur Secundò, eodem item argumento, quo privilegium possessionis probavi in materiâ justitiæ, probatione 2. conclusionis 1. cap. 3. Quia hîc etiam debent esse conformia jus forumque internum conscientiæ, & externum: atqui in foro externo, cùm omnibus examinatis manet dubia obligatio, judicatur pro libertate ejusque possessione, ut docet Sanchez cita- 43.

tus, & constat ex regulis ibidem allatis; atque insuper regula Juris 122. *Libertas omnibus rebus fauorabilior est*, ff. de reg. Juris: quæ non magis agunt de materiâ justitiæ, quàm cujusvis alîus virtutis. Imò ultima tantùm agit de libertate, cui statuit favendum præ omnibus, scilicet, maximè in dubiis.

Via tutior æquè eligenda in materia justitiæ, ac reliquarum virtutũ.

Probatur Tertiò: si regula illa ac privilegium possessionis non extenderetur ad alias virtutes, ideò esset quòd in iis peculiariter observanda esset regula altera, *In dubiis eligenda est via tutior*, quæ videtur cum illâ non consistere in eâdem materiâ: atqui hæc regula nec secundùm tenorem verborum, nec ob ullam peculiarem rationem potiùs servanda est in materiâ aliarum virtutum quàm justitiæ: ergo in hac etiam, vel nullâ servanda est.

Confirmatur: quia non minùs, imò potiùs majus, est periculum peccati in materiâ justitiæ, quàm aliarum virtutum: ergo in illâ æquè vel magis eligenda est via tutior: ideo enim hæc eligenda est, ut declinetur periculum peccati.

Itaque satis certum videtur, etjam in materiâ justitiæ eligendam esse viam tutiorem, quod nec putem negaturos auctores primæ sententiæ. Quòd si ergo in eâdem materiâ, non obstante hac regulâ, valeat altera de privilegio ac meliori conditione possidentis, cur non valebit in materiâ aliarum virtutum? Certè nec hîc videtur posse assignari ratiò disparitatis. Superest ergo difficultas explicanda sequ. cap. quo sensu in materiâ cujusvis virtutis servanda sit regula de viâ tutiori.

CAPUT VI.

Quo sensu in dubio sit eligenda via tutior; seu, quomodo hæc regula consistat cum privilegio possessionis?

Ratio hujus difficultatis supe- 44.
riori cap. satis explicata est. Ante ejus decisionem, Nota, perindè hîc esse an dubium sit num lex exstet, vel num hæc res sub eâ, ejusque verbis comprehendatur. Nam sic verè dubium est, an lex exstet eâ de re. Ita Salas sect. 25. num. 258. & Sanchez num. 33. Addit Salas idem quoque esse si dubium sit, an ratione necessitatis, aliúsve circumstantiæ à lege eximaris.

Perinde est an dubites num lex sit, vel hoc sub illa comprehendatur.

Sed hoc prorsus rejicit Sanchez. Mihi videtur distinguendum juxta dicta num. 26. de certo debito, & incertâ solutione. Vel enim dubitas de tuâ exemptione strictè & negativè; & tunc verum est quod docet Sanchez, non esse eamdem rationem. Quia, ut suppono, certum est legem universalem latam esse, nec tu ullâ probabili ratione probas te eximi. Itaque teneris lege. Nam non est hîc par causa & du-

dubium, quo possis frui privilegio possessionis. Vel dubitas latè & positivè, adeoque probabiliter; & tunc verum est quod dicit Salas, esse eamdem rationem, adeoque te non teneri lege, nisi moderatione postea afferendâ. Eademque est ratio, si de lege aliàs certâ dubium sit, an abrogata dispensatione, vel consuetudine, seu non acceptata.

45. *In dubio practico eligēda via tutior ex præcepto naturali.* Dico jam Primò: In dubio practico eligenda est via tutior ex præcepto, scilicet, naturali. Est certa & reverà communis. Probatur ex dictis cap. 2. concl. 3. præsertim in fine. Quia si practicè dubius operari velit, sub peccato tenetur eligere viam tutiorem: aliàs enim necessariò peccabit. Itaque ex præcepto in dubio practico eligenda est via tutior, si videlicet dubius quidquam eligere, aut operari velit.

Hoc itaque sensu, cujus verba regulæ etiam propriè sunt capacia, ea vera est de præcepto, non consilio; idque in materiâ quarumlibet virtutum. Majus dubium est de dubio speculativo: de quo item agunt Doctores & capita citata.

46. *Et in dubio speculativo, nisi excuset justa causa.* Dico Secundò: Etiam in dubio speculativo, seu juris, seu facti, per se eligenda est ex præcepto via tutior; nisi per accidens excuset justa aliqua causa, aut notabile incommodum. Hoc minimum docent Auctores primæ sententiæ superiori cap. relatæ, & probant eorum argumenta. Clarè id exprimit Medina citatus: *Regula magistralis, quòd in dubiis tutior pars est eligenda; intelligenda est, quando ex eo quòd sequor partem tutam, non sequitur mihi grande detrimentum. Alioqui vera non est.* hæc Medina. Et iterum: *In dubiis juris tutior pars sequenda est, & obedire teneor, si commodè possim.* Idem exprimit Corduba libr. 3. quæst. 6. initio, ubi in dubio an Prælatus præcipere aliquid possit, *Tenemur,* inquit, *obedire, nisi inde nobis vel alteri periculum, aut notabile præjudicium spirituale, vel temporale in personâ, rebus vel honore immineat.* Quæ paulò pòst extendit etiam ad jus naturale, ac divinum, & dubium facti. Idem expressè docent Arragonius 2. 2. quæst. 63. art. 4. Vega lib. 4. Summæ casu 158. Lopez 1. p. Summæ cap. 56. Sayrus lib. 1. c. 13. nu. 8. quos sequitur Salas sect. 17. num. 154. & alibi. Idem videntur tandem fateri Suarez cap. illo 5. in fine, & Sanchez num. 15. ad 6. & alibi.

Probatur Primò, ex capitibus citatis num. 38. præsertim cap. *Ad audientiam* & *Iuvenis*: quibus expresse dicimur debere eligere partem in dubiis tutiorem. Idem est, debere eligere, & ex præcepto eligendam esse. Itaque conclusio ibi in terminis videtur definita à Pontifice. Saltem verè non possumus dici debere facere, quod tantùm facimus ex consilio. Certum autem est Pontificem iis saltem verbis non statuere novum, sed de-

clarare jus antiquum, & naturale.

Confirmatur: quia Pontifex totis illis capp. non proponit consilia, nec hortatur tantùm ad majorem perfectionem; sed non tam statuit, quàm declarat præcepta naturalia, ut explicabo seqq. capp. & determinat servanda sub peccato mortali: ergo illa verba eodem sensu explicanda sunt, quem & ipsa significant.

Idem probatur ex Clement. *Exivi de paradiso*, de verb. signific. ante medium: quâ item Pontifex reddens rationem responsi sui, *Attendentes*, inquit, *quòd in iis quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda*. Ubi graves conscientiæ remorsus non sunt scrupuli: quare paulò antè dicit petitam fuisse dubii propositi definitionem, non ad pacandas, sed servandas conscientias, scilicet à peccatis. Clarè autem hoc & capitibus citatis agitur de dubio non practico, sed speculativo. Quare eodem sensu non tantùm de consilio, sed & præcepto accipi debet dictum August. hom. 41. & refertur cap. *Si quis autem*, de pœnitent. dist. 7. *Tene certum, dimitte incertum.*

Quæ omnia confirmabuntur capitibus citandis de irregularitate, & excommunicatione. Quare conclusio eâ saltem moderatione, videtur mihi efficaciter probari ex Jure Canonico.

Respondent tamen Suarez & Sanchez, in textibus citatis, principium illud: *In dubiis tutior pars est eligenda*; non afferri tamquam ex præcepto observandum, sed satis esse ut Pontifex reputarit, illud rationi ac prudentiæ consentaneum, ut juxta illud in casibus particularibus legem justam statueret. 47.

Sed hæc responsio non satisfacit. Primò, quia, ut jam dixi, verbum, *debemus*, &, *eligenda* variis capitibus repetita, non concionatoriè, sed doctrinaliter, in materiâ non consiliorum, sed præceptorum, clarè indicant obligationem præcepti. Aliàs æquè probabiliter, imò probabiliùs, poterit dici Pontifex totis illis capitibus tantùm consulere, nil præcipere, v.g. cap. *Ad audientiam*, cùm dicit: *Convenit injungere Presbytero, ut in sacris Ordinibus non ministret*. Si verbum, *debemus* non significet præceptum, cur significabit, *convenit*, in eâdem materiâ, casu & capite?

Secundò, quia, ut ex verbis, motivo, ac discursu Pontificis clarè videtur colligi, & infrà ostendam, is non tam statuit jus particulare, quàm declarat universale. Quod omnes debent fateri de cap. *Iuvenis*. Cujus tamen capitis quia difficilis habetur explicatio, adeò ut aliqui dicant eam cogitandam, ac divinandam,

Adverte casum fuisse: Juvenis puellam necdum septennem desponsaverat, idque validè, quia, ut sup- 48.

ſupponitur probatum, malitia ſupplevit ætatem. Unde conſecutum fuit impedimetum dirimens, publicæ ſeu Eccleſiaſticæ honeſtatis:ad quod acceſſit dubius conatus copulæ. Idem juvenis poſtea duxit conſobrinam dictæ puellæ. Dubium ergo erat non practicum, ut ait Suarez; ſed ſaltem ſimul ſpeculativum de valore matrimonii: quod Pontifex declarat nullum fuiſſe, ideoque mandat ab hac poſteriori illum ſeparari, idque tum ob dictum impedimentum, tum dubitationem ſeu dubium illum conatum. Unde patet, veriſimiliùs non fuiſſe hîc poſſeſſionem legitimam poſterioris matrimonii; quia malâ fide & invalidè initi; ſed potiùs ſponſalium priorum, ſeu dictæ puellæ legitimè poſſidentis ſponſum, vel jus ſponſalium. Quare meritò Pontifex eam poſſeſſione ſpoliatam reſtituit in integrum, & judicat pro ſponſalibus contra matrimonium. Quia verè id erat certius ac tutius, minuſque in eo periculum peccati, ob jus veriſimilius. Quare immeritò Sanchez dicit,tutiùs in eo caſu ſtari pro valore matrimonii: quâ ratione Pontifex, relictâ viâ tutiore, ſecutus fuiſſet minùs tutam. Itaque is ob generale illud axioma & præceptum, prudenter declaravit particulare hoc jus & obligationem. Quod imprudenter feciſſet, ſi illud fuiſſet tantùm conſilium. Nec enim ſequitur: Conſilium eſt tenere certius ac tutius: ergo debes. Addo, idem axioma debuiſſe obligare in caſu propoſito. Nec enim ſequitur: Aliquando debemus tenere certius: ergo hîc & nunc. Idem dicendum de aliis capitibus & caſibus. Nec refert, quòd hæc ſeparatio fuerit moleſta ſeparatis:quia in dubio æquè, imò magis, debuit conſuli puellæ læſæ, cui æquè moleſtum fuit deſeri à ſponſo. Quare neque potuit Pontifex in particulari caſu ſtatuere novum jus in alterius partis præjudicium: neque illud potuiſſet obligare in illo caſu, quo fuiſſet poſterius. Quod etiam dicendum de ſimilibus.

Reſpondent ergo alii recentiores, axioma illud intelligendum de dubio practico: quod in particularibus aliquibus caſibus, dubio ſpeculatiuo debeat reſpondere, v.g.in caſu irregularitatis cap. *Ad audientiam.*

Sed hæc reſponſio evertit definitionem Pontificis, qui ſtatuit, vel potiùs declarat, ibi in dubio homicidii Preſbyterum eſſe, adeóque practicè judicari debere irregularem, & habendum ut homicidam: ergo non eſt dubium practicum, ſed certum eum eſſe irregularem; etſi ſpeculativè dubium ſit, an ſit homicida. Itaque judicium ſpeculativum & practicum hîc non ſunt conformia.

Denique ipſi Pontifices ſtudioſè videntur voluiſſe occurrere ejuſmodi

modi evasionibus, & explicationibus restrictis ad particulares casus, cùm non dicunt, *in dubio*, sed repetunt, *in dubiis*, &c, *in his quæ dubia sunt*. Addo, ne quidem dubia hæc in plurali, aut universali, intelligi ab iis practica. Quia enim in dubiis practicis sequenda via tutior, tantùm inferri potest, quid faciendum in sensu composito iis positis. Quod nec petitum fuit, nec respondetur capp. citatis: sed quid faciendum simpliciter, seu qualia debeant esse judicia practica. Quod bene deducitur ex principio illo intellecto de dubiis speculativis, juxta jam dicenda.

49. Probatur conclusio Secundò, ratione eâdem quâ communiter probari solet conclusio tertia cap. secundi. Quia rationabilis lex amicitiæ divinæ, ut & humanæ, exigit ut, cùm facilè absque notabili incommodo potes declinare periculum, Deum, ut & hominem, offendendi, id facias. Aliàs certè ostendis, te nihili vel parvi facere illum, ejusque amicitiam: ergo simpliciter teneris declinare periculum violandi Dei legem, omittendo id de quo dubitas an ejus legi ac voluntati repugnet. Aliàs meritò censeberis ipsam legem ac legislatorem contemnere quasi interpretativè. Qui contemptus cessat, si justâ aliquâ causâ id facias; neque absque notabili incommodo omittere possis. Quemadmodum censeberis virum honoratum contemnere, si transeuntem absque causâ non salutes; secùs, si ægrè id possis.

Probatur Tertiò, ex conclus. 4. ejusdem capitis. Qui dubitat speculativè, an videlicet aliquid prohibitum sit, debet etiam dubitare practicè, adeoque ab illo abstinere, nisi specialis aliqua ratio, seu justa causa, mutet practicum judicium, adeoque reddat illud licitum: quare reverà non dicitur aliud hac conclusione, quàm illâ dictum fuit, ex communi sententiâ. Nam satis clarum videtur, juxta jam dicenda, specialem illam rationem debere esse quid distinctum ab ipso libero arbitrio seu beneplacito.

Probatur Quartò: quia tenemur vitare periculum etiam materialis peccati: quale solet esse illud de quo dubitatur speculativè, scilicet, eligendo viam tutiorem, de quo etiam intelligendum illud Ecclesiastici 3. *Qui amat periculum, in illo peribit*. Quibus proinde verbis satis expressum videtur, in dubio seu periculo peccati eligendam viam tutiorem, sub peccato. Amare periculum peccandi censetur, qui absque justâ causâ id subit, faciens id de quo dubitat, an sit peccatum quasi ab intrinseco, & proprio motu. Secùs qui justâ causâ ad evitandum notabile incommodum. hic enim cogitur, vel inducitur ab extrinseco, & quasi motu alieno.

Con-

Confirmatur: quia è duobus malis, ſcilicet, materialibus, eligendum eſt minus, ſcilicet, ex præcepto, juxta communem ſententiam: ergo multò magis è duobus, quorum unum malum ſaltem dubiè, alterum certò non malum, ſed tutum, eligendum erit, non malum, ſed tutum, ſeu illo tutius.

50. *Justa cauſa nõ eligendi viã tutiorẽ nõ eſt poſſeſſio libertatis.*

Unde collige, juſtam cauſam non eligendi viam tutiorem non eſſe ſolam poſſeſſionem libertatis, ut putant plures recentiores, ſed debere accedere cauſam aliquam extrinſecam. Aliàs eligens viam minùs tutam amaret periculum peccati, adeoque peccaret.

Confirmatur hoc, ex ſententiâ Suarez & Sanchez, qui fatentur aliquando eſſe præceptum eligendi viam tutiorem in dubio etiam ſpeculativo, niſi, ut ipſi etiam docent, cauſa juſta excuſet, quæ numquam excuſat in practico. Quòd ſi juſta cauſa ſit poſſeſſio libertatis, numquam poteſt eſſe præceptum, aut obligatio eligendi viam tutiorem: quia ſemper excuſabit juſta cauſa poſſeſſæ antè libertatis. Nam omnis obligatio ſupponit eam antequam reſtringat, imò nil aliud eſt quàm reſtrictio quædam libertatis antè poſſeſſæ. Itaque ſi hæc ſit juſta cauſa excuſans, implicat umquam eſſe illud præceptum & obligationem. Quare non ſatisfacit quod videtur reſpondere Suarez, tunc eam eſſe, cùm dubium præceſſit poſſeſſionem: quia numquam illud poteſt præcedere libertatem, quam ſupponit & reſtringit, ut jam dixi. Reſpondet Sanchez, tunc habere locum dictam obligationem, cùm in dubio eſt poſſeſſio pro præcepto.

Sed Primò, jam dicam ipſi præcepto non convenire veram poſſeſſionem. Secundò, eſto conveniat, cur poſſeſſio præcepti debet prævalere poſſeſſioni libertatis, & non potiùs contrà?

Adverte hîc aliquod diſcrimen inter poſſeſſionem in materiâ juſtitiæ & aliarum virtutum; quòd illa ſit & libertatis circa rem extrinſecam, & præterea, idque potiſsimùm, rei ipſius: quare ſpoliatio dictæ poſſeſſionis major eſt pœna, quàm ſolius libertatis in materiâ aliarum virtutum. Sæpè tamen per accidens hæc major eſt pœna; vel quia circa omiſsionem, vel actum difficilem etſi internum, vel quia ad illum accedit materia vel actus externus difficilis. Ita gravis pœna eſt privari libertate circa omiſsionem, vel longam peregrinationem, largitionẽ magnæ eleemoſynæ, ubi immiſcetur poſſeſsio, & materia juſtitiæ; vel ingreſſum Religioſi Ordinis: ad quæ dubites an obligeris voto, alióve præcepto, nec ne. 51. *Diſcrimẽ inter poſſeſſionẽ in materiâ juſtitiæ & aliarum virtutum.*

Ex quibus collige Secundò, poſſeſsionem in materiâ juſtitiæ, ſecùs quàm aliarum virtutum, ſemper eſſe cauſam juſtam non ſequendi partem tutiorem, cùm præſertim uni- 52. *Poſſeſsio in materiâ juſtitiæ ſemper eſt cauſa juſta non*

Sequendi partem tutiorem. universaliter ejus privilegium eo sensu à jure positivo confirmatū sit: secùs, quàm in materia aliarū virtutum. Quare deficiente eâ causâ, legitimâ possessione, etiam in materiâ justitiæ debemus eligere partem tutiorem, v.g. dividendo rem dubiam, non retinendo, si eam non possidemus legitimè, juxta concl. 3.cap.tertii.

Confirmantur item jam dicta: quia, ut indicavi in probatione conclusionis præced. capitis, ideò in dubio est melior conditio possidentis, quia durum esset & incommodum in dubio spoliari certâ possessione: ergo juxta dictamen legis naturalis, quando id non est durum & incommodum, cessat ratio, adeoque ipsum privilegium. Cùm igitur in materiâ aliarum virtutum aliquando cesset ista ratio, ut cùm æquè ferè libenter & commodè facis id de quo dubitas, an sit faciendum, ac omittis, vel contrà, debet etiam cessare privilegium possessionis, adeoque tunc debes sequi partem tutiorem.

53. *Tantū res rationalis est capax possessionis, ejusq; privilegii.* Unde collige Tertiò, quod rectè notat Salas num.illo 259. legem vel votum non nisi impropriissimè dici possidere, adeoque ipsa propriè non esse capacia privilegii possessionis. Quia ipsis non convenit ratio privilegii, scilicet, libertas, & molestia in possessionis ac libertatis spoliatione: eò quòd frui libertate, ac privilegia possidere, & puniri, ac percipere molestiam, tantùm sit rei rationalis. Hinc sequitur ulteriùs, cùm legi supervenit probabile dubium, non debere judicari pro illâ tamquam possidente, sed potiùs pro homine possidente libertatem suam, etsi utroque foro meritò præsumptio stet pro certâ lege, donec probetur contrarium, juxta antè dicta.

Collige Quartò, quid sentiendum de regulâ cognoscendi quænam pars possideat, tradita à Sanchez num.13. ut illa censeatur possidere, pro quâ stat præsumptio. Primò enim, etsi juxta dicta libr.1. cap.21. conclus. ult. dum non constat de rei veritate, etiam foro interno judicandum sit juxta præsumptionem fori externi; quod tantùm probant rationes & auctoritates ab eo allatæ; non ideò tamen pro quacumque parte stat præsumptio, illi adjudicanda possessio. Quia sæpè res, de quâ dubitatur, non est capax possessionis, etsi pro eâ stet præsumptio, ut lex, votum, homicidium, contractus, &c. Secundò æquè, imò magis, dubium esse solet pro quâ parte stet, vel stare debeat præsumptio. Tertiò, non potest esse magnum dubium, quis quid possideat: nam vel possidetur res aliqua, & materia justitiæ, & hoc satis clarum est; vel ipsa libertas, quatenus nullo vinculo restringitur. Neque hoc est obscurum in materiâ cujusvis virtutis. Alia autem possessio quæ conveniat rei etiam ina- 54. *Non semper æquè dicenda est possessio pro quâ est præsumptio.*

inanimatæ, nec certâ regulâ & signo deprehendi potest, neque explicari quid ipsa sit; neque etiam jure scripto agnoscitur, quo l. 3. §. 1. ff. de acquirendâ vel amittendâ possess. definitur possessio acquiri non tantùm corpore, sed & animo, nimirum affectu quodam dominii. Quo sensu descripsi illam num. 19. detentionem rei tamquam suæ. Quod non potest intelligi de rebus inanimatis. Quare ut verè ac propriè non est possessio, ita nec verè convenit illi privilegium possessionis; neque ad alium finem utilis videtur, quamvis ad illam sæpè recurrant recentiores: qui videntur abuti, minusque extendere dictum privilegium.

Confirmatur: quia, ut num. 42. indicavi, possidens ac fruens privilegio debet esse saltem capax injuriæ, si possessione, ac privilegio illegitimè spolietur: atqui res irrationabiles non sunt capaces injuriæ: ergo nec dicti privilegii.

55. *Causa & incommodum excusans ordinariè non debet esse magnum.*

Dico Tertiò: Causa vel incommodum excusans non debet ordinariè esse magnum; ideoque sæpè, omnibus spectatis, tantùm est consilium, non præceptum in dubiis eligendi partem tutiorem. Imò hoc numquam valet foro externo, scilicet, contentioso. Hoc nimirum docent Auctores secundæ sentent. relatæ superiori cap. & probant eorum argumenta. Imò juxta hanc utramque conclusionem videtur posse conciliari utraque sententia; si prior explicetur juxta præced. conclusionem, juxta hanc posterior.

Probatur Primò, conclusionis prior pars: quia lex sive civilis, sive Ecclesiastica, etsi certò cognita & promulgata, non obligat cum magno incommodo; adeò ut causa & incommodum magnum certò excuset ab ejus observatione: ergo minor causa debet sufficere, & excusare ab observatione, vel obligatione quâvis dubiâ, sive, quod idem est, ab electione viæ in dubiis tutioris. Unde apparet, incommodum notabile, quod excuset ab ejus observatione, debere esse mediocre, seu medium inter parvum moraliter non æstimandum, & magnum excusans ab obligatione legis certæ.

Incommodum excusans debet esse mediocre.

Confirmatur Lex dubia sive naturalis, sive positiva, eo ipso quo dubia, non est plenè dubitanti promulgata: ergo non potest plenè, seu gravi cum incommodo obligare. Quod item valet de obligatione quâvis dubiâ non tantùm circa jus, sed & factum: ergo non requiritur grave incommodum aut causa ne eam servare debeas: aliqua tamen justa causa requiritur, juxta præced. conclusionem ad non servandam legem imperfectè & dubiè promulgatam. Quia juxta naturalem æquitatem, & prudens dictamen, apparet ejusmodi legem plus debere effi-

cere & obligare, quàm si nulla esset, vel pateretur omninò. Nec enim dubium illud est leve, quale debet rejici, ut scrupuli, sed fundatum. Suppono enim juxta dicta num.20. not.2. illud manere post factam sufficientem inquisitionem de rei veritate æquè necessariâ ad privilegium possessionis in materia aliarum virtutum, quàm justitiæ.

Probatur Secundò: quia nulla æquitas postulat, ut dubius de materiali legis transgressione, certus de notabili, etsi non adeò magno incommodo, hoc teneatur certò subire ad evadendum dubium illius periculum. Aliàs sæpissimè continget incurri gravia damna & incommoda, præsertim à piis, ac maximè scrupulosis, ob vanum timorem, & dubium legis, vel obligationis tantùm apprehensæ.

56. *Dicta procedunt etiam de lege naturali.* Adverte Primò, has, ut & superioris conclusionis rationes non tantùm procedere de lege positivâ, & obligatione inde ortâ, sed etiam naturali. Nam lumine naturæ notum videtur, legem quamvis, etjam naturalem, dubiam minùs, seu sub minori incommodo, quàm certam, aliquo tamen modo obligare.

Quò lex dubia gravior, eò incommodũ ab eâ servandâ excusans Adverte Secundò, quò lex seu naturalis, seu positiva, & obligatio quamvis dubia gravior est, eò debere esse majus incommodum quod excuset ab ejus exsecutione: quare absolutè fieri potest ut debeat illud esse magnum, si lex sit valdè magni momenti: quare dixi in conclusione *Ordinariè.* *debet esse majus.*

Probatur jam ex dictis posterior conclusionis pars: quia, etsi juxta dicta superiori conclus. non sufficiat ad privilegium hoc, sola & omnis possessio seu exercitium libertatis; ordinariè tamen ad eam accedit, vel extrinseca aliqua causa & incommodum, vel certè molestia intrinseca, quæ, ut jam dixi, non debent esse magna, ut sufficiant ad privilegium possessionis, & excusent ab obligatione eligendi viam tutiorem, ac necessitate servandi præcepti dubii. Quo ipso potest dici esse universaliter etiam foro conscientiæ melior conditio possidentis vel solam libertatem suam, scilicet ad eam retinendam, si causa justa accedat: quod facilè contingit. 57.

Dubium tamen non est, quin sit laudabile, adeoque consilii, spretâ temporali aliquâ causâ & incommodo, pio zelo servare etjam legem dubiam. Quo modo & ratione erit consilii, non præcepti, eligere viam tutiorem exsequendo etiam legem & obligationes dubias. 58. *Consilii est spreto temporali incõmodo servare leges dubias.*

Atque hæc clariora sunt de causis dubiis deductis ad forum & tribunal externum, ac contentiosum, juxta dicenda num. 63. Hoc enim ipso quo dubius se lite opponit, ne solvat debitum, vel expleat obligationem dubiam, satis 58.

pro-

probat id sibi molestum fore & incommodum: quare de foro externo ac materiâ justitiæ universaliter id statutum est jure positivo. Itaque in iis semper tantùm erit consilii eligere viam tutiorem: in causis verò quæ discutiuntur foro & tribunali interno; quia aliquando non est molestum eligere viam tutiorem juxta dicta superiori conclus. non semper, sed sæpè poterit dubius seipsum absolvere: quia ordinariè molesta est novarũ quarumlibet obligationum executio, præsertim dubiarum.

60. Ob quas aliasque causas sententia his conclusionibus explicata, videtur mihi non tantùm speculativè verior ac rationabilior; sed & practicè commodior. Nulli enim molestum & incommodum videri debet, tunc debere eligere viam tutiorem, cùm reverà, vel non, vel vix, illud molestum est: quando etiam in praxi omninò expedit ut id fiat. Quòd si molestum sit, vel incommodum notabiliter; tantùm id ipsi consulitur tamquam laudabilius ac perfectius, non præcipitur tamquam necessarium: quare hæc sententia media est inter primam, quæ strictior; & secundam, quæ videtur laxior, nisi illâ mitigentur.

Confirmatur: quia sic optimè conveniunt inter sese regulæ illæ, & axiomata moralia, quæ aliàs videntur conciliari non posse. Primò enim per se, & ex præcepto debemus eligere viam tutiorem, ut magis declaratum est jure positivo, nisi excuset justa causa vel incommodum: quare priori illi regulæ non repugnat, sed moderatur secunda, In dubio melior est conditio possidentis. Quæ ipsa moderatio confirmatur & explicatur aliis regulis citatis, quibus statuitur, ut utrovis foro faveatur reo potiùs, quàm actori; néve in dubio reus condemnetur ac puniatur, scilicet, pœnâ graviori: quæ deinceps applicabuntur particularibus casibus & exemplis. Interim

Collige ex dictis, dubium v. g. an sit dies jejunii, vel expleverit vigesimum primum annum, probabiliùs debere jejunare, si absque notabili incommodo possit; si non possit, non teneri. Eatenus enim valet privilegium possessæ libertatis in materiâ temperantiæ. Idem dicendum, si dubites an sit dies festus, de obligatione audiendi Sacrum in materiâ religionis. Notabile autem incommodum non debet esse grave: quale excusat ab obligatione aliàs certâ, v. g. morbus; sed mediocre, v. g. aliquis dolor capitis. Quòd si verò dubites, an res apud te deposita, vel commodata, perierit tuâ culpâ, adeoque tenearis ad restitutionem; non teneris restituere quasi tuâ culpâ certò non periisset: quia, ut dixi, in materiâ justitiæ universaliter melior est conditio possidentis. In casu autem præsenti possides 61. *Resolutio particularium casuum ex dictis.*

des innocentiam & pecuniam tuam. Idem apparet dicendum de similibus. Atque hæc omnino est mens saltem Auctorum primæ sententiæ: qui, ut constat ex rationibus allatis, non possunt negare, quin faciliùs excusemur ab obligatione dubiâ, quàm certâ: quare saltem sententia explicata est reverà multò communior; quæ magis confirmabitur & explicabitur capitibus seqq præsertim XIV. & XVII.

CAPVT VII.

An in dubio irregularitatis & juris, via tutior sit eligenda, vel censendus quis irregularis?

62. SVperiori cap. explicatum est, an, & quâ ratione in dubio juris vel facti via tutior eligenda sit, scilicet jure legéque naturali, nisi aliud statutum sit jure ac lege positivâ in casibus particularibus: de quibus proinde manet ratio dubitandi ac disputandi.

Primus, quia in hac materiâ celeberrimus, sit de irregularitate, ejusque dubio, & quidem duplici; Primò, juris, cùm dubium est an exstet lex tali facto irregularitatem annectens, de quo agam hoc capite: Secundò, facti, cùm dubium est an tale factum commiseris, de quo sequ. capite.

Supponο autem, juxta dicta etiam superioribus capitibus, agi hîc de dubio manente post sufficientem inquisitionem de rei veritate seu invincibili; quòd illa hîc etiam ante omnia præmittenda sit. Addo, examine illo durante, si operari velis circa rem dubiam, debere eligere viam tutiorem, gerendo te tamquam irregularem.

Necdum inquisitâ veritate, in dubio debes te gerere ut irregularem;

Sed quid si interim eâ ratione magnum incommodum sis subiturus, quia, v. g. præterit occasio Ordinum suscipiendorum, vel beneficium obtinendi?

Respondeo cum Salas nu. 169. juxta dicta superiori cap. magno incommodo ne quidem tunc tutiorem partem sequendam esse in dubio, pro illo tempore verè invincibili. Itaque te posse Ordines suscipere, & acceptare beneficium. Sanchez tamen num. 37. *Vix*, ait, *auderem hoc sequi, nisi notabile esset damnum: quale non est præterire occasionem Ordines suscipiendi.* Quibus verbis idem reverà dicit, quia supponitur intervenire notabile damnum, seu, quod idem est, incommodum, nisi tunc Ordines suscipiantur. Aliàs, si nihil vel parum curares, an illos tunc vel postea susciperes, tunc suscipere non posses. Quæ sunt conformia dictis libr. 3. cap. 4. de delectu opinionis probabilis, cùm res non patitur moram. Quia moraliter hoc etiam casu res non videtur pati moram.

non tamē magno incommodo.

Quibus positis, quatuor de hac re sunt diversæ sententiæ.

Prima est, in neutro dubio juris vel

vel facti quemquam esse irregularem in foro conscientiæ, sed tantùm in foro externo. Quia in dubio videtur melior conditio possidentis libertatem ab irregularitate: quare jura contraria videntur explicanda de foro tantùm externo. ita Henriquez lib. 14. de irregular. cap 3. à num. 3.

Secunda, primæ omninò contraria, esse irregularem in foro conscientiæ, quo in dubio tutior semita sit eligenda; non autem externo, quo judex neminem in dubio possit condemnare. Ita Hostiensis in cap. cit. *Ad audientiam*, in fine, Sylvest. v. *Homicidium*, 3. qu. 1. Armilla verbo *Irregularit.* 18, 1. qu. 3. Foro conscientiæ conjungunt hîc quasi pœnitentiale, seu non contentiosum, Abbas in cap. *Ad audientiam*, cit. Angelus v. *Dubium*, nu. 21. & ibidem Sylvest. quæst. 4. num. 7.

Tertia, utroque foro esse irregularem, quòd utrumque hîc debeat esse conforme. Ita Vasquez disp. 65. cap. 3. & disp. 66. cap. 1. Quarta, neutro foro esse irregularem. Ita Coninck de Sacramentis disp. 18. dub. 2. à num. 21.

Quinta, utroque foro esse irregularem in dubio facti, saltem homicidii, non juris. Ita Covarr. in Clement. *Si furiosus*, p. 1. initio nu. 3. de homicidio, Sayrus clavi regiâ, libr. 1. cap. 13. num. 23. Azor libr. 2. cap. 19. qu. 10. à nu. 42. & nu. 168.

63. Respondeo: In dubio juris nemo censendus est irregularis, vel debet sequi viam tutiorem, utrovis foro. Hæc est Auctorum ultimæ & penultimæ sententiæ, atque etjam ex parte primæ, & secundæ, contra Vasquez Auctorem tertiæ sententiæ, & ex parte Auctores primæ & secundæ. *In dubio juris nemo est irregularis utrovis foro.*

Probatur Primò, ex ipso Jure: cap. *Is qui*, de sent. excommun. in 6. Ubi definitur, irregularitatis laqueum non incurri ob casus similes, additurque ratio: *Cùm id non sit expressum in Iure*. Cùm ergo non sit expressum in Jure, ut irregularitas in dubio juris incurratur, imò jus dubium non sit expressum, non incurretur in eo irregularitas.

Probatur Secundò, ratione desumptâ ex superiori cap. In dubio melior est conditio possidentis suam libertatem, à gravi saltem pœnâ & incommodo: atqui irregularitas est pœna valdè gravis: nec enim privat tantùm usu Ordinum susceptorum, sed etiam aliorum susceptione, & consecutione beneficiorum: quare non incurritur ob culpam, nisi mortalem: ergo in dubio melior est conditio possidentis libertatem à tantâ pœnâ ad libertatem ab eâ retinendam.

Quæ utraque ratio valet in utroque foro: quod aliunde etiam debet esse hîc conforme, cùm non agatur ex præsumptione. Posterior tamen ratio tantùm reverà probat, in dubio non incurri totam irregularitatem; vel, quia non 64.

est

est indivisibilis, partem ejus molestam, non autem aliquam ejus partem faciliorem; juxta dicenda sequ. conclus. sed hoc suppletur priori probatione & cap. cit. quo satis clarè statuitur, in dubio juris nullam irregularitatem incurri, vel partialiter, vel totaliter: quia eo ipso non est expressa in Jure, quo dubia.

CAPUT VIII.

An idem dicendum de dubio irregularitatis, & facti?

PRimò hîc agam de casu & dubio homicidii: deinde de aliis.

65. *In dubio homicidii debes abstinere ab usu Ordinum majorum,*

Dico Primò: In dubio homicidii utroque foro eligenda est via tutior, seu debet quis se gerere ut irregularem, non totaliter, sed partialiter quoad usum Ordinum majorum. Est Auctorum ultimæ sententiæ, nominatim Sayri, Salas; & ex parte primæ, secundæ, & tertiæ.

Probatur Primò, ex Jure ac cap. *Ad audientiam* cit. quo in dubio homicidii: *Te convenit*, inquit Pontifex, *injungere Presbytero memorato, ut in sacris Ordinibus non ministret.* Addit: *Poteris concedere, ut minoribus Ordinibus sit contentus.* Quibus verbis non declarat Pontifex illum esse irregularem absolutè, sed tantùm privat eum usu Ordinum sacrorum, seu majorum. Quare expresè permittit usum minorum; ergo multò minùs reddit eum inhabilem ad alia, v.g. acquirenda beneficia, vel etiam Episcopatum. Huic capiti conforme est alterum *Significasti* 2. quo in eodem dubio Sacerdos jubetur tantùm à sacerdotali officio abstinere. Et additur: *Non videtur idem Sacerdos à pœnâ homicidii penitus excusari.* Si non excusetur penitus, seu omninò, ergo saltem aliquo modo, seu ex parte, planè juxta conclusionem. Itaque in dubio homicidii non est quis censendus irregularis absolutè & totaliter, sed partialiter quoad pœnam expressam; cùm præsertim pœnæ restringendæ sint.

Unde infertur contra Sanchez num. 45. aliosque recentiores, dictis capitibus non infligi pœnam privationis Ordinum suscipiendorum. Quia illius nulla fit mentio. Imò exceptio & nominatio alîus pœnæ, non illius, potiùs firmat regulam in contrarium. 66. *non autẽ à susceptione Ordinum.*

Nec refert, quòd irregularitas intrinsecè illam includat, quia etjam privationem usûs Ordinum susceptorum intrinsecè includit; Pontifex tamen expresè permittit usum Ordinum minorum.

Addiderim, quia irregularitas directè privat solâ susceptione Ordinum, indirectè tantùm usu; strictè loquendo non infligi hîc irregularitatem: quam proinde Pontifex ne nominat quidem. Quia tamen verè etiam est privatio usûs Ordinum, hæc meritò dicitur partialis quædam irregularitas:

quo-

quomodo & nos loquemur cum Doctoribus.

67. *Dubius homicida non meretur tantam pœnam, quantam certus.* Probatur Secundò, ratione: quia ob rationem superioris conclusionis dubius homicida non meretur juxta rectam rationem, ac prudens dictamen totam pœnam, seu irregularitatem, etsi eam mereatur homicida certus. Nam uti pœna debet esse proportionata culpæ, ob quam infligitur, ita ex naturâ rei apparet minori pœnâ dignum esse, qui fortassis, quàm qui certò crimen commisit. Si ergo pœna proportionata certo homicidio sit totalis irregularitas; dubio erit partialis, quatenus non valdè molesta & incommoda: qualis planè statuitur capp. citatis. Nec enim valdè molestum solet esse aliquo tempore, non dico subire positivum incommodum, sed tantùm negativè abstinere ab usu Ordinum majorum, vel certo aliquo tempore, vel indefinitè, donec petatur dispensatio. Quòd si tamen gravior videatur hæc pœna, non est impròportionata tanto peccato, quantum est homicidium, etsi dubium, præsertim in Sacerdote: cujus item deformitas valdè dedecet usum dictorum Ordinum.

68. *Pontifex pœnâ aliquam debitâ jure naturæ determinat ad certam.* Unde apparet, Pontificem, seu jus positivum, dictis capp. determinare id quod in proposito illis casu erat juris naturæ, pœnam aliquam mitiorem in genere, ad certam illam abstinendi ab usu Ordinum majorum. Quod est proprium juri positivo humano: quo similiter, v.g. cultus Dei externus in genere præceptus jure naturæ, determinatur ad certum audiendi Sacrum festis & Dominicis.

Ex quibus videtur sequi, non potuisse justè dubio homicidio pœnam infligi majorem. Idemque apparet dicendum de similibus.

Dixi in conclusione, *utroque foro*: quia nec hîc est ratio disparitatis, & utraque ratio valet in utroque: neutro enim potest infligi pœna culpæ improportionata. Imò cap. *Ad audientiam Apostolatûs nostri pervenit*, apertè agit de foro etiam externo, ut patet ex illis verbis. 69.

Ex dictis collige Primò, juxta communiorem sententiam Doctorum citatorum, partialem illam irregularitatem esse impositam ipso jure, nec requiri ad eam sententiam judicis, Contra Innocentium in d.cap. *Ad audientiam*, in fine, & Henriquez cit. Primò, quia jus positivum non imponit solùm, sed simul declarat & determinat naturale: quo solo merebatur eo casu reus pœnam aliquam æquivalentem absque aliâ declaratione, ut jam dixi. Secundò, quia irregularitas est pœna suâpte naturâ non exigens judicis sententiam. *Partialis irregularitas imposita ipso jure.*

Collige Secundò, juxta conclusionem eodem modo irregularem esse præbentem abortui causam; cùm dubium est an fœtus sit animatus. Quia hoc dubium verè est facti, *Eadem dicẽda de aliis casibus dubii homicidii,*

facti, & homicidii. Eadem est ratio in dubio, an mors sit secuta ex dato alteri veneno.

ac mutilationis, Collige Tertiò, idem dicendum in dubio mutilationis, & injustæ occisionis in bello: quia verè utroque casu dubium est de irregularitate ac facto, sive ea dicenda sit ex homicidio, sive non.

70. *Similiter in dubio facti incurruntur aliæ irregularitates.* Dico Secundò: Similiter in dubio facti incurruntur aliæ irregularitates, quatenus facilè seu absque notabili incommodo servari possunt. Ita à fortiori, quia absque dictâ limitatione, Abbas, Angelus, Sylvest. Covarr. Azor, Vasquez citati; & eâdem limitatione, Salas sect. 19. num. 176. contra Sanchez num. 48. qui tamen fatetur contrariam probabilissimam. Alii, qui videntur à conclusione dissentire, possunt explicari juxta limitationem additam, ut tantùm negent incurri integram irregularitatem; vel etiam quatenus notabiliter molestam servatu. Dixi, *in dubio facti*, quia in dubio juris nulla irregularitas incurritur, juxta conclusionem præced. capitis, ejusque probationem.

Probatur ex cap. *Ad audientiam*, & jam dictis: quia Pontifex ibi non tam statuit jus novum & positivum, quàm declarat antiquum, ac naturale, nixus naturali illo principio ac præcepto; quòd in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem. Quare addit non tam jubendo, quàm declarando: *Te convenit imponere*, &c. quod clariùs eodem illo principio supposito indicatur verbis alterius cap. *Significasti*: *Non videtur à pœnâ homicidii penitus excusari*. Quæ verba non sunt tam mandantis, quàm docentis, ac declarantis, ut clarum videtur. Quare etiam clarum videtur idem extendendum ad casus similes, in quibus valet idem omnino principium & ratio; eâ tantùm differentiâ, quòd Pontifex in casu homicidij simul determinarit partem irregularitatis, communiter satis facilem servatu: quam non determinavit in aliis casibus. Quibus proinde juxta idem illud principium naturale ac dictamen prudentiæ, hîc & nunc debet dubius an factum commiserit cui annexa est irregularitas, eam servare, quando vel quatenus absque notabili incommodo potest.

Dixi, *notabili*, non magno: quia minus excusat, quàm excusaret ab observatione irregularitatis, & præcepti certi, juxta dicta conclus. præcedente, & communē sententiam: quòd pœna ordinaria statuta delicto certo, non sit imponenda delicto dubio; sed extraordinaria illâ minor: quod docet etiam Sanchez num. 45. & Vasquez cap. illo 1. num. 5.

Confirmatur: quia non tantùm ad irregularitates, sed alios insuper casus idem illud principium & præceptum eligendi viam tutiorem seu certiorem, extendendum est,

est, ut declarat iterum Pontifex cap. *Iuvenis*, idque verbo *debemus*, quod clarè significat præceptum, non consilium.

71. Probatur Secundò, ratione antè indicatâ: quia ex unâ parte nimis laxum videtur & temerarium, juxta cap. cit. in dubio ejusmodi non sequi partem tutiorem; ex alterâ nimis rigidum & durum, metu transgrediendi dubiam legem, subire magnum incommodum: ergo inter duas extremas sententias adhibenda est media tamquam moderatrix; quòd nimirum debeat quis sequi partem tutiorem, gerendo se ut irregularem, nisi excuset justa causa, aut notabile incommodum; non debeat verò, si ea excusent: quod naturali lumine ac prudentiâ apparet æquum, nec est difforme, sed omnino conforme juri positivo jam allegato.

72. *In dubio aliarum irregularitatum etiam Sacerdos debet abstinere ab usu Ordinum minorum.* Ex quibus collige, in dubio aliarum irregularitatum ex aliâ causâ sive culpabili, sive inculpabili, quàm homicidio, non tãtùm Diaconum v.g. sed etiam Sacerdotem, debere abstinere ab usu minorum Ordinum: quia hic illi jure positivo permissus non est alio casu, quàm homicidii, & potest ordinariè omitti absque graviori incommodo. Usus autem majorum multò faciliùs licet Sacerdoti, quàm in dubio homicidii: in quo certa est irregularitas, adeoque illius prohibitio, à quâ non excusat, nisi grave incommodum, & moralis quædam necessitas.

Dices, Omnia jura clamant in dubio delicto reum absolvendum esse, juxta regulam Juris: *Cùm sunt jura partium obscura, reo savendum est potiùs quàm actori*, aliasque citatas cap. 3. num. 21. atqui in casu conclusionis supponitur factum, cui imposita est irregularitas, dubium & obscurum: ergo reus est absolvendus, nec damnandus ad ullam pœnam. 73.

Respondeo, illas & similes regulas modosque loquendi intelligendas esse de foro & jurisdictione contentiosis, quibus procedatur cum strepitu juris, & contentione inter actorem & reum, ut ipsæ clarè indicant; quibusque disputetur de materiâ justitiæ, vel procedatur ad pœnam gravem, ut indicavi superioribus capitibus. *Regulæ juris egũt de foro & jurisdictione cõtentiosis, non volũtariis.* Non autem de foro & jurisdictione voluntariis, ut vocant, quibus proceditur de plano, absque dicto strepitu, ideoque non est opus actore distincto à reo ipso, quibusque non tam agitur de damno aut pœnâ gravi, quàm directione conscientiæ ad bonũ faciendum, vel vitandum malum, scilicet, juxta præceptum legis & æquitatis naturalis, & pœnâ etiam levi. Cujusmodi jurisdictio, modusque procedendi competit etiam Superiori erga subditum extra proprium territorium, seu locum ditionis ac jurisdictionis suæ, magisque convenit foro externo Ecle-

clesiastico, quàm civili, & est conformior foro conscientiæ. De posteriori hoc foro, jurisdictione, & pœnâ levi non agunt regulæ illæ, ut dixi; agunt tamen & quidem potissimùm capitula citata ex Jure Canonico. Cui responsioni favent Abbas, Angelus, Sylvester citati, eamque colligo ex Lessio de Justitiâ cap. 31. dubit. 3. num. 10.

74. Adverte, non esse hanc inter utrumque forum propriè difformitatem seu contrarietatem in judicando, sed potiùs in objecto ac modo procedendi. Nam foro contentioso positivè non rejiciuntur pœnæ leviores, sed tantùm non infliguntur. Sicuti certum est foro externo non infligi peccatis omnes pœnas, quibus verè digna sunt foro & judicio conscientiæ.

Confirmatur: quia, nisi eo modo concilientur regulæ dictæ cum capitulis, clarè sibi repugnant, &, si illæ æquæ sint, iniquum his statuit Pontifex, qui utroque illo cap. *Ad audientiam*, & *Significasti*, non rogatus ut novum jus conderet, sed consultus quid casu factoque verè dubio, an ex illo secutum esset homicidium, agendum esset, expresè statuit, non esse reum absolvendum ab omni pœnâ; sed eum debere subire aliquam leviorem proportionatam peccato dubio, eò quòd in dubiis debeamus eligere viam tutiorem. Illam tamen ipsam durum esset & inusitatum primò illi infligere absque aliâ promulgatione, si antè nullo alio jure positivo vel naturali ad illam vel æquivalentem obligatus fuisset. Sic enim Pontifex non absolvisset reum, etsi verè dubium, sed novis pœnis gravasset, à quibus aliàs verè erat liber.

Ex quibus collige, quo sensu verum sit quod docet Vasquez num. illo 5. & ex illo alii, in dubio neminem condemnandum ad pœnam sitam in passione, absque præcepto; secùs verò ad continentem præceptum aliquod prohibens, v.g. ministerium altaris: quatenus nimirum, ut ipse videtur indicare, prior pœna solet esse gravis, & proportionata delicto certo, & foro contentioso; posterior verò mitior, & proportionata delicto dubio, ac foro, ut ita dicam, pacifico. Aliàs, si posterior sit pœna æquè gravis, non video cur in æquali dubio non sit æqualis obligatio etiam ad posteriorem. Cùm præsertim etiam secundùm Vasquez non sit hîc distinguendum inter dubium facti & juris, seu præcepti quod involvitur posteriori pœnâ. 75. *Quo sensu in dubio nemo condemnandus ad pœnam sitam in passione.*

Petes, Quid si consulens homicidium, ad quem dicta etiam irregularitas extenditur cap. *Si quis viduam*, dist. 50. dubius sit, an consilium suum fuerit efficax, eritne similiter irregularis? negat Henriquez lib. 13. de irregular. cap. 16. littera D. & in simili de obligatione restituendi Tabiena v. *Restitutio*, 76. *Quid si consulens homicidiũ dubitet an consilium fuerit efficax.*

quæst.

quæst. 23. num. 24. Rebellius de Justitiâ p. 1. lib. 2. quæst. 14. sect. 2. aliique. Respondet Sanchez n. 44. distinguendo: affirmando, si constat factum esse homicidium, etsi dubitetur de efficaciâ & cooperatione consilii dati: negando, si etjam dubitetur de ipso homicidio. Quæ responsio placet, si accommodetur jam dictis, ita ut posteriori casu etiam sit irregularis, quatenus esse potest absque incommodo. Non placet tamen probatio Sanchez, quòd in priori casu stet possessio pro homicidio contra consulentem; secùs in posteriori. Quia, ut constat ex dictis num. 53. homicidio verè nulla potest competere possessio, ejusque privilegium. quod etiam per se satis clarum videtur.

Probatur ergo ratione hæc responsio, indicatâ in simili cap. 3. & 4. quia, si utrumque constat & datum fuisse à te consilium, & factum homicidium; sufficiens est causa judicandi speculativè, non tantùm probabiliter, sed probabiliùs, illud ad hoc cooperatum fuisse. Cùm præsertim in dubio, ut nemo præsumitur delictum admissurus, ita alter non debet præsumi id facturus suâ sponte, absque consilio tuo: ergo illi debet conformari judicium practicum, quòd hîc & nunc sis irregularis: nisi occurrat peculiaris aliqua ratio difformitatis, v. g. quòd constet eum qui physicè occidit, fuisse aliunde occisi capitalem hostem, vel necem illi minatum fuisse, aut præparasse omnia ad homicidium necessaria. Quod reipsâ etiam docet Sanchez. Quo sensu rectè dicitur stare non possessio, sed præsumptio, pro homicidio, & consilio efficaci, nisi positivo aliquo signo aut argumento probetur contrarium; non autem si dubitetur negativè. At verò si non constet homicidium factum, nec est sufficiens ratio judicandi etiam speculativè consilium tuum, etsi datum, fuisse efficax: quòd efficacia & homicidium ipsum plurimis de causis impediri potuerit, & soleat, & alter in dubio potiùs præsumendus sit illud non commisisse etiam post tuum consilium. Itaque tum prudenter hærebis dubius. In dubio autem melior est conditio possidentis libertatem sensu explicato.

Unde collige, priori casu te etjam teneri ad restitutionem, si 77. non restituat homicida: eademque est ratio, si eodem modo dubites, an alius damni causa fueris: quia, etsi res non sit omninò certa, non est tamen par causa & dubium, quo valeat privilegium possessionis, atque ita tunc eligenda est via tutior. Imò Salas sect. 23. num. 242. vocat eam moralem certitudinem, etsi non physicam: quare idem reverà ibi docet, etsi obscuriùs. Cessat hæc ratio, adeoque obligatio in casu posteriori, quia, ut antè dixi, in materiâ justi-

tiæ universaliter melior est conditio rem possidentis ad eam, in casu nostro, pecuniam, retinendam.

CAPUT IX.

An in dubio debeas te gerere ut excommunicatum, aut ligatum aliis censuris?

78. IDem est si petam, an in dubio excommunicationis debeas sequi partem tutiorem? quia gerendo te ut excommunicatum, illam sequeris.

Disputant Doctores hoc nominatim de excommunicatione; de quâ tamen, & aliis censuris hîc breviter agam, postquam egi de irregularitate, de quâ specialis difficultas fuit: quæ etsi censura non sit in multis, tamen illis est similis etiam in hac quæstione. Quare etiam iidem ferè Doctores in easdem ferè sententias abierunt de excommunicatione, qui de irregularitate superiore capite.

Primò, itaque aliqui putant in dubio te censendum absolutè excommunicatum utroque foro. Secundò, aliqui id limitant ad non contentiosum. Tertiò, alii foro tantùm interno, non externo. Quartò, alii distinguunt inter dubium juris, quo non sis excommunicatus, & dubium facti, quo sis. Quintò denique, alii docent neutro illo dubio te esse excommunicatum. Pro singulis sententiis citat Auctores Sanchez à num. 50. qui num. 53. amplectitur ultimam.

Suppono non esse hîc distinguendum inter dubium juris & facti, juxta dicta num. 41. In quo differunt censuræ ab irregularitate, de quâ speciali jure statutum est, ne incurratur, nisi in jure expressa, ut dixi cap. 7. quod non est statutum de censuris.

Non est hîc distinguendum inter dubiũ juris & facti.

Dico Primò: Utroque dubio & foro debes te gerere ut excommunicatum, quatenus facilè & absque notabili incommodo potes, non debes autem magno incommodo. Hæc etiam sententia est media inter alias extremas, quæ sic conciliari possent. Expresse eam tradit præter Salas sect. ; num. 59. ad 4. Corduba quæst. illâ 6. paulò post initium, ubi expresse docet, debere nos vitare nominatim excommunicatum; non tantùm cùm certò scimus excommunicatum, sed etjam cùm de eo dubitamus, & sine ejus præjudicio, putà in secreto, ipsum possumus vitare, non autem cùm non possumus absque ejus præjudicio, scilicet notabili; citatque pro hac sententiâ Innocen- 80.
tium. Perinde autem est hoc, ut & aliis casibus, sítne præjudicium, sive incommodum tuum vel alienum ob eamdem rationẽ & incõmodum, quamvis alienum verè incommodum est. 79.

Utroque dubio & foro debes te gerere ut excommunicatũ quatenus facilè potes.

Probatur Primò, ex Jure Canonico, c. *Illud*, de clerico excommunic. quo Innocent. III. videtur omninò definivisse, habendum excom-

communicatum in dubio, eoque juris de quo majus poterat esse dubium. *Quia tamen*, inquit, *in dubiis via est eligenda tutior, etsi de latâ in eum sententiâ dubitaret, debuerat tamen potiùs se abstinere, quàm Sacramenta Ecclesiastica pertractare*: scilicet Episcopus Hildesemiensis, qui dubius de excommunicatione in se latâ, divina officia etiam solenniter celebrarat: quia, ut dixi superiori capite, absque notabili incommodo ad tempus, donec obtineretur absolutio, abstinere poterat saltem à celebratione divinorum officiorum. Quamquam fortè ad evitandum scandalum, quia publica videtur fuisse fama de excommunicatione, iis circumstantiis debuisset non celebrare, saltem solenniter, etiam magno incommodo. Ceterùm clarum est ex verbis citatis nil illis novi statui; sed doctrinaliter tradi, quid in dubio excommunicationis fieri, vel potiùs omitti debuerit; idque eâdem omnino ratione, quâ capp. antè citatis id statutum fuit in dubio irregularitatis.

80. Respondet Sanchez Primò, famâ plenè probatam fuisse excommunicationem. Secundò, illum deliquisse graviter, quòd nondum præmissâ diligentiâ ad vincendum id dubium celebrarit. Sed prima responsio evertit casum, & rationem Pontificis: supponitur enim expresse illum dubitasse, & affertur ratio definitionis; quòd in dubiis sit eligenda via tutior, non in certis; qualia sunt plenè probata: quare ratione dubii, & quidem apparentis, Pontifex expresse addit, non videri omninò culpabilem exstitisse. Secunda est divinatio absque ullâ conjecturâ ex capite & casu proposito. Imò ratio allata juxta usitatum loquendi modum tum Pontificum capitibus antè citatis, tum Doctorum, indicat contrarium. Aliàs ratio definitionis afferenda erat, quòd veritatem non inquisivisset. Illud enim ante omnia faciendum est: postea tantùm simpliciter dicitur eligenda via tutior. Præterea dubium propositum erat de sententiâ non tam an lata, quàm an esset valida. Dubitabat enim ille, an Episcopus Magdeburgensis auctoritate tantùm delegatâ posset contra se procedere, monitione non præmissâ. Quam rationem dubitandi satis examinasse visus est. Saltem clarum videtur, Pontificem verbis allatis abstraxisse à non factâ vel factâ antè inquisitione, & definivisse in genere quid faciendum in dubio excommunicationis latæ.

Idem supponitur cap. *Cùm tu*, de testibus & attestat. ubi in dubio an valida esset excommunicatio, & lata ante vel post appellationem; aliquibus testibus deponentibus quòd ante, aliis quòd post; Pontifex benignè interpretans utrorumque testimonia, & liberans à reatu perjurii, præsumit

ſumit intervenisſe duplicem appellationem, & latam excommunicationem poſt primam, ante ſecundam; ideoque definit ſententiam excommunicationis non tenere. Teneret ergo aliàs in dubio an ante vel poſt appellationem, adeoque validè, vel invalidè lata eſſet. Utroque hoc cap. agitur de dubio juris. Idem probatur de dubio facti ex cap. *Cùm deſideres*, in 2. quæſt. de ſent. excommun. ubi conſultus Pontifex reſpondet abſtinendum ab ejus communicatione, quem fama vulgaverat percuſſiſſe Clericum, donec vel ſe purget, vel ad cautelam abſolvatur. Quibus item clarè ſupponitur, non fuiſſe certam, ſed dubiam Clerici percuſſionem: quia ſola fama non ſufficit ad plenam certamque probationem: quod per ſe videtur ſatis notum, & confirmatur ex cap. jam citato. Ceterùm dupliciter inde probatur, in dubio illo illum habendum fuiſſe excommunicatum; tum ab iis, qui non potuerunt cum illo communicare, ſcilicet ob eamdem rationem, ut & ipſi in dubio ſemitam ſequerentur tutiorem; tum à ſe ipſo, quia debuit petere abſolutionem ad cautelam, niſi ſe purgando dubium deponeret.

Quibus capitulis probata eſt concluſio de utroque dubio & foro. De utroque enim clarè iis agitur. Excipe tamen forum contentioſum, juxta dicta ſuperiori cap. & partem concluſionis poſteriorem, quòd eo agi non ſoleat, niſi de notabili damno, aut pœnâ.

Probatur deinde ratione jam ſæpiùs indicatâ: quia etiam jure ac lumine naturali apparet nimis durum, te, cùm prudenter dubitas an reverà excommunicatus ſis, debere te gerere excommunicatum, etſi magno tuo incommodo: nimis autem laxum, nullâ iſtius dubii habitâ ratione, & abſque juſtâ causâ aut incommodo exponere te periculo violandi legem ac ſententiam excommunicationis: quod facere non poſſes abſque interpretativo quodam ejus contemptu. 82.

81. *Notabile incommodum hic eſt mediū inter parvum, & magnum.*

Quod autem ſit hîc & nunc notabile incommodum, juxta dicta cap. 6. concl. 3. prudentis arbitrio hîc & nunc dijudicandum relinquitur; ita videlicet, ut ſit medium inter parvum, quod moraliter non aut vix æſtimetur, eſtque adjunctum cujuſvis legis obſervationi; & magnum, quod excuſet ab obſervatione legis, & obligationis ejuſdem certæ, & æquivaleat morali neceſſitati. Dixi, *ejuſdem certæ*, quæ caſu concluſionis eſt dubia: quia, ut ſuprà dixi, quò lex & obligatio eſt major, ſive certa, ſive dubia, eò incommodum quod excuſet, debet eſſe majus. quare fieri poteſt, ut tantum, vel majus, debeat eſſe incommodum, ut excuſet ab obſervatione legis unius, etſi dubiæ, v. g. prohibentis homicidium, quàm ut excuſet ab obſer-

observatione alterius certæ, v.g. prohibentis mendacium aut usuram.

81. Ex dictis collige Primò, si dubites an excommunicatio contra te lata sit, non debere te eam observare, nisi moderatione dictâ: si scires latam, sed tantùm dubitares an esset justa, vel sufficiens ejus causa, deberes observare absolutè, etiam notabili seu mediocri incommodo. Quia posteriori hoc casu meritò præsumitur pro Superiore, ejusque lege, cujus causam non debent nosse vel examinare subditi, sed supponere justam, juxta dicta cap. 16. libri superioris, & dicenda cap. 14. concl. 4. ubi etiam dicam, quod hîc notandum est, à lege quomodocumque dubiâ minus incommodum excusare, quàm si dubium nullum esset. Ceterùm pro lege, vel in casu nostro, excommunicatio est possessio potestatis excommunicandi. Quare juxta ibidem dicta, alia esset ratio, si de ipsâ quoque legitimâ possessione, auctoritate, ac electione dubitaretur.

Similiter, si constet excommunicationem latam esse, debet supponi ac præsumi, sicut & quævis lex, lata cum animo obligandi, ut verba sonant. Quòd si hæc sint dubia, an, v.g. contineant latam, vel ferendam, nascitur reverà dubium juris, an ea lata sit, ut bene Sanchez num. 56. quare non obligat nisi dictâ moderatione. Eademque est ratio, si de excommunicatione conditionali dubitetur, an expleta conditio: quia nisi hac positâ verè non existit illa.

Sed quid si dubitetur de valore excommunicationis certò latæ? Respondeo distinguendo: vel dubitatur de eo, ac excommunicantis potestate, & tunc integrè servanda est excommunicatio ut certa, si Prælatus est in possessione officii sui, dictæque potestatis, privilegio possessionis: si non est in possessione, tunc servanda est tantùm dictâ moderatione ut dubia. Vel dubitatur de valore ob impedimentum extrinsecum, v.g. appellationem, de quâ dubium sit, an pòst vel antè facta sit, & tunc servanda tantùm est tamquam dubia, quod supponitur cap. *Cùm tu*, citato. 83. *Quid si dubitetur de valore excõmunicationis certò latæ?*

Priorem distinctionis partem admittit Sanchez num. 60 Posteriorem rejicit num. 59. quòd excommunicatio tunc possideat, cùm constet eam latam esse: excusatio autem sit dubia. Sed Primò, ex dictis num. 53. satis constat, excommunicationem esse incapacem possessionis, ejúsve privilegii. Secundò, constat quidem latam esse verbo, sed non re ipsâ: hoc enim necessariò dubium est eo ipso, quo dubium an lata sit, ante vel post appellationem: si enim post, re ipsâ non fuit excommunicatio. Quare nec pro eâ stat præsumptio, nec staret possessio, etsi ejus esset capax: quod enim

non est, non potest possidere.

Addit Sanchez num. 56. reputari absolutè excommunicatum, qui dubitat de sui absolutione, quia excommunicatio certa fuit. Quod limitari debet juxta dicta aliquoties in similibus, quando de absolutione tantùm dubitas strictè & negativè, non autem positivè & opinativè. Aliàs probabili argumento, ac opinione absolutionis obtentæ excommunicatio hîc & nunc verè redditur incerta. Atque hoc tantùm probatur ex cap. *Sicut*, 39. de sent. excommunic. quo decernitur semel certò excommunicatos habendos pro talibus, nisi litteris, aut alio modo de eorum absolutione constiterit.

84. Circa quæ & similia adverte, juxta dicta item superiùs, cùm dubitas, non negativè, sed opinativè, probabiliter putando te non esse excommunicatum, vel esse absolutum; etsi contrarium etiam putares probabile, privilegio sententiæ probabilis te ad nil teneri, adeoque gerere te posse in omnibus ut non excommunicatum.

85. *Dicta de excõmunicatione, dicenda etiam de aliis censuris.* Dico Secundo: Quæ dicta hactenus de excommunicatione, dicenda etiam sunt eâdem moderatione de aliis censuris, suspensione, & interdicto.

Probatur: quia, etsi capp. citatis agatur tantùm de excommunicatione, nil tamen peculiare de illâ statuitur, sed tantùm definitur quid jure naturæ, in ejus dubio fieri oporteat: atqui jure naturæ, eadem omnino est ratio de omnibus censuris: ergo de omnibus idem dicendum est.

Confirmatur: quia eadem omnino ratio, quâ id dictum fuit de excommunicatione, æquè valet de reliquis censuris; quòd ad evitandum periculum peccati debeas semitam eligere tutiorem: quare eamdem hîc esse rationem omnium censurarum docent expressè Angelus v. *Dubium*, num. 2. Armilla v. *Dubitatio*, num. 3. Sanchez nu. 62. aliique, & supponunt reliqui.

CAPUT X.

An, & quâ ratione obliget dubium votum, aut juramentum?

NOlo hîc disputare de nomine, an dubium voti dicendum sit juris, vel facti. Meliùs videtur dici facti, quia verè est de facto, id est, voto ipso; etsi sit simile dubio juris, quòd votum videatur privata quædam lex, quam vovens sibi ipsi tulit. Quare eodem modo Doctores loquuntur de dubio juris, seu legis & voti: quia in plerisque, etiam jam dicendis, eadem est ratio. Iidem meritò supponunt esse etiam eamdem rationem de juramento, etsi de voto solo instituatur hæc disputatio. 86.

Nota Primò, votum esse dubium, cùm dubitatur Primò, an sit factum; Secundò, an factum valeat, *Votum dupliciter dubiũ, an factũ, & an valeat.*

leat,& adhuc duret. Secundo modo dubium est ex naturâ rei, ratione dubiæ intentionis, sive usûs rationis, ac libertatis; vel ratione materiæ dubiæ, an sit licita, vel majus bonum; aut etiam cùm dubitatur an sit expletum. Addi posset aliud impedimentum magis extrinsecum, lex positiva votum irritans. Sed hæc tantùm se extendit ad votum Religiosæ professionis: cujus solennitas solâ constitutione Ecclesiæ est inventa, ut definit Bonifacius VIII.cap.un. de voto, in 6. Circa valorem autem votorum tantùm simplicium nil directè lege positivâ statutum est, nisi probabiliùs emissorum gravi metu, scilicet ob defectum plenæ libertatis: ad quem proinde defectum hoc impedimentum reducendum est.

87. Nota Secundò, ordinariè expletionem voti molestiorem & incommodiorem esse, quàm observantiam irregularitatis, vel etjam excommunicationis, præsertim ad exiguum tempus, donec petatur dispensatio, vel absolutio. Votum enim solet fieri de bono aliquo arduo ac difficili, v.g. castitate, ingressu in Religionem, &c. irregularitas autem, & excommunicatio tantùm privant aliquo bono, nullum aliud malum infligunt; idque ferè non diutiùs quàm placuerit irregulari, vel excommunicato.

Præterea votum vel ex naturâ rei, vel intentione voventis, non solet ita esse divisibile, ut irregularitas & excommunicatio, ut apparet in votis jam nominatis.

Dico Primò: Votum primo modo dubium ordinariè non obligat, quando, scilicet, absque notabili incommodo expleri non potest; aliquando tamen obligat, cùm absque eo potest. Quæ iterùm sententia media est inter affirmantem, quam sequitur Corduba in Summâ quæst. 147. Azor libr. 2. cap.19.quæst.10. Vasquez disp.65. cap.3. Sayrus clavi regiâ libr.1.c.13. & negantem illud obligare, quam sequitur Sotus lib.7.de Justitiâ q.3. art.2. Medina in Summâ lib.1.c.14. §.7. Lopez 1.part. Instruct. cap. 45. Suarez tom.2. de Religione lib.4. cap.5. & plures alii, quos citat & sequitur Sanchez num.36. Imò duæ illæ sententiæ, quarum prior videtur aliàs strictior, posterior laxior, juxta conclusionem conciliari possent: quam expresè docet Salas sect.25.num.252. Ubi rectè notat, quia communiter materia voti difficilis est, Doctores communiter, vel saltem communiùs, docere in dubio voti neminem obligari, etsi, ut suprà ostendi, multò communiùs asserant in dubio universaliter eligendam viam tutiorem ex præcepto. 88.

Votum primo modo dubium non obligat ordinariè, sed aliquãdo.

Probatur eâdem ratione, quâ superiores conclusiones: quia ex unâ parte durius videtur, certo & notabili incommodo debere explere

plere dubium votum: de quo etjam diligenti præmisso examine, ante quod absolutè obligat, dubitas an factum unquam sit. Ex alterâ verò parte laxius videtur votum reverâ ac prudenter dubium non plus obligare, quàm certò nullum: ergo mediâ viâ incedendum est, ita ut obliget quidem cùm facilè expleri potest, non obliget tamen notabili cum incommodo.

Probatur Secundò, juxta dicta superiori libro cap.14. in dubio ac causâ simili, inter homines judex vel debet litigantes componere, vel rem litigiosam æqualiter inter eos dividere: ergo eâdem æquitate causâ similiter dubiâ debebit definiri inter Deum & hominem simili aliquâ compositione; ita ut homo votum expleat, solvatque Deo, quod forsan promisit cùm facilè potest; cùm ægrè potest, ad nil teneatur: æquior enim compositio excogitari non potest.

89. Adverte hîc aliquam differentiam inter causam dubiam inter homines & Deum: quòd inter homines à judice abstrahatur ab incommodo alterutrius partis, cùm utrique parti æquè incommodum censeatur suo jure privari: at verò in causâ dubiâ inter hominem & Deum prudenter habetur ratio incommodi, non Dei, cui reverâ nil est incommodum, sed hominis, juxta dicta superiùs de dubiâ item obligatione cujusvis legis; cùm præsertim aliter res hîc componi non possit, eò quòd materia voti sæpiùs non sit divisibilis.

Confirmatur. Judex inter homines causas dubias ita definire debet non jure positivo, sed jure & æquitate naturali, quâ valet argumentum à pari: ergo etiam judice conscientiâ, & naturali æquitate, debebit sic definiri inter hominem & Deum.

Ex dictis tamen collige Primò, 90.
juxta posteriorem partem conclusionis, quando tota materia voti non est ardua & difficilis, in dubio illud debere expleri totaliter, ut si voveris fortassis peregrinationem facilem. Si illa sit quidem ardua, sed divisibilis, debere expleri ejus partem; si hæc difficilis non sit, ut si voveris ad pias causas centum florenos, debebis, si facilè potes, solvere quadraginta, vel quinquaginta. Quòd si tantumdem vovisses ad curandam imaginem, quæ minori pretio curari non posset, ad nil tenereris: quia ex intentione tuâ tota materia esset indivisibilis.

In dubio tota materia voti expleri debet, cùm non est ardua: si ardua, sed divisibilis, ejus pars non difficilis.

Collige Secundò, ad quid teneatur certus de voto, dubius de qualitate, exempli causâ dubius an voverit Religionem in genere, aut certam in specie; vel illam tantùm ingredi, aut etiam in eâ profiteri; vel castitatem in genere, aut Religiosam, seu dependenter à statu Religioso; vel an voverit se ad nullam omnino feminam accessurum, vel tantùm copulâ illicitâ; vel an voverit tantùm jejunium quodvis, 91.

Certus de voto, dubius de qualitate, tenetur ad id quod majus, quatenus non est notabiliter incommodum.

vis, aut etiam abstinentiam à carnibus, sive lacticiniis. Quorum & similium dubiorum eadem est ratio. D. Thomas in 4.dist.38. qu.1. art.3. quæstiunc.1. ad 6. Turrecremata 17. quæst. 1. in summâ art. 4. ad 4. Angelus v. *Votum*, num.12. Navarr.lib.3.consil.tit.34. de voto consil. 4. docent in iis casibus tutiorem partem eligendam esse. Contrà Sanchez cit. num. 33. citans Angles, docet favendum libertati, ut in omnibus illis eventibus teneatur vovens ad id quod minus est.

Verùm juxta jam dicta, prima sententia vera est, cùm non excusat notabile incommodum. Secunda, cùm illud excusat. Tantùm advertendum est, incommodum debere esse distinctum ab incommodo & onere, quod vovens sibi imposuit certo voto, exempli causâ aliquo saltem sensu, Religionis. Nam ejus obligatione posita potest non esse notabilis excessus incommodi, sive obligetur ad Religionem in genere, sive in specie. Similiter positâ obligatione ingrediendi certum Ordinem, adeoq; seriò illum probandi, non addit tantum novi oneris votum in eo profitendi; & illi qui vovit castitatem, adeoque tenetur adhibere media ad illum finem necessaria, potest illis non esse multò difficilius ingredi Religionem.

Probatur hoc sensu & moderatione, responsio hæc ad dictos casus ex cap. *Ex parte*, de censibus, quòd gratuitæ obligationes ac oblationes benignè sint exigendæ, & argumento de toto ad partem, quod etiam in Jure habetur validissimum l. *Quæ de tota*, ff. de rei vindicatione.

Unde etiam inferunt, quod est jus de toto quoad totum, idem esse de parte quoad partem. Eodem igitur modo explicanda est voti pars, cùm de eâ dubitatur, ut fit in casibus propositis, quo totum votum, cùm de toto dubitatur, an emissum sit. Imò etiam in dictis casibus dubitatur, an votum, v.g. ingrediendi hunc Ordinem, vel abstinendi à lacticiniis, emissum sit. Eâdem moderatione accipienda sunt argumenta utriusque sententiæ, nominatim cap. *Cùm dilecti*, de donationibus, quod affertur pro primâ. Verba sunt: *In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenissima est interpretatio adhibenda.* Ubi per *beneficia* intelliguntur quæcumque oblata ad pias causas, eâdemque ratione dicata divino cultui.

Respondent aliqui, id verum esse cùm agitur, ut illo cap. contra heredem legantis, seu voventis; non autem contra ipsum voventem. Sed cùm heres tantùm succedat in onera defuncti, ut & emolumenta, ejusque personam repræsentet; non potest ipsi majus onus imponi, quàm defuncto. Itaque verba illa temperanda sunt verbis

legis: *Quidquid astringendæ obligationis causâ dictum est, id nisi palàm exprimatur, omissum esse intelligendum est, aut certè secundùm promissorem interpretamur,* ff. de verborum obligat. quæ lex affertur pro secundâ sententiâ. Quia cùm ex unâ parte votum, quatenus factum ad pias causas, Deive cultum, amplè accipiendum esset: ex alterâ quatenus astringit obligationem, seu libertatem strictè, omnibus spectatis accipiendum erit medio modo, scilicet, explicato. Sic enim utraque illa ratio aliquid efficit, sed ab alterâ temperatum morali quâdam reactione. In aliis sententiis alterutra ratio nihil efficeret, aut probaret omninò. In idem recidit, si dicas votum strictissimè accipiendum, quatenus patitur favor piarum causarum; vel amplissimè, quatenus patitur favor & possessio libertatis.

92. Unde collige Secundò, votum ampliùs explicandum; adeoque obligare majori incommodo, quàm legem, vel etiam donationem ad causas non pias. Quæ etjam causa est, cur hæc donatio, eademque est ratio de voto, dicatur stricti juris, bonæ autem fidei facta ad causas pias.

Adverte tamen in casibus allatis, quia materia voti est difficilis & ardua, sæpiùs excusare notabile incommodum, ne tenearis eligere partem tutiorem, ac incommodiorem. Ita, exempli causâ, valdè grave & incommodum esset, dubitantem an voto teneretur abstinere ab omni copulâ carnali, vel tantùm ab illicitâ; non posse contrahere matrimonium: quare potest id contrahere. Ob simile incommodum dubitans an voverit castitatem perpetuam, vel temporalem, ad hanc tantùm obligatur. Ob eamdem causam dubitans quo sensu Religionem voverit, si in specialem de quâ dubitat, non admittatur, non tenetur petere admissionem in aliam. Contrà tamen dubius an voverit quotidie recitare Rosarium integrum, vel tantùm tertiam ejus partem, seu coronam, ordinariè obligatur ad integrum. Quia ordinariè seu plerisque non est illud notabiliter incommodum; si aliquando sit, non tenetur.

Dico Secundò: Idem omnino dicendum est de voto dubio secundo modo. 93.

Idem dicendũ de voto dubio secundo illo modo.

Probatur facilè: quia cùm illo modo dubitatur de voto, an valeat, verè etiam dubitatur an reverà votum factum sit. Votum enim non significat sola verba, quæ constet fuisse prolata, sed internum ac liberum consensum, ac intentionem de quâ dubitatur. Tota ergo hîc difficultas est, quando votum censeri debeat eo modo dubium. Ad quod cognoscendum utiles aliquot regulas colligo ex Suarez cit. cap. 6. à num. 2.

Prima est, si dubitetur de valore 94.

voti

Reg... cogn... voti... bium

Regulæ cognoscendi votum dubium.

voti ob dubiam intentionem, considerande sunt ejus verba, an significent propositum, vel promissionem. Si propriè hanc non significent, non valet votum, quod est promissio facta Deo.

Secunda: si eam significent dubiè, eò quòd etiam propriè possint significare propositum, valor, adeoque ipsum votum manet dubium, juxta conclusionem.

Tertia: si verba propriè significent solam promissionem, nec positivè constat de contrariâ intentione, etsi neque alio signo constet de intentione vovendi, votum habendum est certum, non dubium. Ratio est, quia tunc sola verba satis probant intentionem requisitam, adeoque valorem, & fundant probabilissimam ejus presumptionem utroque foro. Nemo enim dicere præsumitur, quod non sentit, l. *Labeo*, ff. de supellectil. legat. & facta non sunt in deteriorem partem interpretanda, cap. 2. de regulis Juris; explicaretur autem aliàs factum hoc in deteriorem partem: quia illa verba alio sensu, sine peccato proferri non potuerunt.

Atque hæc clara & certa sunt, si quis dixerit, Voveo: vel etiam vim voti intelligens: Promitto. Dubia tamen videntur, si ab impubere & simpliciore dictum fuerit, Promitto; quamvis pio motu, præsertim non addendo, Deo. Meritò enim tunc dubitari videtur, an eo verbo satis expresserit intentionem etiam implicitam se obligandi; idque graviter, quæ ad verum votum requiritur. Tum quia simplicioribus verbum Promitto idem videtur aliquando significare, quod Propono: tum quia ampliùs id significare potest obligationem levem ex solâ fidelitate, non gravem ex religione, ut etiam erga homines non semper significat obligationem ex justitiâ. quare salvo meliori judicio, videretur mihi votum ejusmodi sæpiùs judicandum dubium.

Quarta: si dubitetur de valore voti ob dubium usum rationis, ratione ætatis; non præsumitur sufficiens ante septennium; nisi moraliter certò probetur, scilicet, quantus requiritur ad peccandum mortaliter. Post septennium verò præsumitur, nisi eodem modo probetur insufficiens. Ratio afferri potest, quia Jus probabili ratione & experientiâ præsumit pueros circa septennium fieri rationis & doli capaces, ut reverà fiunt ordinariè: quare præsumptio hæc ut verisimilis probatio admittenda est utroque foro; nisi aliquo argumento reprobetur. Quia verò præsumptio cedit notæ veritati, si satis probetur usus rationis sufficiens ante septennium, habebitur votum certò validum; si verò probetur insufficiens, etsi post septennium, habebitur certò invalidum. 95.

Quinta: si dubitetur de usu rationis 96.

tionis ob impedimenta accidentalia, quæ illo privant semper cùm sunt, ut ebrietate, & somno; in illorum dubio non debet supponi, aut præsumi usus rationis, sed tam hîc votum erit dubium, quàm illa. Alia est ratio de aliis impedimentis, quæ non semper, sed aliquando illo privant, ut subitus motus, præcipitatio, & ira. Quare in eorum dubio præsumitur usus rationis, adeoque votum validum, nisi probetur contrarium. Quæ enim rariùs contingunt, ut ob illas passiones privatio sufficientis ad votum rationis, meritò non præsumuntur, nisi probentur.

Adverte hîc, etsi præsumptio hæc ut probabile argumentum admittenda sit utroque foro, aliam tamen probationem contra eam sufficere in foro conscientiæ, quàm externo.

97. Sextò, addit Suarez votum, de cujus materiâ dubitatur, sítne licita vel illicita, obligare ad prudentem sui obligationem, vel non transgressionem; ita ut, cùm dubitat practicè, an ea liceat nec ne, votum nec expleat, nec violet, sed inquirat rei veritatem. Quam si assequi non possit, petat dispensationem, ut de juramento docet D. Thomas 2.2. quæst. 89. art. 9. ad 3. & de voto Antoninus, Rosella, Navarrus ab ipso citati. Unde sequitur, juxta mentem Suarez, votum, de cujus materiâ non dubitatur, quin sit licita, sed an sit majus bonum, vel etiam moraliter possibilis, aut nimis incommoda, simpliciter obligare, atque habendum ut certum, non dubium.

Sed verius est, simpliciter loquendo, votum, cujus materia utrovis modo dubia est, habendum esse ut dubium, non certum, atque adeò juxta conclusionem nostram non obligare, nisi ut dubium. Quod dicit verissimum Salas cit. num. 255. *Votum cujus materia est dubia, habēdum ut dubium.*

Probatur, quia, si materia non sit possibilis, aut licita, imò majus bonum, quàm oppositum, tam certò nullum est votum, quàm si deesset intentio, vel libertas, seu usus rationis. Tam enim ad illud requiritur materia capax, quàm libera intentio: ergo necessariò, si materia sit dubia, dubium est votum, æquè ac si dubia esset intentio, vel usus rationis: quia utrovis modo verè dubius est ejus valor.

Quare non refert, quòd constet de animo seu conatu se obligandi: quia etiam in voto indeliberato de illo constat, tantumque dubitatur de libertate; nec tamen ideò constat de voto & obligatione: quamdiu autem de hac non constat, melior manet conditio possidentis libertatem suam.

Nec refert, quòd ejusmodi votum possit dici habere vim conditionati certi, si materia sit voti capax, adeoque videatur consulendus Deus, aut ejus vicarius, ut veritatem declaret, vel dispenset: quia 98.

simili

ſimili ratione potero dicere, quòd ſit quodammodo conditionatè certum votum, cujus dubia eſt libertas; quia certò obligat, ſi adfuerit libertas: quare ergo ibi non hîc recurrendum ad Deum, ejuſque Vicarium? utroque enim caſu æquale reverà dubium eſt de Dei acceptatione. Si enim valeat utrobique votum, certò Deus acceptat: aliàs non. Quare omnibus conſideratis, ejuſmodi votum manet, & dijudicandum eſt tamquam dubium: quale etiam reverà eſt conditionatum, quamdiu dubitatur an expleta ſit, vel ſubſiſtat conditio, ut hîc fit.

Nō magis petenda diſpēſatio dubii voti ratione materiæ quàm aliunde. Quòd autem juxta D. Thomam citat. alioſque debeat, vel expediat peti diſpenſationem ab Epiſcopo juramenti ac voti dubii ratione materiæ; eâdem omnino ratione extendendum eſt ad dubium quocumque ex capite. & confirmat ſententiam noſtram, quòd votum dubium non ſit habendum tamquam nullum. Similiter cap. *Cùm deſideres*, de ſent. excom. citato num. 70. ſupponitur petenda abſolutio à dubiâ excommunicatione. Similiter explicari poſſet cap. *Variabilem*, de electione, §. *Idem*, *Non valet*, ait Pontifex, *ad plenā excuſationem ipſius, ſi juramentum illud dicatur illicitum, cùm nihilominus ſuper eo nos priùs conſulere debuiſſet, quàm contra ipſum propriâ auctoritate venire*. Verùm ibi non agitur de diſpenſatione, ſed judicio an juramentum eſſet licitum, quod Pontifex circa electionem Imperatoris definit ad ſe pertinere, ut patet ex illis verbis & ſequentibus. Unde tantùm ſequitur, cùm de materiâ voti & juramenti dubitatur an ſit licita, vel expediens, debere conſuli eos qui de eâ judicare poſſint. Quod ante omnia faciendum jam antè dictum eſt.

Ultimò, benè concludit Suarez, quando votum eſt certum omni ex parte, ſolumque inciditur in dubium, ſcilicet, ſtrictum an fuerit impletum, nec ne; tunc ſi non poteſt quis, ſaltem probabiliter, judicare ſe impleviſſe votum, teneri illud ſervare: quia debitum eſt certum, & ideò quamdiu ſolutio eſt incerta, jus poſſeſſionis favet creditori Deo: quæ ipſa ejus verba planè conveniunt cum dictis cap. 3. num. 26. Quòd ſi ergo probabiliter poſſit judicare ſe impleviſſe, eſt votum dubium, & in ſententiâ Suarez ad nil, in noſtrâ obligat juxta moderationem concluſ. primæ. Eadem eſt ratio, ſi dubitetur, an materia voti antè poſſibilis, jam facta ſit moraliter impoſſibilis. 99. *Votū certum explendūeſt, etſi ſtrictè dubites an expletum.*

CAPUT XI.

Quid si dubitetur an expletum sit tempus pubertatis, vel jejunii, v. g. an sonuerit hora duodecima?

100. SUppono hîc generatim omnia vota irritari posse ab iis quibus voventes subditi sunt, vel simpliciter, vel quoad materiam voti, adeoque patrem, ut & tutorem, posse irritare vota etiam personalia pupillorum, seu impuberum, ante annum duodecimum, si femina; vel decimum quartum, si sit mas; & patrem, ut & curatorem, posse irritare vota realia minorennium ante annum ætatis vigesimum quintum.

Quo posito, prima hîc quæstio est, an in dubio, num quis sit pubes vel impubes, seu expleverit annum decimum quartum vel duodecimum; vel num sit majorennis, vel minorennis, seu expleverit annum vigesimum quintum, parens possit irritare in priori dubio etiam personalia, in posteriori realia vota?

In dubio an sis pubes vel impubes, majorēnis vel minorennis, parens potest irritare tua vota. Dico Primò & Respondeo affirmativè, cum Sanchez de Matr. libr.2.disp.41. num.39. & Suarez cit.num.1. Ratio est, tum quia parens est in possessione potestatis patriæ, nominatim irritandi filii vota; adeò ut D.Thomas 2.2.q.88. art.8. dicat eum vovere de re alienâ: quia etiam actiones ejus, præsertim impuberis, patris censentur: ergo in dubio eâ non debet spoliari. tum quia potestas illa irritandi est favorabilis, ideoque in dubio extendenda. Expedit enim ipsis voventibus, & divino cultui, ejusmodi vota, quæ facilè violari solent, irritari posse. Quare exemptio ab ejusmodi potestate, tamquam odiosa, est restringenda.

Ex quibus colligitur differentia aliqua inter potestatem irritandi, ac irritationem; & potestatem dispensandi, & dispensationem: quòd non tantùm potestas, sed & actio irritandi favorabilis sit, adeoque in dubio utraque admittenda: quod ipsum verum est de potestate dispensandi ob communem rationem, quòd expediat urgentibus casibus illam non deesse. At verò dispensatio tamquam vulnus juris restringenda est, ideoque in dubio non admittenda. Quod item applicari potest potestati, & actui dispensandi in votis puberum ac majorennium, nimirum hunc in dubio non admittendum, illam verò admittendam. 101. *Potestas irritandi ut & dispensandi, & irritatio in dubio admittēda, secùs quàm dispensatio.*

Quod autem dictum est de potestate patris erga filium, eâdem ferè ratione dicendum de potestate tutoris erga pupillum, curatoris erga minorennem. Quare hic potest irritare vota hujus realia, ille illius etiam personalia.

Dices: Si quis dubitet an sonuerit hora duodecima noctis, non potest tunc comedere; si præterita fuit, 102.

fuit, vel sequens dies erit jejunii, sive ex præcepto universali Ecclesiastico, sive etiam privato voto: ergo similiter parens, qui dubitat an sit elapsus annus filii decimus quartus, non poterit tunc irritare ejus vota. Quia ut jure positivo terminus comedendi statutus est hora duodecima; ita irritandi annus decimus quartus. Atque hæc est secunda quæstio hujus capitis. Antecedens ex doctrinâ Sanchez cit.num. 40. esset distinguendum, concedendo si dies præterita fuit jejunii; negando, si sequens. Ratio disparitatis affertur, quòd priori casu præceptum jejunandi sit in possessione, posteriori verò dubitans sit in possessione libertatis suæ.

Sed multò conformiùs rationi & Christi fidelium sensui videtur paritas in utroque casu, cùm agatur de eodem jejunandi præcepto, æquè utroque die obligante, & æquè periclitante, ne violetur. Nec valet ratio disparitatis, quia, ut antè dixi, præcepto verè non competit possessio, ejusque privilegium.

Præterea in dubio an sonuerit hora duodecima, est etiam dubium, an sequentis diei præceptum obliget, adeoque sit in possessione, cùm præsertim præceptum hoc non se extendat erga unum, sed omnes. Itaque post publicum illud signum præsumptio, quam Sanchez dicit esse signum possessionis, staret pro præcepto sequentis diei. Cùm enim constet illud jam obligare, illoque signo quasi publicatum esse, meritò omnes præsumentur eo obligari, nisi quis probet se exemptum. Similiter etsi præterito tantùm die fuisset jejunandum, hoc præceptum publico illo signo quasi revocatur, & cessat cum ultimâ horâ diei, cui adstrictum fuit: ergo postea nulla stat pro eo præsumptio, aut possessio. Cùm itaque dubitatur de signo illo horâque sítne audita, dubitatur item de præsumptione, & quali quali possessione. Quas rationes clarum est non valere de potestate patris erga filium, cùm præsertim ea se extendat erga illum, ejusque actiones, ut res proprias, ut dixi ex D.Thomâ, idque jure quodam naturali, quod limitatum fuit cum termino illo præfixo annorum: qui proinde restringendus est. At verò ipsum præceptum jejunii est quædam limitatio juris & libertatis naturalis. Quare ipsum restringendum est, & ampliandus ac latè potiùs interpretandus ejus terminus, seu finis. Præterea, quamvis etiam sit aliqua hora ultima anni decimi quarti, constat tamen nullam publicè significare finem potestatis patriæ: sicut etiam præcisè loquendo ea non cœpit, cùm sonuit aliqua hora, sed cùm filius natus fuit.

Dico ergo Secundò & respondeo, concedendo antecedens pro utroque casu, sicut ordinariè contingit: 103. *In dubio an sonuerit hora duodeci-*

ma, debes jejunare si potes absque notabili incõmodo, sive præcedens sive sequẽs dies sit jejunii.

tingit: quia vel facilè poteſt inquiri veritas an hora ſonuerit, vel abſque notabili incommodo tũc abſtineri à cibo. Quòd ſi tamen manente dubio id alicui incommodum eſſet; quia, v.g. ſub medium noctis domum rediret,& ſequenti die eſſet jejunandum, vel celebrandum Sacrum,poſſet comedere. Quia eâ moderatione in dubio tutior pars eſt ſequenda, ut jam ſæpiùs dixi. In utrovis autem caſu propoſito verè eſt dubia obligatio jejunandi.

Ubi adverte aliquam differentiam inter dubitantem de obligatione jejunandi, & parentem dubitantem de ceſſatione patriæ ſuæ poteſtatis; quòd hic eam totam exercere poſſit nullâ habitâ ratione incommodi: quia ea eſt materia juſtitiæ,in quâ univerſaliter valet privilegium poſſeſſionis, ſecùs quàm in materiâ aliarum virtutum, ac in caſu noſtro temperantiæ, ut dixi cap.5. in quâ & dubio melior eſt,ſed dictâ moderatione, conditio poſſidentis libertatem ſuam.

104. *Dubius an audita duodecima cùm bibit, non poteſt ſequenti die communicare.*

Ex quibus collige à pari, dubium an audita fuit duodecima cùm bibit,vel comedit; eademque eſt ratio,ſi dubitet, v.g. an manè os eluens aliquid deglutierit per modum potûs, vel tantùm per modum ſalivæ; non poſſe ſequenti die communicare vel celebrare, niſi id omittere non poſſet abſque incommodo notabili: quod gravius deberet eſſe ad juſtificandam refectionem illam ſpiritualem, quàm in caſu ſuperiori corporalem, eò quòd gravior ſit obligatio jejunii naturalis ante communionem, quàm Eccleſiaſtici diebus jejuniorum. Crediderim tamen ſufficiens incommodum eſſe ad juſtificandam eo dubio communionem, quòd aliàs elaberetur occaſio lucrandi plenariam Indulgentiam, quæ eo die communionem exigat, ſi præſertim jam eo fine præmiſſa ſit confeſſio. Sanchez dicit abſolutè eum non poſſe communicare: quia non eſt poſſeſſio ex parte illius, ſed præcepti communicandi ſervato jejunio naturali. Verùm, cur ex parte illius non eſt poſſeſſio libertatis, quâ in dubio ſpoliari non debeat,aut cur illi prævaleat poſſeſſio præcepti ſaltem impropriiſſima? Certè in ſententiâ Sanchez aliorumque, quòd in dubio tutior via ſit eligenda tantùm ex conſilio, conſequenter dicendum videtur in hoc caſu abſolutè, dubium poſſe communicare; & in utroque caſu ſuperiori comedere: quod etiam de communione tamquam verius, atque in praxi uſurpandum docent aliqui recentiores, & ſaltem eſt probabile. 105.

Addit Sanchez,ita dubitantem, ut rationes probabiles efficiant aſſenſum opinativum, quòd duodecima non ſonuerit, licet cum formidine oppoſitæ partis,poſſe communi-

municare die sequenti. Quod Salas rejicit tamquam omninò falsum; sed immeritò: quia non est ratio, cur non liceat sequi opinionem illam probabilem, tam in dicto casu communicando, quàm in aliis, ut fatetur Salas, comedendo etiam carnes, etsi sequens dies esset jejunii. Quòd enim unum præceptum graviùs obliget altero, non impedit, quo minùs in ejus quoque materiâ liceat sequi sententiam probabilem.

106. *Licet sequi diversa horologia, ut diversas opiniones probabiles.*

Secundò, bene etiam addit sequens Medinam & Vegam, licere sequi diversa horologia tamquam diversas opiniones probabiles, atque adeò si reliqua horologia sonuerint, uno excepto, licere comedere etiam carnes, etsi præterito die fuerit jejunandum, scilicet juxta horologia, quæ sonuerunt; aut etsi sequenti die sit jejunandum, vel etiam communicandum, scilicet juxta horologium, quod needum sonuit.

107. Tertiò, rectè docet idem Sanchez, ut fatetur Salas, si quis biberet audito sono duodecimæ unici, vel ultimò sonantis horologii, etsi desineret ante ultimum ictum, non posse sequenti die communicare; quòd cùm primò hora sonet, jam sit expleta; etsi unico sono duodecima significari non possit, ut prima. Quod tamen intelligendum de primo sono post præludium, ubi hoc fuerit, quod needum inchoat, sed tantùm præludit horæ sequenti. Probabile tamen videtur horam duodecimam durare moraliter usque ad ultimum sonum, adeoque interim bibentem, vel etiam comedentem non violare jejunium, vel naturale, vel Ecclesiasticum sequentis diei. Tam diu enim videtur durare, quàm diu auditur.

CAPUT XII.

An conjunx dubius de valore matrimonii possit petere, ac teneatur reddere debitum?

Status hujus quæstionis est, an in hâc materiâ possint esse difformia judicium speculativum & practicum; seu, an non obstante dubio speculativo de valore matrimonii, possit formari judicium practicum de ejus usu hîc & nunc licito, seu necessario, petitione ac redditione debiti; idque ratione possessionis ac matrimonii rati, ac consummati. 108.

Quatuor eâ de re sunt sententiæ. Prima, conjugem dubium nec reddere posse, nec petere: hæc fuit aliquorum antiquorum, Adriani, Altisiodorensis, & quorumdam aliorum.

Secunda, posse petere, & teneri reddere. Ita Vega, Angles, aliique.

Tertia, non posse petere, sed teneri reddere. Quæ videtur communior antiquiorũ, D. Antonini, Conradi, Paludani, Sylvestri, Ar-

Unde item colligitur, conjugi dubio minùs malum, scilicet materiale, adeoque tutius esse reddere, quàm non reddere: quamvis enim reddendo se exponat periculo materialis adulterii, non reddendo tamen exponit se certiori periculo injustitiæ, ob majus certiusque jus uxoris bonâ fide possidentis, & petentis sibi debitum.

112. *Conjunx negativè dubius potest etiam petere debitum, si præcessit bona fides & examē.* Dico Secundò: Conjunx dubius negativè ac strictè de valore matrimonii bonâ fide initi, post sufficiēs examen veritatis, potest etiam petere debitum. Est auctorum quartæ sententiæ, & D. Thomæ citandi sequ. conclusione. Quam è recentioribus præter Sanchez sequitur etiam Salas sect. 22. saltem ut probabiliorem, Malderus saltem ut valdè probabilem 1.2. disp. 87. sub finem conclus. nonæ, Coninck ut absolutè veram de matrimonio disp. 38. dub. 10. concl. 4. Quare videtur hæc communior recentiorum.

Probatur Primò, ex Jure Canon. cap. *Laudabilem*, de frigidis ac malef. quo statuitur dubitantes de impotentiâ, impedimento dirimente, adeoque de valore matrimonii, post hoc initum posse triennio experiri copulam, scilicet petendo liberè debitum: ergo in dubio valoris matrimonii, hoc non est illicitum. Quod confirmatur ex motu quodam proprio Pii V. quo permittit Indos conversos ad fidem manere cum posterioribus conjugibus, etsi dubios de obitu priorum. Quamvis enim probabiliter Pontifex id statuerit nixus etiam ratione cap. *Gaudemus*, de divortiis, quòd priores conjuges fugissent jam conversos; proindeque viderentur nolle cum iis cohabitare, saltem absque cōtumeliâ Creatoris: quo casu dissolvitur contractus cum illis matrimonii. Neque tamen constat, Pontificem solâ illâ ratione motum fuisse: & plenior erit ejus definitio, si valeat, etsi illa ratio locum non habeat ob aliam rationem cōclusionis. Contraria sententia innititur, ut antè dixi, cap. *Dominus*, quod jam explicui præced. conclusione, & cap. *Inquisitioni*, quod explicabo sequenti, ita ut huic nil officiat. Quare non videtur mihi illa adeò probabilis; cùm & plures Doctores pro eâ citati explicari possint juxta sequ. conclusionem, ut jam ostendam de D. Thomâ; & videantur clarè niti debili fundamento, id est, capitulis illis non benè intellectis.

Probatur Secundò: quia, ut sæpiùs dictum est, in dubio non est sub peccato ac præcepto eligenda via tutior, notabili cum incommodo: atqui non tantùm notabile, sed & gravissimum incommodum, imò spectatâ humanâ fragilitate moraliter impossibile videtur marito valenti, & cum uxore conjuncto eodem tecto & lecto, numquam posse petere debitum:

ergo

ergo in dubio ad illud non tenetur.

Confirmatur: quia multò majus evaderet illud onus, atque etjam peccandi periculum, si etiam uxor dubitaret, v. g. ob dubitationem mariti, ipsi revelatam. Nec ipsa enim tunc posset petere, adeoque neutri umquam licitus esset usus matrimonii: sed uterque deberet in statu matrimonii ducere vitam cœlibem.

Cessat hæc ratio onusque in casu præcedentis conclusionis: quo alterutri, vel etiam utrique, conjugi ordinariè non est tam molestum abstinere tantisper à petendo debito, donec examinetur rei veritas.

113. Probatur Tertiò, quia, ut ostendi cap. 4. possessor bonæ fidei post examen veritatis, rem dubiam non tantùm potest retinere & uti, sed & consumere: ergo à fortiori conjux bonæ fidei potest uti matrimonio etsi dubio, & uxore, etjam petendo debitum.

Hoc argumentum variis modis conantur adversarii solvere: sed nullo efficaciter. Primò, dicunt aliqui privilegium illud non extendi extra materiam justitiæ. Sed nec hoc est verum, ut ostendi cap. 5. nec facit ad rem nostram, quâ item agitur de jure, ac materiâ justitiæ: quia conjugi bonæ fidei fieret verè injuria, si ab uxore aliâque spoliaretur possessione, usuque matrimonii.

Alii ergo respondent, rationem disparitatis esse, tum quòd damnum quale incurritur accedendo ad non suam, reparari non possit, tum quòd id nullâ potestate ac dispensatione possit reddi licitum, secùs quàm contingit, v. g. in usu ac consumptione pallii alieni. Sed hoc non magis probat, illicitam esse petitionem, quàm redditionem debiti: quia de utrâque æquè valet utraque illa ratio, cùm non minus sit periculum accedendi ad non suam reddendo, quàm petendo debitum. Ratio ulterior est, quia bonâ fide post examen dubitans, ne quidem tenetur abstinere à re aliàs intrinsecè malâ notabili suo incommodo. censetur enim illam invincibiliter ignorare. Quare non tantùm potest, sed tenetur aliquando quis conscientiâ invincibili & erroneâ mentiri, quod aliàs nullâ Dei dispensatione, aut mutatione potest reddi licitum: secùs quàm in casu nostro accessus ad non suam. Nam absolutè posset Deus etiam dominium illud corporum, ut v. g. pallii, in alios transferre. 114.

Dico Tertiò: Dubius positivè ac opinativè, seu credens probabiliter nullum esse matrimonium, quamvis bonâ fide initum, & post examen, non potest petere debitum; etsi possit, adeoque teneatur reddere. Hæc est à fortiori Auctorum tertiæ sententiæ: imò videtur reverà communis, tum antiquo- 115.

Dubius positivè non potest petere, sed tenetur reddere debitum.

millæ, Cordubæ, Navarri, Covarr. &c. quos è recentioribus citat & sequitur Vasquez disp. 66. cap. 2. Citatur etiam pro eâ D. Thomas, qui tamen potiùs contrarium docet, ut ostendam conclus. tertiâ.

Quarta, ante sufficientem inquisitionem veritatis debere reddere, non posse petere. Est Soti, Ledesmæ, Veracrucii, Lopez, Henriquez, Bañez. Sanchez de Matrim. libr. 2. disp. 41. à num. 43. refert has sententias, citatque pro singulis Doctores nominatos, aliosque, & num. 47. subjicit sententiam ac judicium de illis suum, quòd duæ priores sint improbabiles: quod de primâ censet etiam Salas sect. 20. initio: de secundâ autem intelligi debet amplè sumptâ, sive facta sit inquisitio, sive non; sive possessio sit bonæ, sive malæ fidei. Tertia, addit Sanchez, est valdè probabilis; quarta autem ceteris probabilior.

109. Nota Primò, primam sententiam inniti intrinsecæ turpitudini, & malitiæ sitæ in accessu ad non suam, si matrimonium nullum sit. Secundam privilegio possessionis, quo in dubio conjuges non videntur spoliandi. Tertiam potissimùm cap. *Dominus*, de secundis nuptiis, & c. *Inquisitioni*, de sentent. excommunic. quibus illa videtur definita. Quarta jus hoc positivum moderatur, juxta naturale jus ac privilegium possessionis.

Nota Secundò, in dubio juxta communem Doctorum sententiam præsumptionem stare pro matrimonio contracto in facie Ecclesiæ coram Parocho & testibus; contra clandestinum initum absente Parocho ejúsve Vicario. Quâ ratione non sunt separandi à secundis conjugibus, quibus ritu Catholico juncti sunt, etsi aliis antè juncti fuerint ritu hæretico iis locis, quibus dubium fuit an potuerit haberi Parochus: qualia videntur varia loca Hollandiæ & Zelandiæ. Quòd si constaret Parochum haberi non potuisse, censendum esset validum prius matrimonium, etsi promulgatum ibi sit Tridentinum irritans matrimonia clandestina. Quod, ut varii testantur, declaravit Congregatio Cardinalium, imò ipse Pontifex, licèt aliàs videretur dicendum contrarium.

Suppono hîc etiam ante omnia diligenter inquirendam rei veritatem, v. g. an verè subsit impedimentum dirimens, an vivat prior conjunx. Addo juxta cap. *Dominus*, cit. & cap. *In præsentiâ*, de sponsalib. ac communem Doctorum sententiam, nisi sit moraliter certum, quod ex circumstantiis prudenter judicari debet, priorem conjugem obiisse, non licere utrovis foro secundum matrimonium.

Hîc etiam ante omnia inquirenda rei veritas.

Suppono Secundò, ad possessionem privilegiatam requiri bonam fidem, quâ, v. g. matrimonium initum sit absque conscientiâ impedimenti, & cum persua-

sione

110 *Conjux quemod cumque dubius matrimonio ma fide in. vel ant examen potest p. tere, se tenetur reddere debitum*

fione mortis prioris conjugis.

Tertiò, distinguendũ item inter dubium strictè & negativè sumptum, & latè ac positivè, atque inter opinionem cum formidine de opposito, & scientiam sine eâ formidine cum morali certitudine.

110. Dico Primò: Conjunx sive negativè sive positivè dubius de valore matrimonii, vel malâ fide initi, vel non factâ inquisitione veritatis, non potest petere debitum, sed tenetur reddere. Est auctorum ultimæ & penultimæ sententiæ, ac certa.

Conjunx quomodocumque dubius de matrimonio malâ fide inito, vel ante examen nõ facti petere, sed tenetur reddere debitum.

Probatur Primò, ex cap. *Dominus*, cit. quo Pontifex clarè id statuit, scribens universis Christianis in captivitate Saracenorum constitutis: unde constat eum non agere, ut aliqui putarunt, de foro tantùm externo, quo ejusmodi illorum causæ non agebantur, sed etiam conscientiæ. *Si verò*, inquit, *aliquis de morte prioris conjugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei quæ sibi nupsit debitum non deneget postulanti: quod à se tamen noverit nullatenus exigendum*. Vox *adhuc*, clarè indicat, quod aliis item verbis in casu proposito supponitur, agi de illo qui ab initio matrimonii dubitavit, nec habuit certitudinem mortis prioris conjugis; adeoque secundam duxit malâ fide, quia, ut jam dixi, secundam ducere non potuit, nisi certus de morte primæ. Cujus ratio est, quòd meritò plus in casu nostro major certitudo requiratur ad inchoandam, quàm continuandam possessionem. Ceterùm verba clara sunt.

Probatur Secundò, ratione: quia privilegium possessionis universaliter, ut dixi, non valet in dubio de rei retentione, liberoque usu, nisi illa nixa fuerit bonâ fide, & factum examen veritatis: ergo nec conjunx absque bonâ fide, & sufficienti examine poterit uti dubio matrimonio, aut conjuge ut suâ, exigendo ab eâ debitum privilegio possessionis. Cùm ergo ob rationes universales aliunde in hac etiam materiâ tutior pars eligenda sit, non potest ipse periculo se exponere adulterii, si fortè vivat prior conjux, exigendo debitum; sed debet sequi partem tutiorem, non exigendo, in quo nullum est periculum. Non valet hæc ratio de uxore, sed contraria: quæ, ut supponitur, bonâ fide perseverat in possessione juris conjugalis. Ergo eo licitè utitur petendo debitum, adeoque maritus faceret illi injuriam illud negando. 111.

Confirmatur: quia petere debitum, est cujusdam dominii, & voluntarius usus matrimonii; reddere verò, potiùs est servitutis, nec usus, nisi necessarius ad libitum alterius. Itaque mirum non est, si conjux dubius casu conclusionis possit, imò teneatur reddere, ut serviat ac satisfaciat juri ac petitioni alterius, non autem ipse possit petere.

Petere debitum est cujusdam dominii, reddere servitutis.

Unde

Unde item colligitur, conjugi dubio minùs malum, scilicet materiale, adeoque tutius esse reddere, quàm non reddere: quamvis enim reddendo se exponat periculo materialis adulterii, non reddendo tamen exponit se certiori periculo injustitiæ, ob majus certiusque jus uxoris bonâ fide possidentis, & petentis sibi debitum.

112. *Conjunx negativè dubius potest etiam petere debitum, si præcessit bona fides & examē.*

Dico Secundò: Conjunx dubius negativè ac strictè de valore matrimonii bonâ fide initi, post sufficiēs examen veritatis, potest etiam petere debitum. Est auctorum quartæ sententiæ, & D. Thomæ citandi sequ. conclusione. Quam è recentioribus præter Sanchez sequitur etiam Salas sect. 22. saltem ut probabiliorem, Malderus saltem ut valdè probabilem 1.2. disp. 87. sub finem conclus. nonæ, Coninck ut absolutè veram de matrimonio disp. 38. dub. 10. concl. 4. Quare videtur hæc communior recentiorum.

Probatur Primò, ex Jure Canon. cap. *Laudabilem*, de frigidis ac malef. quo statuitur dubitantes de impotentiâ, impedimento dirimente, adeoque de valore matrimonii, post hoc initum posse triennio experiri copulam, scilicet petendo liberè debitum: ergo in dubio valoris matrimonii, hoc non est illicitum. Quod confirmatur ex motu quodam proprio Pii V. quo permittit Indos conversos ad fidem manere cum posterioribus conjugibus, etsi dubios de obitu priorum. Quamvis enim probabiliter Pontifex id statuerit nixus etjam ratione cap. *Gaudemus*, de divortiis, quòd priores conjuges fugissent jam conversos; proindeque viderentur nolle cum iis cohabitare, saltem absque cōtumeliâ Creatoris: quo casu dissolvitur contractus cum illis matrimonii. Neque tamen constat, Pontificem solâ illâ ratione motum fuisse: & plenior erit ejus definitio, si valeat, etsi illa ratio locum non habeat ob aliam rationem cōclusionis. Contraria sententia innititur, ut antè dixi, cap. *Dominus*, quod jam explicui præced. conclusione, & cap. *Inquisitioni*, quod explicabo sequenti, ita ut huic nil officiat. Quare non videtur mihi illa adeò probabilis; cùm & plures Doctores pro eâ citati explicari possint juxta sequ. conclusionem, ut jam ostendam de D. Thomâ; & videantur clarè niti debili fundamento, id est, capitulis illis non bene intellectis.

Probatur Secundò: quia, ut sæpiùs dictum est, in dubio non est sub peccato ac præcepto eligenda via tutior, notabili cum incommodo: atqui non tantùm notabile, sed & gravissimum incommodum, imò spectatâ humanâ fragilitate moraliter impossibile videtur marito valenti, & cum uxore conjuncto eodem tecto & lecto, numquam posse petere debitum: ergo

ergo in dubio ad illud non tenetur.

Confirmatur: quia multò majus evaderet illud onus, atque etjam peccandi periculum, si etiam uxor dubitaret, v. g. ob dubitationem mariti, ipsi revelatam. Nec ipsa enim tunc posset petere, adeoque neutri umquam licitus esset usus matrimonii: sed uterque deberet in statu matrimonii ducere vitam cœlibem.

Cessat hæc ratio omnisque in casu præcedentis conclusionis: quo alterutri, vel etiam utrique, conjugi ordinariè non est tam molestum abstinere tantisper à petendo debito, donec examinetur rei veritas.

113. Probatur Tertiò, quia, ut ostendi cap. 4. possessor bonæ fidei post examen veritatis, rem dubiam non tantùm potest retinere & uti, sed & consumere: ergo à fortiori conjux bonæ fidei potest uti matrimonio etsi dubio, & uxore, etjam petendo debitum.

Hoc argumentum variis modis conantur adversarii solvere: sed nullo efficaciter. Primò, dicunt aliqui privilegium illud non extendi extra materiam justitiæ. Sed nec hoc est verum, ut ostendi cap. 5. nec facit ad rem nostram, quâ item agitur de jure, ac materiâ justitiæ: quia conjugi bonæ fidei fieret verè injuria, si ab uxore aliâque spoliaretur possessione, usuque matrimonii.

Alii ergo respondent, rationem disparitatis esse, tum quòd damnum quale incurritur accedendo ad non suam, reparari non possit, tum quòd id nullâ potestate ac dispensatione possit reddi licitum, secùs quàm contingit, v. g. in usu ac consumptione pallii alieni. Sed hoc non magis probat, illicitam esse petitionem, quàm redditionem debiti: quia de utrâque æquè valet utraque illa ratio, cùm non minus sit periculum accedendi ad non suam reddendo, quàm petendo debitum. Ratio ulterior est, quia bonâ fide post examen dubitans, ne quidem tenetur abstinere à re aliàs intrinsecè malâ notabili suo incommodo. censetur enim illam invincibiliter ignorare. Quare non tantùm potest, sed tenetur aliquando quis conscientiâ invincibili & erroneâ mentiri, quod aliàs nullâ Dei dispensatione, aut mutatione potest reddi licitum: secùs quàm in casu nostro accessus ad non suam. Nam absolutè posset Deus etiam dominium illud corporum, ut v. g. pallii, in alios transferre. 114.

Dico Tertiò: Dubius positivè ac opinativè, seu credens probabiliter nullum esse matrimonium, quamvis bonâ fide initum, & post examen, non potest petere debitum; etsi possit, adeoque teneatur reddere. Hæc est à fortiori Auctorum tertiæ sententiæ: imò videtur reverà communis, tum antiquo- 115. *Dubius positivè non potest petere, sed tenetur reddere debitum.*

rum, tum recentiorum: è quibus eam expresè docent & plurimos pro eâ citāt Sanchez lib. 2. de Matr. disp. 44. & Salas sect. 22. num. 219. Eamdem clarè docet D. Thomas in 4. dist. 41. quæst. unicâ, art. 5. quęstiunc. 1. ad 3. Verba sunt: *Aut habet certam scientiam de impedimento matrimonii, aut opinionem, aut neutrum.* Si primo modo, nec exigere, nec reddere debitum debet: si secundo, debet reddere, sed non exigere: si tertio, potest & reddere & exigere. Quorum primus modus est extra controversiam; secundus modus idem omnino est cum hac conclusione; tertius non differt, vel saltem complectitur conclusioně præcedentem. Strictè enim ac suspensivè dubius, verè neutrum habet, nec scientiam, nec opinionem. Itaque etiam juxta D. Thomam potest & reddere & exigere. Neque aliud, sed idem omnino docet dist. 38. in exposit. textûs sub finem, ubi agit quidem de dubitatione, sed, ut expresè addit, probabili, adeoque opinativâ, non suspensivâ. Quare immeritò citatur pro quartâ sententiâ de dubio stricto, ut & D. Bonaventura ibidem, qui idem docet.

Probatur jam conclusio efficaciter ex cap. illo, *Inquisitioni*, de sentent. excommunic. quo Pontifex primò, distinguit, an alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii, vel tantùm credat. Priori casu dicit eum excommunicationis sententiam debere sustinere potiùs, quàm uti matrimonio. Posteriorem casum, seu credulitatem, iterum distinguit, an sit levis, & temeraria; vel probabilis, & discreta. Priori casu definit, posse non solùm exigere debitum; sed & petere. Addit: *Ad Pastoris consilium*, non quòd sit necessarium, sed communiter tutius ad pacandam conscientiam, stare judicio alterius. Posteriori autem casu, *Cùm*, inquit Pontifex, *conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discretâ, quamvis non evidenti, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet*, planè juxta conclusionem.

116. Ex quibus apparet Primò, non agi hîc de foro tantùm externo, sed etiam conscientiæ; *Cùm conscientia*, ait, *pulsat animum*; Secundò, non agi hîc de dubio stricto, cùm ne quidem ullius dubitationis toto cap. fiat mentio: adeò ut mirum videri possit, Doctores etiam nobiscum aliàs sentientes de eo capitulum hoc intellexisse, & propter illud in tam diversas sententias abiisse. Credulitas, eaque non quævis, sed probabilis & discreta, nec est, nec indicat; sed necessariò excludit dubium strictum, & suspensivum. Apparet tamen Secundò, verisimilius, non agi de illâ saltem tantùm ante factum examen veritatis, ut putant Auctores quartæ sententiæ; sed etiam, idque potissimùm

Credulitas non consistit cum dubio stricto.

mùm post illud: quia ante minùs propriè dicitur credulitas discreta, & probabilis. Saltem nulla est ratio excludendi credulitatem manentem post examen, quam verba potiùs significant: quamvis aliàs quoad conclusionem, perinde sit sive præcedat, sive sequatur dictum examen. Quibus conformia docet August. libr. de Fide & operib. cap.7. & refertur 34. quæst.2. cap. *Si virgo nupserit nesciens viro alieno, hoc si semper nesciat, numquid ex hoc adultera erit? si autem sciat, jam ex hoc adultera esse incipit*. *Sciat*, id est, moraliter certò: ergo si tantùm probabiliter, vel etiam probabiliùs credat, non erit adultera, si debitum reddat juxta alteram conclusionis partem.

117. Probatur Secundò, ratione: quia, ut constat ex dictis cap.3. sic credenti matrimonium esse nullum, non competit privilegium possessionis: quod tantùm juxta regulam Juris valet in dubio ac pari causâ: hîc autem nec est propriè dubium, nec par causa. Quia probabiliter credit matrimonium nullum; non autem credit probabiliter validum, ut supponitur casu conclusionis, atque etiam cap. *Inquisitioni*.

Unde apparet latum discrimen inter hunc casum, & conclusionis præcedentis, seu dubium positivum ac opinativum, & negativum ac strictum. Quia tamen non est moraliter certus de impedimento ac nullitate matrimonii, juxta D.Thomam, & capp. citata, debet reddere debitum, quod, ut dixi num. 111. non tam est privilegii quàm servitutis, ut satisfiat juri ac privilegio alterius conjugis, bonæ, ut supponitur, fidei possessoris.

Confirmatur: quia, sicut docet Sanchez & Salas citati, ut possim alium suâ possessione spoliare, oportet me certum esse rem non esse ipsius; & ita universi, ait Sanchez, Doctores, ut licita sit compensatio, petunt certitudinem debiti: ergo in casu nostro alter conjux non potest spoliari possessione, liberoque usu matrimonii, nisi certum sit illud nullum esse.

Adverte, quia neuter conjunx habet jus utendi matrimonio bimestri post illud initum, si nolit alteruter, quòd illud tempus datum sit deliberationi de ingressu Religionis, cap. *Ex publico*, de convers. conjugat. credentem probabiliter id nullum esse, tunc ne posse quidem debitum reddere, quia alter tunc non habet jus petendi. Quòd si ne quidem post bimestre veritas deprehendi posit, deberet alterum monere, & tantisper differre matrimonii consummationem, donec illa constaret. Ob eamdem rationem idem dicendum esset, si constaret alterum incidisse in adulterium: quia hoc etiam privat adulterum jure petendi debitum.

Neuter cõjux habet jus utendi matrimonio bimestri post illud initum.

Sed quid si, ut probabiliter credit matrimonium nullum, ita etiã 118.

ob aliam rationem probabilem credat validum?

Conjunx probabiliter putans validum matrimonium, potest reddere, & petere debitum. Respondeo cum Sanchez citat. num. 4. sequente & citante Martinum & Petrum Ledesmam, posse reddere & petere: quia licet sequi utramvis opinionem probabilem, & quia tunc est par causa & dubium, licet opinativum. Itaque manet in privilegio possessionis, liberoque usu matrimonii. Imò juxta dicta cap. illo 3. id verum esset, etsi probabiliùs crederet matrimonium esse nullum.

Salas tamen contrarium dicit certum & clarum, quòd ad petendum Doctores & capp. citata requirant certitudinem. Sed immeritò: nam, ut docet etiam Salas, & jam ostendi, etiam in dubio stricto licet petere: in quo tamen clarum est non esse certitudinem. Quia ut quis maneat in privilegio possessionis, juxta communem Doctorum sententiam, & regulam Juris, non requiritur certitudo, sed sufficit par moraliter dubium & causa. Nec obstant capp. citata: quia cap. *Dominus*, agit de conjuge & possessore malæ fidei, quem verum est non posse petere, nisi certum de valore matrimonii: eò quòd careat dicto privilegio. Cap. autem *Inquisitioni*, nec agit de dubio, nec scientiâ certâ, aut opinione valoris matrimonii, sed nullitatis, ut item ostendi.

119. Petes, Quid si unus conjugum dicat alteri matrimonium nullum esse, v.g. quòd ipse non consenserit?

Unus conjugum nō tenetur alteri credere dicēti nullū esse matrimonium: Respondeo Primò, ordinariè non debere alterum credere, nisi conjecturæ convincant id verum esse: de quibus vide Sanchez citat. disp. 45. Quia aliàs verisimilius est, eum modò mentiri, quàm in ipso contractu ac Sacramento matrimonii mentitum fuisse.

si tamen credat, nec petere potest, nec reddere debitum. Respondeo Secundò, si credat, nec petere posse, nec reddere debitum. Non petere ob auctoritates & rationes jam allatas: quia sic credit saltem probabiliter matrimonium esse nullum. non reddere: quia qui dicit se non consensisse, hoc ipso saltem jure petendi se privat, illique renuntiat, ut docet Sanchez cit. disp. 41. num. 52. sequens citansque alios. Cùm ergo petere non possit suâ sponte, & jure ob probabilem credulitatem nullitatis matrimonii, neque licebit ob jus alterius, quod eo casu nullum est. Eadem videtur ratio, si uterque conjux crederet probabiliter matrimonium esse nullum juxta communiorem sententiam, ita videlicet ut ob aliam rationem non credat etiam validum.

Sed quamvis certum sit tunc neutrum posse petere vel reddere, saltem ob conscientiam erroneam; si tamen verè valeat matrimonium, videtur uterque verè habere jus petendi, etsi id ignoret. Quare, si alteruter sciret validum, teneretur reddere alteri, etsi malâ

lâ fide petenti. Quia nihilominus peteret verè sibi debitum: quia hoc jus non tantùm fundatur in bonâ fide, vel etiam possessione; sed primariò in ipsâ rei veritate, seu valore matrimonii.

120. *Eadem dicenda si dubium de valore matrimonii oriatur ex dubiâ servitute.*

Dico Quartò: Eadem omnino dicenda sunt, si dubium sit de valore matrimonii ob dubium impedimentum servitutis. Ita Antoninus 3.p.tit.1.cap.3.§.2. Adrianus 4. de sponsalib. dub.13. vers. *Praeterea tertiò*, Corduba libr. 3. Quaestionarii quaest.8.§.*Ex suprà dictis*, Vasquez disp. illâ 66. cap.5. Sanchez cit. disp.43. num.5. Salas sect.21. num.187. Malderus cit. contra Richardum in 4.dist.38. art.2. qu.17. Angelum v. *Matrimon*.3. imped.4. num.8. Navarr.cap. *Si quis autem*, de poenit.dist.7.num.84. & plures antiquiores.

Probatur simul evertendo fundamentum contrariae sententiae: quia etsi maritus dubitans vel probabiliter credens servitutem uxoris, eam cognoscendo posit, si velit, matrimonium aliàs nullum ratificare; non tenetur tamen, ut supponunt adversarii, nisi eo affectu maritali eam non cognoscere; sed potest animo utendi jure suo, vel reddendi debitum absque suo praejudicio. Quia ob ipsius dubium, vel opinionem, uxor saltem non privatur jure petendi. Itaque datur hîc medium inter affectum maritalem, & fornicarium. Si ergo nolit matrimonium ratificare, poterit & debebit eodem planè modo eo uti, quo si dubitaret strictè vel latè de alio quovis impedimento. Idem probant de hoc etjam impedimento rationes praeced. conclusionum, idque ante, & independenter ab omni sententiâ judicis. Ea sola est differentia, quòd etiam casu conclusionis tertiae possit petere debitum, cùm opinativum dubium vel etiam certum est de hoc impedimento, si velit affectu maritali matrimonium confirmare.

Ubi suppono, probabiliùs matrimonium solo defectu aut impedimento occulto irritum, posse confirmari ejus, etsi occultâ, suppletione, ut in casu nostro, affectu maritali erga notam ancillam, etsi antè ignotam. Quamquam etiam in contrariâ sententiâ, vera est conclusio. Perinde enim ad eam est sive nolit, sive non posit matrimonium eo facto confirmare.

Objicitur cap. *Proposuit*, de conjugio servorum, quo statuitur ut 121.
maritus, si uxorem postquam ancillam audivit, carnaliter cognovit, eam maritali affectione pertractare compellatur.

Respondeo eodem ferè modo, quo debent adversarii, id meritò statutum, vel ex praesumptione, quòd eam cognovit animo matrimonium confirmandi, vel in poenam ad reparãdam injuriam uxori factam à marito: quia, ut ex casu proposito satis colligitur, aut ab

initio satis novit ancillam; aut saltem, postquam id novit, eam cognovit. Unde non potest inferri, quòd in dubio non potuerit cognoscere, nisi animo ratificandi matrimonium: quâ ratione etiam secundùm adversarios nullo præcepto compelli posset ad eam cognoscendam.

CAPUT XIII.

An in dubio censendus quis sit illegitimus, ideòque irregularis?

122. Nihil hac de re constitutum invenio jure positivo Canonico vel Civili: est tamen peculiaris de eâ difficultas, tum præsertim, quando semper dubium fuit, an filius esset legitimus; adeò ut numquam fuerit in possessione famæ seu legitimitatis. Eo enim casu non favet ipsi possessio, sed potiùs aliis, qui possident bona in quæ ille tamquam legitimus deberet succedere. Potest præterea dubitari eâ de re; non tantùm ratione famæ & bonorum, sed & Ordinum suscipiendorum: quia illegitimi sunt irregulares cap.1. de filiis Presbyt.

Dubius utrius tori sit, censendus est illius filius in cujus domo natus est.

Suppono juxta communem sententiam Jurisperitorum, nominatim Baldi in l. *Si mater*, C. de suis & legitimis, quos citat & sequitur Vasquez disput.66. cap. 9. cùm dubium est utrius tori quis sit, primi, vel secundi, ejus censendum filium, in cujus domo natus est. Quia ille est in possessione, meritòque præsumitur illius parens; nisi aliundè constet contrarium; ut si per decennium domo abfuisset maritus, ac reversus inveniret domi infantem anniculum, vel constaret eum esse infirmâ valetudine, ineptâ ad generandum. Quo casu l. *Filium*, ff. de his qui sunt sui, vel alieni, definitur, infantem non esse filium mariti tanto tempore absentis, vel valetudinarii, etsi ejus domo natum: eademque esset ratio, si is natus esset sub initium secundi matrimonii. Tunc enim constaret secundum maritum parentem ejus esse non posse, sed primum, vel aliquem alium, qui cum uxore assiduè moratus esset, l. eâdem.

In dubio quisque censendus est legitimus.

Dico Primò: In dubio quisque censendus est legitimus, scilicet quamvis non sit in possessione ejus famæ & bonorum ipsi ut legitimo debitorum. Est multò communior sententia Theologorum & Jurisperitorum: quos citant & sequuntur Vasquez citatus, Salas sect. 24. Sayrus libr.1. cap.13. num.19. Malderus cit. concl. 10. contra Ferdinandum de Castro Palao tract. 1. operis moralis disp.3. puncto 5. citantem pro se Alciatum, Mascardum, aliosque, qui frustra conatur conciliare Doctores pro conclusione citatos: quasi agerent de dubiè legitimo possidente: nam apertè agunt etiam de non possidente. Communioris tamen sententiæ 123.

tentiæ non videtur facilis probatio. Probat eam Vasquez, quem sequũtur Salas & Sayrus citati: quia, etsi illi videatur obstare regula Juris: *In dubiis & pari causâ potior est conditio possidentis*; favet tamen alia regula majoris obligationis: *Cùm jura partium sunt obscura, favendum est reo potiùs quàm actori.* Quæ proinde derogat priori regulę, & prior derogat illi: *In dubiis tutior pars est eligenda.* Verùm hæc ratio non videtur solida. Primò, quia si, ut fatetur Vasquez, & suprà dixi, hæ regulæ contineant & explicent ęquitatem & jus naturale; propriè nunquam abrogantur, nec derogatur illis ut juri positivo; sed suo sensu semper valent etiam à Deo indispensabiles. Quare, ut ostendi cap. 6. non repugnant, nec derogant sibi invicem, sed moderantur, seu se invicem explicant.

Secundò, videtur ea potiùs probare contrarium casu quem conclusio etiam ex mente Doctorum nominatorum supponit; quo is de quo dubitatur, non est in possessione bonorum, sed alius. Tunc enim ille est actor, alius possessor & reus. Itaque juxta regulam illam secundam, alii potiùs favendum esset, quàm illi; qui proinde habendus esset tamquam illegitimus, cui bona ab alio possessa non debeantur. In idem recidit, quod addit Vasquez: in dubio neminem esse condemnandum. Nam non tantùm condemnaretur is qui judicaretur illegitimus, sed etiam, imò potiùs, qui cogeretur spoliare se bonis hactenus bonâ fide possessis. Idem ab iisdem probatur ex l. *Filium*, jam citatâ, quasi illâ definita esset conclusio: sed tantùm eâ lege definitur, quod ex illâ jam dixi. Potest tamen ex illâ conclusio colligi à sensu contrario, quatenus definit, illum non habendum legitimum utriusque conjugis, cùm constat certo aliquo indicio maritum, v. g. parentem ejus non esse: ergo cùm id non constat, sed est dubium, indicat habendum esse legitimum.

Probatur ergo conclusio ex principio illo naturali, Jure Canonico sæpiùs confirmato; quòd in dubiis viam debeamus eligere tutiorem: atqui casu conclusionis via tutior est, ut ille habeatur legitimus, etsi alius possideat bona ipsi debita: ergo. 124.

Tutius est aliquem spoliari bonis, quã alterum haberi illegitimũ.

Probatur minor: quia via tutior est in quâ periculum minoris mali, cùm majoris cum illo concurrit, juxta illud: *E duobus malis eligendum est minus.* Minus autem malum est, aliquem spoliari parte aliquâ bonorum suorum, quàm eum de quo dubitatur, privari non tantùm bonis, sed famâ bonis præstantiori. Nec enim levis infamia est, haberi illegitimum. Quæ præterea extenditur ad parentes ejus, præsertim matrem. Certè tanta plurium infamia, prævalet omnino possessioni bonorum alterius. Itaque si habeatur

beatur is illegitimus, multò majus vel majoris ac multiplicioris injustitiæ periculum est, adeoque hæc via est minùs tuta, altera tutior.

Confirmatur: quia, ut suprà item dixi, eatenus via tutior eligenda est ex præcepto, quatenus id fieri potest absque notabili incommodo, cùm id declinari potest. Quòd si non possit, eò quòd utraque via sit incommodo obnoxia, apparet conformiter loquendo non esse eligendam illam, quæ majori incommodo exposita est, sed alteram quæ minori: atqui multò majori incommodo exposita est via seu sententia, quâ is censeretur illegitimus: quia multò molestius ac durius esset ipsum privari bonis, & famâ; atque hac insupèr parentes, quàm fratres solis bonis: ergo hæc via non est eligenda, sed opposita. Atq; hoc sensu verum etiam est in dubio neminem condemnandũ, scilicet, ad graviorem pœnam.

125. *Legitimitas spectat ad quamdã honestatẽ.* Confirmatur Secundò: quia legitimitas spectat ad quamdam bonitatem, seu honestatem tum filii, tum maximè parentum: quare hîc etiam locum habet illud: *In dubio quisque præsumitur bonus.* Quare accommodatè ad rem nostram Baldus in l. *Filium* citatam, dicit in dubio præsumi debere id quod honestius est.

Ex quibus colligitur duplex solutio præcipui argumenti adversæ sententiæ fundati in possessione, v.g. fratrum. Primò enim, etsi ea ex parte suâ esset valida ac legitima; nihilominus ob rationes allatas prævalet illi jus fortius dubiè legitimi, quod reddit causam imparem, ut paulò pòst dicam de possessione parentis. Secundò, ob easdem rationes dici potest jus resistere possessioni fratrum, qui injustè excluso dubiè legitimo hereditatem parentum occuparunt, ideoque huic illam non obesse. Cui simile statuitur cap. *Ad decimas,* de restitut. spoliat. in 6. ubi Canonici spoliati decimis non restituuntur ob similem causam; nisi ostendant eas se legitimè possedisse: quia aliàs præsumuntur injustè occupasse.

Ex quibus sequitur ulteriùs, ipsum non debere probare se legitimum, ut partem hereditatis adeat; sed fratres eum esse illegitimum, ut eumdem ab eâ excludant. 126.

Vera sunt hæc etiam in dubio lato. Adverte autem, non tantùm hæc vera esse in dubio stricto & negativo; sed ob easdem causas etiam in lato & opinativo, cùm utrimque afferuntur rationes probabiles. Imò non potest contingere, ut quis credatur forsan legitimus filius certorum parentum, nisi ob positivas ac probabiles aliquas rationes; quòd domi illorum natus sit, aut ut filius habitus, vel ab ipsis parentibus, vel ab aliis communiter. Quamvis ob contrarias quoque rationes, signaque illis æqualia oriri possit dubitatio positivè stricta.

Ex dictis hac conclus. collige, ex- 127.
positos

Expositi censendi sunt legitimi. positos censendos esse puri sanguinis ac filios legitimos aliquorum, etsi ignotorum parentum. Quia, etsi sæpiùs soleant exponi illegitimè nati, non tamen semper, ut item constat de Moyse Exodi 2. Itaque cùm illi non probentur illegitimi ob rationes dictas, habendi sunt ut legitimi. Quæ est sententia Ananiæ, Felini, Menochii, Paleoti; imò hic testatur communiter receptam, apud Suarez de censuris disp. 50. sect. 4. qui tamen pro contrariâ citat Majolum, eamque dicit probabilem; idque meritò, quia docetur à pluribus, quos citat, non sequitur Diana tract. Miscellaneo 1. resolut. 22.

118. Dico Secundò: In dubio num quis sit spurius vel naturalis, censendus est naturalis. Hæc est omnino communis, etiam Ferdinandi citati num. 14. *In dubio num quis censendus sit spurius, vel naturalis, censendus est naturalis.*

Probatur iisdem rationibus: quia minùs malum, incommodum & inhonestum est esse naturalem, quàm spurium: ergo in dubio debet censeri & præsumi potiùs naturalis. Quod verum est non tantùm respectu ejusdem parentis, sed diversorum; adeò ut, si sit æquale dubium de duobus utrius filius sit, ejus potiùs censendus sit, cujus erit naturalis, non alterius cujus esset spurius.

129. Hinc sequitur, eumdem debere illi ut filio suo alimenta: in quo conveniunt omnes Doctores. Unde validè

Confirmatur conclusio præcedens: quia hic parens, etsi sit in possessione bonorum ac pecuniæ suæ ob dubiam filiationem, ac paternitatem, debet illi præstare alimenta: ergo etiam in casu præced. conclusionis fratres, etsi sint in possessione hereditatis paternæ ob dubiam legitimitatem, seu fraternitatem, debebunt alteri cedere partem hereditatis. Nec enim filius minus, imò majus jus habet ad bona parentis mortui, quàm vivi.

Sed quid si de duobus dubium sit, utrius sit filius naturalis, vel spurius? 130.

Respondeo juxta communem item sententiam, debere tunc ali ab utroque, scilicet diverso æqualiter jure, vel obligatione utriusque, eo modo quo res, de cujus duobus dominis dubitatur à neutro possessa, debet inter utrumque æqualiter dividi; cùm præsertim filio competat jus & actio erga parentem, ut ab eo alatur, quâ in dubio spoliari non debet. *In dubio utrius quis sit filius naturalis, vel spurius, debet ali ab utroq.*

Addit rectè Salas, Primò, matrem jure exigere plus à ditiore parente, quàm pauperiore; quòd is pro facultate suâ liberaliùs altero teneatur habere filium. 131.

Secundò, addit idem contra Azor, si alteruter dubius parens obierit, vel præ paupertate alere non possit; alterũ non debere eius defectum supplere; sed potiùs matrem. Verùm hæ sententiæ conci-

 liantur,

liantur, si alter tunc solus non debeat tantum dare, quantum dedisset uterque; sed quantum ipse pro suâ facultate potest, & filius indiget; si præsertim mater nil conferre possit. Ab aliquo enim is ali debet, à nullo autem potiori jure, quàm à parente, etsi dubio.

132. *In dubio quisque censendus legitimus quoad Ordines suscipiẽdos ad evitãdum notabile incommodum.*

Dico Tertiò: In dubio item quisque censendus est legitimus quoad suscipiendos Ordines, seu non incurrendam irregularitatem, quatenus necesse est ad evitandum notabile incommodum. Ita expressè Salas in fine sect. illius 24. Imò & reverà Covarr. in Clement. *Si furiosus*, p.1. initio num.9. & videtur inclinare Suarez cit. n.4. quatenus consulit hanc sententiam, ut in praxi securiorem: quæ est media inter duas probabiles, primam Ananiæ, Felini, Paleoti, &c. quòd absolutè hic etiam debeat censeri legitimus; & secundam Majoli, Vasquez, &c. quòd illegitimus.

Probatur ex principiis suprà positis, quòd hîc etiam eligi debeat via tutior, quatenus potest absque notabili incommodo. In particulari autem Covarr. docet Primò, expositum, eademque est ratio de quovis fortè illegitimo, censendum irregularem, quoad Ordines suscipiendos, non autem quoad usum susceptorum. Quod non potest deduci ex alio principio, nisi quòd nimis grave videatur in dubio privari etiam usu susceptorum: ordinariè autem non videatur grave ad tempus abstinere à novis suscipiendis. Quare si in aliquibus circumstantiis non esset grave abstinere ab usu etiam susceptorum, ab iis esset abstinendum. Contrà verò, si esset grave etiam abstinere à suscipiendis, liceret eos suscipere.

Docet Secundò, quod item consulit Suarez, dispensationem petendam ab Episcopo, quòd id facile sit dubitanti, nec excedat potestatem Episcopi circa dubiam irregularitatem, secùs quàm certam. Quemadmodum suprà dixi ex D. Thomâ, ab eodem petendam dispensationem voti ac juramenti dubii.

133. *In dubiis quibusvis potest dispensare Episcopus.*

Ubi adverte, quod ibidem indicat Suarez, & docet Sa verbo *Dispensatio*, num.1. & Salas de Legibus disp.20. sect.3. num.28. probabiliter Episcopum dispensare posse in quibusvis dubiis, voto, lege, & irregularitate. Eadem enim omnium est ratio: tum quia eo ipso quo quid est dubium, est imperfectum, ideoque non debet censeri reservatum, cùm reservatio sit restringenda: quà item ratione potest dispensare in voto quovis conditionato; tum quia sæpè contingit dubitari de similibus an reverà exstent, ac dispensatione indigeant: (Episcopus autem potest dispensare in iis quæ frequenter contingunt,) tum etiam quia juxta dicenda sequ. capite, Episcopus est ordi-

ordinarius judex, cujus est discernere ac declarare quid in dubiis agendum, & an sit opus dispensatione, nec ne.

134. Ex quibus & dictis cap. 7. apparet magna differentia inter pœnam hanc Ecclesiasticam irregularitatis, juxta hanc conclusionem, & alias pœnas civiles, juxta primam. Illa enim & est divisibilis, etjam jure usuque Ecclesiastico, ut constat ex cap. octavo, & sita est tantùm in abstinendo ab aliquâ functione, quod fieri potest absque infamiâ; & facilè tollitur, adeoque ordinariè non est notabiliter molesta. Contrà pœnæ civiles sunt moraliter indivisibiles, præsertim ipsa infamia iis semper annexa, & sitæ sunt in amittendis bonis, nec facilè tolluntur, adeoque sunt valdè molestæ & incommodæ.

135. Petes, an filius debeat credere matri affirmanti se esse illegitimum?

Filius non debet credere matri affirmanti se esse illegitimum.

Respondeo negativè, juxta communem sententiam, quæ videtur supponi cap. *Officii*, de pœnitent. & remiss. eo ipso quo supponitur matrem non teneri revelare suum illud adulterii crimen. Nam si filius teneretur credere, videretur ipsa teneri revelare. Ratio est, tum quia unius feminæ, ejusque, si verum dicit, adulteræ testimonium non est tanti, ut filium cogat ad credendum, adeoque subeundum tantum incommodum: tum quia testimonium est de re quæ vix te-stanti potest esse certa. Nam etsi possit illa esse certa de adulterio, non tamen de filii ex illo conceptione. Eadem ferè est ratio, si eadem testaretur filium esse suppositum: qui casus, nam de illo etiam agitur, similiter probari potest ex cap. illo *Officii*, quamvis hîc non potest illa falli. quare filius vel debet matri credere, vel credere eam mentiri. Neque tamen hinc necessariò sequeretur esse illegitimum, etsi constaret esse suppositum. Nam & legitimus supponi potest: qui proinde non esset irregularis.

Ex quibus collige à pari, nullum debere à se, vel etiam aliis haberi illegitimum ob aliquam eâ de re infamiam, vel plurium aliorum affirmationem: quod expresè definitum est cap. *Pervenit*, qui filii sint legitimi: excipe tamen testimonium amborum parentum, cui hîc standum definitur cap. *Transmissæ*, eodem, nisi certis aliis indiciis constiterit esse filium eorumdem. 136.

Nullus debet censerà illegitimus ob aliquam eâ de re infamiã.

Adverte tamen, si filius credat, vel leviter, vel ex adjunctis signis & circumstantiis prudenter utrique aut alterutri parenti, debere se gerere ut illegitimum, & irregularem: aliàs ageret contra conscientiam. Quòd si dubitet tantùm, non debet judicio speculativo conformare practicum: sed potest practicè se judicare legitimum, nec irregularem ad evitandum gravius incommodum, juxta 137.

Si filius credat parentibus se esse illegitimũ, debet se ut talem gerere.

juxta dicta tribus hisce conclusionibus.

Caput XIV.

An subditi in dubio debeant obedire Superioribus?

138 Svppono hîc dicta cap. 16. superioris libri, subditos debere obedire Superioribus præcipientibus juxta probabilem opinionem, v. g. rem probabiliter licitam; etsi contra suam opinionem etiam probabilem. Imò subditos in ordinariis posse judicare sententiam probabilem ob auctoritatem Superiorum eo ipso, quo hi eam practicè sequuntur præcipiendo.

Quæstio igitur hîc est, cùm subditi vel prudenter, ut aliquando potest contingere; vel imprudenter ne quidem formant conscientiam, seu opinionem probabilem de præcepto Superiorum, an v. g. sit rei licitæ: sed dubitant strictè, negativè, vel positivè.

Nota, dubium hoc oriri posse ex variis capitibus. Primò, ex parte ipsius præcepti, de quo dubium sit, an latum aliquando fuerit, vel etiamnum duret, aut dispensatione usuve sit abrogatum. Secundò, ex parte superioritatis, seu prælationis, cùm dubium est, an Superior sit legitimè electus aut confirmatus; vel sit hujus in particulari Superior: idque dupliciter, vel ita, ut simul dubitetur de legitimâ ejus possessione; vel ita, ut de hac constet, etsi de superioritate dubitetur. Tertiò, ex parte rei præceptæ, de quâ dubitetur, an sit licita, vel excedens præcipientis potestatem, etsi constet eum esse legitimum Superiorem.

Dico Primò: In primo dubio subditi debent obedire Superioribus, cùm possunt absque notabili incommodo: aliàs non. Hæc conclusio probatur & explicatur dictis cap. 6. quia eâ moderatione in dubio viam debemus eligere tutiorem. Tutior autem via est in eo dubio obedire, in quo nullum periculum, quàm non obedire, in quo reverà est periculum peccati, scilicet transgressionis præcepti, si fortè exstet. Tantùm adverte, quod ibidem dictum num. 44. si constat legem, vel præceptum latum, & dubitas strictè an abrogatum, te absolutè eo teneri: quia tunc absolutè non est dubium strictum de ipso præcepto, sed potiùs certitudo, quæ stricto dubio non tollitur. Eademque est ratio, si eodem modo dubites, an ob peculiarem aliquam rationem, aut incommodum ab eâ eximaris. Alia tamen est ratio si dubites an lex, vel præceptum sit promulgatum: quia tunc dubitas an exstet, scilicet, completum & obligans. 139. *In dubio de ipso præcepto, subditi debēt obedire Superioribus citra notabile incommodū.*

Dico Secundò: Idem dicendum in dubio secundo de ipsâ superioritate, simulque possessione. 140. *Idem dicēdum, in dubio de ipsâ superioritate,*

Probatur: quia tunc verè etiam dubi-

& possessione: dubitatur de ipsâ lege, ac præcepto valido, ejusque obligatione, quæ non potest provenire nisi à vero Superiore illius vel illorum quibus præcipitur.

Nec valet hîc possessio potestatis præcipiendi in Superiore, de quâ ipsâ etiam dubitatur, sed possessio libertatis in subdito, de quâ non dubitatur, ut etiam in dubio & casu superioris conclusionis. Ob quam item rationem dixi cap. illo 16. subditum dubitantem probabiliter opinativè de jurisdictione, electione, adeoque possessione Superioris, non debere illi obedire. Atque hoc sensu bene Gerson alphabeto 62. litt. N. *Quantum*, ait, *& qualiter licet dubitare de potestate alicujus propter debitæ electionis defectum, tantumdem & taliter licet dubitare de suorum præceptorum obligatione*, scilicet seclusâ possessione, ejusque privilegio. Hoc enim si supponatur ut certum, non dubium; tunc est eadem ratio dubii secundi & tertii, ut docet Sanchez libr. 6. in Decalogum cap. 3. num. 29. & constabit ex rationibus conclus. sequentis.

141. item in dubio de re præceptâ. Dico Tertiò: Tenetur item subditi obedire Superioribus in tertio dubio, nimirum modo ac moderatione explicandâ sequ. conclusione. Est reverà communis Doctorum, quos citat Sanchez citat. num. 2. dicens communem. Suarez de Legibus libr. 6. cap. 8. num. 6. dicit communem & necessariam in praxi. contra Adrian. quodlib. 2. punct. 2. & Vasquez disp. 66. cap. 9. num. 51. qui dicunt subditum dubitantem de honestate rei præceptæ non posse obedire; & Salas sect. 17. num. 152. & alibi idem dicentem, si dubitetur nùm obediendo gravius præceptum violandum sit.

Probatur Primò, ex Scripturâ Deuter. 17. Ubi Deus difficile & ambiguum judicium dicit definiendum à Sacerdotibus: ergo in dubio illis erat credendum, & obediendum. Idem de principibus ac Superioribus sæcularibus docet August. 22. contra Faustum cap. 74. & refertur cap. *Quod culpatur*, 23. q. 1. Ubi dicit etiam Regi sacrilego à viro justo obediendum, & militandum in dubio, an bellum justum sit: *Si*, inquit, *quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est.*

Præterea idem probatur ex dictis Sanctorũ, nominatim S. P. N. Ignatii, qui 3. parte Constitut. nostrarum cap. 1. §. 23. ac regul. Summarii 31. nobis commendat, ut voluntatem nostram ac judicium cum eo quod Superior vult ac sentit, in omnibus rebus (ubi peccatum non cerneretur) conformemus. Non cernitur peccatum in eo, de quo strictè dubitatur sitne peccatum, nec ne.

Probatur Secundò, simulque evertitur fundamentum contrariæ sententiæ: quia dubium an licitum 142.

 sit

sit vel honestum quod Superior præcipit, non est practicum, quale esset, an liceret hîc & nunc illud exsequi, eique obedire; sed speculativum: speculativo autem dubio non debet respondere practicum, cùm illi supervenit nova aliqua justaque ratio. Cujusmodi in casu proposito est non tantùm præceptum, sed possessio potestatis præcipiendi Superioris: qui eâ in dubio minimè spoliandus est. Quæ causa ratioque cùm certa sit, practicè illi hîc & nunc obediendum est, etsi speculativè dubium maneat, an licitum præcipiat.

143. *Ut subditus debeat obedire, non debet putare probabile licita præcipi.*

Unde sequitur, non esse necessarium, quod putat Vasquez, ut subditus saltem ob principia extrinseca, v.g. auctoritatem, & doctrinam Superioris, putet probabile eum licita præcipere: quâ ratione obedire non posset in dubio stricto contra communem Doctorum sententiam, sed post dubium probabili opinione depositum. Imò verò contrà necessarium est, ut subditus deponat illam opinionem, si habet, quòd absque probabili illo judicio obedire non possit: teneretur enim reverà nihilominus obedire, obediendo verò peccaret contra judicium illud practicum, nisi deponeret.

Subditus erga Superiorē cessit possessione libertatis suæ.

Nec valet hîc possessio libertatis subditi, qui erga Superiorem suum supponitur eâ cessisse, vel privatus esse.

Confirmatur: quia Superior vel prudentiâ propriâ, vel aliorum consilio, vel Dei directione meritò præsumi potest, adeoque practicè debet, æquum ac honestum præcipere, nisi contrarium probetur: hoc autem non fit stricto dubio, ut clarum est: itaque pro Superiore, ejusque præcepto stat, tum possessio, tum præsumptio, idque utroque foro. quod de neutrâ verum est casu præced. conclusionum, cùm de ipso præcepto, ac superioritate dubitatur.

Probatur Tertiò, ex dictis conclus. 2. & 3. cap. 12. quòd conjunx non tantùm strictè, sed latè dubius de valore matrimonii teneatur reddere debitum conjugi petenti. Quia neutrum dubium sufficit ad hunc spoliandum suâ possessione, ad quod juxta ibidem dicta requiritur certitudo: ergo etiam utrovis dubio subditus debet reddere debitam obedientiam petenti, seu jubenti Superiori.

144. *Subditus etiam positivè dubius an licitum præcipiatur, debet obedire.*

Imò ex dictis collige Primò, quod expresè etiam docet Sanchez ex communi sententiâ, ac mente Doctorum num. 5. subditum debere obedire Superiori, etsi non tantùm strictè ac negativè, sed latè & positivè dubitet; nisi sit moraliter certus illicitum præcipi. Quod probatur ex cap. *Inquisitioni*, & D. Thomâ explicatis concl. illâ 3. & Augustino jam citato, qui expresè dicit, subdito obediendum. cùm certum non est Regis præceptum esse contrariũ præcepto Dei.

Idem

Idem indicant verba illa S. P. N. *Vbi peccatum non cerneretur*. Ut cernatur, opus est morali aliquâ evidentiâ, adeoque certitudine.

Confirmatur: tum quia, ut constat ex dictis Sanctorum, imò Dei, peculiariter in dubiis recurrendum est ad Superiores tamquam Dei vicarios, & interpretes: quæ ratio neutri conjugum competit. Unde argumentum factum non est tantùm à simili, sed fortiori: tum quia aliàs nimis enervaretur vis & auctoritas obedientiæ, ac præceptorum, si occasione cujusvis dubii ea subjicienda essent examini & judicio subditorum. Quibus tamen non obstantibus, si ob rationes ac principia vel intrinseca vel extrinseca putaret probabiliter se hîc & nunc obedire non posse, vel debere; non deberet subditus obedire, privilegio sententiæ probabilis: sed ob rationes dictas in dicto dubio non potest prudenter hoc putare.

145. *Subditi non debēt alios cōsulere, quā Superiores ipsos, an licitum præcipiatur.*

Ex quibus collige Secundò, subditum non teneri consulere alios, quàm ipsos Superiores, an res præcepta, adeoque præcepti exsecutio licita sit. Illi enim ipsi in rebus ambiguis dati sunt subditis judices, non alii. Ceterùm subditorum non est examinare præcepta, sed exsequi, ut optimè D. Thomas de veritate quæst. 17. art. 5. ad 4. quòd si tamen crederent Superiorem procedere ex malâ informatione, ignorantiâ, vel oblivione alicujus circumstantiæ, quæ rem dubiam redderet, debēt ipsum de eâ sincerè informare; &, si nihilominus perstet in præcipiendo, possunt, imò debent, obedire. Quæ est manifesta differentia, Primò, inter subditum & conjugem dubitantem de valore matrimonii. hic enim nec est alterius conjugis subditus, nec habet proprium judicem in eâ materiâ: itaque tenetur veritatem inquirere etiam ex aliis. Secundò, inter præceptum humanum jam latum, & divinum, vel etiam humanum, olim latum. Nam dubium ortum circa primum solvit ipse Superior conscius circumstantiarum, vel in actu exercito hîc & nunc præcipiens; vel etiam in actu signato, & vivæ vocis oraculo consultus. Quæ ratio non valet saltem æquè de secundo. Præterea quoad præceptum divinum non potest esse de eo dubium an licita ejus materia; & quoad humanum etiam de eo consuli aliquando debent alii in casu conclusionis secundæ, cùm de ipso Superiore dubitatur.

Ex quibus facilè solvuntur argumenta contra hanc sententiam: quæ est Gabrielis, Navarri, Valentiæ: quos citat & sequitur Sanchez num. 19. contra Hostiensem, Angelum, & Sylvestrum, quos citat, eorumque sententiam ut probabiliorem sequitur Ferdinandus num. 10.

Addiderim ad moderationem utriuf- *possunt tamen*

utriusque sententiæ, non quidem teneri subditum consulere alios, ut asserit secunda, sed tamen posse: quod videtur negare Sanchez num.20. Ratio est, quia consultatio illa, & examen non repugnant substantiæ præcepti & obedientiæ, sed perfectioni seu simplicitati: quæ est consilii, non præcepti.

146. Sed quid si ipse quoque Prælatus dubitet de re præceptâ, sitne licita, vel excedens potestatem suam, idque sciat subditus: scilicet, non tantùm se, sed & Prælatum dubitare? Casus hic non videtur frequens in praxi, cùm vix contingere possit, ut Superior aliquid alicui absolutè præcipiat, & tamen dicat se dubitare an id liceat: quod nisi expressè dicat, non debet præsumi dubitare, sed præcipere quod potest, putatque licitum.

Non debetur obedientia præcipienti rem suo etiã judicio fortè illicitam. Respondeo tamen, Si ita contingat, subditum non teneri obedire, non tantùm ante factum sufficiens examen à Superiore, sed verisimiliùs etiam post. Quia rationabiliter non debet Superiori tribui potestas & possessio, nisi præcipiendi, quæ sunt, vel bonâ fide creduntur licita & honesta, non autem dubia, nisi urgente aliquâ necessitate. Quod tamen bene limitat Sanchez num. 21. nisi subditus certus sit de rei honestate, quamvis dubitet Superior. Tunc enim hic verè potest præcipere, & subditus formare conscientiam quòd possit, adeoque debeat obedire, etsi Superior conscientiâ erroneâ putet se non posse, ut in simili de redditione debiti dixi c. 12. num.19.

Collige Tertiò, aliud discrimen inter tertiam conclusionem, & præcedentes, quòd casu præcedentium non sit obediendum, si dubitetur an præceptum Superioris sit contrarium præcepto Dei, vel etjam Superioris mediati saltem graviori; at casu hujus conclusionis obediendum illi est, etsi dubitetur non tantùm an præcipiat illicitum, quatenus excedens ejus potestatem, quod clarius est, sed etiam quatenus fortè contrarium legi divinæ naturali vel positivæ, etsi gravissimæ. Ratio disparitatis jam allata est: quia hac conclusione supponitur ut indubitata Superioris auctoritas & possessio certum fundamentum hujus obligationis, quod prævalet dubio cuicumque: superioribus conclusionibus illa non supponitur, sed in dubium revocatur. Eadem est ratio de dubio similiter juramento, & voto, quo item locus non est simili possessioni. 147.

Debetur obedientia Superiori, etsi dubitetur an præcipiat contrariũ juri divino.

Unde sequitur ulteriùs, casu præcedentium conclusionum in concursu præcepti humani, & divini fortè contrarii tutius esse obedire Deo, quàm homini: in casu verò hujus conclusionis tutius esse obedire, ut ita dicam, homini, quàm Deo. Quia etiam divino judicio certiùs obligat præceptum huma-

humanum, quàm divinum, & possessio stat pro homine, non Deo. Quare reverà certiùs tunc homo se conformat, adeoque obedit etjam Deo, exsequendo præceptum humanum, quàm divinum.

148. *Practicè præceptum Superioris facit licitum, quod aliàs illicitum.*

Collige Quartò, an & quâ ratione præceptum Superioris possit facere licitum, quod aliàs licitum non erat, scilicet practicè & formaliter; etsi non speculativè & materialiter. Quia, etsi non possit facere, ut legi divinæ reverà non repugnet, vel etiam putetur non repugnare, quod fortè illi repugnat; potest tamen, ut objectum eo modo dubium liceat prosequi licito, imò meritorio actu, aliàs illicito & demeritorio.

149. *Dubius an teneatur jejunare, debet obedire Superiori jubenti, ut comedat carnes.*

Collige Quintò, valetudinarium, alióve impedimento laborantem, ac dubitantem an teneatur jejunare, abstinere à carnibus, vel legere Officium, debere obedire Prælato jubenti, ut comedat etjam carnes, nec legat Officium. Quia tantùm dubitat an res licita sit, idque tantùm ob præceptum positivum: cujus novum hoc præceptum censetur quædam practica interpretatio. Ita Salas sect. 17. num. 155. Sanchez num. 10. citantes Sotum & Cordubam. Eadem ferè est ratio, si similiter præcipiatur aliquid fortè contra legem naturalem, v. g. acceptio pecuniæ ad usuram, cùm dubitatur de sufficienti necessitate.

150. Limitant aliqui hactenus dicta, & conclusionem, nisi dubium subditi sit circa factum, v. g. homicidium, quòd tunc, etsi jussus à Superiore, celebrare non teneatur, nec possit obedire, nisi is in irregularitate possit dispensare. Ita Sanchez num. 22. sequens Vasquez disp. 66. cap. ult.

Sed Primò, hæc non est limitatio conclusionis: quâ non agitur de dubio facti, sed potiùs juris, an præcipiatur licitum. Secundò, verius est eo etiam casu subditum posse, imò teneri obedire: vel quia ab illo præsumi debet Superior habere potestatem dispensandi saltem delegatam; aut certè scire irregularitatem eo casu non impedire; vel quia subditus non tenetur in dubio se gerere ut irregularem tanto incommodo, quantum est resistere Superiori mandanti juxta superiùs dicta, vel utrâque de causâ.

151. *Inæqualitas obligationis in tribus illis dubiis.*

Dico Quartò: Majus incommodum requiritur, ut excuset ab obligatione in tertio dubio, quàm duobus primis: minus tamen, quàm si dubium nullum esset. Et hæc reverà videtur saltem communior sententia Doctorum, etsi non comparent inter sese tria hæc dubia, & obligationem inde ortam. Quare ex eorum mente communem sententiam & conclusionem præcedentem sic explicant tenentque Sanchez & Ferdinandus, ut ab eâ obligatione excuset magnum incommodum, vel pro-

prium; vel, quia eadem omnino est de illo ratio, alienum. Pro quâ moderatione multos citant Sanchez num. 24. Ferdinandus n. 16. & 18. Eamdem expressè tenent citati pro conclus. 2. cap. 6.

Probatur & explicatur: quia ex unâ parte præceptum rei dubiæ fortiùs obligat confirmatum præcipientis possessione juxta 3. conclusionem, quàm sine eâ juxta precedentes: ex alterâ tamen parte non ideò desinit esse rei dubiæ, adeoque nec ipsum speculativè esse dubium, an reverà licitum sit an validum. Itaque juxta naturalem æquitatem & prudentiæ dictamen minùs obligabit, quàm si esset rei certò licitæ, adeoque ipsum certò licitum ac validum. Unde necessariò sequitur, majus incommodum requiri, ut excuset ab obligatione tertiæ conclusionis, quàm præcedentium; minus tamen, quàm si nullum dubium esset, ne quidem speculativum. Quo enim major minórve est obligatio, requiritur majus minúsve incommodum, quod ab ea excuset.

Confirmatur: quia, ut bene Ferdinandus cit. non videtur consonum æquitati te onus grave certò subire, de quo dubitas an tibi possit imponi. Iugum enim Christi suave est, & onus ejus leve.

152. *Superior non est in possessione in dubio.* Unde sequitur, etiam juxta mentem ac sententiam Doctorum citatorum, imò communem, Superiorem non esse in possessione in dubio præcipiendi gravia valdeque incommoda: imò contrà subditum esse in possessione libertatis suæ illa in dubio non subeundi. Quia eâ moderatione in dubio tutior pars est eligenda, & melior est conditio possidentis, atque etjam favendum est reo. Quæ planè conformia sunt, & confirmant à nobis dicta cap. 4. 6. & seqq. *præcipiẽdi gravia.*

Nulla lex dubia, ne quidem divina, obligat cũ gravi incommodo. Ubi adverte Primò, quamvis aliqui eam moderationem tantùm adhibeant præcepto humano dubio, rationem tamen etiam ab iis allatam æquè quadrare in quodvis præceptum dubium etiam divinum naturale, vel positivum. Imò de illo præcipuè verum est, quòd jugum Christi suave sit, & onus leve; & de quovis dubio ac præcepto intelligendum illud: *In dubio favendum est reo*: quo utuntur ad probandam illam moderationem: cujus universalis tandem ratio est, quòd naturali lumine nimis durum appareat ob dubiam obligationem quamcumque, debere subire certò grave incommodum.

Adverte Secundò, quamvis plures videantur supponere ad obligationem præcepti dubii quomodocumque mitigatam requiri certitudinem possessionis in præcipiente; multò tamen consequentiùs eam non requiri ad obligationem aliquam leviorem, à quâ excuset minus incommodum, juxta conclus. primam & secundam. Si enim

enim præceptum dubium sufficiat ad aliquam obligationem, cur non possessio etiam dubia: quæ non est causa, ut præceptum, sed conditio aliqua ad obligationem requisita? Præterea præceptum naturale sequendi viam in dubiis tutiorem, in casu nostro servandi legem dubiam, universale est, sive constet de possessione legislatoris, sive non.

153. *Testes à Superiore rogati nō tenentur respōdere, si dubitent an legitimè interrogentur.*

Ex quibus collige Primò, testes, etsi à legitimo Superiore interrogatos, non teneri respondere, si dubitent an legitimè interrogentur, v.g. an præcesserit infamia publica, si procedatur viâ inquisitionis; vel semiplena probatio, si via denuntiationis, aut accusationis; vel, an quacumque de causâ respondere teneantur. Hoc sæpè simplicioribus contingit, cùm non possunt consulere doctiores: quia responsio est obnoxia gravi incommodo, vel infamiæ, si non ipsorum testium, saltem accusandorum; si præsertim hi sunt viri spectabiles, & in dignitate constituti. Idem à fortiori dicendum de reo interrogato de crimine non vergente in publicam perniciem, etsi extra dubium illud fateri teneatur. Ita ferè Corduba libr. 3. quæst. 6. ante medium, & Salas sect. 28. num. 290. quæ certiora sunt, si grave incommodum tuum vel alienum à Superiore præcipiente prævisum non fuerit.

154. *In dubio ne quidem potes obedire cum gravissimo alterius incōmodo.*

Collige Secundò, si in dicto similive casu aliis timeas gravissimum incommodum, ne quidem posse te explere præceptum dubium. Quia cùm non debeas explere gravi tuo vel alterius incommodo, inordinatum videtur id explere tanto alterius incommodo. Alia est ratio de incommodo tuo: quia tu potes jure tuo cedere. Imò Ferdinandus num. 16. idem docet de gravi alterius incommodo.

Æquius tamen videtur, minusque obnoxium scrupulis, ut aliquid hîc relinquatur libertati tuæ, nec omne incommodum, quod excusat ab obligatione parendi, te obliget ad contrarium, cùm præsertim nulla hîc virtus videatur obligare, ut consulas proximo tuo, nisi caritas. Quemadmodum sæpiùs contingit in aliis, ut non tenearis quidem v.g. audire Sacrum, ut assistas graviter ægrotanti, possis tamen. Eademque est ratio de incommodo tuo in materiâ, in quâ non potes cedere jure tuo; v.g. gravi invaletudine. 155.

Collige Tertiò, quando exsecutio rei præceptæ differri potest, minusque incommodum timetur ex dilatione, quàm promptâ exsecutione, hanc differendam esse, donec examinetur, an obedire debeat vel possit. Ita Sanchez nu. 25. & Ferdinandus num. 10. Quod tamen juxta paulò antè dicta mitigandum videtur, & explicandum, vel cùm Superior non præcipit promptam exsecutionem; vel ita, 156.

ut ipse Superior consulatur. Aliàs neque in hoc casu subditus, etsi possit, videtur teneri consulere alios, nisi fortè juxta jam dicta timeret ab exsecutione incommodum valdè grave.

CAPUT XV.

An idem dicendum de subditis ac Superioribus regularibus?

157. MEritò potest videri superflua hæc disputatio: quam tamen propono propter aliquos recentiores: qui etsi sequantur communem sententiam explicatam conclus. 3. & 4. de aliis subditis; de Religiosis tamen putant peculiarem esse rationem. Quare docent saltem, ut probabile, eos in dubio non debere obedire.

Hactenus dicta omnino vera etiã sunt de subditis, ac Superioribus regularibus.

Respondeo, Hactenus dicta de subditis, omnino etiam intelligenda esse de regularibus erga Superiores suos: idque potiori jure.

Probatur conclusio Primò: quia prorsus videtur contraria sententia repugnare communi Christi fidelium, atque ipsorum Religiosorum sensui. Omnes enim putant Religiosos magis debere obedire suis Prælatis, quàm sæculares suis; nec tantùm extensivè, sed & intensivè. Nam & subditi Religiosi ex suâ parte pleniùs se tradunt suis Superioribus perfectè regendos ac dirigendos, præsertim in dubiis; & Superiores eo fine cēsentur à Deo recipere peculiarem gratiam ac lumen, eò majus quò regimen hoc est magis supernaturale.

Prælati regulares habent in suos duplicem potestatē dominii, & jurisdictionis, sæculares hanc tantùm.

Probatur Secundò: quia æquè clarè videtur contraria sententia repugnare rationi. Quia Prælati regulares, & exempti habent in suos subditos duplicem potestatem præcipiendi; dominii, ut vocant, qualem v. g. habet paterfamilias erga liberos ac familiam suam, & quam accipiunt à voto & voluntariâ sui traditione subditorum: & præterea jurisdictionis, quam in se ab Episcopis translatam accipiunt à Pontifice: Prælati autem sæculares habent in suos subditos hanc unicam: ergo absolutè, atque etiam in dubio subditi regulares magis tenentur obedire suis Prælatis, quàm sæculares suis. Quare hi, si nolint obedire, peccant tantùm contra obedientiam, aut eam virtutem circa cujus materiam illa versatur: illi insuper contra Religionem, ac votum graviori multò peccato.

Confirmatur, simulque evertitur fundamentum contrariæ sententiæ: quia Prælati regulares habent potestatem jurisdictionis, nō debilitatam, sed confirmatam voto Religionis; ceterùm ejusdem rationis cum sæcularibus, aliàs votum religiosum obedientiæ hanc non arctaret, sed laxaret: ergo si ratione illius potestatis sæculares subditi debent obedire suis Prælatis in dubio dicto, non minùs, sed po- 158.

potiùs magis debebunt regulares. Quia etiam secundùm mentem & intentionem voventium sic explicandum est votum, ut eo regulares non minùs, sed potiùs magis subjiciantur suis Prælatis: idque in quacumque materiâ obedientiæ suæ, quàm seculares suis in materiâ obedientiæ suæ. Cùm præsertim ipsi non possint, etsi velint, suâ intentione limitare aut minuere potestatem in se jurisdictionis: quæ proinde in illis extenditur ad quãcumque materiam obedientiæ. Nam juxta communem æstimationem subditorum & Superiorum potestas præcipiendi non est heterogenea, sed ejusdem rationis, sive in materiâ quâ subjecti fuissent Episcopis non exempti, sive quavis aliâ.

Unde sequitur, quomodocumque explicandum sit ipsum secundùm se votum, sic explicari debere, subjectionem subditorum & potestatem Prælatorum regularium ex illo secutam. Huic enim potest competere privilegium possessionis, non illi. Ob similem causam in plurimis aliis falsum est eodem modo debere explicari, v.g. donationes, contractus, collationes officiorum, quo omnia quæ ex illis sequuntur. Exempli causâ donatio agri tamquam stricti juris strictè interpretanda est, non tamen postea ejusdem venditio & locatio: qui sunt contractus bonæ fidei. Quamquam nec ipsum votum explicandum est omnino strictè, ut supponunt adversarii, sed medio modo, quo explicui cap.10. & explicandum est dubium præceptum in casu conclus. primæ cap. superiori. Quæ confirmantur alterâ potestate etiam præceptivâ dominii: quæ, ut jam dixi, competit solis Superioribus regularibus.

Objicitur auctoritas Suarez: 152.
alius enim pro contrariâ nemo citatur, tom.3. de Religione libr.10. cap.3.num.6. Ubi dicit, non videri improbabile, Abbatissam non posse ex voto obedientiæ obligare monialem ad aliquid faciendum in casu dubio de honestate operis injuncti.

Respondeo: Esto non videatur id improbabile de Abbatissâ; ratio peculiaris est, quia, ut ibidem addit Suarez, non habet potestatem jurisdictionis juxta sententiam D.Thomæ in 4. dist. 19. quæst. 1. art.1, quæstiunc.3. ad 4. & communem. Quare eadem esset ratio de viris, quibus alii se subjecissent simplici, nec religioso voto obedientiæ, ut olim Eremitæ. Quibus proinde tantùm competit potestas cujusdam dominii, non jurisdictionis, cujus defectu non possunt, v.g. excommunicare. Probabiliùs tamen omnino etiam sic subditi, vel viris, vel feminis Superioribus, in dubio debent obedire, ut ibidem docet Suarez, idque ob rationem indicatam probatione 1. Unde etiam infertur contrarium,

Etiam in dubio obediendum Superioribus habētibus solâ potestatē dominii.

scilicet, videri omnino improbabile, ut reverà mihi videtur, Prælatis regularibus certò habentibus utramque potestatem in dubio non esse obediendum, si sit obediendum aliis. Neque enim video fundamentum probabilitatis, nedum veritatis, istius sententiæ, sive examinentur principia ejus intrinseca, sive extrinseca, cùm præsertim repugnet sensui Christi fidelium, ac Regularium, & ab uno tãtùm, quem viderim, doceatur non ut vera, sed ut probabilis: quod suprà dixi non sufficere ad probabilitatem.

160. *Etiam in dubio obediendum Prælato præcipiẽti contra, extra, vel supra regulam.*

Ex hac item conclusione colliguntur aliqua Religiosos peculiariter spectantia. Primò, etsi Prælatus præcipiat aliquid contra, vel, ut alii loquuntur, extra, præter, vel supra regulam, idque constet, teneri nihilominus subditum obedire; nisi simul constet Prælato deesse & potestatem, & justam causam dispensandi. Quod sequens citansque alios bene docet Sanchez num. 8. Ratio hîc eadem est, quæ suprà: nam tunc verè dubium est an licitum, ac conclusum limitibus potestatis suæ præcipiat: quo dubio illi parendum beneficio possessionis. Si enim dispensare possit, & subsit justa causa id faciendi, potest etjam, quod aliàs non potest, contra regulam præcipere, scilicet actu exercito in eâ dispensando. Quamquam verè hîc non præcipitur contra regulam, ejusque mentem, sed tantùm contra verba. In dubio autem præsumitur ut licitum præcipere, ita habere & potestatem & justam causam dispensandi, nisi contrarium constet aut probetur: juxta D. Thomam 2.2. quæst. 88. art. 12. ad 2. Itaque ne teneatur subditus obedire, requiritur duplex certitudo; Primò, quòd præcipiatur contra, vel extra regulam; Secundò, quòd desit potestas, vel causa dispensandi. Quod dixi de regulâ, eâdem ratione verum est de præcepto Superioris mediati.

161. *Non præcipitur semper extra regulã cũ aliquid eã nõ expressum.*

Adverte insuper, non ideò Superiorem præcipere extra regulam, quia præcipit aliquid eâ non expressum. Quia potest ipsa regula facere illi potestatem alia præcipiendi: quo casu non præcipiet contra vel extra, sed juxta regulam. Ita nostris Constit. p. 9. cap. 3. §. 9. & 20. conceditur Superioribus facultas præcipiendi, quidquid conformiter instituto nostro, modoque agendi conducit ad finem Societatis. Iisdem p. 4. cap. 10. §. 5. in declaratione datur potestas dispensandi in Constitutionibus seu regulis, quando eam fuisse mentem illius qui eas condidit, in re aliquâ particulari judicarent ad majus bonum. Mentem, inquam, ut tunc fieret dispensatio, non autem ut tunc constitutio non obligaret, aliàs non esset opus dispensatione, sed sufficeret epiikia, ut dicã c. 17. & docet D. Thom. 2.2. q. 147. art. 3. ad 2. *Si casus*, ait, *sit talis, ut, si legislator adesset,*

adesset, decerneret statutum non esse servandum, scilicet, absque dispensatione.

162. Collige Secundò, teneri item subditum obedire Superiori coarctanti, vel deroganti aliquibus immunitatibus sive licentiis, etsi à regulâ vel mediato Superiore permissis, nisi constet eum carere facultate derogandi. Constabit autem, si regula ipsa, vel mediatus Superior ipsi prohibeat derogationem totalem, vel partialem. Aliàs in dubio an habeat vel facultatem, vel etiam justam causam derogandi, præsumitur utramque habere, ut jam dixi in simili, & docet Sanchez cit. num. 9. scilicet, cùm eâ utitur derogando.

163. *Subditus etsi dubius de suâ aptitudine debet obedire Superiori injungenti officium Superioris, vel Confessarii.* Collige Tertiò, Religiosum jussum à Prælato suo suscipere officium Superioris aut Confessarii, debere obedire, etsi dubitet strictè, aut etiam latè, de sufficiēti suâ doctrinâ, vel prudentiâ, ut docet Sylvester verbo *Confessor*, 3. quæst. 3. Navarr. in Summâ cap. 4. num. 9. quos sequuntur recentiores. Quo sensu mitigandum est, quod docet D. Antoninus, & Paludan. teneri obedire, etsi eo munere se indignum putaret, scilicet tantùm opinativè, non certò.

Addunt iidem cum Sylvestro, minorem doctrinam requiri in audiente confessiones ex obedientiâ, quàm sponte. Quod rejicit Sanchez num. 11. aliique. Sed & hoc rectè explicari potest, quòd audiens ex obedientiâ faciliùs possit se reputare satis doctum, quàm audiens suâ sponte, etsi illi doctrina par, scilicet, ob auctoritatem Prælati jubentis.

CAPUT XVI.

An milites evocati ad bellum dubium, possint ac debeant Principi obedire?

SUppono hîc dicta super. libro tum cap. 15. de Rege ac Principe, quòd ne quidem in dubio lato ob jus probabile alteri possit bellum inferre; unde à fortiori sequitur, non posse in dubio stricto: tum cap. 16. de subditis, quòd illi possint obedire evocāti ad bellum, saltem cùm judicāt probabiliter illud esse justum, vel ob solā ejus auctoritatem: hoc cap. quæritur quid iis agendum, si strictè dubitent? 164.

Nota, milites esse vel externos, nec subditos, vel subditos: quales etiam censentur externi stipendiarii, ac mercede conducti in perpetuum, vel saltem ad longum tempus, nec tantùm belli, sed & pacis. Hi enim meritò habentur subditi principibus, ut famuli dominis suis.

Dico Primò: Subditi possunt, ac debent, in bello dubio, principi suo obedire ac militare. Est communis sententia, quod asserit Suarez cit. num. 8. & ostendit Salas sect. 26. initio, & Sanchez cap. illo 3. nu. 15. qui multos pro eâ citant & sequūtur, 165. *Subditi debent in dubio bello militare principi suo.*

tur, contra Vasquez disp. 66. cap. 9. & Ferdinandum cit. punct. 14.

Probatur Primò, ex dictis cap. precedenti, & illo c. 16. quia principes sunt Superiores, & quidē eminenti quodam ac principali jure ac potestate; atque adeò jure etjam divino dati sunt subditis judices, præsertim in arduis & ambiguis: quale est bellum. Quare hunc ipsum casum sic expresè definit de Rege quamvis injusto, & subditis justis Augustinus illis locis citatus. *Ita*, addit, *ut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi*; scilicet subditum, quem, ut dicit paulò antè, obedire justè ordo ipse constringit; nimirum quando huic certum non est Regis mandatum repugnare divino, ut premittit Augustinus; & contingit in bello certò injusto. Constat autem, id certum non esse in dubio stricto, idque quamvis subesset ratio bene fundata dubitandi. Quare contra ejus mentem, & universalia verba explicatur Augustinus de dubio tantùm lato vel levi, cùm præsertim sit eadem ratio de quovis dubio. In quovis enim, si agitur de bello, ipse princeps debet esse judex.

Confirmatur: quia nec minùs principibus convenit privilegium possessionis, nec minùs debent illi præsumi justa præcipere, quàm alii Superiores. Imò peculiariter in materiâ belli, ipsorum judicio standum est: ejus enim rationes & consilia ordinariè debent esse secretissima. Quare neque absque gravissimis regni incommodis & periculis ea propalari possunt, nedum examinari à militibus & plebeculâ. Quare optimè August. citatus, *Ordo*, inquit, *naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium apud principes sit.* Consilium, inquit, non tantùm auctoritas.

Quare non refert quòd è bello soleant oriri gravissima incommoda: quia illis æqualia, imò majora orirentur, si rationes belli à militibus deberent examinari, neque ii aliter possent obedire. Inde enim sequeretur aliquando eversio totius regni, quòd illorum inobedientia se tueri non posset bello, etsi reverà justissimo. Quare cū incommoda bellorum satis nota sint, illa ipsa princeps debet supponi considerasse, & cum consiliariis suis expendisse, adeoque subesse causa urgens, etsi ignota, quæ iis non obstantibus illum ad bellum tamquam majoris mali & injuriæ necessarium remedium adegerit. Atque hinc solvitur precipuum argumentum Ferdinandi, quod desumitur ab incommodis belli: argumentum Vasquez antè solutum est, quia non procedit tantùm in bello, sed quovis facti dubio. 166.

Probatur Secundò, conclusio à simili, vel fortiori. Primò, ex dictis cap. 12. quòd conjunx dubius de valore

valore matrimonii teneatur reddere debitum: ubi aliàs periculum est gravis peccati contra castitatem, & sæpè justitiam, ac legem naturalem: ergo etiam subditi, dubii de justitia belli debebunt reddere debitum militandi servitium petenti principi. Secundò, ministri quilibet justitiæ possunt, imò debent, exsequi sententiam à judice legitimo latam præmisso examine; adeoque in dubio stricto, modò non constet esse injustam: ergo etjam milites, qui in bello verè sunt ministri justitiæ vindicativæ, in simili dubio debebũt obedire principi suo, legitimo ac supremo in hac materiâ judici.

167. Ex quibus collige Primò, in dubio hoc tutius esse militibus subditis obedire principi; minùs tutum, adeoque peccatum, non obedire, ob ejus auctoritatem ac officium possessione confirmatum.

Idque quãvis probabiliter crederent bellum injustum, modò non certò. Collige Secundò, conformiter antè item dictis, milites debere obedire, etsi positivè & probabiliter crederẽt bellum esse injustum, modò non sint moraliter certi: quod ipsum expressit S. Augustinus citatus. Quare nimis scrupulosè Suarez num. 90. videtur obligare milites ad inquirendam veritatem, si dubitent ob rationes, quibus ipsi non possint satisfacere, vel quæ valdè suspectam reddunt justitiam belli. Sic enim dubitare possunt, etsi non sint moraliter certi de injustitia belli.

Collige Tertiò, posse aliquando obedire, etsi non teneantur, ut si princeps non jubeat rigidè, sed ut fieri solet declaret se velle, ut conscribantur milites necessarii. Quẽadmodum etiam in aliis, juxta dicta capitibus præced. subditi dubii non debent à Superioribus exspectare rigidum præceptum in virtute obedientiæ; & conjugi dubio sufficit quævis alterius conjugis petitio. Quia quævis ejusmodi voluntas sufficit, ut subditi, etsi speculativè dubii, deponant, aut non forment sibi conscientiam practicè dubiam, sed probabilem, imò certam, quòd hîc & nunc obedire liceat, imò expediat. Atque ita expresè sentit Cajetanus 2.2.qu.165. art.2. ad 4. quem citat & sequitur Sanchez num.17. 168. *Possunt aliquãdo, etsi non teneantur obedire.*

Confirmatur ab absurdo: quia si nemo in dubio bello militare posset, nisi teneretur, nullis liceret nomen suum militiæ dare, nisi in particulari singulis militibus id princeps juberet: quod repugnat communi praxi, & est moraliter impossibile.

Collige Quartò, contra Sylvestrum verbo *Bellum*, quæst.9. milites dubios non debere inquirere de justitiâ belli, ut expellant dubium, quia conformiter superioribus capitibus, ipse princeps in hac materiâ simul judex in actu exercito satis expellit hoc dubium, cùm bellum indicit.

Dico Secundò: Non subditi non 169.

Non subditi non possint militare in bello dubio.

possint militare in bello dubio. Quare si habent rationem dubitandi, debent, antequam militent, examinare vel inquirere ejus justitiam, si possunt absque notabili incommodo. Et hæc est communis, ut ostendit multos citans Sanchez citatus, & fatetur Suarez num. 10. etsi ipse saltem propendeat in contrariam: quam item videtur tenere Salas num. 272. sed explicari potest juxta additam limitationem, quam ipse indicat, & probavi suprà in similibus. Favet contrariæ Ferdinandus num. 3. quatenus non distinguit inter subditos, & non subditos, sed utrosque putat posse, si habent levem rationem dubitandi; neutros, si habent fundatam.

Observa duplicem haberi posse rationem dubitandi: negativè & strictè, vel positivè & latè, juxta dicta cap 1. Prima habetur. cùm res, in casu nostro justitia belli, advertitur negativè ac strictè dubia, vel non certa; sive defectu rationum sufficientium ad assensum, sive concursu æqualium pro justitiâ & injustitiâ; ita tamen ut ratio de eâ vel sic dubitandi sit particularis, non tantùm universalis. Secunda, cùm ob positivum aliquod argumentum judicatur alterutra probabiliter intervenire, in casu nostro, belli injustitia. Quòd si neutra ratio dubitandi occurrat, non tenebuntur rem inquirere, neque peccabunt milites, etsi non subditi, in bello reverà dubio militantes ob generale illud principium; quòd nemo peccet prosequendo objectum in quo nullam actu invenit rationem mali.

Quod attinet ad primam, Suar. num. 12. videtur docere, eâ non obstante etiam non subditos militare posse, si, ait, dubium sit purè negativum; etsi statim limites stricti & negativi dubii videatur excedere, cùm supponit principem, cui militant, esse bonæ apud omnes existimationis: hæc enim existimatio vel ad rem non facit, si militibus ignota: si verò nota, mutabit conscientiam militum de dubiâ strictè, in probabilem ob auctoritatem illam, & principium extrinsecum: quod tantùm requirit & docet Vasquez. Cùm verò occurrit secunda ratio dubitandi, seu dubium, ait, est positivum, credit Suar. non subditos obligandos ad inquirendam veritatem, videlicet secùs quàm subditos. Quod non videtur cohærere cum eo quod dicit paulò antè, in re ipsâ se non invenire ullam inter utrosque differentiam. Ceterùm conclusio intelligenda est etiam de primâ ratione dubitandi, & à fortiori de secundâ, quòd scilicet non subditi neutrâ militare possint; ut contrà subditi utrâque debent, juxta conclusionem primam.

170. Probatur hoc sensu Primò, ex universali doctrinâ, quia ordinariè debent sibi esse conformia judicium speculativum, & practicum,

nisi

nisi occurrat peculiaris aliqua ratio diversitatis, quæ (ut jam dixi hoc, & præcedentibus capitibus) subditis est mandatum Superioris, quod non extendit se ad non subditos: in quibus, ut suppono, nulla invenitur alia peculiaris ratio. Quare si dubitent speculativè, debent & practicè: dubio autem practico operari, ac militię nomen dare non possunt absque peccato.

Confirmatur: quia erga subditos princeps, & est simul legitimus in dubiis judex, & fruitur jure ac privilegio possessionis. Quare in hos quadrat regula Juris, 19. in 6. & 38. ff. non est sine culpâ qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet: bellum principis pertinet etiam ad subditos, secùs quàm non subditos.

Probatur Secundò, in dubio milites dicti debent eligere viam tutiorem: atqui ipsis via tutior est non militare bello dubio: quia non militando, certò nec peccant contra obedientiam, contra quam peccarent subditi, nec justitiam aliámve virtutem; militando autem fortè peccabunt, & quidem graviter contra justitiam, atque etiam charitatem, si bellum sit injustum: ergo debent illam viam eligere, nec militare. Unde sequitur præsumi debere, principem indicere bellum justum practicè à subditis iisdem, quibus præsumitur justa præcipere: non autem aliis. quod clarius fit si duo Catholici principes sibi mutuo bellum indicant: quorum neutri subjiciantur milites: qui tunc non debent potiùs præsumere ab uno, quàm altero justum bellum geri.

Probatur Tertiò: tum quia per se satis notum apparet, ac rationabile, in dubio item bello potiùs principis imperio ac voluntati posse se cõformare subditos, quàm non subditos: tum quia id ipsum videtur ad praxim commodius ac consultius, ut potiùs liceat militare quibusvis sub principe certò justum bellum gerente, v. g. contra Turcas, infideles vel hæreticos, quàm dubium contra Christianos ac Catholicos.

171. Ex dictis non est difficile solvere argumenta quæ communi sententiæ objicit Suarez. Primò enim milites, etsi nõ subditi, non tenentur inquirere de belli justitiâ, nisi occurrat ratio dubitandi: quæ si occurrat, certum est, nec illos, nec quosvis alios in quavis materiâ operari posse, nisi re aliquo modo examinatâ, & conscientiâ dubiâ depositâ. Quemadmodum in simili Suarez, debent in dubio inquirere, an contractus justi sint, qui stipendio in iis serviunt mercatoribus. Secundò, illa tantùm est differentia inter subditos, quales hîc sunt qui independenter à dubio bello principi subjiciuntur, & non subditos; quòd illi non egeant alio argumento ad deponendum dubium illud, quàm mã-

dato, seu voluntate principis: quæ meritò illis est pro ratione; hi egeant, ideoque nec possint iis primò se subjicere ad militandum bello dubio. Tertiò, vix tamen hi magis laborant, ut hîc conscientiam dubiam deponant, & forment sibi saltem probabilē, quàm alibi, scilicet, audiendo, vel consulendo alios se doctiores: quod ipsum illis faciendum est etiam in sententiâ contrariâ. Imò hæc quid gravius videtur illis imponere, ut discernant ipsi an dubitent negativè, vel positivè; vel ducantur ratione levi aut gravi. Quartò, si dicti milites constituunt unum corpus politicum, rempubl. vel exercitum, habeantque legitimos Superiores suos, eos poterunt sequi ad dubium bellum, ut alii subditi suos principes ob easdem rationes: quod rectè docet Suarez citatus.

172. Sed quid si milites nec habeant Superiores suos, & facto examine judicent bellum quidem unius principis probabiliter justum, sed probabiliùs injustum; alterius verò probabiliùs justum?

Milites carentes Superioribus non possunt militare nisi in bello quod probabilius putat justum.

Respondeo cum Suarez, sequi debere sententiam probabiliorem, juvando illum, qui jus habet probabilius, si videlicet militare velint. Quod videtur in rigore verius, & conformius superiori libro dictis cap.10.11. & 12. quòd charitas & justitia ad id obligent, ubi agitur, ut hîc agitur, de damno avertendo à proximis, præsertim magno, & defensione innocentium. Non videtur tamen id posse consistere cum iis, quæ ibidem docet Suarez: si enim milites possint sequi bellū in dubio purè negativo, quo nullâ ratione cognoscitur justum, à fortiori id possent quandocumque positivâ & probabili ratione justum æstimatur. Quòd si utriusque principis bellum judicarent æquè probabile, tunc liceret utrilibet militare, ut bene addit Suarez.

173. Addiderim tamen, videri omnino probabile, licere militibus militare in quolibet bello probabiliter justo: quia moraliter vix possunt ipsi discernere, in hac præsertim materiâ, majorem vel minorem probabilitatem, cujus causæ & rationes solent & debent esse occultæ. Præterea non obligantur ipsi ad hoc ex officio, ut ferè obligantur qui tenentur sequi sententias probabiliores, Pastores animarum, medici, & judices; ut explicui capp. citatis: qui possunt discernere, adeoque debent sequi opinionem probabiliorem.

174. Dices cum Suarez: In simili dubio licet quibusvis, etiam non subditis, vendere principibus, eorumque militibus, arma: ergo etiam locare operam suam in militando.

Licet vendere arma militātibus bello non tantū fortè, sed certò dubio.

Respondeo negando consequentiam & paritatem: quia milites proximè & determinatè concurrunt ad bellum, venditores armorum tantùm remotè & indeterminatè. Illi aggrediuntur & occidunt

cidant hostes, fortè insontes, & injustè, si bellum injustum sit; hi autem vendunt tantùm ea, quibus emptores possunt tam bene, quàm malè uti. Quare non imputatur venditoribus, si emptores iis malè utantur: ob quam causam licet vendere arma etiam militantibus bello apertè injusto: nemo tamen dixerit licere eo militare. Ita licet vendere aleas, chartas lusorias quibuslibet, & Judæo agnum, etsi sciatur etiam eo abusurus & immolaturus.

CAPUT XVII.

An & quâ ratione in dubio locum habeat Epiikia?

175. NOta, etsi D. Thomas 2.2. qu. 120.art.2.ad 2.putet τὸ ἐπιείκεια dictum ἀπὸ τῦ ἐπὶ & δίκαιον, quasi supra justum, eò quòd sit, ut docet Aristoteles 5. Ethic. cap.10. melior ac sublimior quædam justitia; veriùs tamen dici ab ἐπὶ, quod in compositione augendi vim habet, & εἰκὸς, quod significat æquum, ac decens; adeò ut græcè ἐπιείκεια idem sit quod latinè *æquitas*: quam Aristoteles etiam recensuit inter prudentiæ partes, & nominavit γνώμην: hanc enim lib. 6. cap.11. definit rectum judicium æqui & boni: ubi æquum græcè est ἐπιεικές. Rectè autem Aristoteles cap. illo 10. τὸ ἐπιεικὲς, vel ἐπιείκειαν docet esse correctionem legis, ob universalem locutionem, scilicet contra verba universalia, non tamen intentionem legis. Bartolus in l.1. C.de legibus, vocavit eam convenientiam, seu benignitatem quamdam juris; Panorm. in cap. ult. de transact. dulcore misericordiæ temperatam: quia quatenus significat actum intellectûs, est dictamen prudentiæ, quòd lex aliàs universalis, in particulari casu ob peculiarem aliquam rationem, v.g. grave incommodum, servanda non sit. Quatenus verò significat actum voluntatis, seu volitionem id exsequendi, spectat ad varias virtutes pro capacitate materiæ ac motivi.

Epiikia est æquitas.

Nota Secundò, eam non admitti à lege naturali, juxta dicenda libr.5. cap.22. & D.Thomam jam cit.art.1. & 1.2. quæst. 100. art.8. quia hæc non verbis externis, ut positiva, sed interno prudentiæ dictamine explicatur. Admittitur ergo à solâ lege positivâ, idque etsi nullum de eâ sit dubium, juxta sententiam D.Thomæ citati, & communem. Unde certò constat, eamdem habere locum circa legem positivam dubiam, quo saltem modo casuque locum habet circa certam: quod hîc non disputatur, sed supponitur. Status ergo hujus quæstionis est, an peculiariter admittenda sit circa dubiam legem, vel mandatum, quia dubium est. Exempli causâ constat legem universalem exstare de audiendo Sacro Dominicis & Festis: circa quam 176.

Epiikia nō admittitur à lege naturali, sed positivâ.

tamen dubium est, an ea hîc & nunc te obliget ob incommodum, quod dubites an sufficiat ad te excusandum. Quæritur, an possis uti epiikiâ, nec audire Sacrum, idque tuo judicio, non petitâ dispensatione, vel interpretatione à Superiore. Quod certò posses, si incommodum esset valdè grave. Unde apparet, hanc quæstionem peculiariter procedere de mandatis Superiorum: de quibus actum superioribus capitibus, qui vivâ voce mandatum suum ac mentem explicare possunt.

177. Suppono autem epiikiam habere hîc locum, si probabile sit incommodum illud esse sufficiens ob universalem rationem, quòd liceat sequi sententiam probabilem. Quod tamen bene moderatur Suarez de Legibus lib. 6. cap. 8. num. 9. juxta communem sententiam, usu, inquit, omnium piorum & prudentum confirmatam, ut verum sit cùm periculum est in morâ, vel aliâ de causâ consuli non potest Superior: qui aliàs consulendus esset, ut mentem ipse suam vel legislatoris explicaret. Quę sunt conformia suprà dictis, quòd in dubiis ante omnia inquiri debeat, si posset, veritas. Quamvis itaque probabile sit speculativè incommodum esse sufficiens, si tamen Superior consuli facilè potest, non debet practicè censeri sufficiens, ne quidem probabiliter, ut te excuset antequàm eum consulueris.

Etsi probabiliter incommodum excuset, debet cōsuli Superior, cū potest:

Addit idem hoc etiam intelligendum esse, cùm dubium est de potestate, etsi potissimùm cùm dubium est de intentione Superioris, vel legislatoris.

Adverte tamen hoc ideò & eatenus verum esse, quatenus Superior potest te reddere certum, & tollere omne dubium etiam opinativum, etsi probabile. Nam inordinatum est te quidquam agere, vel omittere contra legem ob conjecturas, etsi probabiles, cùm potes esse certus de veritate. Quâ item de causâ simpliciores, etsi pro suo captu probabiliter dubitarent de obligatione legis, deberent rei veritatem inquirere à doctioribus, cùm facilè possunt. Alia est ratio de dubio opinativo absolutè probabili, v.g. contractu probabiliter justo: quod nec Superior, nec doctior tollere potest, etsi cōtrarium ipse putet probabilius. 178.

& à simplicioribus doctiores.

Dico jam Primò: In dubio non habet locum epiikia, cùm potest consuli Superior. Est communis D. Thomæ 1.2. quæst. 96. art. 6. ad 2. & 2.2. quæst. 120. art. 1. in corpore, & ad 3. 179.

In dubio non habet locū epiikia cū potest cōsuli Superior.

Probatur Primò, ex lege: *Inter æquitatem júsque, interpositam interpretationem nobis solis, & oportet, & licet inspicere*, C. de leg. quibus Imperator sibi reservat interpretationem juris, legisque suæ, scilicet casu conclusionis. Quia cùm res est indubitata, ea permittitur cuivis viro docto, cùm præsertim

tim non potest consuli legislator.

Probatur Secundò, ex jam dictis, quia casu conclusionis non habet locum epiikia, etsi probabiliter putetur mandatum hîc & nûc non obligare: ergo multò minùs cùm dubitatur strictè. Ratio universalis jam indicata est, quòd sit illicitum operari conscientiâ quomodocumque dubiâ, cùm facilè deponi potest, si consulatur Superior præsens. Quæ ratio, adeoque conclusio, clara est, cùm ille dubium potest tollere explicando intentionem suam, de quâ dubitetur: secùs verò, si dubitetur de potestate. Verùm & hoc dubio utraque vera est, etsi non tam clara. Quia, si Superior asserat se habuisse intentionem, debet in dubio practicè præsumi etiam habuisse potestatem beneficio possessionis officii & potestatis suæ, ut ostendi cap. 14.

180. *Cùm non potest cõsuli Superior, & mandatũ est difficile, valet epiikia.*

Dico Secundò: Si absque notabili difficultate servari non potest mandatum dubium, nec potest consuli Superior, habet locum epiikia, quâ judicetur illud non obligare; aliàs non habet. Hac itérum moderatione conciliari inter se possent Cajetanus, Sotus, Medina, aliique interpretes D. Thomæ locis citatis, qui simpliciter negant etiam tunc esse locum epiikiæ, & Sylvestr. v. *Dispensatio*, qu. 4. Corduba libr. 3. quæst. 13. ante 1. regulam, Henriquez libr. 14. de irregul. cap. 3. n. 3. quæst. 13. lit. X. Bonacina de leg. disp. 1. puncto ult. §. 2. proposit. 2. num. 10. qui affirmat.

Probatur Primò, ex Scripturâ, quæ sæpè affirmat præcepta etiam divina, in novo præsertim Testamento, non esse difficilia. 1. Joan. 5. *Mandata ejus gravia non sunt*. Matthæi 11. *Iugum meum suave est, & onus meum leve.* & Act. 15. ubi Princeps Apostolorum: *Quid tentatis Deum imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Quibus constat satis explicari epiikiam excusantem à lege quavis positivâ, ejusque obligatione, etsi certam, cùm particulari casu non potest servari absque gravi incommodo, nisi extraordinariè causa urgens legis aliud exigeret. Hinc autem ulteriùs elicitur eâdem cõvenientiâ, epiikia accommodata legibus & mandatis dubiis. Nam certè naturalis æquitas & prudentia dictat ob dubiam obligationem non esse subeundum certum & notabile incommodum; seu minùs subeundum esse ob legem dubiam, quàm certam.

Probatur Secundò, ex dictis c. 6. conclus. 2. & 3. & cap. 14. concl. 4. ac generali illo principio, quòd juxta rationem jam allatam nulla lex, ne quidem divina ac naturalis, multoque minùs humana, de quâ potissimùm agimus, in dubio obligent cum gravi incommodo. Itaque judicium illud quo prudenter statuis te lege quacumque in dubio

bio ob peculiarem rationem ac incommodum non obligari, posset dici epiikia latè sumpta. Verùm ea strictè ac propriè sumpta tantùm versatur circa legem positivam, præsertim humanam, eamque jam latam, cùm sit ejus quædam emendatio, seu benigna interpretatio. Itaque propriè ad epiikiam spectat in casu conclusionis illius 3. & 4. à præcepti obligatione excusare, cùm dubitatur an licitum sit, quod præcipitur; nec illud expleri potest absque notabili incommodo. Hæc est enim benigna interpretatio legis dubiæ, ob peculiarem rationem & incommodum. Quod autem dixi de dubio præcepto, ratione materiæ, vel potestatis, à fortiori videtur dicendum de dubio ratione intentionis dubiæ; cùm hæc habeat se ex parte præcepti quasi ejus anima: adeò ut cùm dubitatur de intentione, de ipsâ quoque lege in particulari necessariò dubitetur.

181. Ex quibus sequitur, non loqui consequenter recentiores, qui nobiscum docent conclusiones dictas, & hanc negant: quia reverà non differunt, idemque argumentum contra omnes valet, vel nullas; videlicet quòd in dubio sit possessio & præsumptio pro præcipiente, ac præcepto. Dicendum enim est hîc, quod ibi cum illis diximus, id limitandum ex rationabili epiikiâ ad casus non difficiles. Aliàs subditi sunt in possessione libertatis suæ ad non subeunda in dubiis mera, seu incommoda notabilia. Atque ita rationabiliter explicanda est intentio, imò & potestas præcipientis. Dictis autem satis confirmata est conclusio, nec tantùm prior ejus pars, sed & posterior. Si enim in dubiis epiikia locum habet ratione difficultatis, in expletione præcepti subeundæ: ergo hac causâ cessante cessabit, nec locum habebit illa.

Confirmatur: quia cessante eâdem difficultate ac incommodo obligat axioma & præceptum naturale: *In dubiis eligenda est via tutior*, ut suprà illud explicui: via autem tutior haud dubiè est servare legem, etsi particulari casu dubiam, quàm non servare.

Observa tamen, quando constat casum comprehendi sub verbis præcepti generalibus, non censeri dubium an eum Superior intenderit comprehendere, nisi occurrat positiva & peculiaris aliqua ratio dubitandi, ut colligitur ex dictis de lege cap. 6. & voto conclus. 2. cap. 10. Aliàs Superior censendus est intendisse obligare ut verba sonant. Quare non sufficit tunc dubium strictum & negativum; sed requiritur latum & opinativum, nisi strictum oriretur ex concursu oppositarum rationum æquè verisimilium. Eademque est ratio, si dubitatur non ratione intentionis, sed potestatis ac materiæ dubiæ: nisi enim de hac occurrat posi- 182. *Cùm casus cōprehenditur verbis legis, nō est dubiū an eum Superior comprehenderit.*

positiva ratio dubitandi, debet supponi ut indubitatum, Superiorem non præcepisse nisi quod potuit. Ceterùm quando ob aliquam positivam rationem de Superioris, vel potestate, vel intentione dubitatur, officium epiikiæ est dictare quòd ejusmodi præcepto non tenearis, si absq; notabili incommodo non possis explere.

183. *In cõcursu præceptorum dubiorum servandũ est gravius,*

Observa Secundò, alio ex capite posse reddi præceptum, ejusque obligationem dubiam, ob concursum alîus præcepti contrarii, v.g. si opilio die Dominicâ dubitet an debeat custodire oves domini sui, vel audire Sacrũ. Quo & similibus casibus etiam Suar. lib. 6. de Legibus c. 8. nu. 12. admittit epiikiam excusantem à lege, aut præcepto minùs gravi, scilicet vel reipsâ, vel judicio dubitantis. Ita si æger dubitet, an sit jejunus naturaliter, & num sit sufficiens periculum ad sumendum viaticum, potest, imò aliquando debet, illud sumere: quia hîc præceptum Ecclesiasticum requirens ad communionem jejunium naturale, debet cedere graviori divino sumendi in articulo mortis viaticum. Quo modo deberet cedere, si æger de utroque certus esset de jejunio violato, & periculo mortis. Quæ tamen doctrina non placet Ferdinando disp. 3. punct. 8. num. 5. quòd tunc servandum sit præceptum certum, omisso dubio: quam rationem non intelligo, cùm agatur hîc de utroque præcepto dubio, neutro certo.

184. *nisi levius esset certius.*

Observa tamen Tertiò, si alterutrum præceptum, etsi aliàs levius, multò verisimiliùs altero obligaret, judicio ejusdem epiikiæ non servandum esse gravius, sed levius. Quo item sensu explicandum est illud: E duobus malis eligendum est minus; ut minus hîc malum sit, quod est incertius, etsi aliàs majus, v.g. violatio legis gravioris. Eodemque sensu in dubiis eligenda est via tutior. Tutior enim tunc via est subire periculum minus, id est incertius. Vide dicenda lib. 5. c. 17. ubi item explicabo quid faciendum casu, quo quis, exempli causâ, in dicto casu opilio, nullam posset invenire differentiam in utroque præcepto.

185. Petes, quantum & quale tandem debeat esse notabile illud incommodum, quod toties dictum est in dubio ab obligatione excusare?

Quãtum incommodum in dubio excuset, non potest universali regulâ definiri.

Respondeo generali id regulâ statui non posse, sed tandem definiendum hîc & nunc judicio prudentis. Quemadmodum nec id statui potest de incommodo gravi excusante ab obligatione legis certæ: quia sicuti leges positivæ non obligant æqualiter, sed una graviùs, alia leviùs, juxta capacitatem, vel exigentiam materiæ, Doctorum explicationem, & Christi fidelium consuetudinem sensumque; ita proportione servatâ ab obliga-

tione unius excusat incommodum gravius, ab obligatione alîus levius. Id tamen juxta antè dicta universaliter verum est, & observandum, quòd incommodum excusans ab obligatione dubiâ legis, vel præcepti cujuscumque, minus debeat esse, quàm excusans ab obligatione certâ, ejusdem legis, vel præcepti. Secundò, quòd, sicut ordinariè ab observatione legis positivę, etsi certę, excusat ejusdem impossibilitas, non physica, sed moralis, id est grave incommodum: ita ab observatione legis dubiæ excuset incommodum notabile ac mediocre, seu medium inter grave, quod excuset ab observatione ejusdem legis certæ; & leve, quod moraliter non sit æstimandum. Quæ tamen ipsa mediocritas habet suam latitudinem, & in variis legibus debet proportionari variæ earumdem obligationi.

CAPUT XVIII.

An dubius de peccatis mortalibus teneatur ea confiteri?

186. *Varii modi dubitandi.* NOta Primò, quadrupliciter de illis dubitari posse. Primò, quasi de facto & jure, ut si dubites an aliquid commiseris quod sit mortale, v.g. consenseris delectationi morosæ: Secundò, de solo jure, ut si scias te abstulisse rem aliquam, dubites tamen an illud sit furtum, saltem mortale: Tertiò, si de utroque, facto & jure, seu commisso peccato, eoque mortali, certus, dubites an illud confessus fueris, scilicet validè; sive ratio dubitandi sit ex parte tuâ ob dubiam dispositionem, sive Confessarii ob dubiam potestatem. Quartò, si dubites an peccatum sit reservatum. Denique omnibus his modis potes dubitare vel strictè & suspensivè, vel latè & opinativè. Si strictè, vel ita ut habeas rationem probabilem dubitandi, etsi insufficientem ad assensum, v.g. ob concursum contrariæ rationis illi æqualis; vel ita ut nullam habeas rationem peculiarem assentiendi, aut dissentiendi, aut certè non nisi levem, & insufficientem ad assensum ob ejus debilitatem, juxta dicta in simili cap.16. conclus.2.

Dico Primò: Si dubites strictè posteriori hoc modo, ita ut nullam habeas peculiarem rationem, aut tantùm levem dubitandi, non teneris confiteri peccata eo modo dubia, ne quidem ut dubia. Hanc conclusionem, etsi practicè necessariam, vix exprimunt Doctores; imò videntur indicare contrarium, dum universaliter docent in dubio quovis ea confitenda ut dubia. Reverà tamen supponunt ut communem, illam sententiam modumque loquendi bene explicat Suarez de pœnitentiâ disp.22. sect. 9. num. 7. dicens eam procedere, quando homo habet probabiles rationes dubitandi, & non potest determinari ad ferendum judiciû 187. *Dubius strictè absque peculiari ratione dubitandi non tenetur confiteri peccata dubia.*

pro-

probabile. Consentit Sanchez lib.1.in Præcept. cap.10. num.86. ubi eamdem sententiam explicat de dubio non quovis, sed rationi consono.

Probatur Primò, ab incommodis: quia aliàs, si quodvis negativum & strictum dubium sufficiat ad dictam obligationem, aperitur janua infinitis ferè scrupulis de confitendis plurimis peccatis, saltem ut dubiis, contra communem Christi fidelium sensum & praxim. Ita omnes deberent confiteri se fortè non explesse præceptum diligendi Deum super omnia, postquam ad rationis usum pervenerunt, saltem primâ occasione. Qui enim novit illud præceptum tunc obligare, juxta sententiam saltem probabilem, habet rationem de eo cogitandi & dubitandi universalem, quòd spectatâ fragilitate humanâ, præsertim puerili illâ ætate ejusmodi præcepta sæpè negligi, nec servari soleant. Quare de se etjam meritò potest dubitare.

188. Nec refert quòd adultus non possit jam meminisse an expleverit, nec ne: nam inde tantùm sequeretur, quòd non deberet confiteri peccatum hoc ut certum; nō autem, quòd non deberet ut dubium. Eadem est ratio de plurimis aliis peccatis ætate puerili, atque etiam juvenili committi solitis, si præsertim eâ ætate, vel numquam, vel raro confessus fueris. Tunc enim non potes supponere te similia confessum fuisse: nec tantùm hoc verum esset de scrupulis circa præterita, sed etiam circa præsentia, & futura. Quare non liceret explodere bombardam, vel jacere lapidem aut sagittam in silvâ, nisi antè lustrasses, & vidisses neminem ibi esse: quia aliàs posset absolutè contingere aliquem ibi esse, & tangi. Eadem est ratio de dubiis juris, an, v.g. hic contractus non sit illicitus, vel hodie non sit dies jejunii, vel festus, respectu simpliciorum, qui id certò non norunt, nec habent tamen peculiarem rationem dubitandi.

Probatur Secundò, ratione ex 189.
generali illo principio explicato lib. 2. cap.17. quòd nullum opus, omissio, vel ignorantia sit mala, nisi præcognitâ aliquo modo ratione mali: quod etsi clarius sit, cùm nulla occurrit ratio dubitandi, ne quidem universalis; iisdem tamen ferè rationibus extendi debet, cùm non occurrit ratio dubitandi particularis. Aliàs enim ratio hæc peccati particularis non est voluntaria, nec est occasio prudenter instituendi de eâ consultationem: quæ non procedit in infinitum, exigitque occasionem aliquam particularem. Aliàs obligatio ejusmodi objecta, vel inquirendi, vel fugiendi, excedit certè humanam fragilitatem, & industriam. Unde sequitur, dubia ejusmodi, ut ita dicam universalia, potiùs esse metaphysica, quàm moralia,

lia, neque in ejusmodi eligendam esse viam tutiorem, neque de iis actum fuisse hactenus.

Levis ratio dubitandi rejicienda quasi nulla. Addidi, *aut tantùm levem*: quia eo ipso quo levis, rejici potest, & haberi quasi nulla, ut in simili definitum cap. *Inquisitioni*, de sentent. excommun. quod explicui cap. 12. quod verum est sive illa moveat ad assensum, seu suspicionem levem, quamvis tunc desineret esse dubium negativum, & strictum; sive non moveat, nec sufficiat ad ullum assensum, sed illum relinquat strictè dubium.

190. Ubi observanda est aliqua differentia inter dubium de valore matrimonii, de quo agitur illo cap. aliisque, de quibus actum est superiùs, & dubium de admisso peccato, de quo hîc agitur. Quòd in illis ad deponendũ dubium tamquam leve, opus sit informatione, & consilio aliorùm; in hoc verò ordinariè tantùm ipsius conscientiæ examine, ac testimonio. Secunda differentia item est inter dubium facti & juris, quòd si ne quidem de facto constet, non soleat esse ratio dubitandi; si autem constat de facto, v. g. ablatione rei, vel pugnâ, eo ipso soleat esse peculiaris ratio dubitandi, an non intervenerit furtum vel homicidium. Quòd si tamen inde nulla oriatùr suspicio mali, quòd putaris bonâ fide rem tuam, vel tibi debitam, eadem est ratio de dubio juris.

191. Dico Secundò: Dubius tribus primis modis peculiariter sensu jam explicato, etsi strictè, v. g. an delectationi morosæ consenserit; an contractus initus sit usurarius; an illud confessus fuerit: tenetur id confiteri. *Dubius tribus primis modis tenetur confiteri.* Est D. Thomæ in 4. dist. 21. qu. 2. art. 3. ad 3. Imò communis sententia, ut ostendit plurimos citans Sanchez libr. 1. in Præcepta, cap. 10. à num. 66. qui eamdem reputat omninò certam.

Probatur communis sententia Primò, communi item ratione, & axiomate, quòd in dubiis tutius sit eligendum, non tantùm ex consilio, sed etiam ex præcepto: atqui in omnibus istis dubiis tutius est confiteri: quia confitendo nulli se periculo exponit, & recipit gratiam Sacramenti; non confitendo autem exponit se periculo violandi præceptum confessionis: ergo tenetur confiteri. Laborant ut hanc rationem tueantur, qui axioma illud explicant de consilio, non præcepto. Ita enim tantùm esset consilii confiteri, non præcepti. Quare videtur hîc valere alterum axioma: *In dubio melior est conditio possidentis*, in casu nostro libertatem non confitendi.

Respondent aliqui possessionem hîc esse non pro dubitante, sed præcepto: quòd communi Doctorum antiquiorum, & recentiorum sententiâ, & praxi Ecclesiæ certum sit præceptum confitendi peccata dubia. 192.

Verùm Primò, suprà aliquoties dixi,

dixi, ipsi præcepto non competere titulum, aut privilegium possessionis, cujus non est capax. Secundò, esto sit capax, quo jure in dubio spoliavit dicto privilegio dubitantem, possidentē suam libertatem? Præterea communis sententia, & praxis Ecclesiæ innititur alicui fundamento: ergo hoc assignari debet independenter ab illâ. Aliàs præceptum confitendi peccata dubia esset juris humani, quod solùm stabilitur consuetudine, non divini. Fundamentum autem illud jam allatum est: cui non repugnat possessio libertatis; quæ non est privilegiata, nisi ad avertendum notabile incommodum: quale non censetur confiteri peccata dubia: tum quia non exceduntur limites dubii, cùm ea narrantur tamquam dubia: quare dubitans manet quasi in possessione ac statu dubio: tum quia, si quod incommodum est in ipsâ confessione, id illi est intrinsecum, adeoque comprehensum præcepto divino confitendi. Quare faciliùs excusaret incommodum extrinsecum. Fateor tamen utrumque incommodum minus esse debere, ut excuset à præcepto confitendi dubio, quàm certo. Quâ moderatione accipi debet quod docet Salas sect. 5. n.60. ad 4. teneri quem confiteri peccatum dubium, si absque magno incommodo potest.

Non censetur notabile incommodū confiteri peccata dubia.

193. Probatur Secundò, argumento Tridentini sess. 14. cap. 5. quia ad tribunal hoc pœnitentiæ pertinet cognitio omnium mortalium, eâdem ferè ratione dubiorum, quâ certorum. Aliàs judex Confessarius non potest formare rectum judicium de causâ statuque rei pœnitentis. Quare Concilium definit recensenda à pœnitentibus omnia mortalia quorum conscientiam habent, solis venialibus exceptis: atqui peccatorum dubiorum habent conscientiam, etsi dubiam: ergo ea etiam recensenda.

Confirmatur: quia, ut bene Sanchez, lex hæc confitendi non est restringenda, ut odiosa & pœnalis, sed potiùs amplianda, ut favorabilis & medicinalis; cùm quā maximè cedat in favorem animarum, & deletionem peccatorum.

Ex dictis colligo & dico Tertiò: Primo & secūdo modo dubia confitēda sunt ut dubia, non autē tertio. Est etiam re ipsâ cōmunis. 194.

Primo & secundo modo dubia confitenda, ut dubia, nō tertio.

Probatur: quia, ut colligitur ex Trident. citato, peccata eo modo confitenda sunt, quo sunt in conscientiâ: in conscientiâ autem illa sunt dubia. Accedit ratio, tum quia aliàs deciperetur judex Confessarius, nec posset de peccatis & statu pœnitentis formare rectum judicium: tum quia aliàs mentiretur pœnitens, dicens certa, quæ sunt dubia: quod necessariò malum est, præsertim circa materiam confessionis necessariam.

Imò hinc sequitur, id esse mortale ex genere suo, quamvis excu- 195.

Confiteri

dubia ut certa ex genere suo est mortale. set Primò, materiæ parvitas in ordine ad dictum judicium Confessarii; ut si quis confitens multa mortalia, unum atque alterum dicat tamquam certum, quod est dubium. Nec enim ideò notabiliter mutaretur judicium Confessarii: secùs, si confiteretur tantùm unum atque alterum; & utrumque, vel alterutrum, diceret ut certum.

Secundò, excusat à mortali, imò & veniali, simplicitas pœnitentis putantis melius esse se accusare, quàm excusare.

Dixi, *Non tertio*: ut enim rectè Suarez cit. num. 2. ad præsens judicium, ac confessionem, non spectat, an antè peccatum fueris confessus, nec ne. Nam etsi confessus fueris, nihilominus est materia secundæ confessionis; secùs, si numquam illud fecisses juxta primum & secundum dubium. Addo, non tam peccata tertio illo modo dubia esse, quàm eorum confessionem ipsis extrinsecam.

196. *Quandocumq; materia confessionis est dubia, adjungenda est certa.* Observa præterea Primò, cum eodem Suarez num. 3. quando materia quocumque modo est dubia, adjungendam esse certam, vel veniale certò factum ab ultimâ confessione, si mortalia sint dubia; vel quando etiam venialia essent dubia, peccatum aliquod veniale, aut mortale certò commissum aliquando, etsi ante ultimam confessionem. Ratio est: quia aliàs deberet dari absolutio, adeoque administrari Sacramentum Pœnitentiæ sub conditione: quod debet vitari cùm potest. Cessat tamen hæc ratio, ideoque non est opus eâ cautelâ, cùm dubium est de jure tantùm, v.g. an furtum certò factum sit mortale; tunc enim certa est materia, etsi illud sit tantùm veniale.

Observa Secundò, cum Sanchez num. 69. exprimendas etiam circumstantias peccati dubii: quare dubius an feminam concupiverit, debet explicare suum illiusque statum. Ratio eadem est, quę conclusionis: quia id necessarium est ut Confessarius cognoscat gravitatem peccati, & statum conscientiæ pœnitentis. Similiter dubitans an aliquod in genere peccatū mortale admiserit, etsi immemor speciei, tenetur illud cōfiteri. Addit Sāchez, si postea speciei meminerit, teneri & illā confiteri: quemadmodū qui peccatum cōfessus est ut dubium, debet iterum confiteri ut certum, si postea certus fiat se id fecisse. Verùm etsi hoc sit multò tutius, & probabilius; contrarium non videtur improbabile, tum de specie, tum præsertim de certitudine. Quia primâ confessione peccata illa, & clavibus fuerunt subjecta, & remissa, idque directè: ergo non videtur opus novâ cōfessione & absolutione. Sicut etiam, etsi multò verius sit exprimendas circumstantias notabiliter aggravantes, saltem probabile est eas non debere exprimi secundâ confessione, si primâ, bonâ fide omissæ fuerint. 197. *Etiam circumstantiæ peccati dubii explicandæ.*

Dico

Dubius de reservato debet id ut tale habere citra notabile incommodum.

198. Dico Quartò: Qui juxta quartum modum dubitat de casu reservato, debet illud habere ut reservatum, quatenus potest absque notabili incommodo. Est media inter sententiam Armillæ & Cordubæ, qui absolutè affirmant, habendum ut reservatum; & Suarez & Sanchez, qui negant.

Probatur ex eodem illo principio: quia eatenus in dubio eligendum est tutius: tutius autem est habere tamquam reservatum. Ceterùm non habent hîc locum rationes conclusionis secundæ: tum quia reservatio solet esse obnoxia notabili incommodo, & difficultati, nominatim obtinendi absolutionem, estque illud incommodum extrinsecum confessioni præceptæ jure divino: tum quia reservatio, ut quædam pœna, potiùs restringenda est, secùs quàm preceptum confitendi. Unde sequitur in dubio vix censenda esse peccata vel censuras illis annexas reservata Pontifici: quòd ægrè ad illum à plerisque recurri possit, & in dubio possit absolvere Episcopus, ut dixi n.133.

199. Petes, Quid si quis quatuor illis modis dubitet opinativè, putetque probabile se vel non fecisse, aut confessum fuisse peccatum mortale, vel reservatum?

Respondet Sanchez & Suarez illum non teneri confiteri, quòd liceat illi sequi sententiam probabilem. Unde ulteriùs inferunt, idem dicendum, etsi contrarium putaret etiam probabile, imò probabilius. Sed hæc limitanda sunt juxta regulas conscientiæ probabilis libr. superiori explicatas. Quibus constat Primò, non semper licere sequi sententiam speculativè probabilem, & judicium practicum sæpè difforme esse speculativo, cùm accedit nova aliqua ratio. Ita sæpè non licet Pastori administrare Sacramentum probabiliter validum; neque medico applicare medicamentum probabiliter profuturum; neque judici jus dicere secundùm sententiam probabilem. Quamvis itaque in casu præsenti probabile sit speculativè te vel non fecisse, vel confessum esse peccata; non ideò sequitur practicè, te non debere ea confiteri. Secundò, hîc etiam discernendum quid liceat beneficio sententiæ probabilis, & quid ex naturâ rei, & sententiæ veritate. Quamvis ergo sententia illa probabilis sit ob auctoritatem Doctorum citatorum, ideoque liceat eam sequi practicè, non ideo spectatâ rei veritate.

Qui probabiliter putat se nõ fecisse peccatum, nõ tenetur confiteri, nisi etiam putet probabiliter se fecisse.

Respondeo itaque distinguendo, vel is ita putat probabiliter se non fecisse peccatum ejusmodi, ut etiam putet ob aliam rationem probabiliter se fecisse; vel ita, ut hoc non putet. Posteriori hoc modo non tenetur confiteri, quia sic verè non dubitat, sed probabiliter opinatur se id non fecisse. Neque occurrit alia ratio cur non liceat sequi sententiam illam probabilem,

lem, aut judicium speculativum debeat difforme esse practico. Atque hoc modo explicari possunt plures Doctores, qui pro illâ sententiâ citātur. Priori tamen modo tenetur confiteri: quia verè relabitur in statum conscientiæ dubiæ, saltem æquivalenter. Quantum enim dubio detrahit probabilis opinio quòd non feceris; tantum ex alterâ parte addit opinio item probabilis quòd feceris. Quare verè tam manet incertum an feceris, quàm an non feceris. Itaque necessariò naturali jure & æquitate recurrit hîc principium illud, quòd in dubio eligenda sit via tutior, nimirum confessio. Quare ratio illa & opinio etiam probabilis sufficit ad difformitatem judicii speculativi, & practici.

Confirmatur: quia sic dubitans positivè, seu utrumque opinans, si non confiteatur, tam se exponit periculo violandi præceptum confitendi, quod tandem hîc spectatur, quàm dubitans negativè. Imò magis, si probabiliùs putet se fecisse.

200. *Certus de peccato, dubius de confessione, tenetur confiteri.* Ex quibus etiam colligitur, debere similiter confiteri certum de peccato facto, dubium etsi opinativè, seu putantem se probabiliter id confessum fuisse: quia & hic habet rationem utrimque opinandi. Quare omnibus spectatis manet dubius juxta dicta cap. 3. à nu. 24. perinde ac certus de contractu, ac debito præterito, dubius opinativè de solutione. Neque excusat illum hîc, aut possessio aut notabile incommodum, juxta dicta nu. 192. Atque hæc minimum docet Salas citatus, dicens universaliter dubitantem, seu opinantem probabiliùs se non peccasse, aut confessum fuisse, debere confiteri.

Conformiter dictis etiam Henriquez lib. 5. de pœnitentiâ cap. 4. in fine, & Sanchez num. 77. rectè in simili excipit à suâ sententiâ mortis articulum: quo dubius opinativè, seu probabiliter putans, se peccatum mortale non commisisse, teneatur de illo conteri, scilicet ratione periculi æternæ damnationis, cui aliàs se tunc exponit, si, ut supponitur, tunc non possit suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, aut baptismi, quo absque contritione obtineatur medium ad remissionem peccati ac salutem necessarium. Non probatur tamen omnino ratio illorum, quòd sententiâ probabilis excuset quidem à culpâ, non tamen suppleat necessarium illud medium: quia vel agitur de sententiâ speculativè probabili, quòd peccatum non sit commissum, vel remissum: & hæc dicto casu non excusat à culpâ: aliàs sub culpâ non teneretur confiteri, vel de probabili practicè: & hæc non habet hîc locum: quia practicè, & omnibus spectatis improbabile est, non probabile, quòd talis non debeat conteri: aliàs verè non deberet, sed posset

201. *In articulo mortis dubius, etsi opinativè de peccato nō facto, tenetur cōteri, si non possit confiteri.*

sequi

ſequi ſententiam practicè probabilem. Eo tamen ſenſu dicta ratio poteſt intelligi, quòd, cùm ſententia probabilis non ſuppleat medium neceſſarium, hîc ne quidem excuſet à culpâ, etſi aliàs excuſet.

202. Addunt Doctores citati, ſi quis dicto articulo nequeat facilè conteri, nec ſuſcipiat aliud Sacramentum peccati remiſſivum, expedire confiteri.

Sed & confiteri, ſi poſſit.

Sed conſequenter dicendum videtur, non tantùm id expedire, ſed fieri debere, ratione ejuſdem periculi. Quia non tantùm difficile, ſed dubium eſt an quis verè contritus ſit. Itaque tanto periculo debet occurri certiori remedio, ſcilicet etiam Sacramenti, non quidem præcepto poſitivo, ſed divino naturali, quo quiſque tenetur conſulere animæ & ſaluti ſuæ.

Obſerva tamen, etſi peccatum opinativè dubium in confeſſione, bonâ fide juxta probabilē opinionem omittatur, Sacramentum collaturum, modò ſuſcipiatur, gratiā & medium ad ſalutem neceſſariū, perinde ac ſi peccatum illud omiſſum eſſet inculpabili oblivione.

CAPUT XIX.

An & quâ ratione dubia in meliorem partem ſint interpretanda?

203. DIſputatur hæc quæſtio potiſſimùm de foro & judicio interno conſcientiæ, quamquam hîc etiam ferè illud eſt conforme judicio foroque externo, ut patebit ex dicendis. Refert autem magnopere ad directionem conſcientiæ, quomodo judice conſcientiâ oporteat dubia interpretari, ſeu quale ipſa in dubiis judicium exercere debeat.

Diſtinguendū hîc eſt nō tantùm dubium ſtrictum, & latum, ſed & formale, & materiale.

Nota Primò, hîc quoque diſtinguenda eſſe dubium negativè ac ſtrictè, & dubium poſitivè ac latè, idque tum ex parte dubitantis, quod dici poſſet dubium formale; tum ex parte objecti, quod dici poſſet materiale & objectivum; cùm nimirum ſunt re verà & occurrunt ſufficientes conjecturæ ad rem dubiam judicandā; vel poſitivè elicito judicio, vel negativè eo ſuſpenſo. Ad negativum autem reducitur poſitivum ſtrictum, quo in dubio judices quidem, ſed nec aliquem eſſe bonum, nec malum, ſed dubium: quod meritò vocatur etiam negativum, cùm verè includat negationem aſſenſûs determinati utriuſque partis controverſæ.

Quibus conformiter dubia interpretari poſſumus etiam dupliciter. Poſitivè, cùm judicamus poſitivè & determinatè alterutram partem eſſe veram vel falſam; ſeu in dubio aliquem eſſe bonum, vel malum; Secundò, negativè, cùm neutrum judicamus determinatè, ſed hæremus animo ſuſpenſo; ſive judicemus poſitivè rem eſſe dubiam, ſive non: ſive id fiat, quia conjecturæ hoc videntur exigere;

ſive quia aliò mentem convertimus. Quâ ratione cùm vel omne judicium, vel determinatum aſſenſum ſuſpendimus, dicimur dubia interpretari, ſed negativè in meliorem partem: quia ſic relinquimus proximum in poſſeſſione bonæ famæ.

204. *Interpretatio, ac præſumptio eſt ſpeculativa, vel practica.* Nota Secundò, hîc iterum diſtingui poſſe, ut dubium, ita interpretationem, vel etiam præſumptionem, ſpeculativam, & practicam. Speculativa eſt, quâ tantùm judicemus rem ita ſe habere, v. g. aliquem eſſe malum, bonum, vel dubium. Practica, quâ propterea putemus illum ut talem practicè habendum, vel æſtimatione & affectu interno, vel externâ converſatione.

205. Nota Tertiò, ex D. Thomâ 2.2. qu.60.art.4.ad 2. dubiũ ejuſmodi eſſe de rebus, vel perſonis: ſed difficultas tantùm eſt de perſonis. Res enim abſtractas à perſonis conſtat non eſſe interpretandas in meliorem partem: ſed æſtimandas ſuis momentis. In iis enim tantùm id ſpectatur, ut attingatur veritas: de perſonis autem maximè curandum, ne fiat illis injuria. Atque hæc eſt tota ratio hujus difficultatis.

206. *Dubia interpretanda in partem meliorem negativè, non poſitivè, niſi velis de iis judicare.* Reſpondeo: Dubia debemus interpretari in meliorem partem negativè, non poſitivè, niſi velimus poſitivè de iis judicare. Idem eſt ſi dicas: Dubia in meliorem partem interpretari poſitivè non debemus; ſi tamen interpretari velimus, debemus in meliorem partem. Ago autem hîc de dubiis ſtrictè & negativè, quæ propriè talia ſunt; de dubiis latè & poſitivè acturus cap. ſequ. concl.2. Eſt D. Thomæ art. cit.& communis interpretum. Poteſt etiam ſic rectè explicari, & cum Cajetano conciliari Sotus 3. de Juſtitiâ qu. 4. art.4. ubi contra illum docet, dubia poſitivè in bonam partem interpretanda, videlicet, ſi poſitivè interpretari velimus.

Probatur Primò, ex Auguſtino libr.2.cap.18. de Serm. Domini in monte, in illud: *Nolite judicare*: *Hoc loco,* ait, *nil aliud nobis præcipi exiſtimo, niſi ut ea facta, quæ dubium eſt quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur*, ſcilicet ſenſu concluſionis. Idem docet Bernard. ſerm. 40. in Cantica ſub finem: *Etiamſi perperam quid factum deprehendas, nec ſic judices proximum; magis autem excuſa; excuſa intentionem, ſi opus non potes, putà ignorantiam, putà ſubreptionem, putà caſum.* Imò & Seneca libr.2. de Ira cap. 24. *Simplicitate,* inquit, *opus eſt, & benignâ rerum æſtimatione, ut nihil niſi quod in oculos incurrit, manifeſtumq; erit, credamus.*

Idem probatur ex variis Doctorum axiomatibus, ac regulis Juris, quòd in dubio quiſque præſumatur bonus; nec præſumẽdum ſit delictum; quòd in dubio favendum ſit reo; quòd dubia in meliorem partem interpretanda, cap.

Eſtote,

Fste, de regulis Juris; quòd in re dubiâ benigniorem interpretationem sequi non minùs justius sit, quàm tutius. leg. *Proximè*, de his quæ in testam. delentur: quæ aliaque sensu conclusionis intelligenda etiam sunt de foro & judicio conscientiæ.

207. Probatur Secundò, ratione tota conclusio: quia proximus inprimis nullum habet jus in dubio ad positivum meum judicium, præsertim adeò fallibile, quo me exponam notabili periculo erroris; ut judicem verum probabilius, vel etiam probabile, quod reverà objectivè ac materialiter tantùm est dubium. Imò hic ipse videtur quidam error, quatenus difformis rei exigentiæ, & dictamini prudentiæ. Quare absolutè non debeo dubia interpretari in meliorem partem, nisi negativè, non judicando, vel judicium suspendendo. Quamvis autem ea fallibilitas, & erroris periculum æquè conveniat judicio, quo interpretor dubia in pejorem, ac in meliorem partem: quia tamen interpretatio in pejorem partem insuper repugnat famæ, bonæque æstimationi proximi, acquirit hic jus, ut in dubio ab illâ abstineam, nec formem judicium, quo meipsum fortè decipiam, illiusque famæ mentaliter certò detraham. Quare si velim de eo judicare, non possum, nisi in meliorem partem.

Confirmatur alio axiomate & regulâ Juris: In dubio ac pari causâ melior est conditio possidentis. est hîc dubium, ut supponitur, adeoque par causa pro bonâ & malâ famâ ac æstimatione proximi: ergo melior est conditio ejus possidentis utramque bonam.

Unde sequitur ulteriùs, quod addidi in conclusione, nisi in dubio judicium ac interpretationem velis suspendere, debere te dubia interpretari in meliorem partem: quia, ut optimè D. Thomas cit. ad 1. melius est sæpiùs falli bene opinando de proximo, etsi malo, quàm rariùs malè opinando de proximo bono: huic enim facis injuriam, non illi.

Ex quibus collige particulares casus: exempli causâ, vides aliquem bene comedentem & bibentem, non teneris positivè judicare vel opinari, quòd id faciat virtute temperantiæ: neque licet opinari quòd ex vitio gulæ: sed potes omne judicium & assensum suspendere: si tamen velis alterutrum judicare, debes existimare, quòd faciat ex necessitate naturæ ac temperantiâ. Idem dic de similibus. 208.

CAPUT XX.

An judicium in dubio temerarium, ipsaque dubitatio, ac suspicio sit peccatum mortale? 209.

DICO Primò: Judicium temerarium ex genere suo est peccatum mortale. Est communis. *Iudicium temerariũ ex genere suo est mortale.*

 Pro-

Probatur Primò, auctoritate ipsius Christi Matth.7. & Lucæ 6. *Nolite judicare, & non judicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini:* quod Patres intelligunt de judicio temerario, & condemnatione ad mortem æternam.

Probatur Secundò, ratione: quia judicium per se est quid grave, cùm sit firma & diffinitiva sententia, ut jam dicam ex D. Thomâ. Itaque cùm præterea est temerarium, & imperatum vel permissum pertinaciâ, vel malevolentiâ voluntatis, contra exigentiam objecti, fiet gravis proximo injuria & peccatum, ut item sequitur ex probatione conclus. præcedentis. Quod maximè verum est de judicio temerario judicis, & fori externi.

In quo sita sit judicii temeritas? Ex dictis collige, judicium temerarium tunc fieri cùm elicitur tale ex parte judicantis, etsi objectum ex adjunctis, signis, & circumstantiis non sit ita judicabile, sed objectivè saltem dubium: cui debebat respondere dubium, non judicium formale: in quo ipso sita est judicii temeritas.

Dixi, *ex genere suo*. Quare excusatur à mortali non tantùm defectu plenæ deliberationis, ut sæpè contingit, sed etiam parvitate materiæ, ut si temerè judices alium duci vanâ gloriâ.

210. *Nulla dubitatio, suspicio, vel opinio est peccatum mortale.* Dico Secundò: Probabiliùs tamen, vel saltem probabiliter, nulla dubitatio, suspicio, vel opinio est peccatum mortale. Ita expressè D. Thomas cit. art.3. & Glossa ab ipso citata in illud Apost. 1. Cor.4. *Nolite ante tempus judicare.* Cajetanus ibidem, Navarr. in rubr. de judiciis nu.48. Petrus Navarra lib.2. cap.4. num. 445. quos citat & sequitur Filiucius tract. 40. cap. 1. num.12. Sa v. *Iudicium*; contra Arragonium, Salonium, in art. cit. & plures recentiores: quos citat & sequitur Bonacina de restitutione disp.2. quæst.7. puncto 1. propos.2. num.4. in fine.

Probatur ex ipso D. Thomâ, & Glossâ ab ipso relatâ: quia dubitare, scilicet, non tantùm negativè, sed & positivè ex aliquibus, etsi levibus indiciis, pertinet ad tentationem humanam, sine quâ vita ista non ducitur, adeoque est quodammodo necessaria, nec gravis proximi injuria. Quare, ut ait D. Thomas, est tantùm veniale ac leve peccatum: atque hic est gradus suspicionis ab eodem assignatus. Secundus verò, quem dicit esse peccatum mortale, si sit de re gravi, *Cùm*, inquit, *aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis*. Nota, *pro certo*: quod certò non convenit dubitationi etiam positivæ. Unde cum Glossa ibidem subdit: *Etsi ergo suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, judicia tamen, id est, diffinitivas firmasq; sententias continere debemus.* Nulla suspicio & opinio est diffinitiva & firma sententia, cùm essentialiter habeat adjunctam formidinem de oppo-

Dubitatio ac suspicio non est firma sententia, qualis est judicium.

opposito: quare communiter vocatur dubitatio vel dubium positivum. Itaque secundùm claram mentem D. Thomæ, atque etiam rationem redigenda est ad primum gradum suspicionis, venialiter malæ. Addit tertium gradum, cùm aliquis judex ex suspicione procedit ad condemnandum, scilicet, foro externo: quem item dicit esse peccatum mortale, & quidem præcedenti gravius.

Confirmatur ratione Cajetani: quia opinio, multoque magis suspicio & dubitatio, de se imperfectum quid est in genere cognitionis & determinationis: quare de se non potest esse gravis injuria.

Probatur Tertiò: quia, ut dixi in simili cap. præced. num. 192. possessio in dubio non est privilegiata, nisi ut non excedantur limites dubii: atqui qui dubitat vel suspensivè, vel opinativè, vel nil vel parum excedit limites dubii.: ergo non peccat graviter contra privilegium & jus bonæ æstimationis proximi.

Confirmatur: quia aliàs dubitatio positiva, etsi stricta, quâ in dubio expresè judices rem dubiam, v. g. an quis sit bonus, vel malus, esset item peccatum ex genere suo mortale. Quia nec est necessarium, & eodem ferè modo repugnat bonæ famæ viri probi, quō suspicio & opinio. Hoc autem videtur contrarium communi Doctorum sensui: qui, ut dixi cap. 1. docent eamdem esse rationem dubii negativè, & positivè stricti, pręterquam in materiâ fidei. Quare utrumque comprehendunt sub dubio negativo.

Ex dictis collige Primò, etsi quis ex levibus indiciis, v.g. videns juvenem agentem cum puellâ, credat eum velle cum eâ peccare, ita tamen dispositus, ut interrogatus an hoc putaret certum, responderet, se dubitare, aut credere quidem, sed fortè falli; non peccare mortaliter, sed tantùm venialiter. Quia, ut fatetur etiam Molina tract. 4. disp. 13. num 4. & Bonacina cit. num. 1. præter Cajetanum aliosque, ille non judicat, sed tantùm dubitat, vel suspicatur temerè. Quod addit Bonacina diligenter advertendum. Prudenter quidem, & consequenter in nostrâ sententiâ, quâ suspicio non est mortalis; si verò hæc etiam sit mortalis, ut putat Bonacina, quæstio tantùm est de nomine, an sit suspicio, vel judicium temerarium. 211. *Leviter suspicans juvenē cū puellâ velle peccare, nō peccat mortaliter.*

Collige Secundò, ejusmodi suspicionem numquam esse peccatum mortale, etsi sit de re gravi, ut si quis de viro sancto suspicetur ex levibus indiciis, ne sit hæreticus: quia res gravis non immutat naturam suspicionis: quæ ex genere suo est peccatum veniale, nisi mutetur in judicium temerarium, id est, diffinitivam certamque sententiam. Neque aliàs facile esset in praxi definire, quanta hîc gravitas ad *neque suspicans virū sanctum esse hæreticū.*

ad mortale esset necessaria.

212. *Suspicio & judiciũ temerariũ significāt etiam in voluntate quādam pertinaciam.* Adverte, suspicionem, opinionem, & judicium temerarium similiter, ac hæresim includere, non tantùm errorem in intellectu, sed & pertinaciam quamdam in voluntate; ita ut advertas non tantùm te judicare, sed judicare ex signis levibus, ac ut pecces mortaliter, improbabilibus.

Adverte Secundò, etiam suspicionem posse fieri mortalem, si imperetur ab intentione mortali, & malevolentiâ dirigente illam ad malum gravius. Quo modo aliqui explicari possunt, qui citantur contra conclusionem.

213. *Judicium temerariũ est mortale de solo etiam defectu naturali,* Adverte Tertiò, hæc vera esse, tum de suspicione, tum de judicio temerario, sive sint de peccato ac defectu mortali, sive de defectu aliquo naturali. Imò probabilius de hoc etiam solo, si sit magni momenti, probrique judicium temerarium, ut & detractio, v.g. quòd quis sit Judæus sanguine, illegitimus, aut spurius, est peccatum mortale. Quia communi æstimatione non minùs læditur fama & opinio detractione & judicio ejusmodi de defectibus naturalibus, quàm moralibus; cùm præsertim, ut suprà dixi ex Baldo, iidem spectent etiam ad quamdam moralem honestatem. *vel peccato veniali.* Similiter, etsi judicium sit de peccato non mortali, potest esse mortale; ut si Prælatum aut virum in dignitate constitutum judices esse mendacem. Quæ est sententia Molinæ cit. num. 5. & Bonacinæ num. 6. citantis alios. Contraria etiam probabilis est Lessii de Justitiâ cap. 29. dubit. 2. in fine, aliorumque. Quod attinet ad suspicionem, si ne quidem de defectu morali, quantumvis gravi, sit mortalis, ut probavi, minùs erit de naturali.

Dico Secundò: Quando dubium est positivum, seu opinabile ex parte objecti, non est illicitum dubitare positivè, seu suspicari speculativè proximum esse malũ. Est Petri Navarræ lib. 2. cap. 4. n. 448. Molinę citati num. 16. Lessii de Justitiâ cap. 29. dubit. 4. nu. 37. quos præter alios citat & sequitur Bonacina cit. n. 8. Imò videtur hæc communis opinio. 214. *In dubio objectivo non est illicita dubitatio, & suspicio mali.*

Probatur. Qui tunc id suspicatur, opinatur probabiliter, ut suppono; ergo prudenter, adeoque licitè. Quia, si illicitè, eo ipso opinaretur imprudenter, & improbabiliter. Implicat enim actum malum esse prudentem.

Confirmatur. Indicia sufficientia ad judicandum firmiter excusant judicantem à judicio temerario & illicito: ergo & indicia sufficientia ad suspicandum excusant suspicantem à suspicione temerariâ.

Nec sufficit dicere, indicia sufficientia ad judicium esse evidentia, ideoque necessitare ad judicandum: quia, ut dixi super. libr. cap. 5. num. 64. etiam sufficientia ad suspicionem 215.

spicionem, seu ad opinionem, sunt evidentia respectu probabilitatis, non certitudinis. Nam ut certitudo objectiva, ita probabilitas potest esse evidens.

Præterea nec tenemur, etsi possimus, avertere intellectum, ne prudenter vel judicemus, vel suspicemur. Aliàs teneremur etiam in dubio negativo, vel etiam positivo, avertere intellectum à dubitatione positivâ etsi strictâ.

216. *Est contra perfectionem, non præceptum charitatis.* Addit tamen Lessius, videri aliquo modo contra charitatem sic suspicari; sed hoc intelligo contra perfectionem, non contra præceptum charitatis. Nam actus prudens non potest esse contra præceptum: quia tamen non est actus perfectissimæ prudentiæ, potest esse contra perfectissimam charitatem. Est itaque consilii, non præcepti, intellectum ab ejusmodi suspicionibus, judiciis, imò & positivis dubitationibus avertere, cùm id advertis, & potes.

Etiam judicium de malitiâ proximi non est mortale, cùm signa sunt probabilia. Addo, cum Petro Navarr. Molinâ, Bonacinâ citatis nō esse mortale judicium de malitiâ proximi, cùm occurrunt conjecturæ admodum probabiles, etsi non omninò certæ. Quia moraliter non multum differt magna probabilitas à morali certitudine: quæ ipsa non est omnino infallibilis. Itaque excessus & inordinatio illa judicii erit tantùm venialis.

217. *Non est omnino illicitum dubia interpretari in pejorem partē practicè.* Dico Tertiò: Neque est omnino illicitum dubia interpretari in pejorem partem practicè.

Probatur & explicatur Primò, quoad æstimationem & affectum internum: non videtur enim contra justitiam, ut bene docet Lessius cit. num. 41. si quis propter dubium crimen non adeò æstimet ametque hominem ac antea. Quia virtus certa reverà plus meretur, quā dubia. Imò vix videtur fieri posse, quin probabile dubium, si saltem illi assentiamur, aliquid de internâ æstimatione & affectu detrahat. Quare nec hoc videtur contrarium ordinatę charitatis pręcepto; sed ut summum perfectioni.

Secundò, quando agitur de vitando damno, vel de adhibendo remedio, sententia est D. Thomæ cit. art. 4. ad 3. & communis, licere sibi ab homine dubiæ fidei vel probitatis cavere, auferendo, v.g. pecuniam; aliò mittendo uxorem, vel filiam. Imò sic licitum, imò consultum, est agere cum advenâ & ignoto, de quo nulla est peculiaris ratio dubitandi: ergo magis cum illo, de quo est peculiaris ratio dubitandi. Simili dubio prudenter Superiores practicè reprehēdunt, & injungunt pœnitentias subditis, quasi malos judicarent, etsi verè non judicent speculativè.

218. *Illicitū est in dubio aliū aversari ut absolutè malum.* Dixi, *Neque omninò*: quia aliàs omninò illicitum est dubia in pejorem partem interpretari practicè. Primò, quoad æstimationem, & affectum internum, æstimando, & aversando alium tamquam absolutè

solutè malùm. Secundò, quoad conversationem externam, agendo de vel cum eodem tamquam malo. Quorum utrumque, præsertim posterius, ex genere suo est peccatum mortale.

Confirmatur tota conclusio illo axiomate: *In dubio melior est conditio possidentis*, in casu nostro, famam suam, sensu sæpiùs explicato. Quia non est notabile incommodum proximi, modo explicato, dubium practicè interpretari in pejorem partem, sive interiùs, sive exteriùs, cùm præsertim non excedantur sic limites dubii. Amplior autem explicatio in pejorem partem esset notabile incommodum. Eodem sensu & limitatione verum est aliud axioma, *In dubio quisque præsumitur bonus*, scilicet simpliciter in sensu diviso, negativè; in sensu composito, si præsumere velis, etjam positivè, juxta conclusionem superioris capitis; si agatur de præsumptione speculativâ: si autem de practicâ, eodem modo potes pejora, vel debes meliora præsumere, quo juxta hanc conclusionem in pejorem, vel meliorem partem interpretari.

Ex dictis collige, non convenire hîc judicia speculativum & practicum: quem enim speculativè judicas malum, saltem probabiliter debes ordinariè practicè judicare, & habere tamquam bonum, præsertim exteriùs. Imò id etiam verum est, cùm speculativè judicas certò malum ob crimen occultum: quia nihilominus possidet bonam famam. Contrà verò quem speculativè judicas bonum, saltem probabiliter; nec judicas, aut potes speculativè judicare, absolutè malum; potes practicè judicare, & habere tamquam malum, ad evitandum damnum, vel adhibendum remedium, ut jam explicui. 219.

Non conveniunt hîc judicia speculativũ, & practicũ.



LIBER

LIBER QVINTVS.

De conscientia erronea.



VBIAM conscientiam superiori libro explicatam sequitur erronea illi affinis; sed magis deficiens & recedens à rectâ verâque. Quia verò conscientia, ut sæpiùs dixi, dupliciter sumitur: vel strictè pro dictamine practico, quale est intrinsecè; vel latiùs etiam pro ejus fundamento, quâvis cognitione licet speculativâ spectante ad mores, ac directionem actuum humanorum: duplici hoc sensu agendum quoque de conscientiâ erroneâ; quatenus nimirum significat cognitionem moralem erroneam, seu falsam, practicam vel speculativam. Ad errorem positivum reducitur negativus; adeò ut conscientia erronea sit quoque conscientia ignorans, omniaque illi etiam applicanda sint, quæ dicentur de ignorantiâ. De quâ proinde agendum primò est: deinde de conscientiâ erroneâ positivè, ac practicâ etiam directrice actuum bonorum cùm recta est, ejusque potestate ac vi obligandi.

CAPUT I.

Quotuplex sit conscientia erronea, seu ignorantia?

1. On est necesse inquirere de conscientiâ erroneâ, quod de aliis, quænam ea sit: id enim satis clarum est: sed quotuplex sit. Tantùm hîc est notandum, juxta superioribus libris dicta, conscientiam erroneam speculativè, non semper esse etiam erroneam practicè; sed sæpiùs practicè rectam ac veram. Quo modo in exemplo ibi allato Iacob conscientiam habuit speculativè falsam, practicè rectam veramque; etsi communiter erronea dici soleat, quæ etiam speculativè talis est, seu difformis rebus quales sunt, non quales creduntur.

Triplicis generis peccata. Ceterùm Nota Primò, triplicis generis universim esse peccata; vel commissa ex ignorantiâ, seu conscientiâ erroneâ; vel ex passione; vel ex malitiâ. Ex malitiâ cōmittuntur, quę nec ex ignorātiâ, nec ex passione; sed plenâ & intrinsecâ libertate, ideò ceteris graviora: qualia fuere peccata Angelorum, atque etiam primorum parentum. Ex passione, quæ instigante concupiscentiâ, seu appetitu sensitivo quadam vi & sympathiâ trahente appetitum rationalem. Sed nos tantùm hîc agemus de primo genere peccatorum, eorumq; causa ignorantiâ: cujus hoc capite afferendæ sunt & explicandæ aliquot divisiones: quæ eâdem ratione conveniēt conscientiæ erroneæ.

Nota Secundò, ignorantiam directè non posse esse causam peccati, aut voluntarii, ulliusque actûs liberi, cùm tantùm sit negatio, idque scientiæ, seu cognitionis, quæ ad actum voluntarium ac liberum necessaria est. Tantùm ergo est causa indirectè tamquam removens prohibens, nimirùm cognitionem; quę si adfuisset, non fuisset secutus actus, ut docet D. Tho. 1. 2. qu. 76. art. 1. contrario sensu dicitur comitari actum, non causare. *Ignorātia tantùm est causa actûs indirectè.*

2. Dices, Quis hoc judicabit, an, si adfuisset cognitio, fuisset secutus actus, nec ne? spectat enim illud ad scientiam conditionalium, de quâ disputatur an detur etiam in Deo.

Respondeo, hoc tantùm judicandum à nobis morali aliquâ conjecturâ & certitudine, habitâ ratione dispositionis voluntatis tunc cùm operatur. Constat enim sæpiùs sic esse affectam, vel actualiter, vel virtualiter, ut, si adfuisset talis rei cognitio, id nihilominus fecisset, vel non, v. g. in exemplis afferendis. Quod benè explicuit Aristoteles 3. Ethic. cap. 1. & Nyssenus lib. 5. Philosophiæ cap. 2. per tristitiam natam sequi post opus ex ignorantiâ factum, cùm advenit scientia contraria; ut ex ignorantiâ carnes comedens die Veneris, dolet cùm advertit esse diem Vene-

Veneris. Contrà, si id non fuerit factum ex ignorantiâ, non sequitur tristitia, imò sæpè gaudium: ut si quis hominem initio ignotum occidens, postea advertat esse inimicum suum, ideoque gaudeat. Gaudium hoc signum erit ignorantiam non fuisse causam, nisi voluntas interim mutata sit, v.g. is interim inimico conciliatus: tunc enim dolere poterit postea, etsi ignorantia causa non fuerit, ut conformiter jam dictis, Aristotelem explicat D. Thomas quæst. 3. de malo art. 8. Quibus præmissis,

3. *Ignorātia concomitans, consequens, & antecedens.* Prima divisio ignorantiæ recepta ab omnibus, affertur à D. Thomâ 1.2. quæst. 6. art. 8. in tria membra: concomitantem, consequentem, & antecedentem.

Concomitans est illa omnis, quæ operis ignoranter facti causa non est: quia licet ipsa abfuisset, vel adfuisset scientia contraria, opus nihilominus factum fuisset. Sicut in exemplo D. Thomæ, si quis intendens occidere cervum, occidat inimicum, nesciens eum ibi esse, ita tamen dispositus, ut, si id scivisset, nihilominus occidisset.

Consequens est, quæ consequitur actum liberum voluntatis, & ab eâ pendet quâcumque ratione, directè vel indirectè.

Antecedens, quæ actum voluntatis antecedit, nec ab eâ pendet.

4. *Non est ea divisio in membra* Observa Primò, trimembrem hanc divisionē nō esse in membra contradistincta: quia consequens potest esse comitans, idque in illo ipso exemplo; si ante occisionem seu explosionem bombardæ ille dubitaverit, noluerit tamen inquirere, an ibi esset inimicus; vel si quis nolit scire an tali die sit jejunandum, quod etsi sciret, non jejunaret. Utroque casu ignorantia est consequens, quia pendet à voluntate; & nihilominus comitans, quia non est causa eventûs secuti, qui secutus fuisset, etsi illa abfuisset. Similiter & antecedens potest esse comitans, ut in utroque illo exemplo & casu; si rei veritas inquiri non potuerit, vel nulla occurrerit ratio dubitandi. *contra-distincta.*

Observa Secundò, & collige ex jam dictis, ignorantiam comitantem & subsequentem ac antecedentem non dici respectu ejusdem. Comitans enim dicitur respectu operis, subsequens autem & antecedens respectu voluntatis. Quare bimēbris hæc divisio ignorantiæ in subsequentem & antecedentem est in membra contradistincta, imò contradictoria, ideoque est adæquata. Vel enim pendet à liberâ voluntate, & est consequens; vel non pendet, & est antecedens. Unde apparet, hanc divisionem esse eamdem cum illâ, quâ ignorantia dividitur in voluntariam, & involuntariam: hæc enim est antecedens, illa consequens. Neque ideò mala est divisio trimembris, quia bene explicatur & ad mores utiliter, quod intendit 5. *Adæquatè dividitur ignorātia in antecedentē seu involuntariâ, & subsequentē seu voluntaria.*

 D.Tho-

D. Thomas; triplex modus, quo fit opus, ex, vel cum, ignorantiâ, juxta dicenda cap. 3.

& in comitantē, seu incidētem, & causantē. Addo D. Thomam supponere & indicare aliam divisionem adæquatam, ac bimembrem ignorantiæ, in comitantem, quæ etiam dicitur incidens; & causantem, qualem in casu art. citati supponit esse, & consequentem & antecedentem. Desumitur autem hæc divisio respectu ejusdem non voluntatis, sed operis. Vel enim ignorantia est ejus causa, & dicitur causans; vel non est, & dicitur comitans. Atque hæc divisio clariùs tradita est ab Aristotele & Nysseno citatis, & Damasceno lib. 2. de Fide c. 24. Ex quibus apparet, sub primâ hac divisione comprehendi duas vel tres.

6. *Ignorātia item est culpabilis, vel inculpabilis.* Secunda ignorantiæ divisio, quæ etiam ex primâ colligitur, est in culpabilem, & inculpabilem. Inculpabilis eadem est cum antecedente & involuntariâ, ut satis manifestum est. At culpabilis non est eadem cum voluntariâ & consequente. Omnis quidem culpabilis est voluntaria, & consequens: sed non contrà: quia, ut sit culpabilis, debet non tantùm esse voluntaria, sed rei, quam scire debeas, vel simpliciter, ac in sensu diviso, ut præcipua mysteria fidei; vel saltem ex hypothesi ac sensu composito, posito quòd velis operari. Ita potes simpliciter nolle scire, an & qui transeant per plateam ignorantiâ consequente, nec tamen culpabili, nisi velis in eam projicere lapides: tunc enim tenereris id antè cognoscere, ideoque nescires ignorantiâ etiam culpabili.

Observa præterea cum Suarez 1. 2. disp. 4. sect. 1. num. 12. aliud esse ignorantiam culpâ acquisitam, aliud culpabilem. Nam exempli causâ multi barbari laborant inculpabili ignorantiâ mysteriorum fidei, de quâ nil umquam audiverunt, juxta veriorem sententiam, postea probandam: qui tamen divinitùs fuissent illuminati, si peccatis suis gratiæ obstaculum non posuissent. Amplius ergo ad culpabilem ignorantiam, sicut ad omne peccatum requiritur, ut ipsa sub aliquâ ratione culpæ fuerit præcognita. Quod quidem à nobis dicitur consequenter, ut constat ex cap. 17. lib. 2. non tamen à Suarez, qui id negat de aliis peccatis. 7. *Aliud est ignorātia per culpā acquisita, aliud culpabilis.*

Tertia divisio ignorantiæ est, in vincibilem & invincibilem, superioribus quidem conformis, sed non eadem, si strictè loquendum sit; non tantùm formaliter ob rationem diversam, quâ dicatur vincibilis, quàm voluntaria vel culpabilis; sed nec materialiter: quia non omnis vincibilis est culpabilis, si videlicet sit rei, quam scire non debes. Imò ne quidem omnis vincibilis videtur consequens. Exemplum jam allatum est in barbaro laborante ignorantiâ mysteriorum fidei nostræ, absolutè quidem & physi- 8. *Ignorātia vincibilis, vel invincibilis.*

physicè vincibili, sed non culpabili. Verùm communis modus loquendi obtinuit, ùt idem significent ignorantia vincibilis, consequens, & voluntaria; atque adeò invincibilis, antecedens, & involuntaria. Atque ita in exemplo allato, barbarus laborat ignorantiâ invincibili; quia moraliter, & ex determinatâ scientiâ intentionis vincendi eam expellere non potuit. Est autem ignorantia invincibilis, quæ dicitur etiam justa, quâ laborans nil omittit, quod debet & potest adhibere ad eam expellendam, scilicet morali & ordinariâ, respectu talis hominis & circumstantiarum, potentiâ, nec tamen potest expellere. Contrario sensu dicitur vincibilis.

9. Adverte, duplici rationi inniti illam invincibilitatem. Primò, si numquam occurrit ratio dubitandi, an scire quis debeat id quod ignorat; ut barbarus fidei nostræ mysteria, de quibus nil audivit. Quare non sufficit ad vincibilitatem, quòd aliunde teneatur ea facere, quibus ignorãtia expelli posset; sed requiritur ut ad ea obligetur motivo expellendi. Secundò, quamvis occurrat ratio dubitandi, si adhibitâ morali juxta rei exigentiam diligentiâ, veritatem rei deprehendere, ac ignorantiam expellere non possit. Dicitur tunc ea ab aliquibus probabilis. Si adhibita sit aliqua diligentia, sed non sufficiẽs, ignorantia improbabilis.

10. Quartò, dividitur ignorantia, scilicet vincibilis ac culpabilis, in levem, crassam vel supinam, & affectatam. Affectata est, quæ directè volita, saltem in confuso, ut si nolis ullam diligentiam adhibere ad eam expellendam, v.g. audiendo concionem, eâ directè causâ, ne fortè intelligas rei veritatem, v.g. tibi jejunandum; vel ut liberiùs pecces, vel ut faciliùs te excuses. Quali ignorantiâ videntur laborasse, qui Iob 21. dixerunt Deo: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Quòd si diligentiam conatumque expellendi omittas ob alias causas; vel ignorantia tibi voluntaria sit indirectè in alio, v.g. in magnâ pigritiâ ac socordiâ inquirendi, dicitur crassa & supina; si tantùm in communi negligentiâ, dicitur ignorantia levis. Magnæ socordiæ æquivalet immoderatus affectus erga res vanas, vel bona temporalia, ob quæ acceptes officium, ad quod non habeas satis doctrinæ, vel cum illo tot alia, ut singulis non possis satisfacere. Itaque ob illas etiam similesque causas, ignorantia rerum ad illa spectantiũ fiet quasi crassa & supina. *Ignorãtia vincibilis est levis, crassa, & affectata.*

Omitto hîc divisionem ejusdem ignorantiæ in mortalem, & venialem, quia satis notam, & cõmunem omnibus peccatis.

Petes, an omnis ignorantia mortalis, seu mortaliter culpabilis, sit crassa ac supina? Affirmat Suarez de censuris disp. 4. sect. 10. nu. 10. 11.

Respondeo tamen negativè cum San- *Nõ omnis ignorãtia*

mortalis, est crassa ac supina. Sanchez lib. 1. in Præcepta cap. 16. num. 7. Quam sententiam, quia hæc non est tantùm quæstio de nomine, ut putant aliqui, sed ad praxim magni momenti, ut jam constabit, probo.

Quia ignorantia crassa ac supina in Jure est, quæ nascitur ex culpâ juridicâ latâ, id est, omissione diligentiæ ab omnibus ejusdem conditionis hominibus adhiberi solitæ, quæ sit quædam negligentia maxima, l. 9. §. 2. ff. de juris & facti ignorantiâ, & studiosa, cap. *Quæsitum*, de pœnit. & remiss. Quare in foro externo præsumitur dolus, leg. 1. ff. de obligat. & actionib. & colligitur ex cap. 2. de deposito: atqui ad peccatum mortale non requiritur maxima, sed sufficit mediocris aliqua negligentia, seu omissio mediocris & communis cujusdam diligentiæ pro negotii qualitate, ad quantam solent obligare leges humanæ. Si ergo hujusmodi negligentia contracta fuerit, erit mortalis, non tamen crassa.

Confirmatur: quia ignorantia, ut & culpa lata crassaque, jure & foro externo desumitur penes externam apparentiam omnibus obviam. Quare culpa juridica abstrahit à Theologicâ, & sine eâ esse potest, saltem levis & levissima. At verò vincibilis & culpabilis etiam mortaliter, jure & foro interno conscientiæ desumitur penes rei veritatem & circumstantias etiam secretas. Quibus proinde spectatis, ignorantia poterit esse verè coram Deo & foro conscientię mortalis, etsi coram hominibus & foro externo non sit lata, crassa, & supina.

12. *Ignorãtia mortalis, nõ crassa, legis, & censuræ excusat à censuris*

Ex quibus jam collige, cum eodem Sanchez de Matrim. libr. 9. disp. 32. num. 31. Henriquez, aliisque ab eo citatis, excusare à contrahendis censuris ignorantiam, non tantùm legis, sed & censuræ latæ, licet mortaliter culpabilem; modò non sit crassa & supina: quam doctrinam confirmat, imò extendit cap. 2. de constitut. in 6. *Vt animarum*, ait Pontifex, *periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligare nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, & supina.* Addo, idem dicendum de irregularitate pœnali, quia hanc eodem fine & causâ infligit Ecclesia quo censuras: imò etiam ob has violatas tamquam pœnam iis graviorem.

13. Adverte insuper cum iisdem Doctoribus, illud intelligendum de legibus, & censuris simpliciter latis sine particulis, *Qui scienter, consultò, temerè; qui præsumpserit, ausus fuerit.* Nam hæ similesque si addantur, etiam crassa aliqua ignorantia excusat; non tamen crassissima, quæ ab aliquibus peculiariter vocatur supina: & moraliter est quidam dolus, & quasi scientia, ideoque æquivalet culpæ juridicæ latissimæ, vel ignorantię affectatæ,

quæ

quæ voluntarium, adeoque contumaciam, quæ censuris punitur, non minuit. Quare quod indefinitè dicitur de reg. Juris in 6. *Ignorantia facti excusat, non juris*, hîc non habet locum, ut constat vel ex solo illo cap. 2.

14. *Ignorãtia juris, vel facti,* Quinta divisio ignorantiæ jam ex occasione allata est; in juris & facti, de qua exstat titulus, tum in Digestis, tum in Codice. Sub jure comprehenditur omne jus divinum & humanum, naturale ac positivum, adeoque omne Superioris præceptum: sub facto etiam ejus quæcumque circumstantiæ. Debet autem hæc divisio applicari superioribus. Nam & juris & facti ignorantia, vel est vincibilis, culpabilis, consequens; vel invincibilis, inculpabilis, antecedens.

15. *& negationis, vel pravæ dispositionis.* Sextò & ultimò, dividitur etiam ignorantia dialecticè in negationis, & pravæ dispositionis. Prava dispositio sumitur dialecticè, non theologicè, quia potest esse absque peccato; nec distinguitur à conscientiâ erroneâ, scilicet positivè. Estque positiva cognitio, & opinio, sed erronea. Negatio hîc sumenda est non physicè, sed ut rem moralem spectet, moraliter pro privatione cognitionis moraliter debitæ. Aliàs nescientia potiùs esset, quàm ignorantia, ut docet D. Thomas cit. quæst. 76. art. 2. Præterea ignorantia hæc negativa, vel privat scientiâ habituali, & sic propriè dicitur ignorantia, scilicet habitualis; vel tantùm scientiâ seu advertentiâ actuali, & sic dicitur ignorantia, vel oblivio actualis, seu inconsideratio & inadvertentia. Quæ item vel est juris, vel facti; vel vincibilis, culpabilis & consequẽs; vel invincibilis, inculpabilis, & antecedens.

CAPUT II.

Quæ sit illius causa?

QVæstio hæc magis speculativa, quàm practica; utilis tamen: quare, & plenioris tractationis gratiâ, aliis practicis eam præmitto. 16.

Nota, quod jam indicavi, conscientiam erroneam dici vel negativè, quatenus idem est quod ignorantia, & privatio scientiæ; vel positivè, quatenus idem est, quod scientia falsa quælibet, speculativa, vel practica.

Dico Primò: Conscientiæ erroneæ negativè de facto Deus est causa. *Conscientiæ erroneæ negativè Deus est causa.*

Probatur Primò, ex Scripturis, quibus Deus dicitur excæcare homines. Isaiæ 6. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat.* Quem locum citat Ioannes cap. 12. *Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ut non videant oculis, & non intelligant corde.* Similiter Paulus 2. Cor. 4. *Deus excæcavit*, ait, *mentes infidelium, ut non fulgeat illis illu-*

illuminatio euangelii gloriæ Christi. Quæ explicans August. de Prędest. & gratiâ cap. 4. *Obdurare*, ait, *dicitur Deus, quem mollire noluerit; excæcare, quem illuminare noluerit.* Idem est excæcare, & esse causam cæcitatis: cæcitas autem eadem est cum ignorantiâ, seu conscientiâ erroneâ negativè.

Probatur Secundò, ratione indicatâ ab August. citato: causare conscientiam erroneam negativè, seu cæcitatem, nil est aliud, quàm subtrahere vel non dare scientiam, seu lumen oppositum: negationes enim ac privationes aliter causari non possunt, quàm subtractione formarum negatarum, seu privatarum: atqui certò Deus laboranti conscientiâ eo modo erroneâ ac cæcitate subtrahit oppositam scientiam ac lumen; aliàs non erraret, neque esset cæcus, sed sciret ac videret: ergo eam causat, scilicet, quo modo causari potest etiam negativè, seu negando, vel non causando positivè formam oppositam.

18. *Cæcitatis causa physica negativa est Deus, moralis quisque sibi.*

Adverte tamen Primò, Deum hac ratione esse causam erroris ac cæcitatis quasi negativam physicam. Moralis enim ac meritoria seu demeritoria oppositi luminis est homo sibiipsi, seu ejus libertas, ac malitia, juxta illud Sapientiæ 2. *Hæc cogitaverunt & erraront: excæcavit eos malitia eorum.*

Adverte Secundò, Deum eo modo causare physicè, vel tamquam causam universalem, quando subtrahit concursum tantùm universalem ad positionem formæ ab eo tantùm positivè causandæ concursu universali: qualis est quævis cognitio universalis; vel tamquam causam particularem, quando subtrahit concursum particularem ad positionem formæ ab eo causandæ, concursu particulari: qualis est cognitio & illustratio supernaturalis. Itaque conscientiæ erroneæ negativè circa materiam & objectum aliquod naturale Deus potest dici causa universalis: at verò circa materiam, & objectum aliquod supernaturale (de quali cæcitate agunt Scripturæ & Patres,) potest dici causa particularis. Atque hoc modo sensuque propriè dicitur excæcare, potestque etiam dici auctor conscientiæ erroneæ ac cæcitatis.

19. *Deus excæcat & indurat, non est tamē auctor peccati.*

Unde tamen collige & adverte Tertiò, quamvis peccatum sequatur ex cæcitate ac conscientiâ dicto modo erroneâ, & quamvis Deus peccatorem non tantùm excæcet, sed & eo ipso induret juxta Scripturam & Patres; peccati tamen auctorem, aut simpliciter causam minimè esse. Primò, quia illud, si sit commissionis, non est nuda privatio, sed positivus actus, qui causari non potest nudâ subtractione, sed positivo & particulari influxu: qualem Deus non præbet, sed tantùm universalem. Si verò sit omissionis, ne quidem

ad hanc negativè concurrit tamquam causa particularis; cùm actus, cujus omissio peccatum est, ab eo minimè causari debuerit concursu positivo, & particulari. Secundò, ut suppono ex 1.2. nullus eventus omissionem secutus est voluntarius, nisi debenti illum impedire: atqui Deus non debet impedire libera peccata hominum: ergo hæc quamvis secuta ex cæcitate non sunt Deo voluntaria.

20. *Conscientiæ positivè erroneæ ne quidem potest Deus esse causa.* Dico Secundò: Conscientiæ positivè erroneæ ne quidem potest Deus simpliciter esse causa, scilicet, infundendo alicui dictamen, vel assensum erroneum. Ita Turrianus 2.2. disp.3. dub.4. Coninck de Actibus supernatur. disp. 10.dub.2.& à fortiori Medina 1.2. quæst.24. qui idem docet de habitu erroris.

Probatur: quia conscientiam positivè erroneam non potest causare subtractione concursûs, ut erroneam negativè; sed positivo, particulari ac determinato eam infundendo: hoc autem Deo repugnat duplici ratione. Primò, quia omnis error dedecet naturam rationalem, idque quamvis in ipsâ habente se passivè produci posset. Etsi enim tunc illa non ideò erraret, nihilominus illa forma dedeceret tale subjectum. Quare indigna videtur, quæ à Deo, ut particulari causâ produci & infundi possit; cũ præsertim non videatur ejus rei justa occasio occurrere posse.

Secundò, & præcipuè: quia probabilius non potest Deus in animâ assensum falsum producere, nisi ea vitaliter ad eumdem concurrat, adeoque erret: cùm omnis cognitio, ut & volitio, sit essentialiter actus vitalis, ac necessariò in genere causæ formalis reddat animam, cui inhæret, cognoscentem, & in casu præsenti errantem. Hoc autem posito Deus directè & determinatè esset causa erroris, &, ut ita dicam, errationis: atqui hoc implicat: ergo & illud.

Probatur minor: quia, ut divinæ bonitati repugnat non tantùm per se peccare, sed etiam per aliũ, seu peccatum in alio determinatè causare; sic eâdem ratione repugnat primæ veritati non tantùm per se errare ac mentiri, sed etiam per alium, seu errorem in alio determinatè causare. Potest quidem, imò de facto Deus multa facit, & hominibus proponit, quorum occasione errent: sed id contingit ex naturali imbecillitate intellectûs humani præter intentionem, & directam ac determinatam excitationem Dei, secùs omnino quàm casu conclusionis.

Confirmatur: quia si hæc vera sint juxta rationem & Auctores allegatos, de quovis errore in quâvis materiâ, v.g. logicâ, vel etiam mechanicâ; certiora erunt de errore morali nato homines inducere ad peccatum, saltem materiale, ac præsertim dictamine conscientiæ

practico, proximâ humanorum actuum regulâ. Quia ejusmodi error naturâ suâ magis dedecet tum naturam rationalem, tamquam subjectum; tum Deum, tamquam auctorem.

Longè alia est ratio de conscientiá erroneâ negativè, seu ignorantiâ; non tantùm, quia hæc longè aliter à Deo causatur; sed etiam quia naturam rationalem longè minùs dedecet, imò plurimarum rerum ignorantia est illi omninò naturalis, & omnino necessaria.

21. *Ne quidem potest Deus infundere habitum erroris, seu conscientiam habitualẽ erroneam.*

Ex dictis collige cum Doctoribus citatis, probabiliùs ne quidem posse Deum infundere habitum erroris, seu conscientiam habitualem positivè erroneam: tum quia & ille dedecet naturam rationalem; tum quia per illum quoque directè, etsi non necessariò, Deus hominem induceret in errorem, scilicet particulari & indebito cõcursu. Quæ ratio cessat, cùm eumdem habitum jam aliunde productum tantùm conservat concursu universali, & debito.

22. *Causa moralis consciẽtia erronea.*

Dico Tertiò: Causa moralis conscientiæ erroneæ, tum negativè, tum positivè, est peccatum originale, naturalis cæcitas intellectûs humani, ac negligentia discendi. Dixi *moralis*, quia de physicâ nulla superest difficultas, cùm certò ea sit præter Deũ ipsemet intellectus.

Probatur & explicatur conclusio juxta communem Patrum ac Doctorum sententiam, nominatìm D. Thomæ 1.2. quæst. 85. art. 3. Ubi ex Bedâ recenset quatuor vulnera naturæ humanæ ex peccato, præsertim originali, consequentia; ignorantiam in intellectu; malitiam in voluntate; infirmitatem in irascibili; & concupiscentiam in concupiscibili. Ubi primum vulnus acceptum à peccato originali recensetur ignorantia; quæ, ut vulnus est naturæ, habitualis potiùs intelligenda est, quàm actualis; & comprehendit proclivitatem ad errandum etiam positivè, difficultatem assequendi veritatem, & inconsiderationem in agendo. Secundum vulnus malitia in voluntate, id est, propensio ad malum, ut explicat eam D. Thomas ad 2. juxta illud Genes. 6. *Proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentiâ suâ.* Infirmitas, juxta eumdem, est quædam pusillanimitas erga bonum arduum: concupiscentia, inclinatio erga bonum delectabile, præter moderationem rationis.

Quatuor vulnera naturæ humanæ ex peccato originali.

Dicuntur autem ea vulnera naturæ lapsæ, non quòd naturalia non sint, atque adeò naturaliter ex ipsâ naturâ consequentia; sed quia supernaturaliter in statu innocentiæ fuissent impedita, justitiâ originali confirmatâ oportunis auxiliis; & quidem perfectè ac specialiter ignorantia per prudentiam; malitia per ipsam justitiam; infirmitas per fortitudinem; concupiscentia per temperantiam. Amissâ igitur per peccatum originale originali 23.

ginali

ginali justitiâ, atque adeò symmetriâ hac & subordinatione virtutum ac potentiarum; intellectus relinquitur naturali suæ cæcitati, quâ in plurimis errat negativè & positivè, etsi instructus donis supernaturalibus. Quod vulnus intellectûs, ut & alia, augetur quoque peccatis aliis. Quibus ratio magis hebetatur, præcipuè in agendis, ut ibidem docet D. Thomas. Quod etiam satis indicant illa: *Excæcavit eos malitia eorum*, scilicet non sola pronitas ad malum, prout vulnus est inflictum à peccato originali; sed prout confirmata peccatis propriâ libertate commissis. Imò malitia, ut dixi num. 1. significat ipsam libertatem propensam, seu propensionem liberam ad malum, nec provenientem ex aliis vulneribus, ignorantiâ, aut passione. Quare huc etiam spectat tertia erroris causa, negligentia discendi, scilicet libera: quia, ut dicam postea, & docet D. Thomas 1. 2. quæst. 76. art. 2. non nisi ratione illius, ut proximæ ac liberæ causæ, ignorantia, sicut & error peccatum est: qui aliàs, ut secundùm se liber non est, ita nec malus. Huc etiam spectat affectatio ignorantiæ, quâ vel intellectum avertis à vero cognoscendo, sive audiendo, vel eum applicas considerandis rationibus falsis: quibus in errorem inducaris: quæ aliàs voluntas in intellectu immediatè causare non potest.

Ad tres has causas conscientiæ erroneæ, quæ sunt homini intrinsecæ, reducuntur aliæ etiam extrinsecæ, v.g. deceptio humana, vel diabolica. Nec enim extrinsecæ illum possunt in errorem inducere, nisi mediantibus intrinsecis. Atque ita explicata est, eâdemque operâ probata tota conclusio.

CAPUT III.

An, & quâ ratione, conscientia erronea, seu ignorantia, causet involuntarium?

QVæstio hæc procedit de quâvis ignorantiâ jam assignatâ, etiam juris & facti, præterquam pravæ dispositionis: quæ cùm sit positiva cognitio, & opinio, potest non tantùm indirectè, sed directè causare voluntarium ac peccatum; imò & actum bonum, si sit invincibilis. Itaque quæstio est de ignorantiâ privativè sumptâ, modoque ejus causandi indicato num. 1. 24.

Nota, posse aliquid esse involuntarium secundùm unam rationem, voluntarium secundùm aliam. Exempli causâ, comestio carnis illi, qui, si sciret esse diem Veneris, non comederet, præcisè sumpta tam potest esse voluntaria die Veneris, quàm die Jovis. Utroque enim die expresè scit, & vult comedere carnes. Itaq; non est dubium, quin illa actio sic spectata, quatenus, scilicet ab ipso cognita, sit illi simpliciter voluntaria tam die Veneris, quàm die Jovis. Sed du-

Potest aliquid esse voluntarium secundùm unam rationem, involuntarium secundùm aliam.

dubium est, an illa comestio sit voluntaria, vel involuntaria, quatenus ignorata, nimirum quatenus facta die Veneris, atque adeò contra præceptum Ecclesiæ.

25. *Alia cognitio requiritur ad cōtractus, quā actus morales.* Nota Secundò, aliam cognitionem requiri ad contractus, ut sint validi, quàm ad actus humanos, ut sint morales, speciatim ut sint mali. Ad hoc enim, quia sufficit voluntarium indirectè, non requiritur distincta cognitio, sed sufficit confusa aliqua malitiæ vel cognitio, vel dubitatio, cum quâ consistit ignorantia seu privatio cognitionis distinctæ: quæ proinde, si vincibilis sit, non excusat à peccato. Ad contractus verò, quia non sufficit voluntarium indirectè, requiritur distincta cognitio, ut voluntarii censeantur, & validi.

Neque refert ad illorum valorem, an ignorantia sit consequens & vincibilis, vel antecedens & invincibilis. Itaque certò & universaliter contractus, quâ ratione ignorati, censentur involuntarii; atque adeò invalidi, si ignorantia seu error versetur circa substantiam, v.g. vitrum emas, putans gemmam: Bertam ducas uxorem, putans Lucretiam. Si verò error vel etiam dolus versetur circa accidentia, sitque causa contractûs, probabiliùs ob rationem indicatam non est irritus contractus, sive sit stricti juris, sive bonæ fidei; quia cognitus & voluntarius simpliciter secundùm substantiam: sed naturali æquitate, jure gentium, imò & civili irritabilis, si velit deceptus, nisi sit indissolubilis, ut matrimonium; quia involuntarius secundùm quid, seu accidentia ignorata. Vide Lessium de Jure & justitiâ cap.17. dubit.5. qui egregiè hanc sententiam discussit, & illustravit. Si error sit tantùm comitans seu incidens, eoque emeris, v.g. equum pluris, quàm valeat, jure naturæ foroque conscientiæ excessus pretii debet tibi restitui; jure tamen foroque civili non datur tibi actio, nisi sis deceptus ultra dimidium, quamvis absque dolo malo l.2. Cod. de rescind. actione; vel dolo malo inductus, variis legibus ff. & capp. de dolo malo. Tunc enim etiam foro externo jubebitur deceptor ultra dimidium, vel restituere excessum pretii justi, scilicet supremi, si deceperit vendendo; si emendo infra dimidium, supplere defectum pretii, scilicet infimi, aut rescindere contractum, ut ipse maluerit: dolosus autem restituere excessum, vel supplere defectum pretii; non justi sensu dicto, sed illius, quo fuisses empturus vel venditurus. Quæ inter utramque illam actionem differentia notanda est, & colligitur ex legibus citatis, ac communi Doctorum sententiâ. Sed hæc quia minùs spectant ad institutum nostrum, sufficiat indicasse.

Dico jam Primo: Ignorantia antecedens, seu invincibilis, causat involuntarium simpliciter. Est 26. *Ignorātia antecedēs causat in-*

D.Tho-

voluntarium simpliciter. D. Thomæ citati, & communis re, etsi modo loquendi dissentiant aliqui. Colligitur ex Aristotele, Nysseno citatis, & Nemesio de Naturâ hominis cap. 31.

Probatur & explicatur duplici sensu: Primò, de voluntario negativè: quo sensu est omninò certa. Aliàs in exemplo sæpiùs allato, Jacob peccasset accedendo ad Liam, antecedenter & invincibiliter putatam conjugem. Ratio est, quia nil potest esse voluntarium secundùm eam rationem, secundùm quam ignoratur, nisi mediante ipsâ ignorantiâ, quæ sit voluntaria, & consequens: atqui opus factum ex ignorantiâ antecedente secundùm rationem peccati ignoratur, v. g. accessus Iacob ad Liam, quatenus non suam; & in exemplo superiori comestio carnis, quatenus fit die Veneris contra præceptum; nec potest esse voluntarium mediante ignorantiâ, quæ, ut supponimus, ipsa non est voluntaria, aut consequens, sed antecedens: ergo secundùm eã rationem non est volũtarium: sed, quod idem est, involuntarium negativè.

Secundò probatur & explicatur conclusio juxta mentem D. Thomæ de involuntario positivè: quia sic operans ita est dispositus, ut si sciret quid faceret, v. g. accedere se ad non suam, hoc detestaretur positivo actu, & inclinatione: cujus quoque signum esset tristitia, nisi mutaretur ejus dispositio: ergo secundùm eam rationem repugnat positivæ inclinationi: quo ipso est involuntarium positivè, scilicet interpretativè & habitualiter, ut inclinatio tantùm est habitualis. Quod sufficit ad ejusmodi locutionem accedente causalitate ignorantiæ, cujus sic vis peccatum causandi, & ab eo excusandi meliùs explicatur. Aliàs fateor hoc involuntarium, & habitualem dispositionem non sufficere ad moralem bonitatem & meritum, uti nec ad malitiam ac demeritum, ut dicam paulò pòst.

Ex dictis collige quod docet D. Thomas quæst. 76. art. 3. ignorantiam antecedentem ex toto, vel omnino excusare à peccato.

Dico Secundò: Ignorantia consequens, seu vincibilis, causat voluntarium simpliciter, involuntarium secundùm quid. Est etiam re communis, ac D. Thomæ citati. 27. *Ignorãtia consequẽs causat voluntariũ simpliciter, involuntariũ secundùm quid.*

Prior pars etiam August. 3. de Libero arbitr. cap. 19. *Non tibi*, inquit, *imputatur ad culpam, si invitus ignores*; scilicet juxta præcedentem conclusionem ignorantiâ antecedente, *sed si scire neglexeris*; scilicet juxta hanc conclusionem ignorantiâ consequente. Quibus quoque indicatur ratio: quia, etsi opus sic factum non sit voluntarium directè, quia ignoratum est; est tamen voluntarium indirectè in ejus causâ ignorantiâ: quæ, ut supponitur, est consequens & voluntaria. Unde sequitur, opus esse magis vel minùs

nùs voluntarium ac culpabile, quo ignorantia magis vel minùs fuerit voluntaria ac culpabilis; seu quo major vel minor fuerit negligentia sciendi, ut loquitur Augustinus: nam effectus non potest excedere suam causam, sed debet illi respondere.

28. Probatur tamen altera conclusionis pars: quia sic operans ita est dispositus, ut, si sciret plenè quid faceret, nollet facere: supponitur enim ignorantia esse causa operis: quare post factum potest etiam dolere. Ita qui culpabiliter omisit audire concionem, in quâ suspicabatur promulgandum jejunium, potest illud violare; non violaturus, si expressè scivisset sibi tali die jejunandum. Itaque violatio jejunii ac præcepti est illi involuntaria, scilicet interpretativè & habitualiter. Addiderim eamdem dici posse illi involuntariam negativè, quatenus non est voluntaria directè, utroque tamen sensu secundùm quid; quia simpliciter est voluntaria juxta priorem conclusionis partem.

Ex dictis hac conclusione collige, opus factum ex ignorantiâ consequente minùs voluntarium & malum esse, quàm si ex nullâ ignorantiâ fieret: quia tunc ne quidem esset involuntarium secundùm quid, sed plenè voluntarium, ut plenè cognitum. Quod etiam verum est de ignorantiâ crassâ & supinâ: de affectatâ est peculiaris difficultas. Quare

Dico Tertiò: Ignorantia affectata causat aliquando magis, aliquando minùs voluntarium. Est D. Thomæ citati art. 4. & saltem communior. Dixi, *magis voluntarium*, scilicet, materialiter sumptum pro opere quod aliunde magis voluntarium sit, non formaliter pro ipsâ ratione voluntarii: quæ cùm pendeat à cognitione, non potest augeri ignorantiâ. 29. *Ignorãtia affectata causat aliquando magis, aliquando minùs voluntariũ.*

Quo sensu probatur & explicatur conclusio. Dupliciter potest quis affectare ignorantiam, v. g. casu allato nolendo audire concionem: Primò, ex affectu erga peccatum, ne fortè ab eo avertatur, vel ut liberiùs illi indulgeat absque scrupulo, accedente insuper contemptu præceptorum Ecclesiæ: quasi diceret: Quidquid jubeat Ecclesia, faciam quod facere decrevi, ideoque non est quòd audiam concionem. Hoc enim jam dicere & sentire potest, etsi mutaturus esset animum peccandi, si reipsâ auctoritas Ecclesiæ mandantis à Pastore proponeretur. Secundò, affectare potest ignorantiam, quia timet apertè repugnare mandato Ecclesiæ, ideoque concionem non audit, ne fortè repugnet, vel ut leviùs peccet. Priori modo ignorantia affectata causat magis voluntarium. Primò enim ante culpabilem ignorantiam præcedit affectus, isque explicitus & magnus, peccandi, qui illius

ſius cauſa eſt, & plenè voluntarius, quia non cauſatus ab aliâ ignorantiâ. Deinde non tantùm in ſeipſo peccatum illi eſt voluntarium modo dicto, ſed præterea in cauſâ, ſuperveniente ignorantiâ: quâ renovatur quodammodo peccatum, dum illam advertit, nec impedit: ergo peccatum inde ſecutum magis voluntarium eſt, quàm ſi ſemel voluntariè ordinario modo, abſque ignorantiâ committeretur. Poſteriori modo cauſat minùs voluntarium eo ipſo, quo opus ejuſque objectum ac circumſtantias magis abſcondit. Quo enim quid minùs cognitum, minùs eſt voluntarium, ſcilicet ceteris paribus; niſi accedat pravus affectus ſeu affectatio, quæ plus malitiæ operi addat, quàm detrahat ignorantia, ut fit priori modo, quo affectatio naſcitur ex magno affectu peccandi, & contemptu Eccleſiæ: non poſteriori, quo potiùs ex reverentiâ erga Eccleſiam. Quo modo cum D. Thomâ conciliari poteſt D. Bonaventura aliique, quòd ignorantia quæcumque minuat voluntarium, ſcilicet quantum eſt ex parte ſuâ, ac ceteris paribus.

Ex dictis collige, ignorantiam affectatam eâdem ratione ſenſuque cauſare majus vel minus peccatum, ut ſatis clarum eſt.

30. *Opus factum cum ignorãtiâ comitante* Dico Quartò: Opus quod fit cum ignorantiâ comitante, & antecedente ſeu invincibili, eſt non voluntarium; quod cum eâdem conſequente ſeu vincibili, voluntarium. Eſt D. Thomæ cit. art. illo 8. & 4. & re communis, etſi non modo loquendi. Dixi, *cum*, non, *ex* ignorantiâ, quia particula *ex* ſignificat cauſalitatem, *cum* comitantiam: quod etiam indicavit Ariſtoteles citatus. *& antecedente eſt non volũtarium; quod cum eâdem cõſequente, voluntarium.*

Probatur prior pars in exemplo, ſi quis occidat hoſtem invincibiliter ignoratum ibi eſſe, intendens occidere feram, ita conſtitutus, ut illum voluiſſet occidere, ſi ſciviſſet ibi eſſe. hoc caſu homicidium nec directè in ſe eſt voluntarium, quia ignoratum; nec indirectè in cauſâ ignorantiâ: tum quia hæc ipſa non eſt voluntaria; tum quia, ut ſupponitur, non eſt cauſa, ſed tantùm comitans; neque in ipsâ emiſſione ſagittæ, quia illis circumſtantiis illi licita: ergo nullo modo eſt voluntarium, ſeu, quod idem eſt, non voluntarium privativè. Non eſt tamen involuntarium poſitivè, quia non eſt contra, ſed conforme inclinationi ejus habituali, ut etiam ſupponitur: quia ſi ſciviſſet hoſtem ibi eſſe, nihilominùs occidiſſet, & quidem fortè lubentiùs, quàm feram.

Probatur poſterior pars in eodem exemplo: quia, etſi homicidium non ſit voluntarium ſecundùm ſe, nec in ignorantiâ, quia nõ eſt cauſa; eſt tamen indirectè in emiſſione ſagittæ, quæ eſt cauſa & ipſi illicita illis circumſtantiis: quibus ſupponitur ignorantia hoſtis 31.

præ-

præsentis, esse consequens & voluntaria: quia saltem dubitavit, an ibi esset: quo dubio posito non licuit illi sagittam in illum locum emittere, nisi eo ipso indirecte vellet occidere hostem.

32. Ex quibus collige Primò, quo sensu D. Thomas art. illo 4. dicat ignorantiam comitantem nec minuere, nec augere voluntarium, adeoque peccatum, seu, ut loquuntur alii, nec excusare, nec accusare. Quod verum est Primò, de actu externo peccati, cujus cùm simpliciter causa non sit, non potest etjam esse causa, quòd sit majus minúsve. Nec refert quòd juxta jam dicta possit esse signum peccati; quia hoc ipsum habet quatenus est consequens, non quatenus comitans, ut constat ex dictis.

Dispositio habitualis nō sufficit ad peccatum. Secundò, id verum etiam est de affectu, seu actu interno præsenti, quem illa necessariò nec excludit, nec requirit, contenta dispositione habituali, quâ verum sit, si sciret ibi esse hostem, occideret. Illa tamen sola peccatum esse non potest: aliàs continuò fierent plurima peccata à plurimis ita habitualiter constitutis, ut, si v. g. deberent alterum eligere, vel mori, vel peccare, eligerent peccare.

33. *Quid si emittens sagittam dicat: Si ibi esset meus hostis, illum occiderē;* Dices, Quid si ille dum sagittam emittit, dicat: Si ibi esset meus hostis, illum occiderem?

Respondeo peccaturum peccato interno homicidii; suppono enim (quod saltem fit ordinariè) illis verbis significari actuale aliquod desiderium, vel placentiam; quod clarius esset si diceret, Utinam ibi esset meus hostis! Non tamen peccabit aliâ ratione, quàm si sagittam non emitteret. Quia ut emissionem, ejusque volitionem, desiderium illud non causat, ita nec moraliter inficit. Erit itaque homicidium volitum objectivè, sed non voluntarium effectivè. Quod inde etiam constat, quia desiderium & velleïtas, nisi transeant in volitionem efficacem, actum externum imperare non possunt.

Sed quid si dicat sic: Volo emittere sagittam, vel hostem meum occidere, si fortè ibi sit. Respondeo tunc peccaturum completo peccato homicidii interno & externo. Quia satis apparet, emissionem imperari à volitione efficaci occidendi, non tantùm feram, sed & hominem, etsi dubiè cognitum. 34. *aut, Volo hostem occidere, si fortè ibi sit?*

CAPUT IV.

An & quomodo cum ignorantiâ consistat hæresis?

EX dictis hactenus de ignorantiâ, colligi potest an & cum quâ ignorantiâ, videlicet, consequente, & vincibili, consistere possit hæresis. Primò, constat ad eam non sufficere dispositionem habitualem, quâ quis discredere vellet, etsi sciret quippiam sufficienter à Deo revelatum, seu ab Ecclesiâ propo- 35.

propositum, nisi ea ex actu discredendi relicta esset. Secundò, satis item certum videtur, etsi contrariũ doceret Domin. Sotus & Canus, non sufficere quamvis ignorantiam etiam mortaliter vincibilem, imò nec omnem affectatam, quòd aliqua impediat pertinaciam requisitã ad hæresim. Quæ ratio cessat in peccato homicidii, aliisque.

36. *Ad hæresim sufficit aliqua ignorantia affectata.* Respondeo igitur & dico: Sufficit ad eam ignorantia affectata, qualem dixi causare magis voluntarium; ut si quis eo planè modo velit nescire quippiam ab Ecclesiâ propositum, ut fidei articulum, quo in exemplo num. 29. allato voluit ignorare ejus præceptum jejunandi, nec audire concionem priori illo modo conclusionis tertiæ superiori cap.

Probatur: quia ejusmodi affectatio sufficit, imò illa ipsa satis magna pertinacia est, cùm nõ minuat, sed augeat peccatum; nec excludat, sed includat cõtemptũ Ecclesię, Deiq;.

Itaque primo modo nullum fiet peccatum, secundo mortale; idque contra præceptum & virtutem fidei, necdum tamen hæresis: tertio modo fiet formata hæresis obnoxia pœnis illi inflictis. Ita ferè Vasquez 1.2. disp. 126. cap. 2. & Sanchez libr. 2. in Præcept. cap. 7. nu. 23.

37. Adverte tamen Primò, nullam ignorantiam esse hæresim: quia ignorare non est errare, & discredere. Est itaque hæresis ex tali ignorantiâ, affectatione, & contemptu Ecclesiæ discredere.

Adverte Secundò, in eo non esse probandam doctrinam Vasquez, quòd ad omnem hæresim necessariò videatur requirere contemptum Ecclesię: qui plerumque, sed non necessariò illi annexus est. Absolutè enim posset v. g. Propheta hæreticè discredere aliquid sibi privatim revelatum, idque ignorantiâ similiter affectatâ, si nollet ad revelationem attendere, eo affectu, quo ille in exemplo allato nollet audire concionem. Nam ut ad actum fidei sufficit absolutè auctoritas solius Dei, ita ad hæresim illius solius contemptus. Non videretur tamen talis obnoxius pœnis hæresi inflictis ab Ecclesiâ, quæ tantùm solet punire in se contumaces.

CAPUT V.

An sit, & in quo consummetur peccatum ignorantiæ?

SUppono hîc quod juxta sententiam multò communiorem & veriorem ostendi libr. 3. cap. 17. num. 150. malitiam, uti bonitatem moralem ac formalem primariò convenire actibus internis, secundariò externis; per internos autem intelligi actus solius voluntatis, qui, ut soli sunt liberi, & actus aliarum potentiarum causant & imperant; ita suam simul libertatem ac moralitatem in eosdem transfundunt, sicut anima vitam in cor- 38.

 pus.

pus. Quare per actus externos etjam intelliguntur, eo modo loquendi, actus intellectûs. Quemadmodum verò ad actus aliarum potentiarum reducuntur opposite illis omissiones, ita in casu nostro necessariò ad actus intellectûs, opposita illis ignorantia. Unde sequitur, statum hujus quæstionis, si agatur de ignorantiâ secundùm se spectatâ, non esse an sit peccatum formale. Certum enim est ex dictis non esse, sed formalem rationem peccati tantùm extrinsecè participare ab actu voluntatis, qui sit illius causa, sicut actus & omissiones externarum potentiarum. Itaque sensus statusque quæstionis est, an sit peccatum materiale, seu an & quâ ratione illi secundùm se conveniat malitia materialis, seu objectiva, libr. 2. cap. 6. explicata. Quod quæri potest etiam de ignorantiâ antecedente & invincibili, an illi secundùm se conveniat materialis malitia, secundùm quam à conscientia, nisi erronea sit, improbari debeat. Antè tamen statuendum an aliquâ ratione peccatum sit. Quare

Status quæstionis.

39. *Aliqua ignorantia certò peccatum est.*

Dico Primò: Aliqua ignorantia est peccatum. Est D. Thomæ cit. art. 2. quæst. 76. & sic universaliter sumpta est omnino certa, imò videtur fidei. Et Probatur Primò, ex Script. Psalm. 24. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Quibus Psalmista rogat Dominum, ne meminerit, sed remittat sibi ignorantias: ergo sunt peccata, quæ remitti debeant. Neque solet aut potest propriè ejusmodi locutio usurpari de re indifferenti, cui malitia non competit, nisi merè per accidens. Ita malè diceres ac rogares: Ne memineris ambulationum mearum. Isaias cap. 5. *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Imò paulò pòst: *Propterea dilatavit infernus animam suam.* Itaque captivitas illa fuit etiam spiritualis, vel saltem temporalis, inflicta in pœnam peccati ignorantiæ. Similiter Apostolus 1. Cor. 14. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* *Ignorat*, scilicet mandata Domini, de quibus egit proximè; *ignorabitur*, scilicet à Domino, qui in pœnam peccati negabit illi, quasi ignoto, suam gratiam & gloriam. Quare Deus prohibet peccatum hoc ignorantiæ, psalm. 31. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.*

Probatur Secundò, ratione: quia clarè malum ac peccatum est ignorare te ea, quæ debes scire: imò idem est te debere scire, nimirum sub peccato, & peccaturum si nescias, seu ignores: atqui multa debes scire, ut Dei & Ecclesiæ mandata, multa fidei mysteria: ergo saltem eorum ignorantia peccatum erit: quod certissimum est de hæresi. Præterea debes scire, quæ debes facere: non est autem dubium quin plura debeas facere.

Probatur Tertiò, quia quod na-

natum est causare peccatum, non tantùm materiale, sed & formale, debet esse malum materialiter, vel hoc ipso: ignorantiam autem esse ejusmodi constat ex cap.3. Præterea etsi non esset nata causare aliud peccatum; error intellectûs hoc ipso quo error, apparet quoddam malum.

40. Ex dictis collige, peccatum etjam esse vel mortale, vel veniale, pro gravitate vel levitate materiæ, periculo errandi se temerè exponere.

41. Dico Secundò: Ignorantia secundùm se est peccatum; seu, peccatum ignorantiæ consummatur in intellectu, non voluntate. Est D.Thomæ in 2. dist. 22. quæst. 2. art. 1. neque mutavit sententiam, quod putat Vasquez art. jam cit. ut ostendam paulò pòst. D.Thomam sequuntur plerique interpretes: idemque docent Bonavent. Alexand. Albertus, Richardus, Marsilius: quos referunt & sequuntur recentiores, Valent. 1.2. disp.6. q.6. puncto 2. Azor lib. 1. Instit. mor. cap.12. quæst.5. Eamdem indicat Suarez 1. 2. tract.5. disp.5. sect.2. contra Vasquez 1.2. disp.118. cap.2. citantem pro se Cajetanum, Conradum, Cordubam, Durandum, & contra Sanchez in Præcepta lib.1. cap.17. num.8. qui putant malitiam hujus peccati sitam in negligentiâ sciendi.

Peccatum ignorantiæ consummatur in intellectu.

Probatur ex dictis: quia rectæ rationi apparet difforme, (abstrahendo ab omnibus aliis) vel errare quomodocumque, quod etiam physicè rectæ veræque rationi adversatur; vel ignorare ea quæ debes scire, aut operari: ergo illud secundùm se est malum, scilicet objectivè. Antecedens per se satis clarum videtur.

Probatur facilè consequ. quia, ut ostendi c. illo 6. idem est rectæ rationi esse difforme, & objectivè malum. Ob contrariam rationem scire secundùm se, præsertim ea, quæ debes vel scire vel facere, est objectivè bonum, juxta dicta de actibus indifferentibus.

Ex ratione allatâ collige eâdem, imò majori, ratione conclusionem veram esse de errore positivo: magis enim hominem dedecet falsum opinari, quàm verum nescire. 42.

Idem majori ratione verum de errore.

Confirmatur probatio, quia, ut fatentur adversarii, ignorantia actualis seu inconsideratio illâ ratione secundùm se est peccatum: ergo à fortiori habitualis. Probatur consequentia: tum quia plus & pejus quid est, ignorare habitualiter ac continuò, quàm semel actualiter; seu ignorare, quàm non considerare, seu non recordari: ergo ignorantia potiùs secundùm se æstimatur mala, quàm inconsideratio: tùm quia multa debemus scire, non tantùm actualiter, sed & habitualiter, v.g. præcepta, & articulos fidei Symbolo comprehensos, quæ non sufficit semel audivisse, sed oportet mandare memoriæ;

juxta communem Christi fidelium, ipsiusque Ecclesiæ sensum & praxim; ut nimirum habitualiter eorum scientia conservetur, & datâ occasione suo tempore redigatur in praxin.

43. Respondet Vasquez, differentiam esse inter ignorantiam habitualem & actualem, quòd hæc opponatur actuali rectitudini, non illa: in casu autem nostro debere esse privationem actualis rectitudinis: in quâ sita est malitia peccati actualis.

Sed Primò, lib. 2. cap. 18. concl. 3. ostendi, quo sensu ratio peccati includat privationem, scilicet conformitatis cum rectâ ratione: qualis etiam reperitur in ignorantiâ habituali, ut constat ex jam dictis.

Secundò, responsio supponit falsum, quòd hîc agatur de malitiâ formali, cùm agatur tantùm de objectivâ, ut constat ex dictis initio hujus capitis: hæc autem sæpè non includit ejusmodi privationem: quia sæpè non est sita in actibus, eorumque omissione, ut si quis velit Deum aut ejus providentiam non esse. Similius casui nostro exemplum est, si quis velit carere habituali gratiâ. Quorum & similium actuum objecta, adeoque objectiva malitia, non potest sita esse in privatione actualis rectitudinis: ergo nec debet in casu nostro.

44. *Ignorãtia & inconsideratio habent formalem malitiam in voluntate.* Adverte tamen, quod constat ex dictis initio hujus capitis, ignorantiam & inconsiderationem habere à voluntate formalem malitiam, sicut libertatem, ideoque fieri peccata omissionis mediante negligentiâ discendi: quod tantùm docet D. Thomas illo artic. 2. ut ostendat contra alteram sententiam Vasquez, etiam peccatorum intellectualium malitiam moralem primariò sitam esse in voluntate.

Confirmatur hæc explicatio: quia negligentia discendi secundùm se est indifferens, ut sit bona, si versetur circa res malas, aut ad te non spectantes; vel mala, si circa res bonas, quas scire debeas, ut in casu nostro: ergo ipsa secundùm se non est mala, sed tantùm ratione malæ ignorantiæ, cujus causa est.

Unde etiam sequitur Primò, negligentiam discendi cõflare moraliter unum peccatum cum ignorantiâ, sicut actus internus cum externo, omnisque actus cum omissione, cujus causa est. 45. *Cum ignorantiâ conflat unu pec. catum negligẽtia discendi.*

Sequitur Secundò, non ideò ignorantiam esse malam, quia negligentia mala, sed contrà; si inquiratur prima mali radix, seu, ut loquitur D. Thomas, primordialis malitia, qualis est objectiva. Si tamen agatur de malitiâ morali & formali, verum est ideò ignorantiam vel inconsiderationem esse malam, quia mala est negligentia: quæ est libera, & indirecta ejus volitio.

Sequitur Tertiò, malitiam seu

pec-

peccatum etiam moraliter spectatum, non esse consummatum, nisi liberè, modo dicto, in intellectu sequatur ipsa ignorantia in quâ est malitia objectiva. Sicut furtum non est consummatum, nisi ad voluntatem furandi accedat externa rei alienæ ablatio.

46. *Quando committatur peccatum ignorantiæ?* Petes, quando consummetur, vel peccetur peccato ignorantiæ, an quamdiu illa durat, vel cùm negligentia ejus est causa?

Respondeo, juxta communem D.Thomæ art. illo 2. ad 5. & universalem doctrinam de peccato omissionis, si ignorantia, ut omissio, voluntaria sit eo tempore, pro quo obligat preceptum, scilicet affirmativum, tunc eo tantùm tempore peccari ignorantià. Ubi suppono præceptum affirmativum non obligare pro omni tempore, ut negativum, sed pro aliquo certo. Ita peccat, v.g. ignorans esse jejunandum eo die quo esset jejunandum, si hoc tunc posset intelligere ex domesticis: aliàs peccatur eo tempore, quo liberè fuit posita causa ignorantiæ pòst necessariæ. Ita rusticus, qui posteà id aliunde non posset intelligere, peccaret die Dominico, quo omisisset concionem tali periculo. Quemadmodum, qui hodie post lectum Officium in mare projiceret breviarium, hodie committeret peccatum crastinæ omissionis Officii: quia nimirum peccata tunc verè committuntur, cùm liberè, non cùm durat necessariò eorum effectus: qui potest consistere cum voluntate à peccatis alienissimâ, vide cap.17. libr.1. Quia tamen in casu nostro præcepta est aliquarum rerum scientia, etiam habitualis, ut antè indicavi, v.g. Symboli mandandi memoriæ; adultus, qui illud ignorat, peccat quoties juxta jam dicenda advertit se debere, potestque illud discere; rusticus qui semper non potest, tunc cùm potuit, nec fecit.

CAPUT VI.

Quomodo ejus malitia debeat esse cognita?

Respondeo: Nulla ignorantia peccatum est, scilicet formale, nisi actualiter aliquo modo, saltem confusè & dubiè, ejus malitia, vel, quod in idem recidit, obligatio sciendi, discendi, vel inquirendi fuerit præcognita. Quam sententiam universaliter de quovis peccato docui lib.2. cap.17. & hîc repeto: quia ex eâ pendent multa particularia deinceps tractanda. Intelligenda autem est universaliter de quâvis ignorantiâ juris vel facti, inadvertentiâ, inconsideratione, & oblivione, quæ, ut indicavi cap.1. aliàs est invincibilis: quo sensu est Auctorum citatorum dicto cap. Vasquez, Sanchez, imò communior: contra Suarez & Valent. ibidem citatos. 47. *Ignorãtia nõ est peccatũ, nisi aliquo modo prævisa ejus malitia.*

Probatur rationibus ibi allatis;

 no-

nominatim, quia, ut docet D. Thomas 1.2. quæst. 14. art. 6. consultatio non procedit in infinitum, nec versus finem in inquisitione mediorum, nam aliàs numquam veniremus ad opus; nec versus principium, quia aliàs numquam inciperemus consultare. Itaque incipiendum à primâ aliquâ cogitatione, quæ consultationi det initium & occasionem: quam Aristoteles 7. Moral. ad Eudemum sub finem tribuit fortunæ. Absque illâ igitur non potest esse culpabilis in casu nostro ignorantia, quia moraliter invincibilis, cùm nulla de ejus malitiâ periculóve ratio dubitandi occurrerit; quâ ignorans inciperet cogitare vel consultare de eâ expellendâ, seu inquirendâ veritate. Itaque superat humanam diligentiam, adeoque obligationem expellere ignorantiam vel inadvertentiam malitiæ objecti, cujus nulla prorsus incidit cognitio.

Confirmatur: quia cùm homini proprium sit operari ex certâ intentione finis, ea scientia ei moraliter erit impossibilis, quam non potest adipisci ex certâ intentione: atqui rei, cujus nulla præcessit cognitio, non potest esse intentio: ergo ejusdem cognitio est moraliter impossibilis, adeoque ignorantia invincibilis, & inculpabilis. Omitto hîc alias rationes allatas loco citato.

48. *Ad obligationem* Tantùm hîc addo cum iisdem Doctoribus, ad obligationem sub mortali nō sufficere quamvis cognitionem, licet tenuem ac imperfectam; qualis solet esse in semidormientibus, vel necdum plenè excitaris à somno; sed requiri plenam & perfectam, qualis solet esse in vigilantibus. Nec enim credibile est tam levem cognitionem sufficere ad tam grave malum peccati mortalis, & æternæ damnationis. Imperfecta tamen cognitio sufficiet ad peccatum veniale. *Sub mortali non sufficit cognitio tenuis.*

Ex hac conclusione collige Primò, in exemplis suprà allatis nec emittentem sagittam in agro, vel projicientem lapides in plateam, quamvis hominem occidat, umquam peccare, aut laborare ignorantiâ facti vincibili, nisi actu prævideritejus periculum, v.g. dubitando, an aliquis ibi esset, vel transiret; nec omittentem jejunium tali die laborare vincibili ignorantiâ juris, nisi similiter saltem dubitarit actu, num fortè eo alióve propinquo die jejunium præceptum esset, idque à Pastore promulgandum concione. 49.

Collige Secundò, cum Sanchez, quo sensu secundùm jura ac Doctores paria sint, scire ac scire debere; vel indirectè voluntariam esse ignorantiam, cùm scire debuisti, vel potuisti, & similia; quando nimirum incidit tibi aliqua cogitatio, quòd scire ac inquirere deberes: aliàs reverà in foro conscientiæ nec debuisti, nec moraliter potuisti. Verum tamen est, foro externo sæpè 50. *Quo sensu paria sint scire & scire debere?*

sæpè præsumi scientiam, præsertim juris legisque, quæ cùm publicè promulgata sit, habetur omnibus nota. Quo sensu explicanda nominatim reg. Juris in 6. *Ignorantia facti excusat, non juris.*

51. *Eventus secutus ex ebrietate non est novum peccatum, nisi aliquo modo prævisus.* Collige Tertiò, cum Vasquez & Sanchez, eventus secutos ex ebrietate, quamvis frequenter sequi soleant, non esse nova peccata, nisi aliquo modo prævisum fuerit saltem eorum periculum ante ebrietatem. Quia aliàs ne quidem in causâ & indirectè sunt voluntarii. Quâ ratione Origenes hom. 5. in Genesim, & Chrysost. hom. 44. excusant Loth ebrium à peccatis luxuriæ, & incestûs. Neque refert, quòd ebrietas illorum causa voluntaria sit: nam, ut suprà dixi, aliud est ignorantiam esse culpabilem; aliud, sequi ex culpâ. Dixi tamen, *aliquo modo*: quia sufficit confusè & universaliter, vel ipsos eventus, vel eorum periculum prævisum fuisse: quod ordinariè contingit circa solitos sequi frequenter.

52. Collige Quartò, cum iisdem, ut faciens opus aliquod prohibitum, quod ipse tale novit, sed tunc non advertit, v.g. iniens contractum usurarium, à culpâ excusetur, non esse necessarium (quod videtur requirere Cajetanus aliique) ita sit affectus, ut, si advertisset, noluisset: quo modo affecti sunt, qui perseverant in firmo proposito peccandi mortaliter. Sufficit enim absolutè id tunc non adverterit, quamvis careret ejusmodi proposito. Verum tamen est, ordinariè illud signum esse, quòd non adverterit, saltem perfectè; si enim advertisset, vi illius propositi non fecisset. Quâ ratione Confessarii prudenter excusant à peccato formali, saltem mortali, eos, quos aliunde norunt teneros conscientiâ, ac timentes Deum, etsi constet materialiter peccasse: secùs quàm laxos conscientiâ, & peccatis mortalibus assuetos.

CAPUT VII.

An ignorantia sit peccatum speciale?

Peccatum speciale hîc vocatur, quod est distinctum ab eo, quod ex ignorantiâ committitur: atque ita satis clarus est status quæstionis. 53.

Nota Primò, res ignoratas, quatenus ad hanc quæstionem spectant, esse duplices; vel ejusmodi, ut sciri debeant simpliciter, ac per se, ut ita hîc loquar, id est ratione officii, quo ignorans fungitur; aut statûs, quem profitetur: vel tantùm per accidens ac in sensu composito, posito quòd hoc vel illud facere velit, etsi non teneatur. Posteriori modo in exemplo antè allato, si velis emittere sagittam, vel projicere lapides in plateam, debes prævidere an nemo illac transeat: & si velis inire contractum, v.g. cambii, debes scire saltem magis obvia ad ejus *Alia debent sciri per se, alia per accidens.*

ejus justitiam requisita. Priori modo debet Pastor scire constitutiones Ecclesiasticas, saltem præcipuas, de festis, jejuniis, Sacramentis, censuris, & similibus: judex leges, quæ spectant ad officium & functiones judicis, & Advocatus quæ ad causas civiles. *Imò omnes*, ait D.Thomas art. illo 2. *tenentur scire communiter ea, quæ sunt fidei, & universalia juris præcepta*: & Imperator C. de legibus l. *Leges sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent; ut universi præscripto earum manifestiùs cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur.* Quæ de universalibus quibusdam legibus juxta D.Thomam intelligi possunt de obligatione in conscientiâ; de omnibus, non nisi de obligatione civili in foro externo: quo non præsumitur nec admittitur ignorantia juris legumque, ut suprà dixi, & constat variis legibus de juris & facti ignorantiâ, eodem; nisi in certis personis, v. g. mulieribus ac militibus, lege primâ & ultimâ, iisdem.

54. *Ad cognitionem sciendorũ per se inclinat studiositas.*

Nota Secundò, ex D.Thomâ citato & 2.2. quæst. 166. & 167. ad scientiam rerum, quæ priori hoc modo sciri debent, tamquam materiam suam & objectum, & ad expellendam contrariam ignorantiam, inclinare virtutem studiositatis: quæ tamquam virtus moralis ac species temperantiæ, respicit medium inter excessum sciendi, qui spectat ad curiositatem; & defectum, qui ad pigritiam, ut juxta Apostol. *non plus sapias quàm oportet sapere, sed sapias ad sobrietatem.* Itaque ut cap. 5. conclus. 2. dixi, ignorantiam secundùm se esse malam materialiter & objectivè; ita à contrario scientia opposita est materialiter & objectivè bona.

Nota Tertiò, à studiositate longè diversam esse prudentiam, etsi hujus actus illi aliquando tribuatur, juxta D.Thomam qu. illâ 166. art. 2. ad 1. quia prudentia non est virtus moralis, nisi secundùm materiam & objectum suum, seu objectivè; secundùm essentiam verò & subjectum, seu subjectivè, est virtus intellectualis, ut docet D.Thomas 1.2. quæst. 58. art. 3. ad 1. Quare simpliciter ad virtutes intellectuales redigit eam Aristoteles, ut artem, 6. Ethic. cap. 2. & 3. Itaque non est tam virtus moralis quàm dux & completiva virtutum moralium, ut loquitur D.Thomas; &, ut loquitur Bernardus serm. 49. in Cantica, *Non tam virtus, quàm quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixq; affectuum, & morum doctrix.* Unde sequitur, defectum oppositum prudentiæ non esse secundùm se peccatum morale, sed tantùm intellectuale: quale etiam committitur contra artem. Contrarium ob contrariam rationem dicendum de defectu contra studiositatem, quæ est virtus propriè & essentialiter moralis, subjectivè in voluntate, etsi objectivè verse-

versetur circa scientiam spectantem ad intellectum.

56. *Ignorantia sciendorum per accidens non est speciale peccatum.*

Dico jam Primò: Ignorantia rerum quæ sciri tantùm debent per accidens posteriori modo, non est speciale peccatum. Est communis, satisque certa, quamvis contrarium videatur sentire Cajetanus & Corduba: qui tamen explicari possunt juxta sequentem conclus.

Probatur Primò: quia aliàs graviùs peccaret, qui ex ignorantiâ peccaret, quàm qui ex scientiâ, contra superiùs dicta: qui enim ex scientiâ peccat, tantùm unicum peccatum committit; qui ex ignorantiâ, committeret duplex, videlicet illud quod ex ignorantiâ committitur, v.g. homicidii, & prætere a ignorantiæ, ut in exemplo allato, is qui emittit sagittam, occiditque hominem, quem nesciebat culpabiliter ibi esse. Unde sequeretur ulteriùs, ignorantiam non excusare, vel minuere, sed augere peccatum.

Probatur Secundò, à priori: quia ejusmodi rerum ignorantia secundùm se non est difformis rectæ rationi: nec enim simpliciter me dedecet nescire, quis transeat per plateam, uti nec scientia earumdem rerum est eidem conformis. Habet se igitur ejusmodi ignorantia, sicut imprudentia, & imperitia artis, quæ secundùm se non sunt peccata moralia, sed tantùm quatenus à malo fine, vel eventu, v.g. injustitiæ, inficeretur, ut si sutor malè consutos calceos aliis vendendo, iis injuriam faciat.

Ubi insuper adverte, hinc petendam rationem quare non detur aliqua virtus moralis in voluntate, quæ versetur circa prudentiam, aut artem, earúmve functiones: quia nimirum illæ ne quidem secundùm se sunt bonæ objectivè. Quòd si destinentur vel conjungantur motivo aliarum virtutum, extrinsecè participabunt earumdem honestatem. Ita in idem recidit, sive dicas: Volo esse prudens, videlicet circa prudentiæ objecta virtutes; vel, Volo exercere virtutes, videlicet juxta præscriptum prudentiæ, earumdem ducis. Itaque illa volitio in genere spectat ad propensionem syntereticam, juxta dicta lib. 1. cap. 12. num. 102. si determinetur ad materiam certæ virtutis, ab hac procedet. 57.

58. *Nescire ea quæ sciri debent per se, est speciale peccatum.*

Dico Secundò: Ignorantia rerum quæ sciri debent per se, ratione status, vel officii, priori illo modo, est speciale peccatum, nimirum contra virtutem studiositatis. Similiter ex D. Thomâ citato, & expresse docetur à Salas 1. 2. qu. 76. sect. 3. num. 15. citante plures alios. Idem docet Vasquez, saltem ex parte disp. 119. cap. 3. de iis quę sunt posita in speculatione, v.g. mysteriis fidei nostræ, respectu Christiani, & Sanchez cap. 17. num. 11.

Probatur Primò: quia secundùm se rationi difforme est, hominemque dedecet ejusmodi ignorare,

rare, non tantùm, quatenus omnis ignorantia quoddam animæ rationalis malum est; sed speciatim quatenus est ignorantia rerum ad officium vel statum ejus pertinentium. Quemadmodum contrà rationi conforme est, hominique decorum scire, nec tantùm res ejusmodi secundùm naturam suam spectatas (quamquam eâ solâ ratione earum scientia animæ rationalis ornamentum est) sed insuper quatenus pertinentes ad officium, vel statum. Procedit hęc ratio universaliter de practicis, v. g. præceptis decalogi, Ecclesiasticis, atque etiam civilibus universalibus, juxta D. Thomam citatum. Sanè communi Christi fidelium sensu dedecet nescire, v.g. præcepta decalogi, æquè vel magis, quàm aliqua mysteria fidei, quæ tamen omnes scire tenentur. Nec refert quòd hæc destinentur ad praxim. Quia etiam mysteria fidei, & præceptum ea sciendi dirigitur ad internam praxim, vel actum credendi, & nihilominus, ut fatetur Vasquez, aliâ virtute & obligatione tenemur ea scire, quàm credere: ergo etiam exteriora practica aliâ virtute & obligatione scire debemus, quàm exteriùs exercere. Quare & D. Thomas eodem modo loquitur de utrisque loco citato pro secundâ conclus. cap. 5. *Vnicuique*, inquit, *peccatum est ignorantia eorum*, quæ ad bonos mores, & fidei veritatem pertinent. An autem illa virtus, quę nos inclinat ad articulos fidei sciēdos vel discendos, sit ipsa studiositas, quod videtur verius ob rationem indicatam not. 2; vel quasi studiositas, ut indicat Vasquez; vel etiam habitus piæ affectionis ad illa quoque extensus, parum refert ad praxin, & rem nostram. Est autem illa vel acquisita, vel infusa secundùm generalem doctrinam de virtutibus.

Confirmatur ratio allata: quia, ut jam indicavi, juxta communem certamque sententiam Theologorum, datur in voluntate virtus, quæ dicitur habitus piæ affectionis circa actus credendi intellectuales, idque juxta communiorem, specialis à reliquis virtutibus distincta. Saltem certissimum est hæresim esse speciale peccatum, quamvis consummetur in intellectu: ergo similiter casu conclusionis datur in voluntate virtus, eaque specialis, circa scientiam rerum dictarum, earumque ignorantia erit speciale peccatum.

Probatur Secundò: quia saltem ignorantia rerum istiusmodi communiter nata est causare aliud peccatum contra leges positivas, vel obligationem isti officio statuique annexam: ergo vel eâ solâ ratione à lege naturali prohiberi universaliter potuit, imò debuit, etsi aliquo particulari casu cessaret periculum aliud peccatum causandi. Quâ ratione notum est multa universaliter prohibe-

ri legibus etiam positivis.

59. Ex quibus sequitur, Pastorem v.g. teneri scire, excommunicatos nominatim vitandos, & à templo arcendos esse: quamvis non esset periculum peccandi cum illis communicando; vel quia numquam ille casus occurreret, vel quia haberet virum doctum à quo tempori de similibus esset monendus. Idem dicendum de similibus, Episcopo, judice, aliisque: qui cùm ipsi in se susceperint ejusmodi officia, debent etiam ipsi instructi esse scientiâ ad eorum functionem requisitâ, saltem rerum præcipuarum.

Pastor debet scire v.g. vitãdos nominatim excommunicatos.

CAPUT VIII.

Quarum rerum ignorantia sit speciale peccatum, seu quæ quisque ex officio & statu, scire teneatur?

60. SUperiori cap. assignata est regula, quòd peccatum, & quidem speciale, sit ignorare quæ pertinent ad cujusque statum & officium: quia tamen hæc regula est nimis universalis, & nihilominus res magni ad formandam conscientiam moresque momenti, paulò distinctiùs hîc indicabo quænam illa sint quæ quisque ex officio vel statu scire teneatur; paucis tamen, quia nimis vaga est aliàs hæc quæstio spectans ad quosvis hominum status, & speciatim materiam de fide. Tantùm attingam officia & status præcipuos, præsertim communem Christi fidelium.

Dico Primò: Omnes Christi fideles ratione statûs & professionis Christianæ, debent explicitè credere, itaque scire Primò, quæ omni statu debuerunt credi necessitate medii, quòd juxta Apost. ad Hebr. 11. Deus sit, & quòd inquirentibus se remunerator sit, scilicet providentiâ suâ, idque post hanc vitam: cui annexa est animæ immortalitas. Secundò, ea quæ comprehenduntur fide Christi explicitâ, ut Incarnatio, scilicet secundæ personæ, adeoque SS. Trinitas, ejus passio, mors, resurrectio, adeoque officium mediatoris, idque necessitate medii, ut multi putant, ad gratiam & gloriam omnibus omnino necessarii; etsi contrarium sit probabile, vel probabilius. Tertiò, necessitate præcepti articulos fidei Symbolo comprehensos secundùm substantiam. Quæ sententia media est inter opinionem antiquorum Canonistarum improbabilem, nisi intelligatur de necessitate medii, quòd rustici rudesque homines explicitè debeant credere, quæ primò dixi necessaria necessitate medii, reliqua tantùm implicitè credendo quæ credit Ecclesia: & Calvini, qui risit distinctionem fidei implicitæ, & explicitæ, priorémque vocavit ignorantiam, dixitque omnes etiam rudes debere omnia credere explicitè, ideoque

Quæ debeant explicitè credere, itaq; scire omnes Christi fideles.

61.

que legere & scrutari Scripturas.

Probatur & explicatur. Jure divino tenentur omnes aliqua explicitè credere præter necessaria necessitate medii, secundùm mandatum Christi Marci ult. *Prædicate Euangelium omni creaturæ: qui non crediderit, condemnabitur.* Nec potest certior regula, & summa credendorum, adeoque Euangelii, assignari, quàm ab ipsis Apostolis statuta fuit, Symbolum Apostolorum: in quo omnes convenirent, ipsi inter se prædicando; Christi fideles credendo, juxta communem sententiam Patrum. Itaque non debent hi plura credere, quamvis ab Ecclesiâ solennizata: de quibus aliud senserunt aliqui, v.g. circumcisionem & adventum Spiritûs sancti, quia Symbolo non continentur. Dixi, *Secundùm substantiam*, eamque confuso saltem modo conceptam; non omnes circumstantias, v.g. Christum passum sub Pontio Pilato, vel etiam communionem Sanctorum: quæ satis quoad substantiam creditur, cùm creditur Ecclesia Catholica, aliàs obscura etiam doctioribus. Nec secundùm ordinem, quia consuetudo Ecclesiæ, ac præceptum mandandi memoriæ non obligat, nisi sub veniali. Itaque sufficit sic ea sciant quoad substantiam, ut rogati possint de iis respondere.

Sufficit aliqua explicitè credere secundùm substantiam.

62. Unde sequitur, Confessarios ex officio debere rudes, de quibus dubitant, rogare, &, si nesciant, paucis docere, præsertim necessaria necessitate medii: quia, ea omnia scire debent jure divino obligante sub gravi peccato mortali, nisi excuset parvitas materiæ, in necessariis necessitate solius præcepti. Ob quam quoque causam verisimilius est, quod docet Sanchez, venialem ignorantiam esse, nescire facere signum S. Crucis.

Confessarii debent rudes docere.

Petes pro quo tempore præceptum hoc divinum obliget, seu quando Christi fideles ea credere teneantur? 63.

Præceptū divinū ea sciendi obligat pueros post usum rationis.

Respondeo, juxta communiorem sententiam, quando pueri pervenerunt ad usum rationis, ita ut moraliter ea capere possint: quo item tempore tenentur Deum super omnia diligere, vel quando adultis antè infidelibus sufficienter sunt proposita. Non tenentur tamen Confessarii rogare, vel pœnitentes confiteri, an id fecerint, cujus meminisse non possunt. Ceterùm Christi fidelibus imponit onus importabile Calvinus, imò fidem sic exigendo destruit, cùm uniuscujusque judicium facit regulam fidei. *Turbam fidelium*, ait August. contra epist. fundamenti, *non intelligendi*, scilicet etiam Scripturam, *vivacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit.* Quare libro de Fide & Symbolo, dicit hoc contineri credenda rudibus.

Ex quibus collige, sufficere ut turba Christi fidelium reliqua credat 64.

Reliqua sufficit

Christi fideles credant implicitè; dat implicitè, credendo quæ credit Ecclesia, seu non rejiciendo hujus auctoritatem: quo fiat ut disposita sit ad illa credenda etiam explicitè, cùm occasio vel necessitas exiget: quo modo sufficit item credere aliqua iis, qui præ hebetudine plura concipere aut discere non possent, aliàs explicitè credenda.

65. *aliquando tamen ex iis aliqua explicitè per accidens.* Adverte, quamvis non debeas plura credere explicitè per se, debere tamen sæpè per accidens, ut si urgeret gravis tentatio contra alium fidei articulum, quam nisi explicitâ fide superare non posses. Vel si quacumque de causâ necessaria esset oratio, aut externa fidei confessio, quæ sine actu fidei fieri non possit; vel si lapsus in statum peccati debeas te disponere ad ejus remissionem. Quibus tamen casibus juxta dicta superiori cap. ignorantia non esset peccatum speciale.

66. *Debent item scire Sacramenta, decalogũ, orationẽ Dominicam, & Salutationem Angelicam.* Dico Secundò: Tenentur etiam Christi fideles scire aliquo modo Sacramenta, quæ debent suscipere, decalogum, præcepta Ecclesiæ, orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam.

Probatur universaliter: quisque tenetur scire necessaria ad vivendum convenienter suo statui, ac religioni: cujusmodi sunt ista, quæ perinde cum Symbolo Apostolico communi Christi fidelium æstimatione ususque habentur, & addiscuntur tamquam prima religionis Christianæ rudimenta. De Sacramentis clarum est rite suscipi non posse, nisi cognoscantur: & quia omnes debent suscipere tria, Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam, per se videntur obligari ad ea aliquo modo cognoscenda, per accidens alia, quæ volent suscipere, ut Sacramentum Matrimonii, vel Ordinationis, atque etiam Confirmationis, & Extremæ unctionis. Imò probabile est, & hæc duo sub mortali suscipi debere, cùm sine incommodo possunt. De præceptis decalogi & Ecclesiæ res item clara est, quia eorum observatio quàm maximè requiritur ad vitam hominis Christiani.

Quod attinet ad orationem Dominicam, partim Christi institutio, partim orandi necessitas, partim Ecclesiæ consuetudo vim legis adepta obtinuit, ut ea ab omnibus discenda sit memoriter, idque sub mortali, quod de eâ, ut etiam decalogo, affirmant Angelus & Tabiena: quos tamen explicat Azor & Sanchez de eorum substantiâ. Sed quamvis hæc explicatio rectè conveniat decalogo, cujus finis obtineri sic potest, scilicet observatio, modo sciatur quando obliget, & quæ peccata illi repugnent, minùs tamen orationi Dominicæ: quâ memoriter recitatâ Deum quotidie orari convenit. Imò verisimiliter ob rationes indicatas necesse est sub peccato mortali intra longius tempus. Verisimilius id diceretur sub veniali de Sa- 67. *Orationẽ Dominicam omnes debent discere sub mortali:*

imò, & Salutationem Angelicam. Salutatione Angelicâ: quamvis reverà communi Ecclesiæ usu, quo publicum ad eam signum datur, Catholicorum sensu & æstimatione etiam graviter videatur dedecere, adeoque esse peccatum mortale, nescire illam memoriter, quâ quotidie salutanda esset & oranda B. Virgo, præsertim ubi habitant permixti hæreticis Catholici: quorum preces eo quasi signo discerni solent à precibus hæreticorum. Quare etiam ob rationes indicatas de oratione Dominicâ, verisimile videtur saltem sub veniali unumquemque teneri intra longius tempus eam recitare.

68. Quod attinet ad præcepta legesque civiles, vel illæ diriguntur ad Magistratus & judices, quales vulgus Christi fidelium scire non debet; vel satis intimantur communi consuetudine usuque, ut de valore monetæ, ac contractibus; adeò ut vix ullæ sint peculiari diligentiâ privatis inquirendæ, vel discendæ. Quòd si tamen de iis quis dubitet, num verè obligent sub peccato, etiam tenetur vel de illis se informare, vel non exponere se periculò eas transgrediendi.

69. *Quæ præ Christi fidelibus debeant scire Pastores, & Confessarii.* Dico Tertiò: Plura quàm Christi fidelium vulgus debent scire ratione statûs sui & officii Sacerdotes, præsertim Pastores, ac Concionatores: qui debent adhibito aliquo studio posse illis explicare fidei articulos, & obligationem legum; & Confessarii, qui debent saltem mediocriter esse versati in casibus; ita ut possint morali judicio discernere inter peccatum mortale, ac veniale; sciant v.g. præcipuas censuras, ac casus reservatos, & obligantes ad restitutionem. Colligitur ex Trident. sess. 23. cap. 4. de reform. ubi initiandos primâ tonsurâ declarat debere esse edoctos fidei rudimenta, & scire legere, & scribere. Ergo plura exigenda à Sacerdotibus, aliisque nominatis, nimirũ jam indicata. Sumitur etiam ex D. Thomâ 2. 2. quæst. 2. art. 6. ubi ex Dionysio docet homines superiores, ut Angelos, debere illuminare inferiores, & 3. p. quæst. 36. art. 2. ad 1. ubi docet, simplices Sacerdotes habere potestatem in corpus Christi verum, ideoque debere scire eò spectantia; at Pastores insuper in corpus Christi mysticum, quod est congregatio fidelium: qui proinde ex ore eorũ debeant requirere legem, & intelligere credenda, nimirum, ut eo quasi pabulo oves pascantur à suis Pastoribus.

Probatur ex Scripturâ Malachiæ 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem Dei requirent ex ore ejus.* Ieremiæ 2. *Sacerdotes non dixerunt: Vbi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me.* &: *Pastores prævaricati sunt in me.* & Isaiæ 56. *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.* De quibus dixerat paulò antè: *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi.* Quibus clarè ignorantiæ

Sacer-

Sacerdotum, Pastorum ac Superiorum imputantur peccata etiam populi. Quare Symmachus Papa epist.ad Episcop. Mediolan. & refertur 1.quæst. 1.cap. *Vilissimus: Vilissimus,* inquit, *reputandus est, si non præcedat scientiâ & sanctitate, qui honore præstantior est.* Et Concil. Tolet. IV.cap.24. & refertur dist.38. cap. *Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus Dei, vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt.* Leo ad Clerum & plebem Constantinop. epist.22. & refertur eadem, cap. *Si in laicis vix tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in iis qui præsunt, nec excusatione digna est, nec veniâ?* Quibus consonant alia capp. eodem tit. & cap.1. part.1. Pastoralis S.Gregorii.

Probatur Secundò, ratione, quæ ex dictis colligitur: quia istorum scientia necessaria est, ut suo statui officioque, & animabus, quarum curam susceperunt, adeoque conscientiæ suæ satisfaciant. Quomodo enim illuminabunt alios, qui ipsi cæci sunt? De quibus Christus ipse Matth.15. *Cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Aptè ad hoc ostendendum Gregorius illud psalmi 68. allegat: *Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurva* Ubi per oculos intelligit Pastores, & subdit: *Obscuratis ergo oculis dorsum flectitur: quia cùm lumen scientiæ perdunt qui præeunt, profectò cuncti ad portanda peccatorum onera curvantur.*

70. Ex dictis collige, à gravi & Ecclesiæ valdè noxio peccato excusari non posse, qui ejusmodi statum officiaque ambiūt, sibique vel aliis procurant, aut imponunt, nisi sufficienti doctrinâ instructis. Quòd si jam procurarint, deberent vel ea resignare, vel studio sibi doctrinam necessariam acquirere, eâque ratione se aptos reddere: aliàs illicitè funguntur officio ad quod sunt inepti. Adverte tamen, securiores conscientiâ esse debere, qui mandato Superiorum ejusmodi officia suscipiunt, quæ non ambiverunt, præsertim Religiosi: qui & possunt credere se non ineptos ad id, quod ipsis imponitur, & sperare merito obedientiæ Spiritum sanctum suppleturum, si fortè aliquid scientiæ defuerit.

Graviter peccāt qui sibi vel aliis procurant officia Pastorum non satis doctis.

71. Dixi, *præsertim Pastores,* quia certū est habentibus curam animarum majorem sciētiam esse necessariā, quàm simplici Sacerdoti. Hic debet congruè posse legere & loqui latinè, explicare catechismum, & scire modum consecrandi, ac sacrificandi, & recitandi Horas. Curati præter dicta debent scire spectantia ad integritatem & usum Sacramentorum reliquorum, præterquam Confirmationis & Ordinis, quæ pertinent ad Episcopum. Ita ferè Binsfeldius Enchiridii initio secutus Innocentium in c. *Firmiter,* de summâ Trinit. Ratio universalis jam allata est.

Quod

72. *Confessarii non tenentur ad restitutionem, quia de eâ non monent pœnitẽtes.*

Quod attinet ad Confessarios, putant aliqui Primò, ita eos debere scire, & dicere pœnitentibus casus quibus obligentur ad restitutionem, ut, nisi id faciant, ipsi ad eam teneantur; ut v.g. Prætor, qui non impedit furta, cùm ex officio deberet. Contrarium tamen verius est, cùm in foro pœnitentiæ non agant ex officio causam aliorum, quàm pœnitentium, nisi videlicet positivè ad damnum partis læsę concurrant dicendo non obligari, cùm verè obligantur: ad quam obligationem non refert an id dicant in confessione, vel extra. Secundò, putarunt aliqui ita necessariam iis scientiam quâ possunt discernere inter peccatum mortale & veniale, & judicare de circumstantiis, aliisque ad Sacramentum Pœnitentiæ necessariis, ut eorum ignorantia sit contra substantiam Sacramenti, adeoque reddat absolutionem invalidam, ideoque inducat necessitatem iterum eadem confitendi.

Sed communior, saltem recentiorum, & probabilior est opinio, ignorantem Confessarium validè, etsi illicitè, absolvere, idque directè, ideoque confessionem illi factam non esse repetendam. Quare moraliter non contingit, aut potest contingere, ut confessio & absolutio reddatur irrita præ solâ ignorantiâ Confessarii. Nullus enim exponitur ad confessiones audiendas, quin cognoscat saltem peccatum sub ratione generali peccati, actûsque moralis; imò & distinctionem mortalis & venialis, aliquo saltem, etsi confuso, modo, & sciat pronuntiare verba formæ: quæ sola scientia necessaria est ad substantiam ac valorem Sacramenti, & hoc ministerium ac judicium humano aliquo modo exercendum.

Moraliter non potest contingere ut absolutio reddatur irrita præ ignorãtiâ Cõfessarii.

73. *Episcopi fidei & morum dogmata debẽt posse defendere.*

Dico Quartò: Episcopi præterea non tantùm debent posse explicare fidei & morum dogmata, sed ea contra hæreticos ac oppugnantes defendere.

Probatur ex Apost. ad Titum 1. *Oportet Episcopum esse, amplectentem eum qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, & eos qui contradicunt, arguere.* Idem probari potest ex variis capp. dist. 23. 36. & 38. imò Conciliis, nominatim Lateranensi sub Leone X. sess. 9. altero Lateranensi sub Alexandro III. & refertur cap. *Cùm in cunctis*, de elect. cujus decretum renovat & confirmat Trident. sess. 7. de reform. cap. 1. cui consonat cap. 2. sess. 22.

Probatur ratione: quia Episcopi sunt Primò, successores Apostolorum: quibus potissimùm à Christo dictum est Matth. 28. *Docete omnes gentes.* Secundò, Pastores primarii: quorũ maximè est & oves salutari doctrinâ pascere, ac lupos, id est hæreticos, arcere. Tertiò, præcipua capita ac columnæ Ecclesiæ, quam singulariter repræsentant. Quare habent

habent jus suffragii decisivi in Conciliis. Itaque ad illos spectat exactior quædam cognitio rerum ad fidem & Christianos mores spectantium. Ad quos proinde in casibus ac difficultatibus gravioribus juxta D. Thomam citatum debent Parochi, & ipsi recurrere, & alios remittere.

Nec desunt, qui hinc inferant Episcopos deligendos ex præstantissimis Theologis. Alii tamen volunt minimè prætereundos Jurisperitos: quam tanti momenti controversiam non est meum definire. Hoc tantùm addiderim, prudenter in eorum delectu haberi rationem non tantùm doctrinæ; sed & aliorum talentorum naturalium, vel supernaturalium, nobilitatis, prudentiæ, & maximè probitatis, imò perfectionis, quam supponit tam sublimis dignitas.

74. *Quæ debeant scire Regulares?*

Dico Quintò: Regulares debent scire obligationem votorum suorum, ac casus quibus ea violarentur, & regulas communes. Superiores præterea earumdem genuinum sensum praximque, & constitutiones, atque ordinationes, seu præcepta sui Ordinis peculiaria ac præcipua.

Probatur ratione etiam universali: tum quia earum rerum ignorantia secundùm se dedecet Religiosum; tum quia earumdem sciẽtia apparet necessaria, & subditis ratione statûs ac professionis suæ, ut religiosè ac regulariter vivant; & Superioribus, ut eosdem ex spiritu vocationis, & instituti sui dirigant regantque. Imò his majori jure conveniunt, quæ suprà diximus de Pastoribus, quòd tamquam Angeli quidam terrestres superiores debeant illuminare inferiores: qui illis magis subditi sunt, quàm alii Christi fideles Pastoribus. Ars est artium, inquit Gregorius citat. regimen animarum, quam singulariter debent callere Superiores Regularium.

Petes, an sub peccato sciri debeant regulæ, quæ non obligant sub peccato: quales sunt variorum Ordinum, nominatim Societatis nostræ? 75.

Sub peccato sciri debent regulæ, etsi sub peccato non obligent.

Respondeo affirmativè, saltem de plerisque, & secundùm substantiam spectatis. Primò, quia nihilominus vix vel numquam contingit, ut eas transgrediaris absque peccato veniali; vel quia ex naturâ rei turpis est pars suo toti, vel regularis suæ regulæ difformis (quæ indecentia videtur sufficere ad veniale) vel quia aliunde opus, quo regulam transgrederis, venialiter malum est; etiam ipsa nolitio ipsam servandi; cùm præsertim, ut suprà probavi, non dentur actus indifferentes. Itaque debent sciri regulæ ad evitanda hujusmodi, saltem prioris generis peccata. Secundò, indecentius est constituere se per ignorantiam in necessitate continuò transgrediendi regulas, quàm aliquando illas transgredi.

Illud ergo potest esse peccatum, etsi hoc non esset. Tertiò, & ejusmodi regularum ignorantia per se dedecet Regularem, qui eas profitetur.

Addiderim tamen, vix posse contingere, ut labores ignorantiâ mortali legum, quæ vi suâ non obligent sub peccato, eoque mortali. Ceterùm major & clarior est ea obligatio in Superioribus, qui ratione officii debent subditos regere, secundùm præscriptum regularum: quod facere non possunt, si eas ignorent.

76. Dico Sextò: Non tantùm medici spirituales, de quibus jam egi, sed & corporales graviter peccant, si medici officium suscipiant & exerceant, nisi medicinæ theoricæ & practicæ bene periti.

Etiam medici graviter peccant, si hoc officium exerceant non satis docti.

Probatur: quia ut isti suâ ignorantiâ sæpè animas, ita hi occidunt corpora.

77. Dubitari potest utri peccent graviùs. Videtur respondendum medicos spirituales tanto peccare graviùs corporalibus, quanto præstantior est anima corpore.

Respondeo, omnibus spectatis graviùs peccare ignorantem, v. g. Pastorem, quàm medicum, non tantùm ob rationem allatam: sed etiam, quia ille nocet multò pluribus, idque actu & exercitio publico, quo turpiùs erratur.

Respondeo tamen Secundò, peccare graviùs medicos corporales, si occidant unum corpore, quàm spirituales, si occidant unam animâ. Primò, quia hi directiùs occidunt corpora, quàm medici spirituales animas. Peccata enim, in quibus sita est mors spiritualis, necessariò sunt libera peccatoribus, qui spiritualiter occiduntur, adeoque ipsis proximè imputantur. Quare spiritualiter quisque occidit seipsum: *Spiritualis*, ait in simili D. Thomas 1. 2. qu. 73. art. 8. ad 3. *mortis nullus potest esse alteri causa per se sufficiens; quia nullus spiritualiter moritur, nisi propriâ voluntate peccando*. Alia longè est ratio de morbo & morte corporali: quæ non pendet à liberâ vel propriâ voluntate morientium, sed ignorantiâ medicorum. Posset morti corporali comparari peccatum materiale subditorum, cujus solius frequentiùs est causa ignorantia Pastoris: sed illud non est mors spiritualis. Secundò, mors spiritualis sic tollit vitam animæ gratiam, ut illa variis modis restitui possit: mors autem corporalis tollit ipsam radicem ac fundamentum omnis boni nullâ arte aut medicamento revocabile. Quare etiam majus peccatum videtur homicidium perjurio, quamvis hoc Deum directiùs impetat; & ob utramque causam scandalo, quamvis mortali, quod est quoddam homicidium spirituale. Vide de medicis cap. 12. lib. 3.

Graviùs peccat medicus unum occidendo corpore, quàm Pastor animâ.

Dico ultimò: Advocati, consiliarii, ac præsertim judices, debent reve- 78.

Quæ debeat scire

Advocati, consiliarii, judices. reverà esse, quales se profitentur, Juris periti: nec tantùm Juris Cæsarei ac communis, sed & Regii ac peculiaris certis provinciis, v.g. Belgici, siti in constitutionibus Carolinis & Albertinis; Juris præterea consuetudinarii communis, ac localis. Nec tantùm debent esse instructi scientiâ Juris jam dictâ, sed & facti, antequam causas suscipiant vel judicent. Idem dicendum videretur de Senatoribus seu Scabinis, qui etiam jus administrant. Verùm non improbabili consuetudine passim receptum videmus, ut in illorum numerum adlegâtur nobiles, aliique viri honorati, quamvis indocti: quem defectum supplent, qui dicuntur Pensionarii, seu Syndici, qui tamquam Jurisperiti, & Magistratuum consiliarii, jus habent suffragii consultivi, non tamen decisivi.

Probatur conclusio universaliter: Primò, ex Scripturâ psalm. 2. *Erudimini qui judicatis terram*, eamdemque scientiam requisivit in judicibus eligendis à Moyse Iethro Exodi 18. cùm dixit: *Provide de omni plebe viros, in quibus sit veritas, qui judicent populum omni tempore*. Imò judex supremus Deus ipse, licet omnium conscius, antequam de Sodomâ & Gomorrhâ judicium ferret, Genesis 18. dixit Abrahæ: *Descendam, & videbo utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam.*

79. Probatur Secundò, ex ipso Jure civili C. de judiciis, l. *Subtilitatem legum judex curæ habeat; non autem his quæ præter jus dicta vel prolata sunt ab Imperatore, attendens.* Quibus judex non tantùm legibus, sed earum subtilitatibus, id est, sensibus magis reconditis, jubetur se conformare: quod facere non potest, nisi insigniter legum Jurisque peritus. Atque hæc lex procedit de scientiâ Juris, quæ juxta dicta super. cap. per se illis convenit. De scientiâ facti iisdem, leg. *Iudices oportet in primis rei qualitatem plenâ inquisitione discutere, & tunc utramque partem sæpiùs interrogare, num quid novi addere desideret, cùm hoc ipsum ad alterutram partem proficiat, sive definienda causa per judicem, sive ad majorem potestatem referenda sit*. Nec refert quòd Jus Cæsareum passim receptum non sit, adeoque non obliget in multis; præsertim quæ statuit de stipulationibus, actionibus, distinctione Juris civilis & Prætorii, &c. pluribus titulis. Primò, quia ideò præterea requiro scientiam Juris Regii, ac consuetudinarii: Secundò, saltem Jus Cæsareum ostendit naturalem æquitatem, etiam quâ parte non obligat. Illius verò habendam magnam rationem, neque esse semper scrupulosè insistendum verbis & apicibus Juris, constat ex ipso Jure ac leg. *Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ æquitatisque, quàm stricti juris rationem*. Iisdem.

Probatur Tertiò, ex Patribus.

Pulchrè Ambrosius in psalm. 118. etiam citatus lib. 3. cap.17. *Bonus*, ait, *judex nil ex arbitrio suo facit, sed juxta leges & jura pronuntiat; statutis juris obtemperat.* & paulò pòst: *Obsequitur legibus, non adversatur; examinat merita causæ, non mutat*: quæ facere non potest, nisi instructus ejusmodi scientiâ. August. l. 19. de Civit. Dei non dubitat affirmare, ignorantiam judicis plerumque esse calamitatem innocentis. Similia habet Hieron. in illud Isaiæ c.1. *Quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam*: & Basilius in principium Proverb.

80. Adverte, dicta de judicibus, eâdem, imò majori, ratione convenire Ecclesiasticis: qui magis debent se conformare foro conscientiæ, quàm sæculares. Debent autem illi esse periti Juris Canonici communis, & Diœcesani.

Probatur denique conclusio universaliter universali ratione jam sæpiùs allatâ: quia non tantùm istos ea scientia valdè decet, sed necessaria est, ut suæ conscientiæ, officio, reipublicæ, ac clientibus satisfaciant. Nec tantùm valdè ipsos dedecet earum rerum ignorantia, sed eadem reipubl. ac clientibus noxia est & perniciosa; adeò ut utrisque strictam injuriam faciant, si vel officium suscipiant & exerceant, ad quod præ ignorantiâ Juris apti non sunt; vel causas iniquas judicent, aut Advocati suscipiant tamquam æquas præ ignorantiâ facti, & defectu prævii examinis.

Unde sequitur, si id fiat ignorantiâ culpabili, juxta antè dicta, teneri ad restitutionem parti læsæ, non tantùm iniquum judicem, sed & Advocatum, qui iniquæ causæ patrocinatur. Imò quamvis hic initio injustitiam non adverterit, si in decursu litis eam deprehendat, tenetur clientem monere, ut à lite desistat; &, si is nolit, ipse causam susceptam deserere. Quod statuitur etiam Jure Cæsareo, l. *Rem novam*, §. *Patroni autem causarum*, C. de judiciis, vide dicta cap. 13. & 14. libr. 3.

CAPUT IX.

An detur ignorantia mysteriorum fidei nostræ, invincibilis in infidelibus?

DUbium est de infidelibus, hæreticis, & fidelibus seu Catholicis. Hoc cap. agam de primis, sequenti de reliquis. 81.

Respondeo: Etiamnum multi infideles laborant ignorantiâ invincibili mysteriorum fidei nostræ. Est D. Thomæ 2.2. quæst. 10. art. 1. ubi ejusmodi ignorantiam vocat infidelitatem negativam, Almaini tract. 1. Moral. cap. 4. Vegæ lib. 6. de Justificatione cap. 18. Alphonsi de Castro libr. 1. de Lege pœnali cap. 14. Victoriæ relect. de Indis Insulanis concl. 1. & seq. quos citat & sequitur Vasquez 1. 2. disp.

Multi infideles laborant ignorantiâ invincibili fidei nostræ.

disp.120. cap.3. Eadem sententia jam est communis recentiorum, contra multos antiquiores Albertum, Alexandrum, Bonaventuram, Adrianum, Hugonem de S. Victore, Guilielm.Parisiensem, aliosque.

Probatur Primò, ex Apost. ad Rom.10. cum quo meritò & nunc rogamus de multis infidelibus: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audiverunt? quomodo autem audient sine prædicante?* Unde concludit: *Ergo fides ex auditu.* Quibus conformiter Augustinus libr. Quæstionum novi testamenti, vel ejus auctor, quæst 67. *Ille autem ignorans potest excusari à pœnâ, qui à quo disceret non invenit.* Et infrà, se ipsum explicat de prædicatione externâ. Idem docet tract. 89. in Ioan.ad illa c.15 ex quibus etiã probatur conclusio. *Si non venissem*, ait Christus, *& locutus eis fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Unde bene infert August. eos, quibus Christus nec per se, nec per Apostolos, aliosque prædicatores locutus est, non habere peccatum infidelitatis, atque adeò laborare ejus invincibili & inculpabili ignorantiâ. Similiter epist.105. explicans illud ad Romanos 1. *Revelatur ira Dei*, docet ignorantiam eorum qui audire noluerunt, peccatum esse; eorum verò qui non potuerunt, pœnam peccati, scilicet originalis, ut docet D.Thomas, vel alius actualis.

Probatur Secundò, ratione quæ desumitur ex Apost. & August. cit. ac suprà dictis: Multi infideles nil audierunt de Christo, ejusque fide, ideoque nullam habuerunt occasionem de eâ dubitandi, aut inquirendi: ergo non possunt laborare ignorantiâ ejus vincibili: sed tantùm invincibili, juxta explicationem hujus ignorantiæ suprà allatam.

Confirmatur: quia, si fortè instinctu aut scrupulo aliunde dubitent de suâ infidelitate, aut idololatriâ, putabunt se conscientiæ satisfecisse, si consulant alios sibi notos, seque sapientiores: hi verò illos in infidelitate confirmabunt. Neque in mentem illis veniet Deum rogare, ut sibi revelet aliam fidem, quæ an sit, prorsus ignorant.

Dices, Facienti quod est in se, 82.
Deus non denegat gratiam: si igitur infideles faciant quod est in se, servando legem, & sequendo lumen naturæ, quamvis in silvis educati sint, vivantque; Deus mittet eis è cælo Angelum, vel ex altero mundo prædicatorem, aut certè aliâ viâ illos illuminabit, & revelabit mysteria veræ fidei: hujus ergo ignorantia erit illis vincibilis, ideoque culpabilis. Hoc est unicum fundamentum contrariæ sententiæ. Quare Ioannes Nider.2.p. cap.9. dicit generalem Theologiæ regulam esse; quòd culpabilis igno-

rantia juris divini, non cadit in facientem quod est in se.

Nolo hîc instituere disputationem æquè, imò magis, celebrem de vero sensu antiqui istius axiomatis; an videlicet Deus non deneget gratiam facienti quod est in se viribus naturæ, an verò viribus gratiæ. Quare concessis reliquis, nego ultimam consequentiam. Quia, ut cap.1. num.7. dixi, aliud est ignorantiam esse vincibilem & culpabilem; aliud, sequi ex culpâ ejus causâ, vel etiam esse ejus pœnam: Hoc tantùm probatur illo argumento, non illud. Quòd si eo tantùm sensu diceretur ignorantia vincibilis, quia à faciente quod est in se, absolutè vinci potuit, quæstio esset de nomine, modò non diceretur ipsa culpabilis. Culpabilis enim verè non potest esse ignorantia, vel quidvis aliud, quod sub ratione culpæ cognitum, itaque voluntarium non fuit, ut probavi ex primis principiis Theologiæ moralis libr.1. cap.17. Non fuisse autem multis infidelibus ignorantiam fidei nostræ propositam sub ratione culpæ, ex jam dictis æquè manifestum est.

Ignorãtia infideliũ non est culpabilis, etsi sequatur ex culpâ.

83. Ex dictis collige Primò, cum D.Thomâ citato, mortuos in infidelitate negativâ, seu cum ignorantiâ invincibili fidei, non damnari propter infidelitatem, sed alia peccata mortalia.

Mortui in infidelitate negativã, damnantur ob alia peccata.

Collige Secundò, cum Victoriâ, infidelium ignorantiam ne quidem incipere esse vincibilem, simul atque à prædicatoribus fides nostra illis proponitur, nisi rationibus & argumentis reddatur illis prudenter credibilis: aliàs ne quidem tunc ignorantia iis proponetur sub ratione mali.

Ignorãtia fidei nostra non fit vincibilis, simul atque hæc proponitur.

CAPUT X.

An etiam in hæreticis ac fidelibus?

DIco Primò: Etiam inter hæreticos multi laborant ignorantiâ invincibili mysteriorum fidei Catholicæ, veræque ac Romanæ Ecclesiæ. Hanc non exprimunt Doctores; videtur tamen satis clarè deduci ex communiori eorumdem sententiâ, & antè dictis. 84.

Etiam inter hæreticos laboratur ignorantiâ invincibili fidei Catholicæ.

Probatur: quia non videtur dubium quin hisce regionibus hæresi infectis, ut nostro Belgio, Germaniâ, Angliâ, ac præsertim iis, quibus sunt pauciores Catholici, ut Suecia, Dania ac Scotia, sat multi sint, quibus vel mysteria fidei Catholicæ, & articuli controversi non fuerint satis explicata, vel non satis intellecta præ naturali hebetudine, aliáve causâ.

Confirmatur: quia, ut antè dixi de infidelibus, non sufficit ad vincibilem ignorantiam, quòd vel cognitionem veræ fidei divinitus acquirere potuerint, si fecissent quod est in se viribus naturæ vel gratiæ; vel quòd aliquid de Catholicâ fide & Ecclesiâ audiverint, nisi ea

ea sic proponatur & explicetur, ut habeant occasionem prudenter dubitandi, & inquirendi. Constat autem, multis fidem, ut vocant, Papisticam sic descriptam ac depictam esse ab eorum Ministris ac Prædicantibus, ut sincerè putent eam esse manifestam idololatriam, & Ecclesiam Romanam Synagogam diabolicam, ejusque caput Antichristum. Quam proinde juxta dictamen conscientiæ suæ horrere potiùs debeant, quàm inquirere, nedum amplecti.

85. *Inter hæreticos multi non sunt tales formaliter.* Ex quibus collige, inter hæreticos esse multò plures, qui verè & formaliter hæretici non sunt: quia juxta dicta cap 3. & 4. excusantur à formali heresi, ignorantiâ non tantùm invincibili, sed etiam vincibili, licet mortali: modò hæc non sit affectata, quæ peccatum augeat, nec impediat pertinaciam: erunt igitur istiusmodi hæretici tantùm materialiter, etsi positivè discredāt articulos controversos.

86. *Sat multi inter hæreticos viventes ac morientes salvantur.* Collige Secundò, satis multos ejusmodi, præsertim juvenes, quāvis inter hæreticos viventes, ac morientes, salvari: quia receperunt, ut suppono, Sacramentum Baptismi, & cum eo habitualem justitiam, fidemque, (quæ est magna differentia inter illos, & infideles) nec illam per ullum peccatum mortale perdiderunt. Imò nec video causam cur aliquando perditam vero actu contritionis, vel amoris Dei super omnia, recuperare non possint: quamvis id rarò putem contingere extra veram Ecclesiam.

Objicies, libr. primo cap.25. dictum neminem salvari extra veram & Romanam Ecclesiam: atqui isti sunt extra veram & Romanam Ecclesiam: ergo non salvantur. 87.

Respondeo negando minorem: quia per baptismum adscripti sunt veræ & Romanæ Ecclesiæ, & receperunt veram & Romanam fidem, licet habitualem; sicut & infantes Catholicorum, nec, ut suppono, ab eâ defecerunt per veram ac formalem hæresim. Imò ob illam causam, etsi per hæresim deficerent, nec manerent Ecclesiæ membra, manerent tamen subditi, ut dictum est eodem lib. cap.26. *Inter hæreticos baptizati adscribuntur veræ & Romanæ Ecclesiæ.*

Adverte tamen Primò, rarò contingere ut retineant ignorantiam invincibilem fidei Catholicæ adulti, qui sæpiùs cum Catholicis versantur, & per Catholicas provincias mercaturæ aliáve causâ proficiscuntur. Vix enim potest contingere, quin illi habeant rationem prudenter dubitādi: quam si habent, tenentur sub gravissimo peccato rei veritatem diligentiùs inquirere. 88.

89. *Habitâ ratione prudenter dubitandi de fide, opus est diligentiâ plus quàm humanâ.* Adverte Secundò, habitâ ratione prudenter dubitandi de negotio tanti momenti, quo agitur de æternitate ac salute animæ, requiri ad conservandam invincibilem ignorantiam, studium ac diligentiam majorem humanâ & naturali;

li; atq; adeò preces, easque ferventes & assiduas, aliaq; pœnitentiæ, vel aliarum virtutũ opera eo fine præstita. Ea enim est hujus negotii natura ac pondus, ut ordinaria diligentia illi non sufficiat, etsi sufficeret aliis. Ita secutus multos Sanchez citat. libr.1. cap.16. num.39. *Ut si quis*, inquit, *in materiâ fidei hæsitans, non haberet Catholicorum Doctorum copiam, quos consuleret, sed tantùm hæreticos; nec per se posset se eâ dubitatione liberare.* Verùm idem ob eamdem rationem dicendum, etsi habeat copiam Catholicorum Doctorum, si iis auditis maneat dubius; eò quòd, v.g. Doctores vel Prædicantes hæretici afferant rationes dubitandi, illorum rationibus contrarias. Tunc igitur oportebit recurrere oratione aliisque modis ad summum Doctorem Spiritum sanctum.

90 Dico Secundò: Etiam inter fideles multi laborant ignorantiâ invincibili mysteriorum fidei, quæ scire tenentur juxta dicta cap. 8. concl.1. Est Navarri in Summâ c.11. num.22. Azor tom.1. Instit. moral. cap.6. quæst.7. Sanchez libr.2. in Præcepta cap.5. num.20. & ferè communis aliorum, quos ille citat: contra Bonaventuram & Durandum.

Et inter fideles multi laborant ignorãtiâ invincibili mysteriorũ, quæ sciri debent.

Probatur: quia sunt multi rustici rudes & pauperes, quibus præceptum sciendi, ipsaque mysteria scienda, vel numquam clarè fuerunt explicata, vel, si explicata, non satis intellecta, præ naturali stupore ac hebetudine; vel si etiam explicata & intellecta, exciderunt è labili memoriâ. Imò invenies quibus ægrè declarabis, ut capiant necessaria creditu necessitate medii. Quod satis testatur quotidiana experientia, neque eget ampliori probatione aut explicatione.

CAPUT XI.

An, & cujus juris, ignorantia sit invincibilis?

Dubium est de duplici, vel triplici jure, naturali, & positivo, eoque divino & humano. 91

Dico Primò: Numquam est invincibilis ignorantia legis naturæ, quoad universalia principia: est tamen aliquando, quoad particulares conclusiones inde deductas. Est multò communior, præsertim recentiorum, Cordubæ lib.2. qu.4. concl.1. Azor lib.1. Inst. cap.13. q.1. Vasquez cit. disp.122. cap.1. Sanchez cit. num.33. qui citant alios: contra plures antiquiores, Alex. Durandum, Gersonem, & Gratianum, quæst 4. cap. *Turbatur*, quoad posteriorem partem.

Non est invincibilis ignorantia legis naturæ quoad principia, sed conclusiones.

Probata est hæc conclusio, variisque exemplis ostensa lib.1. c.14. ubi ostendi conscientiam numquam exstingui circa illa principia; aliquando tamen circa conclusiones. Idem enim est, conscientiam circa illas exstingui, & ignorantiam eorum esse invincibilem.

Nam

Nam eo ipſo, quo conſcientia exſtinguitur, ita ut nulla legis, v. g. prohibêris, aut malitiæ prohibitæ, ſit cognitio, ignorantia ſit invincibilis, ut ſuprà etiam oſtenſum eſt. Quemadmodum etiam contrà eo ipſo quo conſcientia non exſtinguitur circa principia & res illis prohibitas, eorum ignorantia eſſe non poteſt, niſi vincibilis.

92. *Vt aliquid ſit legis naturæ, ſufficit ex ejus principiis deduci poſſit.*

Nec refert quòd præcepta legis naturæ quæcumque debeant eſſe nota lumine naturæ: imò ipſum lumen ſit lex naturæ, quod in multis exſtinguitur: quia, ut ibidem dixi, ad hoc ut aliquid ſit præceptum ac lex naturæ, ſufficit, ut ex principiis naturalibus deduci poſſit, quamvis non ſemper, nec ab omnibus; poteſtque lumen naturæ, ut conſcientia, exſtingui circa aliqua, etſi non omnia.

93. *Plures laborãt invincibili ignorantia juris divini.*

Dico Secundò: Plures laborant invincibili ignorantiâ juris divini. Hæc concluſio neceſſariò ſequitur ex duobus capitibus præcedentibus, eſtque eorumdem Doctorum, quorum ſunt tres concluſiones iis explicatæ: contra eoſdem.

Probatur & explicatur: quia infideles, qui invincibiliter ignorant fidei noſtræ myſteria, neceſſariò ignorant eo ipſo præceptum divinum ea credendi, & ſuſcipiendi Sacramenta, nominatim Baptiſmum. Secundò, ſimiliter hæretici non poſſunt ſcire vincibiliter ſibi credenda eſſe jure divino, quæ invincibiliter ignorant, an verè à Deo revelata & credibilia ſint, vel eodem jure ſuſcipienda eſſe Sacramentà, v.g. Pœnitentiæ, quæ eodem modo ignorant, an Sacramenta ſint. Tertiò, fideles ſeu Catholici, qui invincibiliter ignorant certum aliquem fidei articulum, ſeu myſterium, eo ipſo neceſſariò ignorant præceptum divinũ illud ſpeciatim credendi. Atq; hæc dicta ſunt de jure divino poſitivo: de jure divino naturali, quale dicitur lex naturæ; tum quia verè ejus auctor & legiſlator eſt Deus; tum quia participatio eſt legis æternæ Deo intrinſecæ, jam egi concluſ. primâ, atque adeò etiam de præceptis decalogi: quæ duplici ratione poſſunt dici diuina; tum ratione univerſali, quia naturalia; tum quia à Deo ſpeciatim declarata, & confirmata antiquo teſtamento.

94. *Datur, ſed non præſumitur, ignorantia invincibilis juris humani.*

Dico Tertiò: Aliqui etiam laborant ignorantiâ invincibili juris humani, ſeu legum, quamvis ad ſtatum ſuum vel officium ſpectantium, quamvis ea in foro externo non præſumatur. Eſt communis, & certa contra Guiliel. Pariſienſem, cujus ſingularis, nec probabilis ſententia eſt tract. de Legibus cap. 21. quòd nulla legis ignorantia contingere poſſit, abſque culpâ.

Probatur concluſio ex dictis: aliarum legum, etiam divinarum ac naturalium, ignorantia aliquando eſt invincibilis: ergo etiam humanarum; idque ob eamdem cauſam, quòd ſpectatâ fragilitate,

inconsideratione, & oblivione humanâ non occurrat aliquando ratio de iis, uti nec de aliis, dubitandi & inquirendi. Quia tamen id rariùs tibi contingit circa leges ad statum & officium tuum spectantes, rariùs illarum ignorantia est tibi invincibilis, quàm aliarum ad te nil spectantium. Unde sequitur, coram Deo & in foro conscientiæ ejusmodi ignorantiam excusare ab omni peccato.

95. Probatur tamen posterior conclusionis pars, quòd ea non excuset in foro externo, seu non præsumatur invincibilis, ac inculpabilis ex reg. Juris in 6. *Ignorantia facti excusat, non juris:* & leg. *Leges sacratissimæ,* aliisque C. de juris & facti ignorantiâ: quibus addo authenticam, *Ut factæ novæ conclusiones post insinuationem earum post duos menses valeant, 66.* Unde apparet bimestri post legis promulgationem non admitti in foro externo excusationem ob ejus ignorantiam: quia præsumitur omnibus manifesta, præsertim iis ad quos spectat, nisi videlicet dilucidè ejus ignorantia probari possit; adeò ut juxta communiorem sententiam ne quidem juranti se ignorasse, fides adhibenda sit; nisi juramento adjungat aliam probationem, ut docet Sanchez lib.9. de Matrim. disp. 32. n. 5. Cujus rei ulterior ratio est: tum quòd ea præsumptio nitatur probabili fundamento promulgationis publicæ, quâ tanto tempore lex singulis innotescere potuit: (quæ est aperta differentia inter ignorantiam juris & facti sæpiùs occulti, tum ut eo modo acueretur hominum diligentia in legum jurisque utili indagatione, neque hæc ratio valet de facto.

Ne quidē juranti se ignorasse legem, creditur.

96. Denique inquirunt hîc Doctores, quantâ diligentiâ opus sit ad expellendam ignorantiam invincibilem legis, cùm videlicet incidit ratio de eâ dubitandi. Conveniunt Primò, simplices debere consulere doctiores; doctiores autem, v.g. Advocatum, judicem, Pastorem, debere consulere libros, ac adhibere studium. Secundò, utrisque adhibendam ejusmodi diligentiam sibi ac negotio seu legis momento hîc & nunc proportionatam, utrisque prudentibus ac probis in simili casu usitatam. Tertiò, quanta tamen ea hîc & nunc esse debeat, fatentur judicio prudenti tandem committendum: quo v.g. constat rusticum dubitantem de jejunio, satisfacere si roget Pastorem; imò si hunc ipse audiverit, vel ex uno aliquo intellexerit jejunium die Dominico non promulgasse. Plus illo similive casu exigitur à dubio cive, qui facilè potest & debet rei veritatem certiùs, & ex pluribus inquirere. Itaque nisi id fecerit, incipiet laborare ignorantiâ vincibili, quamvis rusticus pergat laborare invincibili, etsi tali die jejunandum sit. Quæ ob rationem eamdem dicenda

Quantâ diligentiâ opus ad expellendā ignorantiam invincibilē legis?

cenda etiam de ignorantiâ facti, de quâ cap. sequenti.

CAPUT XII.

An & quâ ratione facti ignorantia sit invincibilis?

97. FActum hîc vocatur potissimùm opus materialiter malum, vel ex genere suo, vel circumstantiâ, vel utroque.

Ita in exemplis sæpiùs allatis laboravit ignorantiâ facti venator occidens hominem ratus esse feram; Iacob accedens ad Liam putatam conjugem. Neuter ignorabat jus, quòd homicidium, vel adulterium esset illicitum; sed uterque factum, quòd hîc & nunc illud materialiter committeretur. Ita etiam dicetur laborare ignorantiâ facti quoad substantiam, qui adorat Christum in hostiâ non consecratâ putans consecratam; vel quoad circumstantiam, qui sciens occidit hominem, nesciens tamen esse Clericum. *Status quæstionis.* Status ergo quæstionis est, non, an quorumlibet factorum ignorantia sit invincibilis, vel vincibilis, (clarissimum enim est aliquorum esse vincibilem, aliorum invincibilem) sed an possit aliquis ignorare invincibiliter opus materialiter malum, & nihilominus illud committere, absque formali peccato, v. g. in exemplis jam allatis. Quo sensu,

98. *Multi laborant & excusantur ignorantiâ invincibili facti.* Dico Primò: Multi laborant & excusantur ignorantiâ invincibili facti. Est communis, atque etiam certa: contra Guil. Parisiensem citatum superiori capite, cum quo hîc sentit Antisiodorensis, imò & ex parte Adrianus, Bonavent. Alex. & Marsilius: quorum rationes jam indicabo, & solvam.

Probatur: quia non est dubium quin sæpè ejusmodi opera, seu facta, materialiter mala fiant absque ullo scrupulo & suspicione mali; imò optimâ fide, conscientiâ & intentione: quo modo ad Liam accessit Iacob, juxta communem sensum Patrum & interpretum: ergo Iacob in illo, aliisque similibus casibus laborant & excusantur invincibili ignorantiâ facti, aliàs mali: quod quâ malum, voluntarium iis esse non potuit, quia omnino incognitum, juxta fundamenta superiùs jacta.

Confirmatur: quia peccata tantùm materialia, verè & simpliciter peccata non sunt, quæ videlicet, Deum offendant, & salutem animæ impediant. Quare illorum cognitio non est necessaria ad salutem, ut est mysteriorum fidei. Ergo absque probabili fundamento putant adversarii, Deum facienti quod est in se, precibus aliisque modis, vel illa impediturum, vel revelaturum eorum malitiam, ut infidelibus facientibus quod est in se, mysteria fidei. Quod etiam constat ex Jure Canonico, cap. *Apostolicam*, & cap. *Veniens*, de Presbytero non baptizato: quibus

Pontifex affirmat salvari potuisse Presbyterum non baptizatum, invincibiliter putantem se baptizatum, scilicet, per fidem Christi explicitam, & baptismi votum inclusum amori Dei super omnia. Præterea quamvis Deus faceret, quod adversarios dixi putare illum facere; tamen ignorantia facti non esset peccatum ob rationem nunc allatam, sed summùm pœna peccati, ut antè dixi de ignorantiâ mysteriorum fidei legumque.

99. Dices cum Antisiodorensi & Adriano: Ergo non erit peccatum adorare diabolum, casu quo appareret specie Crucifixi. Quia poterit is cui sic apparebit, invincibiliter ignorare diabolum, & putare esse Christum: quæ est ignorantia facti.

Si diabolus appareat specie Crucifixi, adoratur Christus, non diabolus.

Respondeo concessâ probatione, negando primam consequentiam: quia eo casu simpliciter & absolutè adoratur Christus, non diabolus, etiam externâ adoratione, non tantùm internâ. Quia, ut pluribus docui in scholis, 3. p. D.Thomæ quæst.35. adoratio non tantùm interna, sed & externa, (quæ in idem tendit, in quod illa) respondent affectui & intentioni adorantis: atqui hæc certò tendit in Christum, non diabolum: ergo & illa. Similiter non adoratur ipsum phantasma internum, quo tamen omnes Christum vel Deum nobis proponimus naturali necessitate, juxta axioma philosophicum: Intelligentem oportet phantasmata contemplari.

Hinc sequitur, illo casu licitam esse ac laudabilem adorationem minimè diaboli, sed Christi, eamque absolutam, non conditionatam dicendo: Adoro te, si tu verè es Christus. Quam conditionem nimis scrupulosè ad eam requirunt etiam Bonavent. Alex. & Marsilius, quasi aliàs à simplicibus ac devotis committendum esset peccatum idololatriæ. Quod tamquam nimis durum & falsum meritò rejicit Vasquez lib. 3. de Adoratione disp.1. cap.5. & 3. p disp. 110.cap.5. eâdem ferè ratione quâ jam usus sum. Non defuerunt tamen hæretici, qui ideò dixerint eum docere licitam esse adorationem dæmonis. 100.

Ex dictis collige, eodem modo licere absolutè adorare Deum in radio luminis, quo invincibiliter putaretur apparere, & certiùs Christum in hostiâ quæ creditur consecrata. 101.

Similiter licet absolutè Deũ adorare in radio luminis, quo creditur apparere.

Dico Secundò: Ignorantia facti, seu eventûs secuti, potest esse invincibilis etiam danti operam rei illicitæ. Est D.Thomæ 1.2. qu.78. art.3. ubi filium, qui occidit patrem putatum hominem, sed non patrem, excusat à parricidio, non homicidio. Itaque secundùm illam circumstantiam ignorantia fuit illi invincibilis, quamvis danti operam rei illicitæ: Sylvestri v. *Ignorantia*, quæst.6. Covarr. in cap. *Alma mater*,

Ignorãtia facti potest esse invincibilis etiam danti operam rei illicitæ.

mater, 1. p. §. 10. Suarez 5. tom. in 3. p. disp. 45. sect. 6. num. 1. Vasquez cit. disp. 124. cap. 2. Sanchez cit. cap. illo 16. num. 38. Contra Gabrielem, & Canonistas in cap. *Continebatur*, de homicidio: quibus videtur favere D. Thomas 1. 2. quæst. 73. art. 8.

Probatur: quia res illicita præcisè non mutat, vel auget cognitionem, ac rationem voluntarii, ut clarum est: ergo ceteris paribus non magis illa, quàm res licita faciet eventum factumque secutum vincibiliter & culpabiliter ignoratum, adeoque peccatum. Itaque, si hujus nulla prorsus inciderit suspicio, & cognitio, necessariò manebit ejus ignorantia invincibilis, sive detur opera rei illicitæ, sive licitæ.

Confirmatur ab absurdis, quæ aliàs sequerentur: nam aliàs v. g. ebrius, etsi nullum prævidisset periculum homicidii, nec umquam quid simile fecisset, peccaret peccato homicidii, si casu aliquem occideret, contra superiùs dicta: idemque peccatum committeret fur, qui animo furandi murum conscendisset, si ex illo lapsus, suo improviso casu alium occideret: quod nemo, ut opinor, dixerit.

102. Ex dictis collige Primò, istis & similibus casibus non incurri irregularitatem, scilicet pœnalem ex homicidio culpabili: quia verè illud non est peccatum homicidii, nisi materiale: quale certò ad illam non sufficit, juxta communem sententiam.

Collige Secundò, an & quando incurrat irregularitatem adulter, qui adulterio dat occasionem marito adulteræ se invadendi, eumque occidit, ut se tueatur. Si enim prævideri periculum istius homicidii, fit irregularis: quia verè sic peccavit homicidio, quod fuit cognitum, adeoque voluntarium. aliàs non. Quæ est sententia media Suarez cit. disp. 46. sect. 1. num. 12. & Coninck de Sacramentis disp. 18. de irregular. dub. 9. num. 74. inter duas extremas Sylvestri, aliorumque, quòd ille numquam fiat irregularis; & Navarri aliorumque, quòd semper.

Quando fiat irregularis adulter occidens maritum adulteræ se invadentem.

Collige Tertiò, quod solidè docet probatque Coninck cit. concl. 1. citans alios, etsi plures dissentiant, universaliter numquam incurrere dictam irregularitatem dantem operam rei illicitæ cuicumque, etsi ob periculum homicidii prohibitæ, nisi hîc & nunc peccet jure naturæ ratione periculi homicidii, videlicet prævisi, cui ipse se exponit. Ratio jam tacta est, quia aliàs non peccat peccato homicidii, quod illi voluntarium non est. Canones autem non infligunt hanc irregularitatem ob solam indecentiam, sed etiam in pœnam peccati homicidii. Aliàs qui dormientes, vel dantes operam rei licitæ, aut se defendentes cum moderamine inculpatæ tutelæ, aliquẽ 103.

Non incurris irregularitatem ex homicidio, nisi hujus saltem periculu præviderus.

occiderent, essent irregulares, contra Clement. unicam de homicidio. Imò nec ob indecentiam infligunt irregularitatem, nisi quis deliberatè hominem occiderit physicè vel moraliter, ut notum est.

104. Dices: Cap. *Dilectus*, cap. *Ioannes*, aliisque de homicidio, dicitur eos qui alios occiderunt, non fuisse irregulares, cùm dederint operam rei licitæ: ergo à sensu contrario fuissent, si dedissent operam rei illicitæ. Atque hoc est præcipuum, imò unicum argumentum contra hanc sententiam, imò & conclusionem.

Argumētum à cōtrario sensu non valet nisi in certâ materiâ.

Respondeo Primò, cum Coninck & Vasquez citatis, negando consequentiam: quia argumentum à contrario sensu non valet, nisi in certâ materia v.g. ad favores ampliandos, vel pœnas restringendas; non autem extendendas, ut in casu nostro; tum ob universalem regulam quòd pœnę restringendæ; tum ob peculiarem rationem de irregularitate: quæ non incurritur, nisi sit in Jure expressa, cap. *Is qui*, 18. de sent. excommunic. in 6. ut dixi lib. præced. cap. 7. n. 53. Itaque Pontifex capp. citatis illam rationem addidit tantùm, ut ostenderet illos certò non fuisse irregulares juxta omnem sententiam, etiam adversariorum. Quare tribus aliis capitulis sententiam fert de irregularitate non secundùm illam limitationem, si data fuerit opera rei licitæ vel illicitæ; sed secundùm dictamen conscientiæ uniuscujusque, si verè fuerit, vel non fuerit peccatum homicidii commissum. Cap. *Exhibita*, 22. de homicidio declarat ab eâ liberum Clericum, *cùm de alterius obitu*, inquit, *lesam non habeat conscientiam*, & cap. *Petitio*, sequ. judicat eâ constrictum alium: *Si*, inquit, *de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet*. Idem statuit de alio cap. *Ad aures*, de ætate & qualit. præficiend. *Si*, ait, *super præmissis conscientia tua te remordeat*: qui tamen omnes tres videntur dedisse occasionem dubiam homicidio opere ipsis illicito; primus projiciendo lapidem ad terrorem, etsi non tangendo; secundus pugnando; tertius, item Clericus, ac Canonicus, exercēdo medicinam.

Respondeo Secundò, dicta capitula, si argumentum à contrario sensu admittendum sit, intelligenda esse non de foro conscientiæ, & rei veritate, sed foro externo & præsumptione, ut antè dixi de ignorantiâ juris. Nititur autem hæc præsumptio probabili fundamento. Potiùs enim qui dat operam rei illicitæ, credendus est non curasse eventum malum illi annexum, etsi præviderit, quàm qui rei licitæ. De hoc enim integrè verum est illud, *In dubio quisque præsumitur bonus*, non verò de illo, de cujus malitiâ seu peccato saltem jam constat. Quod ipsum videtur indicasse D. Thom. art. illo 8. cùm eventus 105.

ejus-

ejusmodi non dicit esse peccata, sed imputari homini ad pœnam, si dabat operam rei illicitæ. Imò & Aristoteles 3. Ethic. cap. 5. eodem sensu videtur dicere, juxta statuta legislatorum ebrios duplici pœnâ afficiendos; ebrietatis, scilicet, & alius peccati, v. g. homicidii inde secuti. Quod nimirum puniatur ex præsumptione, ut ignorantia legum: de quâ eodem modo ratiocinatur. Cui affine est decretum legislatoris Pittaci, teste eodem Aristotele 2. Politicorum cap. ult. in fine, ut graviùs punirentur ebrii, quàm sobrii homicidæ, nimirum simul in odium ebrietatis.

106. Ex dictis hac conclusione, & superioribus, collige, & diligenter adverte, similibus casibus dubiisque, semper Confessariis & pœnitentibus applicandam universalem illam regulam, & consulendam conscientiam, an reverà eventûs, vel istius peccati, v.g. homicidii, nulla præcesserit cognitio, ac scrupulus. Si non præcesserit, tutâ conscientiâ statuere potes, nullum coram Deo peccatum commissum esse, neque incurri pœnam: contrà, si præcesserit.

CAPUT XIII.

An & quâ ratione ad omne peccatum necessaria sit conscientia erronea, ignorantia, vel inconsideratio?

Celebris est hæc quæstio, tum inter Philosophos morales, tum inter Theologos: & quia immixta illi est utilis doctrina ad varia, paulò fusiùs discutienda. Quamquam celebrem reddidisse videtur non tam fundata in re difficultas, quàm dissentientium auctoritas. 107.

Primò enim, Socrates apud Aristotelem 7. Ethic. cap. 2. & D. Thomam 1. 2. qu. 77. art. 2. putavit nullum peccatũ consistere cum perfectâ scientiâ; quasi quisq; necessariò appeteret, quod optimum cognoscit, ideoque omne peccatum fieri, imò esse ignorantiam quamdam, virtutem verò scientiam. Quam sententiam partim rejiciunt, partim amplectuntur Aristoteles & D. Thomas, qui ante omne peccatum docent præcedere aliquam saltem inconsiderationem objecti mali, v.g. in incontinente, fornicationis cognitæ quidem malæ in universali, sed non in particulari. Imò ex Aristotele 3. Ethic. cap. 1. desumptum est vulgare axioma: Omnis peccans ignorans. Secundò, antiquiores etiam Scholastici, quos citat Vasquez 1. 2. disp. 128. *Variæ sententiæ.*

cap. 1.

cap.1. putarunt peccantem semper pati defectum aliquem intellectûs: quem aliqui errorem; aliqui ignorantiam; alii imprudentiam; alii obscurationem appellant. Nec minùs dissenserunt in explicando, quàm nominando illo defectu. Tertiò, similiter in eo explicando dissentiunt recentiores: aliqui putant esse positivum errorem, actumque judicii falsum, saltem practicè, etsi non speculativè: quem plures putant peccato priorem: aliqui tamen cum Henrico posteriorem: in quod propendet Suarez tom.1. Metaphys. disp. 19. sect. 6. Aliqui cum Capreolo & Cajetano dicunt esse actum imperii, seu præceptum aliquod, quo intellectus statuat faciẽdum, quod reverà faciendum non est. Alii denique errorem explicant per remissam considerationem virtutis peccato oppositæ, ut Vasquez cit. cap.5. aliique eum secuti: qui supponunt ad omnem volitionem necessariam esse objecti voliti intensiorem quamdam ac clariorem cognitionem, quam congruam vocant.

108. *Ad peccatum non est necessarius positivus error.* Dico Primò: Non est necessarius ad omne peccatum in intellectu positivus error, seu falsa cognitio. Est Auctorum ultimæ sententiæ, & Doctorum infrà citandorum pro verâ: contra Socratem pluresque recentiores, & antiquiores jam citatos.

Probatur: quia quævis cognitio ad peccatum necessaria vel est vera, vel, si falsa, etiam hæretica: atqui non est necessaria cognitio hęretica: aliàs omnis peccans non tantùm esset ignorans, sed & hæreticus: ergo nec est necessariò falsa.

Probatur major. Incontinens ut consentiat in peccatum, v.g. fornicationis, tantùm debet illud cognoscere seu judicare bonum, scilicet, vel jucundum, vel honestum, vel ad alterutrum utile. Alia enim cognitio necessaria vel bonitas assignari non potest: atqui judicium, quòd illud sit bonum jucundum, vel ad hoc utile, est verum; quòd sit honestum, aut ad hoc utile, est quidem falsum, sed & hæreticum, ut constat: ergo quævis cognitio, quæ huic peccato necessariò intervenit, vel est vera, vel, si falsa, etiam hæretica. Valet hoc argumentum Primò, etiam contra judicium naturali sympathiâ, aliáve ratione subsequens consensum voluntatis, ut patet; præterquam quòd gratis dicatur subsequi, imò contra rationem & experientiam, quâ constat sæpè peccata committi etiam repugnante conscientiâ, dum committuntur. Secundò, valet contra idem judicium seu cognitionem etiam practicè spectata: quia etiam practicè verum est, quòd fornicatio sit bonum jucundum; & falsum, imò hæreticum est, quòd honestum. Neque tãtùm propositiones speculatiuæ, sed & practicæ, sunt hæreticæ ac contra-

riæ

riæ fidei; à qua non tantùm procedunt contrariæ ſpeculativæ, ſed & practicæ. Quare etiam hæretica eſt hæc incontinens propoſitio, Peccatum fornicationis hîc & nunc eſt mihi committendum; niſi explicetur ſenſu vero: Si velim frui ejus jucunditate; vel neceſſarium eſt medium ad eam acquirendam. Atque hinc conſtat idem argumentum valere. Tertiò, contra actum imperii, qui nil eſt aliud quàm dictamen ſeu judicium, quòd aliquid ſit faciendum, prout videlicet connotat, & ſubſtat impulſui voluntatis, ut dixi libr.1.c.4. num.28. Alia enim quarta intellectûs operatio à tribus notis, apprehenſione, judicio, & diſcurſu diſtincta, & philoſophis ignota, & ad praxim ſpeciatim in caſu noſtro inutilis eſt, nedum neceſſaria; & quamvis daretur, non eſſet error, qui ſignificat cognitionem falſam, non impulſum neſcio quem.

Præterea imperium illud quodcumque, vel eſt liberum, vel neceſſarium: ſi neceſſarium, ergo etiam tale eſſet peccatum: ſi liberum, ergo ratione alſus actûs voluntatis mali, qui peccatum ſit abſque alio imperio, adeoque poſitivo errore juxta concluſionem.

109. *Nec neceſſaria eſt ad peccatum remiſſior cognitio.*

Dico Secundò: Neque neceſſaria eſt ad peccatum remiſſior cognitio virtutis oppoſitæ, quàm peccati. Eſt ferè communis: contra auctores ultimæ ſententiæ.

Cui Primò, objici poteſt, quòd non ſufficiat ad explicandos Ariſtotelem, D.Thomam, & axioma: Omnis peccans ignorans: tum quia vera, licet remiſſa, cognitio non eſt ignorantia: tum quia ne quidem illa requiritur ad peccatum, ſaltem omiſſionis, præſertim puræ. Poteſt enim voluntas, ut fatentur adverſarii, objectum quodvis, etſi intenſiùs propoſitum, non proſequi libertate quoad contradictionem. Quo ipſo peccabit omiſſione, & quidem tunc, ſi advertat ſe debere tunc illud proſequi.

Probatur deinde concluſio: quia gratis, & abſque fundamento ſupponit contraria ſententia ad omnem objecti cujuſvis volitionem neceſſariam eſſe intenſiorem ejus cognitionem, quàm oppoſiti. Imò apparet bonum in ſe majus, facilè compenſare defectum remiſſioris ſui cognitionis; ſi præſertim conforme ſit inclinationi volentis. Ita hominem avarum multò magis movet ingens theſaurus, licet remiſſiori cognitione propoſitus; quàm gloria, vel etiam honeſtas virtutis, præſertim arduæ ac moleſtæ, quamvis ſit propoſita per cognitionem multò intenſiorem. Quo modo in eodem genere boni multò magis eum movebunt 100. aurei, quàm unus, etſi multò intenſiùs cognitus. Similiter in rebus naturalibus ac cauſis neceſſariis, v.g. ignis luculentus magis uret paſſum, quàm exiguus, ſeu candela,

la, etsi proximiùs passo applicata.

Non tantũ cognitio, sed ipsum bonũ congruum est ad movẽdam voluntatem. Unde apparet, non tantùm cognitionem, sed & bonum cognitum æquè, imò magis, congruum esse, scilicet ad voluntatem excitandam ac commovendam.

Confirmatur: quia aliàs numquam posset voluntas è duobus objectis eligere illud quod proponeretur cognitione remissiori, vel etiam æquali; adeoque dum agit, vel immediatè antequam agat, seu bonum seu malum, numquam libera esset quoad specificationem, seu actum contrarium. Dum enim agit, supponitur habere cognitionam intensiorem, seu congruam objecti, quod prosequitur, boni vel mali, cum quâ non potest consistere cognitio intensior ac congrua contrarii: ergo tunc deest illi aliquid prærequisitum ad hoc prosequendum, adeoque tunc non potest hoc prosequi actu contrario: quo ipso caret libertate quoad specificationem. Certè absurdum videtur voluntatem eâ libertate privare, idque in omnibus actibus.

110. *Gratia efficax nõ adimit libertatem quoad specificationem.* Unde sequeretur ulteriùs, gratiam efficacem, quæ ab iisdem Auctoribus constituitur in cognitione illâ congruâ, eo ipso quo efficax esset, voluntati adimere libertatem quoad specificationem, contra Trident. sess. 6. can. 4. quod definit, liberũ arbitrium à Deo motũ & excitatum, scilicet, gratiâ efficace, posse dissentire. Dissentire significat actum contrarium consensui, adeoque libertatem contrarietatis quoad specificationem, non tantùm contradictionis, quoad exercitium.

Sequeretur Secundò, gratiam sufficientem, quando, vel immediatè antequam quis illi resistat peccando, numquam esse sufficientem ad bene agendum, illique meritoriè cooperandum: quia tunc defuit illi aliquid necessariò prærequisitum ad actum bonum, hujusque objectum prosequendum, videlicet intensior ejus cognitio, impossibilis cum intensiori cognitione objecti contrarii, quæ tunc supponitur fuisse.

Respondebis voluntatem posse avertere intellectum ab intensiori illâ cognitione, & convertere ad intensiorem cogitationem objecti contrarii. 111.

Sed contrà Primò, Mirabile videtur voluntatem posse convertere intellectum ad cogitationem attentiorem objecti contrarii remissiùs tunc cogniti, & non posse tunc hoc prosequi. Imò eo ipso hoc etjam prosequitur, seu afficitur erga hoc attentiùs cogitandum. Contrà Secundò, saltem dum fuit intensior illa cognitio, tunc non potuit voluntas prosequi objectum contrarium remissiùs cognitum, ne quidem priori naturæ ob rationem allatam. Quare valet nihilominus argumentum, & sequitur contra Triden. liberum arbitrium, dum gratiæ consentit, non potuisse dissen-

dissentire, ne quidem simpliciter, & in sensu diviso.

Probatur Secundò, conclusio, & confirmantur jam dicta auctoritate Primò, Augustini 12. de Civit. Dei cap. 6. *Si duo æqualiter affecti, aut animo, aut corpore, videant unius corporis pulchritudinem: quâ visâ unus eorum ad illicitè fruendum moveatur, alter in voluntate pudicâ stabilis perseveret; quid putamus esse causæ, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala?* Seclusis deinde aliis, quæ discrimen illud possent efficere, subdit: *Quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere?* Quibus August. in exemplo incontinentis antè allato apertè discrimen inter ipsum, & continentem, tribuit voluntati, ejusque libertati; non intellectui, ejusque congruæ & intensiori cognitioni. Imò supponit ambos æqualiter affectos animo, adeoque intellectu.

Secundò, probatur auctoritate Scholæ Parisiensis, cujus sunt hi duo articuli: *Stante scientiâ universali, & particulari, quòd voluntas non possit in oppositum, error.* Et: *Existente voluntate in ultimâ dispositione, quòd non possit in oppositum, error.* Utraque propositio damnata, videtur vera juxta contrariam sententiam. Prior, quia cognitio congrua est, vel includit scientiam universalem & particularem. Posterior, quia eadem cognitio est ultima dispositio respectu voluntatis; quæ tamen eâ positâ juxta contrariam sententiam, non potest in oppositum, ut jam ostensum est. Saltem ex utrâque propositione sumitur argumentum à simili, vel fortiori: si enim stante scientiâ universali & particulari, atque ultimâ dispositione, voluntas possit in oppositum, ergo etiam stante cognitione congruâ. Duobus illis conformis est tertius articulus ejusdem Scholæ: *Si recta ratio est, recta voluntas est, error.* Et hæc damnata propositio vera esset juxta contrariam sententiam de omni actione etsi non omissione. Voluntas enim cùm agit, sequitur semper cognitionem congruam: ergo si hæc recta est, & illa recta est.

Denique sententiis huic & præced. conclusioni contrariis objici potest, quòd contra dicta num. 1. & communem sententiam, nulla dentur peccata ex malitiâ, id est plenâ libertate & scientiâ commissa; imò quòd nulla vel pauca dētur mortalia. Nam remissa cognitio non sufficit ad mortale; & ignorantia atque error voluntarium, & peccatum minuit.

Dico Tertiò: Necessaria tamen est ad omne peccatum aliqua imprudentia ac inconsideratio. Est Aristotelis & D. Thomæ citatorum, qui aliter explicari non possunt, ut constat ex dictis. Eadem est Scoti in 3. dist. 36. quæst. unicâ, §. *Secundus articulus*, Adriani quod- 112. *Ad omne peccatum necessaria est aliqua imprudētia & inconsideratio.*

 lib.

lib. 4. art. 3. Buridani 7. Ethic. qu. 4. Bassolis in 3. dist. 25. quæst. unicâ §. *Contra ista arguo*. Imò puto plerosque antiquiores juxta eam explicari posse, ut constabit ex ejus explicatione.

Probatur & explicatur. Dupliciter omnis peccans agit imprudenter. Primò, quia contra præscriptum ac regulam prudentiæ, etsi aliàs imprudens non sit, nec laboret ullo defectu intellectûs, sed tantùm voluntatis: de quo modo agam sequ. conclusione. Secundò, quia præterea imprudens intellectu, non quidem positivè ob imprudens aliquod dictamen, sed privativè ob defectum considerationis, quæ hîc & nunc adhibenda erat, ne peccaret. De hac inconsideratione agit D. Thomas 2. 2. quæst. 53. art. 4. docens esse speciale peccatum imprudentiæ, & ita intelligenda est conclusio. Quia si peccator omnia considerasset, idque attentè, quæ poterant illi peccati turpitudinem reddere abominabilem, & virtutis pulchritudinem amabilem, sive utrique intrinseca, sive extrinseca, numquam peccasset. Eo itaque sensu, ut peccaret, fuit necessaria eorum inconsideratio. De consideratione ac cognitione aliquâ congruâ communiter illud dicunt Doctores in materiâ de gratiâ, certumque est, si agatur etiam de supernaturali. Quâ ratione cum cognitione Beatorum & animarum in Purgatorio ac limbo, certò nullum peccatum consistit.

Idem videtur valdè probabile de consideratione aliquâ naturali, saltem secundùm substantiam, & Deo notâ. Sed hoc non est necessarium ad veritatem conclusionis, ad quam sufficit peccator absolutè potuerit habere aliquam considerationem naturalem vel supernaturalem, quâ à peccato fuisset aversus. Quod neminem reverà putem negaturum de homine, præsertim Christiano seu fideli. Addiderim saltem communiter potuisse ejusmodi considerationem congruam haberi à peccatore, si, antequam peccaret, adhibuisset moralem diligentiam. Quamvis nec hoc necessarium sit ad conclusionem, quâ agitur tantùm de defectu intellectûs, qui non debet esse voluntarius ac liber. Dixi, *Congruam*, non sensu refutato conclus. secundâ, ratione certæ intensionis; sed vel intentionis vel attentionis, vel talis speciei seu objecti, vel aliarum circumstantiarum ob quas hîc & nunc fuerit congrua, id est apta ad impediendum peccatum.

Certa aliqua consideratio, etiam probabiliter naturalis, peccatum impedisset.

113. Dices: Suprà dictum est sæpè peccari ex malitiâ, id est plenâ libertate & scientiâ; quia nimirum peccator pro suâ libertate malum potest amplecti, non obstante quavis consideratione.

Respondeo: Aliud est, posse facere, aliud facturum esse: non est dubium, quin peccator possit malum

Posset tamē peccator eā non obstante

peccare, sed non peccaret. lum amplecti etiam juxta sensum conclusionis. Non amplecteretur tamen, si haberet certam aliquam & congruam considerationem: quo modo in materiâ de gratiâ explicari solet, & cum libertate conciliari congruitas & efficacia gratiæ. Potest nihilominus dum peccat peccare ex malitiâ, non ignorantiâ, quòd cognoscat non remissè, sed perfectè, peccati turpitudinem, & circumstantias intrinsecas eò moraliter spectantes, seu, juxta definitionem voluntarii Aristotelicam, singula in quibus est actio. Hoc enim sufficit ut peccatum sit illi perfectè voluntarium ac liberum, adeóque fiat ex malitiâ, etsi non considerentur, præsertim attentè, omnia extrinseca, v. g. æterna peccatorum pœna, vel infinita Dei majestas iis læsa. Quòd si tamen quis sensu conclusionis omne peccatum diceret ex ignorantiâ, (quamvis voluntarium ac peccatum non minuente) quæstionem moveret de nomine, & recederet à communi modo loquendi Doctorum: quorum multi cùm videntur negare inconsiderationem esse ad peccatum necessariam, agunt tantùm de inconsideratione intrinsecorum, seu circumstantiarum sensu jam dicto.

114. Probatur jam hoc sensu conclusio, & confirmatur explicatio ex Script. Ecclesiastici 7. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Quibus verbis clarè asseritur tota conclusio. Idem enim est memorari & considerare novissima. Imò amplius iis dicitur, quòd vel sola consideratio novissimorum à peccando averteret. Quid si ergo iis addantur infinita Dei majestas, bonitas, ipsaque peccati malitia simpliciter vel secundùm quid infinita, Christi ob illud cruciatus, multaque alia? Isaiæ 5. *Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam.* Quibus non excluditur scientia tantùm intensa, sed simpliciter scientia, scilicet actualis, seu consideratio. Subinde tamen opus esse attentiori consideratione, seu meditatione, indicat Ieremias c. 12. *Desolatione desolata est civitas, quia non est qui recogitet corde.* Meritò ergo rogamus cum Psalmistâ psalm. 12. *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte. Illuminat enim Christus*, ait Augustin. in psalm. 62. illa verba citans, *animas, & facit eas vigilare; si autem lumen suum detrahit, obdormiunt.* Idem de Prædestinat. & gratiâ cap. 4. *Obdurare dicitur Deus, quem mollire noluerit; excæcare, quem illuminare noluerit.* Idem est nolle illuminare, & nolle immittere lumen considerationis congruæ, quâ peccator à peccando fuisset aversus.

Adverte hic Primò, quod rectè docet Vasquez cit. cap. 5. juxta doctrinam Augustini libr. 1. ad Simplicianum quæst. 2. & alibi, omnem 115.

Omnis peccator induratur & excæcatur. Qua ratione?

peccatorem & indurari voluntate, & excæcari intellectu (planè juxta conclusionem, ejusque explicationem) eo ipso quo non suggeritur illi consideratio aliqua congrua ad peccatum impediendum. Si enim per illam fuisset illuminata mens, fuisset quoque emollita voluntas; quia fuisset à peccato aversa. Quo modo etiam Paulus ab Augustino citatus supponit indurari adeoque excæcari eum, cujus Deus cogitatione & gratiâ congruâ non miseretur, cùm ait ad Rom. 9. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Atque ita juxta communem sensum piorum Doctorum, & Christi fidelium, omni peccatori potest dici illud Christi Lucæ 19. *Quia si cognovisses & tu,* id est, considerasses omnia, quæ verè facere poterant ad te à peccato avertendum, numquam peccasses. Unde apparet, quàm periculosa & noxia sit spiritualis cæcitas, & inconsideratio: quæ origo est omnis mali ac nequitiæ, ut lumen ac consideratio omnis boni ac perfectionis.

116. Adverte Secundò, quod optimè explicavit Scotus cit. quâ ratione malitia excæcet peccatores, juxta illud Sap. 2. *Excæcavit eos malitia eorum. Excæcat,* inquit Scotus, *dupliciter; uno modo privativè, alio modo positivè: privativè, quia avertit à consideratione rectâ. Voluntas enim eligens oppositum alicujus rectè dictati, non permittit intellectum diu stare in illo recto dictamine; sed avertit illum ab eo, & convertit ad considerandum rationes pro opposito, ne stet illa actualis displicentia, quæ stat in remorsu illo, qui habetur in eligendo oppositum dictati.* Quibus clarè docet Primò, nobiscum, eatenus peccatorem excæcari, quatenus avertitur à consideratione rectâ, atque etiam remorsu conscientiæ quibus à peccato fuisset aversus. Secundò, bene addit, hoc facere malitiam, cùm voluntas affectu peccandi intellectum ab ejusmodi consideratione avertit. Tertiò, eamdem id facere positivè, quando voluntas eodem affectu *præcipit,* inquit, *intellectui considerare media necessaria ad consequendum malum finem:* quam dicit vocari posse imprudentiam & stultitiam, non tantùm privativè, sed & positivè.

Ex dictis collige Primò, quo sensu verum sit: Omnis peccans ignorans actualiter, etsi non habitualiter, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 77. art. 2. quia inconsideratio nil aliud est, quàm actualis ignorantia: quare propriè verum est, Omnis inconsiderans est ignorans. Itaque juxta jam dicta, axioma illud, similesque modi loquendi antiquiorum Theologorum & Philosophorum optimè explicant primam peccati originem. Eodem sensu verum est: Omnis peccans imprudens; etiam propriè loquendo de prudentiâ privativâ, juxta jam dicta ex Scoto. Nam positiva non semper requiritur ad peccandum,

117. *Quo sensu omnis peccās ignorans?*

dum, nisi latiori sensu, juxta sequentem conclusionem. Quę confirmantur magisque explicantur à D. Thomâ quæst. 74. art. 5. cùm docet, omnia peccata esse quodammodo in intellectu, quatenus directivo aliarum potentiarum; quia illius erat actu proprio, seu convenienti consideratione, omnes continere in officio. Quâ ratione subversio navis imputatur nauarcho, & peccata quæ fiunt in civitate, ejus gubernatori; quamvis ad ea non concurrant positivè, sed negativè, ut in casu nostro, intellectus. Atque ea omnia conveniunt tam peccatis omissionis, quàm commissionis.

118. *Omnis actus peccati est etiã imprudentiæ.* Collige Secundò, quod per se apparet verisimile, ut omnis actus virtutis est etiam prudentiæ, ita omnem actum peccati esse etiam imprudentiæ: eo tamen discrimine, quòd actum virtutis, quo directè debet intendi honestas, prudentia debeat dirigere positivè: actum verò peccati, quo tantùm indirectè intenditur inhonestas, imprudentia tantùm negativè.

119. Collige Tertiò, quo sensu intelligendum sit, quod ait Aristoteles 7. Ethic. cap. 3. & 10. incontinentem, id est peccantem ex passione, similem esse dormienti seu vinolento; & quod ex eodem docet D. Thomas art. illo 2. cognoscere quidem intellectum fornicationem in universali non esse faciendam; sed non in particulari hunc actum. Addit Aristoteles cap. 10. illum necdum esse malignum; secùs quàm intemperantem, id est peccantem plenâ libertate, seu ex malitiâ; atque illum esse similem civitati, quæ habeat leges bonas, sed non utatur; hunc habenti & utenti legibus malis. *Quomodo differant incontinens, & intemperans.* Quia nimirum intemperans excæcatur à malitiâ suâ, & studiosè inquirit, & considerat, media ad malum finem sibi præstitutum, eâque ratione sibi præscribit, utiturque malis legibus; bonas verò, seu dictamina ac remorsum conscientiæ, contemnit, tamquàm impius cùm in profundum venit, juxta dicta libr. 2. c. 19. num. 174. Præterea maligno affectu avertit se à consideratione rectâ: unde non potest nasci nisi ignorantia, seu inconsideratio affectata. De talibus inquit Iob c. 34. *De industriâ recesserunt à Deo, & vias ejus intelligere noluerunt.* At verò incontinens non excæcatur à malitiâ, sed passione, quæ ita impellit ad peccatum, & obscurat intellectum, ut turpitudinem fornicationis non aliter cognoscat, quàm solent semidormientes, vel ebrii; præsertim hunc actum, erga quem in particulari impellitur, non in universali. Cujus proinde jucunditas luculentiùs proponitur & consideratur, tenuiùs verò honestas opposita. Habet tamen ille, nec contemnit leges bonas, & remorsus conscientiæ, quamvis ex infirmitate non sequatur.

Unde

120. Unde sequitur Primò, peccantem ex passione, sæpiùs peccare tantùm venialiter defectu plenæ advertentiæ & libertatis; nisi veniretur ad opus externum, quod rariùs fieri potest ejusmodi imperfectâ ac remissâ advertentiâ.

Qui ex passione, sæpiùs peccat venialiter.

Sequitur Secundò, juxta communem sententiam Theologorum, D. Thomæ 1.2. quæst. 78. art. 1. atque etiam Aristotelis cit. intemperantem, seu peccantem ex malitiâ, cùm non sit similis ebrio & dormienti, sed vigilanti, magis cognoscere turpitudinem peccati, quod facit, etsi non æstimet, sed contemnat, quàm incontinentem, seu peccantem ex passione. Imò ideò ille peccat ex malitiâ, idque omnium gravissimè ceteris paribus: quia nec ex passione, nec ex ignorantiâ, sed plenâ libertate, & scientiâ, adeoque proprio motu. Quòd si malitiam peccati minùs cognosceret, minùs illud esset illi voluntarium; adeoque minus peccatum.

Objicit Vasquez: Ergo qui transit à statu incontinentis ad statum maligni, seu intemperantis, transit de tenebris ad lucem.

Respondeo eodem modo, quo juxta communem certamque sententiam, is qui defectu deliberationis primò peccabat venialiter, eâ superveniête peccat mortaliter. Neque hoc est absurdum, sed necessarium ad majus peccatum, ob rationem nunc indicatam.

Petes, an dicta conveniant quoque peccatoribus Angelis? 121.

Respondeo, quamvis nec conclusio, nec Doctores de iis agant, verisimiliùs affirmativè ob eamdem ferè rationem. Quia potuisset Deus illos quoque congruâ aliquâ cogitatione à peccando avertere: ergo etiam illi eam admittere, imò & verisimiliter accersere, saltem viribus gratiæ. Itaque & illi peccantes fuere ignorantes & imprudentes, quia ejusmodi consideratione se privarunt. Certum tamen est & clarum, eos non peccasse ex passione, sed malitiâ.

Dico ultimò: Omne peccatum 122. præterea necessariò est error quidam practicus; imò & positivus, si peccatum sit commissionis, quatenus est deviatio à regulâ rectæ rationis, prudentiæ ac conscientiæ.

Omne peccatum est error positivus & practicus.

Probatur & explicatur. Hoc ipso erratur speculativè, quo receditur à regulâ veritatis speculativæ, v.g. cognitione divinâ: vel eo ipso cognitio speculativè est falsa, quo illi est difformis: ergo etiam commodâ locutione hoc ipso erratur practicè, quo receditur à regulâ veritatis practicæ seu morali: vel eo ipso opus erit practicè error, quo illi erit difforme; atqui regula moralis omnium actionum humanarum est dictamen rectæ rationis ac conscientiæ: ergo eo ipso quo quælibet actio illi erit difformis, erit practicus error.

Subsumo iterum: atqui omne pec-

peccatum necessariò est illi difforme; adeò ut si difforme nō sit, peccatum non sit: quæ omnia constant ex dictis lib. 1. & 2. ergo necessariò ipsum peccatum est practicus error, idque essentialiter. Quare dixi in conclusione, nòn errorem ad peccatum necessarium esse, sed ipsum esse errorem.

Probatur jam conclusio sic explicata, ex Scripturâ, Proverb. 14. *Errant qui operantur malum*; quod minùs commodè explicatur juxta conclus. præcedentem. Quia errare est aliquid positivum, & quid amplius quàm ignorare, & non considerare. Sic communi modo loquendi dicitur errare viator, qui deviat à rectâ viâ, regulâ itineris sui, & typographus qui ab autographo. unde etiam menda dicuntur errores. Præterea eodem sensu & ratione usitatum est Scripturæ, omnem actionem bonam, quia regulæ suæ conformem, vocare veritatem. Ioan. 3. *Qui facit veritatem, venit ad lucem*. eodem sensu S. Ioannes epist. 2. & 3. dicit justos *ambulare in veritate*; & Paul. ad Ephes. 4. *Veritatem autem facientes in caritate crescamus in illo per omnia*. Contrà verò actionem malam, quia regulæ suæ difformem, vocat mendacium. Psal. 4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Et August. lib. contra mendacium c. 20. ut & S. Gregorius 18. Moral. cap. 2. illud Psalmistæ & Apostoli: *Omnis homo mendax*, explicant, ut idem sit

Quà ratione actus bonus dicatur veritas?

malus verò mendacium?

quod, Omnis homo peccans, seu peccabilis. Eodem sensu accipitur *mendacium*, & *veritas*, ab August. tract. 5. in Ioann. & à Conc. Arausic. II. cap. 22. *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quid autem homo habet veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo.* Idem August. 14. de Civitate cap. 4. *Vnde*, ait, *non frustra dici potest omne peccatum esse mendacium*. Nec tantùm sic loquitur Scriptura & Patres, sed & Philosophi. Nam Pythagoras, ut refertur apud Stobæum serm. 11. interrogatus quid Deo simile facerent homines; respondit, Exercere veritatem: exercere, inquit, non dicere. imò idem esse virtutem & veritatem, dixit etiam Socrates.

Adverte, Cordubam libr. 2. quæst. 9. 12. & 13. secutum plures antiquiores, vocare hanc imprudentiam propriè dictam, seu, ut loquuntur aliqui, ignorantiam malæ electionis: sed supponunt, quod primâ conclus. refutatum est, in intellectu peccantis semper esse positivum errorem, actum imperii, vel judicii practici. Verum quidem est omnem peccantem vel malè imperare potentiæ, quæ peccatum exsequitur; vel non imperare efficaciter, ut ab eo desistat: sed totus ille defectus voluntatis est: intellectûs tantùm erat judicare hoc malum esse: quo non obstante voluntas potuit id velle, & imperare. Itaque juxta sensum hujus 123.

conclusionis, omnis peccans est imprudens, non quòd laboret ullâ verâ & intellectuali imprudētiâ, sed quòd pravâ voluntate à regulâ & præscripto prudentiæ deflectat, ut indicavi superiore conclus. quo modo peccat contra fidem, qui ejus præceptum transgreditur nolendo credere quod deberet, etsi nullum intellectu conceperit actum infidelitatis vel hæreseos, positivè discredendo.

124. *Quo sensu opera mala dicantur tenebrarū, bona lucis?* Denique sensu utriusque conclusionis, opera mala videntur dici tenebrarum, bona verò lucis; peccatores autem esse & ambulare in tenebris; justi in luce, ut loquitur Ioannes cap. 8. & 12. & primæ cap. 2. Paulus ad Rom. 13. & alibi. Primò, quia juxta hanc conclusionem omnis error, & mendacium, licet practicum & externum, eo ipso quo error, meritò dicitur & comparatur tenebris, ut veritas luci. Secundò, quia juxta conclus. præcedentem insuper omne peccatum inchoatur à tenebris internis & intellectualibus inconsiderationis, uti omne bonum opus à luce congruæ considerationis. *Qui diligit fratrem suum*, ait Ioãnes primæ 2. *in lumine manet: qui autem odit fratrem suū, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit*, id est non considerat, *quò eat, quia tenebræ*, scilicet ignorantiæ & inconsiderationis, *obcæcaverunt oculos ejus*, scilicet spirituales. Utroque illo defectu laborarunt etiam qui Sap. 5. dixerunt. *Ergo erravimus à viâ veritatis*, (quod videtur intelligendum sensu hujus conclusionis) *& justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis*: quod videtur intelligendum sensu præced. conclusionis. Addiderim, ob utrãque causam peccata dici etiam *opera tenebrarum*, id est, quæ naturali instinctu ac pudore solent fieri clàm ac in tenebris, & digna sunt latebris & tenebris æternis; opera verò bona, *lucis*, id est solita fieri palàm, & digna aliorum cognitione luceque æternâ.

CAPUT XIV.

An & quàm certò conscientia invincibiliter erronea obliget?

INitio hujus libri dictum conscientiam in genere, atque adeò erroneam, esse duplicem, vel dictamen practicum, ac proximam regulam actuū humanorum, qualis dicitur intrinsecè; vel cognitionem quamvis moralem, licèt speculativam, qualis dicitur extrinsecè & fundamentaliter. De conscientiâ erroneâ posteriori hoc sensu, & oppositâ illi ignorantiâ egimus hactenus; acturi deinceps de eâdem priori sensu, prout significat dictamen practicum, & positivè erroneum seu falsum. 125.

Nota Primò, juxta dicta libr. 3. cap. 7. conscientiam speculativè &, ut ita dicam, extrinsecè falsam

ac

ac erroneam posse esse practicè & intrinsecè veram ac rectam: quali consciẽtiâ Iacob accessit ad Liam.

Nota Secundò, quod explicatum est cap. 1. hujus libri, conscientiam esse erroneam invincibiliter & inculpabiliter, de quâ agam hoc capite; vel vincibiliter & culpabiliter, de quâ cap. sequenti. Suppono autem quod probatum est libr. 1. cap. 10. & 13. aliquam conscientiam saltem veram ac rectam obligare, imò esse legem.

126. *Conscientia invincibiliter erronea obligat.*

Dico Primò: Conscientia erronea, saltem invincibiliter, obligat, videlicet sub vero peccato. Est communis D. Thomæ 1. 2. qu. 19. art. 5. ibique interpretum & aliorum Scholasticorum in 2. dist. 39. contra aliquos antiquiores: qui, ut refert Glossa in cap. *Omnes*, 28. q. 1. dixerunt nullam conscientiam erroneam obligare; & alios, qui, ut refert D. Thomas cit. putarunt tantùm obligare eam quæ dictaret necessariò faciendum aliquid de se bonum, vel indifferens; non autem de se malum, vel aliunde prohibitum.

Probatur Primò, ex Scripturâ & Apostolo, cujus mentem ac doctrinam explicabo paulò exactiùs, non tantùm quia huic loco propria est; sed quia illi tamquam præcipuo fundamento innituntur pleraque, tum hactenus dicta, tum deinceps dicenda de conscientiâ. Primò, igitur ad Rom. toto c. 14. inter alia: *Scio*, inquit, *& confido in Domino* IESU, *quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est*. Agit Apostolus de cibis juxta legem Mosaicam antiqui testamenti immundis ac prohibitis, qui eo sensu dicuntur communes, scilicet Gentibus & peccatoribus, adeoque profani: quos dicit per Christũ, id est ejus Euangelicã legem, ac Christianam libertatem, reverà non esse communes, id est, prohibitos seu illicitos, nisi ei, qui existimat communes esse, scilicet conscientiâ erroneâ. Itaque conscientia hæc erronea obligabat sub peccato ad abstinendum ab illis cibis: qui eâ laborantibus erant communes, id est, eorum usus peccatum, quasi reverà communes essent. Quare initio capit. *Qui autem*, ait, *infirmus est*, scilicet conscientiâ ejusmodi erroneâ, *olus manducet*, id est herbas, quas constat non esse communes, ne quidem antiquo testamento, secùs quàm carnem, præsertim suillam. Deinde hortatur Gentes ad fidem conversas, ne vescantur cibis ejusmodi, non ob infirmam earum conscientiam, sed ad evitandum scandalum Judæorum, vel fidelium judaizantium, qui laborabant infirmâ seu erroneâ conscientiâ, ne illi peccarent, si illarum exemplo contra conscientiam carnes comederent. *Noli*, inquit, *cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est*. Non fuissent Judæi eo casu perditi, nisi peccassent, idque

 for-

formaliter: sub quo peccato, obligare eos tantùm poterat conscientia erronea. Quo ferè sensu verba Apostoli citata explicant omnes Doctores & interpretes; quod sufficit ad veritatem, imò certitudinem conclusionis: quamvis minùs conveniant in explicandis sequentibus, quibus Apostolus concludit dictum caput: *Tu fidem habes, penes temetipsum habe coram Deo. Beatus qui non judicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide: omne autem quod non est ex fide, peccatum est.* Ubi per fidem intellexit Theologicam, præter paucos alios August. qui inde probavit omnia opera infidelium esse peccata. Quod reverà, ut ob alias quoque causas verum non est, ita nec solidum ejus fundamentum. Quare, ut etiam dixi c. illo 10. communis satisque certa aliorum explicatio est, quam expressit Innocent. III. cap. *Litteras*, de restitut. spoliat. & c. fin. de præscript. & multis prosequitur Bernar. lib. de Præcepto & dispensatione, quòd fides ibi sit conscientia, ut necessariò videtur deduci ex discursu Apostoli, verbisq; præcedētibus jā explicatis.

Fides ad Rom. 14. est conscientia.

Itaque *tu fidem habes*, id est conscientiam firmam, quòd cibi communes & illiciti non sint, *penes temetipsum habe coram Deo*, videlicet non manifestando, nec ponendo scandalum aliis conscientiâ infirmis. *Beatus qui non judicat semetipsum*, id est peccando conscientiâ dubiâ vel scrupulosâ, *in eo quod probat*, scilicet usu ciborum, quem aliàs putat licitum. Quæ horum verborum explicatio confirmatur sequentibus: *Qui autem discernit*, græcè διακρινόμενος: quæ vox etiam significat, qui disputat, vel dubitat, *si manducaverit, damnatus est*, scilicet peccati, *quia non ex fide*, id est firmâ & rectâ conscientiâ. Quibus omnino consequenter & universaliter subjungit: *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est*, id est, omnis actus qui non procedit ex rectâ conscientiâ, peccatum est: quod universaliter verum est, cùm præsertim, ut suprà ostendi, non dentur actus indifferentes.

Ex quibus jam clarè videtur deduci, fidem non posse ibi esse Theologicam, sed conscientiam, cùm præsertim juxta omnes fides sic accipiatur verbis prioribus: *Tu fidem habes*: aliàs vetaret Apostolus fidem Theologicam in Christum manifestari. Nec est credibile illum æquivocè sumere fidem tam paucis verbis, scilicet prioribus pro conscientiâ, posterioribus pro Theologicâ. Addo tamen, quod bene notavit Wiggers 1. 2. qu. 19. num. 32. etiam juxta explicationem Augustini, sumi hinc argumentum pro obligatione conscientiæ in subjectâ materiâ, in quâ judicium conscientiæ de licito usu ciborum antiquo testamento immundorum, debebat formari juxta

dire-

directionem fidei Christianæ docentis illos jam immundos non esse. Quare illis vescentes contra conscientiam, etiam peccabant contra dictamen fidei Christianæ.

127. Ceterùm confirmat doctrinam & explicationem allatam, idem Apost. 1. ad Corinth. 8. *Quidam autem cum conscientiâ usque nunc idoli quasi idolothytum manducant, & conscientia ipsorum, cùm sit infirma, polluitur*: quia scilicet conscientiâ erroneâ putant carnes vel cibos idolo oblatos, quasi ab eo afflatos, vel à dæmone infectos, adeoque sibi illicitos, etsi absque ejusmodi conscientiâ & extra circumstantias, quibus videatur approbari sacrificium idolo factum, liciti sint. Quare iterum inculcat cavendum à scandalo: *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam ipsorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.* Et ad Titum 1. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum; sed inquinatæ sunt eorum mens & conscientia*: id est, novo testamento, postquam cessavit lex Mosaica, omnes cibi, licet eâ prohibiti, mundi sunt ac liciti, nisi infidelibus, qui conscientiâ erroneâ putant, uti legem non cessasse, ita cibos immundos. Idem repetit in simili de idolothytis 1. Cor. 8. suprà.

Adverte quàm ineptè Libertini, de quibus actum libr. 1. cap. 22. secuti suum patriarcham Lutherum, illis verbis Apostoli abutantur ad probandum omnia esse licita, quãvis lege naturali vel positivâ prohibita, modò fiant liberâ & securâ conscientiâ: quia Apostolus clarè agit de indifferẽtibus, nec aliunde prohibitis, nisi cõscientiâ erroneâ.

Denique probatur conclusio iterum ex Paulo ad Galat. 5. juxta explicationem D. Thomæ in illum locum & multorum aliorum. Verba Apostoli sunt: *Testificor autem omni homini circumcidenti se, quia debitor est universæ legis faciendæ. Debitor*, inquit, ob conscientiam erroneam: nam proximè subjungit: *In Christo* IESV *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium.* Quia verò lex videtur fuisse non tantùm mortua, sed & mortifera, saltem in illis circumstantiis (quod videtur illis ipsis verbis indicare Apostolus) obligavit hæc conscientia ad rem aliunde prohibitam, & quidẽ jure divino, atque adeò ad positivam sui observationem; non tantùm ad omissionem operis eâ prohibiti; sive obligavit, ut secundùm dictamen suum, non tantùm ne contra illud ageretur.

Probatur Secundò, conclusio ratione Theologicâ ex dictis. Idem est conscientiam erroneã te obligare sub peccato ad aliquid omittendum, vel faciendum, & te peccaturum illud faciendo, vel non faciendo: atqui, ut docet Apostolus, Judæi, vel judaizantes, verè 128.

peccassent vescendo cibis conscientiâ erroneâ creditis illicitis, & non servando legem, quam simili consciẽtiâ putabant servãdam: ergo consciẽtia licet erronea obligat sub vero peccato; tum ad omittendum, quod ipsa prohibet; tum ad faciendum, quod præcipit. Si de ullâ conscientiâ hoc verum sit, clarum est quòd de invincibiliter erroneâ.

Probatur Tertiò, quia recta ratio & conscientia est propria regula & mensura actuum humanorum; adeò ut conformitas cum illâ sit ipsa bonitas, difformitas verò malitia: ergo unusquisque obligatur actiones suas illi conformare, seu, quod idem est, ipsa obligat unumquemque, ut actiones suas sibi conformet: atqui conscientia invincibiliter erronea est etiam recta ratio, & conscientia: ergo & hæc obligat.

Confirmatur. Quicumque deflectit à suâ regulâ, peccat: atqui conscientia etiam invincibiliter erronea, est hominibus regula: ergo qui ab eâ deflectit, peccat, & quidem eo ipso; adeoque ipsa obligat.

Probatur Quartò. Voluntas non debet, nec potest, objectum suum prosequi, quale à parte rei est, sed quale ab intellectu proponitur: ergo non minùs debebit illud amplecti, si proponatur tamquam bonum & necessarium; & fugere, si tamquam malum, quàm si reverà tale esset: eâ tantùm differentiâ, quòd, cùm reverà tale est, aliqua alia lex ad id reverà obliget, at verò in casu conclusionis conscientia erronea.

Confirmatur. Non minùs ratio mali voluntaria est, cùm proponitur à conscientiâ erroneâ, quàm cùm à verâ: quia eodem modo cognita: ergo necessariò & ex naturâ rei eodem modo voluntas peccabit, adeoque obligabitur: non ab aliâ lege, quàm conscientiæ erroneæ, quia suppono nullam aliam esse: ergo illa obligat. In idem recidit si dicas: Peccator duabus potentiis, intellectu & voluntate, quibus peccatum perficitur, eodem planè modo affectus est, sive peccet conscientiâ verâ, sive invincibiliter erroneâ: ergo etiam necessariò eodem modo peccat, & obligatur in foro conscientiæ, sive illud, quod conscientiâ erroneâ dictatur tamquam necessariò faciendum, sit aliâ lege prohibitum, sive non, ut patet.

129. *Qui percutit Laicũ creditum Sacerdotẽ, verè committit sacrilegium.*

Ex quibus sequitur Primò, qui v.g. percuteret laicum, erroneè putans Sacerdotem, non minùs peccaturum peccato sacrilegii, quàm si reverà Sacerdos esset, nimirum coram Deo, & in foro conscientiæ; non tamen in foro externo, quo non judicantur, nec puniuntur, nisi opera externa. Quare non incurreret excommunicationem latam contra percussores Clerici.

Sequitur Secundò, actum sive ma-

malum, sive etiam bonum, factum ex conscientiâ invincibiliter erroneâ, esse ejusdem, sive vitii, sive virtutis, cujus esset, si fieret ex conscientiâ verâ. Quæ confirmantur cap. *Cùm voluntate ac proposito maleficia*, id est peccata, *distinguantur*, 54. de sententiâ excommunic.

130. Dices, Ergo Deus poterit obligare ad actum intrinsecè malum, v.g. mendacium, scilicet per conscientiam invincibilem, quòd illud sit necessarium. Secundò, Ergo per eamdem poterit fallere, adeoque mentiri, significans mendacium esse bonum, quod est intrinsecè malum.

Menda[illegible] [illegible] formaliter bona est.

Respondeo negando utramque consequentiam: quia, ut constat ex jam dictis, & libr. 2. cap. 6. eo casu mendacium verè & formaliter est bonum, & sic constituto necessarium; non malum, nisi materialiter, idque dictat veraciter iis circumstantiis prudentia etiam infusa in homine justo, ut volitionem mentiendi imperat & elicit infusa caritas. Dicitur tamen intrinsecè ac semper malum, scilicet juxta conscientiam etiam extrinsecè ac speculativè veram, seu extra circumstantias conscientiæ invincibiliter erroneæ. Quare

131. Adverte, saltem verisimiliùs non posse Deum extra illas circumstantias, v.g. in me efficere, vel peculiari motione physicâ aut morali excitare ad ejusmodi dictamen erroneę conscientiæ, quòd mentiri mihi bonum sit, idque ob rationem argumento indicatam. Quia aliàs falleret me, & quodammodo mentiretur, significans mendacium non esse intrinsecè & simpliciter malum, quod necessariò credit & supponit qui laborat ejusmodi conscientiâ erroneâ; etsi ipsa hoc non dictet. Ob eamdem rationem non potest ulli infundere habitum, nedum actum erroris, juxta dicta cap. 2. concl. 2.

Ex dictis colligo, & dico Secundò: Conclusio est certa certitudine fidei, si rem spectes, non modum loquendi. 132. *Conclusio præcedens est de fide.*

Probatur: quia clarè traditur ab Apostolo citato, præsertim ad Rom. 14. juxta communem explicationem Patrum & Doctorum, atque etiam claram rationem. Quod ipsum videtur indicare Apostolus cùm dicit: *Scio & confido in Domino* IESU. Quia contrariam sententiam vocat hæreticã Adrianus quodlib. 4. art. 2. eumque citans & sequens Corduba libr. 3. quæst. 4. ante 2. propos. & Vasquez disp. 59 cap. 2. Sanchez lib. 1. cap. 11. concl. 1. Non esset tamen hæreticus, qui concederet quidem quoad rem, peccare eum, qui contra conscientiam ageret; nollet tamen quoad modum loquendi, vocare eam obligationem, sed cum Durando ligationem conscientiæ. Imò nec quoad rem censenda videtur hæretica opinio antiquorum relata ex D. Thomâ, quam ipse

ipse meritò rejicit tamquam irrationabilem: quia contra apertas rationes & argumenta allata, quæ etiam contra illam militant: quam Salas aliique recentiores censent insuper temerariam & periculosam. Quæ bene consistunt, ut nimirum tempore D. Thomæ fuerit tantùm irrationabilis, jam verò facta sit etiam temeraria, quia contra torrentem Doctorum, præsertim D. Thomæ, & recentiorum.

133. Dices: Si quis conscientiâ invincibiliter erroneâ putet amorem Dei malum esse, & nihilominus Deum amet, idque super omnia; hic aget contra conscientiam, & tamen non peccabit: quia non potest peccare Deum amando: quod item videtur fide certum: ergo conscientia illa non obligat sub peccato.

Inculpabiliter nō potest credi amor Dei malus.

Respondeo Primò, negando suppositum, quòd illa ignorantia possit esse invincibilis & inculpabilis: quo modo etiam inculpabiliter credi non potest, odium Dei liberum vel necessarium, esse bonum. Imò verisimiliùs non potest illa esse nisi mortaliter culpabilis. Hoc autem modo ignorans, scilicet cum affectu peccati mortalis, nisi illum mutet, non potest amare Deum super omnia: hic enim amor necessariò omne peccatum excludit.

134. Respondeo tamen Secundò, si illa ignorantia, vel esset inculpabilis, vel venialiter tantùm culpabilis; (qualis fortè esse potest de amando Deo hîc & nunc) ne quidem tunc posse Deum amari super omnia; non ob defectum ex parte subjecti, ut in casu superiori, sed ex parte objecti: quia cùm amor Dei proponeretur tamquam objectivè malus, amare necessariò esset malum, saltem venialiter; atque adeò non concurreret ad eum habitus caritatis infusæ, & gratia: quare nec esset supernaturalis, nec super omnia; naturali tamen & imperfecto amore posset tunc quis Deum amare, & amando peccare.

CAPUT XV.

An & quâ ratione conscientia vincibiliter erronea obliget?

Ex dictis superiori cap. de conscientiâ invincibiliter erroneâ, satis constat esse peculiarem rationem dubitandi de erroneâ vincibiliter. Hæc enim nec excusat à peccato, imò ipsa sæpè est peccatum; nec sufficit ad bonitatem; neque est recta, sicut illa; atque adeò satis constat nec posse obligare, sicut illam. Ut autem discernamus certa ab incertis, & quæstionem realem à quæstione de nomine, 135.

Nota, conscientiam erroneam vel dictare aliquid faciendum, vel non faciendum, seu aliquam actionem vel omissionem necessariam, quæ aliunde est prohibita & illicita, vel quæ de se est indifferens, id est

eſt nec prohibita, nec præcepta. Priori modo poteſt quis putare ſibi neceſſarium mentiri ad ſervandam vitam alterius; vel non licere uti ullâ reſtrictione mentali, ſeu diſſimulatione, ad celandum ſecretum, vel etiam ad ſervandam alterius vitam. Poſteriori modo poteſt credere ſibi feriato die audiendum Sacrum, quòd putet eſſe feſtum, vel non licere ſibi ſumere jentaculum ante Sacrum.

136. *Laborans conſciētiâ vincibiliter erroneâ de aliquo neceſſario quod eſt indifferens, debet ſe illi difformare, vel deponere.*

Dico Primò: Laborans conſcientiâ vincibiliter erroneâ dictante neceſſariam eſſe actionem, vel omiſſionem, quæ de ſe eſt indifferens, debet vel non difformare ſe illi, vel eam deponere. Dixi, claritatis gratiâ, *non difformare*, ſcilicet non tantùm agendo, ſed etiam omittendo contra ejus dictamen. Eſt certa & communis, etiam eorum qui dicunt illum non debere ſe conformare, aut ſequi poſitivè ejuſmodi conſcientiam. Imò in illâ difformatione, ſeu difformitate à conſcientiâ dixi ſuprà ſitam eſſe ipſam rationem peccati.

Probatur: quia, ſi neutrum faceret, peccaret: atqui quilibet tenetur non peccare: ergo ad alterutrum tenetur. Ita in exemplis allatis, qui falsò credit ſibi audiendum Sacrum, ſi velit illud audire, non tenetur inquirere an reverà illud audiendum ſit, ut neque an liceat ante Sacrum jentare, qui paratus eſt à jentaculo abſtinere. Nam hujuſmodi ignorantia juxta dicta cap. 7. non eſt ſpeciale peccatum. Quare non tenetur illam vitare, niſi ratione periculi vel peccati, quod ex eâ ſequeretur: hoc autem caſu nec peccatum, nec peccati periculum ex eâ ſequeretur. Si verò nec Sacrum audire vellet, nec abſtinere à jentaculo, neceſſariò peccaret contra conſcientiam, licet erroneam vincibiliter, niſi, ſcilicet illam deponeret. Si enim deponeret, neutro peccaret, nec omittendo Sacrum, nec jentando: quia, ut ſuppono, neutrum aliunde prohibitum eſt. Itaque ne peccet, debet vel illi ſe non difformare, vel deponere.

137. *Peccatum eſt difformare ſe conſciētiæ, licet vincibiliter erroneæ.*

Dico Secundò: Peccatum eſt difformare ſe conſcientiæ licèt vincibiliter erroneæ, ſcilicet dictanti aliquid ſub peccato neceſſarium, vel actionem, vel omiſſionem. Si enim dictet bonum ac laudabile, clarum eſt conſulere tantùm, nec inducere obligationem. Concluſio eſt communis & omninò certa. Imò aliqui eam expreſsè dicunt eſſe de fide, ſicut primam præced. capitis, ut Sanchez cit. aliqui tamen, cùm dicunt de fide eſſe conſcientiam erroneam obligare, non exprimunt de vincibili.

Probatur ferè iiſdem argumentis, quibus prima concluſio ſuperioris capitis. Primò, ex Scripturâ, quia Apoſtolus ad Rom. 14. 1. ad Cor. 8. & Galat. 5. omninò videtur agere vel tantùm, vel etiam de

conscientiâ erroneâ vincibiliter. Agit enim expresè de infirmâ, qualis non est invincibilis & recta, quæ potiùs dicenda est sana. Et facilè poterant tum Christi fideles ex Apostolis aliisque intelligere, an reverà tenerentur ab ejusmodi cibis abstinere, & observare legalia. Secundò, hoc etiam probat saltem ultima ratio, & confirmatio ejusdem conclusionis. Quia necessariò & ex naturâ rei malum est velle aliquid quod malum creditur quomodocumque, licet erroneè: quia eo ipso malum est, sic constituto, voluntarium. Imò & tertia probatio dictæ conclus. huic quoque potest applicari. Nam etsi conscientiâ vincibiliter errans non sit recta ratio, & propria ac conveniens regula hominis; quia tamen rationalis est, debet sequi lumen ac dictamen rationis, quod hîc & nunc habet, nisi mutet; vel saltem debet ab ejus præscripto non discedere, illique se difformare. Aliàs ageret irrationabiliter; quia contra rationem ac conscientiam. Itaque sufficit ejusmodi conscientia ad malitiam ac peccatum, etsi non sufficiat ad bonitatem ac meritum.

138. *Qui se difformat consciẽtiæ, necessariò nõ peccat.* Adverte, quod bene monet Sanchez cit. concl. 3. conclusionem esse intelligendam de actione & omissione liberis: quia si quis non posset audire Sacrum, & nihilominùs putaret vincibiliter, vel etiam invincibiliter, se peccare die festo Sacrum non audiendo, verè non peccaret omissione. Quia necessariò similiter non peccaret, quamvis id putaret, qui manu ab alio violentè adactâ alium occideret. Ratio clara est, quia omne peccatum debet esse liberum: iis autem casibus nec omissio, nec actio est libera. Quare etiam non difformaret se ipse, nec ageret, sed potiùs pateretur aliquid contra conscientiam. Aliam limitationem addit Sanchez num. 12. quòd difformare se conscientiæ culpabiliter erroneæ peccatum sit, nisi quem culpæ pœniteat. Sed illa non est admittenda. Vel enim ignorantia non est vincibilis, adeoque culpabilis; & tunc manet talis, nisi reverà vincatur, ac deponatur; neque aliter potest eum pœnitere culpæ, sicut oportet: vel fuit tantùm antè vincibilis, jam invincibilis; & tũc antè etiam fuit tantùm culpabilis, non jam; idq; ob eamdem rationẽ, quia jam non est libera, sive pœniteat, sive non. Vide lib. 1. cap. 17. nu. 157.

Dico Tertiò: Laborans conscientiâ vincibiliter erroneâ dictante actionem, vel omissionem necessariam, quæ aliunde prohibita est, tenetur eam deponere. 139. *Laborans consciẽtiâ erroneâ de aliquo necessario quod prohibitũ est, tenetur eã deponere.*

Probatur: quia sic constituto non est aliud remedium ne peccet: atqui tenetur non peccare: ergo & adhibere unicum illud remediũ ad hoc necessariũ. Quare isti propriè incumbit mandatum Ecclesiastici 17. *Non demoreris in errore impiorum.*

Pro-

Probatur major: quia ex unâ parte sic constitutus peccabit se difformando suæ conscientiæ, in exemplis allatis; vel non mentiendo ad servandam alterius vitam, vel utendo restrictione mentali: ex alterâ etiam parte peccabit se illi conformando, videlicet mentiendo, nec utendo restrictione. Quia utrumque de se est peccatum, à quo non excusat conscientia vincibiliter erronea. Itaque nisi ille deponat conscientiam, constituit se in necessitate peccandi, seu statu ita perplexo, ut peccet quidquid agat, vel non agat: quod ipsum peccatum est.

Conscientia erronea non obligat propriè ad sui depositionem.

140. Dixi tamen in conclusione: *Laborans conscientiâ erroneâ, tenetur eam deponere*; non dixi: Conscientia obligat ad deponendum; etsi plures sic loquãtur. Quia, ut bene advertit Corduba citatus propos. 5. verè conscientia non obligat ad sui depositionem: ut summum enim illa potest obligare ad illud, quod dictat necessarium: atqui erronea non dictat necessariam sui depositionem: quòd si dictaret, erronea non esset. Itaque ad ejus depositionem obligat alia conscientia vera, fundata in jure naturali, vel positivo non peccandi in tali materiâ. Illud enim ipsum obligat ad deponendum errorem, qui ad illud peccatum induceret, etsi ille speciale peccatum non sit. Ita in casu & exemplo superiori, virtus veracitatis non tantùm obligat ad non mentiendum, sed etiam ad deponendum errorem, quòd mentiri sit necessarium. Similiter preceptum Ecclesiasticum audiendi Sacrum obligat ad deponendum errorem, quòd illud tali die audiendum non sit.

Adverte tamen, si factâ sufficienti inquisitione, rei veritatem deprehendere non possis, te deponere conscientiam formaliter quatenus vincibiliter erroneam, etsi non materialiter, quatenus tale judicium seu consciẽtiam erroneam. 141.

Atque hæc omnia tribus conclusionibus dicta, vera sunt juxta communem sententiam Doctorum, etsi variè loquantur, videnturque sufficere ad praxin & regimen conscientiæ vincibiliter erroneæ. Superest tamen difficultas magis de nomine quàm re, an ipsa conscientia vincibiliter erronea obliget, & ad quid, scilicet cùm non deponitur. Durand. in 2. dist. 39. qu. 5. quem plures sequuntur, dicit ligare, non obligare. Cui modo loquendi etiam videtur favere D. Thomas 1. p. quæst. 79. art. 13. aliique, qui conscientiæ tribuunt officium ligandi. Sed hoc ampliùs est extendendum, ut conveniat cuicumque conscientiæ etiam veræ; adeò ut ligare idem sit universaliter, quod obligare. Quo sensu utroque illo termino communiùs & meliùs utuntur Doctores in hac etiam materiâ. Nec enim est ratio cur vinculum morale, quale debet

esse ligatio, non sit etiam obligatio. Imò id necessarium est: ubi enim peccatum, ibi obligatio: atqui violatio illius vinculi est peccatum: ergo. Aliàs ne quidem invincibiliter erronea obligaret, de quà idipsum videtur docere Durandus. Vasquez disp. 60. cap. 2. eumque secuti alii dicunt eam quidem obligare negativè, ut te illi non difformes, seu contra eam non agas; non tamen positivè, ut te illi conformes, seu ut positivè sequaris.

142. *Conscientia vincibiliter erronea obligat te ut eam sequaris.*

Dico Quartò: Conscientia quamvis vincibiliter erronea obligat etiam, ut te illi conformes, ac positivè sequaris, scilicet in sensu composito, ac secundùm quid, si non deponatur: quia simpliciter & in sensu diviso, ad evitandum omne peccatum, deponi debet, ut dixi conclus. præcedenti. Ita Adrianus citandus §. *Pro hujus solutione.* Medina in art. D. Thomæ cit. Hallus cit. Salas 1. 2. tract. 8. disp. unicâ sect. 3. num. 24.

Probatur Primò: quia ita etiam expresse sentit & loquitur D. Thomas citat. in cap. 5. ad Galatas, qui non eget explicatione adversariorum, ut dicunt, sanâ. Imò ipse Apostolus, qui de laborante conscientiâ erroneâ vincibiliter (ut omnino videtur verisimilius, quòd necdum cessasset lex Mosaica.) *Debitor est*, inquit, *universæ legis faciendæ*: ergo debebat seu obligabatur positivè legem servare: à nullo, nisi conscientiâ: ergo hæc obligabat, quãvis vincibiliter erronea. Similiter ad Rom. 14. putanti etiam culpabiliter esum carnis esse communem & illicitum, verè hic communis & illicitus erat, adeoque verè obligabatur ab eo abstinere, scilicet à conscientiâ culpabiliter erroneâ. Quòd si verè hæc obliget sub peccato ad omissionem, nulla est ratio, quin etiam ad actum sæpè illâ faciliorem.

Probatur Secundò, rationibus ferè iisdem, quibus probata est 2. conclusio hujus capitis, & prima præcedentis. Imò idem reverà est conscientiam te obligare, ut eam sequaris, & te peccaturum eam non sequendo: atqui, ut omnes fatentur, eam non sequendo peccares si duret, nec deponatur, ut supponimus: ergo obligat ut eam sequaris. Nam ubi peccatum, necessariò fuit obligatio: atqui hîc in non sequendo est peccatum: ergo necessariò fuit obligatio ad sequendum.

Confirmatur Primò: quia conscientia si ad aliquid, ad id obligat, quod dictat necessariò faciendum: nec enim obligat, nisi dictando: atqui dictat v. g. necessariò mentiendum: ergo obligat ad mentiendum: mentiri autem est eam positivè sequi: ergo obligat ad se positivè sequendum. Quare gratis, imò contra rationem & experientiam, dicit Vasquez in sic errante semper esse duo judicia: unum, necessarium est mentiri; alterum,

terum, peccatum est non mentiri. Alterutrum enim sufficit, quamvis juxta sententiam Vasquez ne quidem illa duo sufficerent, sed deberet addi tertium: Non est agẽdum contra conscientiam, licet vincibiliter errantem.

Confirmatur Secundò: quia modò ejusmodi conscientiæ tribuatur vera obligatio sub peccato, ut etiam tribuitur ab adversariis; parum refert, sive obliget, ut nil contra eam agas, sive ut eam sequaris. Imò & hoc in idem recidit. Quia nisi eam positivè sequaris, faciendo quod dictat positivè faciendum, contra eam agis: ergo hoc ipso, quo hanc conscientiam positivè non sequeris, v.g. mentiendo, contra eam agis, seu illi te difformas: atqui, ut dicunt etiam adversarii, obligaris contra eam non agere: ergo etiam positivè sequi.

Nec obstat quod respondet Vasquez, obligare conscientiam, ut contra eam non agatur, seu ne in illo casu omittatur mendacium non absolutè, sed si ea permaneat: quia hoc ipsum tantùm dicimus, & probat argumentum, quòd inde sequatur obligare conscientiam, etiam ut positivè eam sequaris, non absolutè, sed si ea permaneat. Si enim esse desinat, certum est desinere obligare.

143. Dices, Nil potest obligare ad peccatum: atqui conscientiam positivè sequi peccatum est: ergo illa non potest ad hoc obligare.

Respondeo Primò, retorquendo argumentum, mutando tantùm minorem, hoc modo: atqui non agere contra conscientiam, peccatum est: ergo ne quidem ad hoc ea obligat: quod tamen docent etiam adversarii. Minor clara est, cùm conscientia dictat vincibiliter aliquid necessariò faciendum, v.g. mentiendum, quod aliunde malum est; vel clariùs cùm dictat necessariò omittendum, quod omittere de se malum est, v.g. restrictionem omnem mentalem, cùm necessaria est ad servandam alteri vitam. Tunc enim eo ipso peccas quo non agis positivè contra conscientiam, mentem seu locutionem restringendo.

Respondeo Secundò, distinguendo majorem; simpliciter & in sensu diviso, concedo; secundùm quid, & in sensu composito, nego: hoc enim sensu non est absurdius te obligari ad peccatum, quàm vel ligari, vel esse perplexum, seu in necessitate peccandi: quod posterius omnes concedunt. Quo sensu etiam dixit D. Thomas citat. sic errantem esse perplexum secundùm quid; non simpliciter, cùm absolutè possit & debeat conscientiam deponere, itaque non peccare: quod etiam de perplexo docet 1.2. quæst.19. art.6. ad 3. *Sicut*, inquit, *in syllogisticis, uno inconvenienti dato necesse est alia sequi; ita in moralibus, uno inconvenienti posito ex necessitate* *In sensu composito potes obligari ad peccandũ.*

alia sequuntur: sicut supposito, quòd aliquis quærat inanem gloriam, sive propter inanem gloriam faciat quod facere tenetur, sive demittat, semper peccabit. Similiter perplexus est Christi fidelis in affectu peccati perseverans, sive in Paschate communicet, sive non.

144. Petes, utrùm in casu statuque ejusmodi perplexo sit majus peccatum agere contra, vel secundùm conscientiam; seu illi se difformare, vel conformare? Bassolis in 2. dist. 34. quæst. unicâ art. 3. respondet majus peccatum esse se conscientiæ conformare.

Non potest generali regulâ statui an gravius peccatũ sit agere contra, vel secundùm conscientiam vincibiliter erroneam.

Respondeo tamen, juxta communem sententiam Cordubæ cit. proposit. 6. Vasquez cit. cap. 3. Salas num. 27. aliorumque, non posse id certâ ac generali regulâ definiri; sed ponderandum esse ex unâ parte dictamen conscientiæ erroneæ, an sit de peccato gravi vel levi; ex alterâ malitiam operis reverà aliunde illiciti, & de eâ judicium perplexi, an ea sit gravis vel levis. Quibus inter se comparatis, aliquando majus peccatum erit se conscientiæ difformare, ut casu quo quis non mentiretur, cùm putaret id necessarium ad servandam alterius vitam. Quia minor est malitia officiosi mendacii, quàm juxta dictamen conscientiæ in materiâ tam gravi (quâ agitur de servandâ hominis vitâ) ejus omissionis. Contrà verò aliquando majus peccatum erit se conscientiæ conformare, ut si quis putet se teneri ad furandum, quò egenti leviter succurrat. Tunc enim gravius peccatum erit furtum, quàm esset non succurrere egenti leviter. Quia reverà graviùs obligat justitia, quàm illud dictamen conscientiæ.

Ceteris tamẽ paribus gravius est agere cõtra conscĩetiam.

Imò addiderim, ceteris paribus majus peccatum esse se conscientiæ difformare, quàm conformare. Ratio est, quia ceteris paribus majus peccatum est, quod fit ex scientiâ, quàm ignorantiâ licet culpabili: peccatum autem contra conscientiam fit ex scientiâ, scilicet quatenus peccatum est, & fit contra conscientiam: quod verò secundùm conscientiam ex ignorantiâ, ut supponitur.

CAPUT XVI.

An, & quâ ratione, conscientia erronea sit lex?

Conscientiam in genere, saltem veram & rectam, esse legem, eamque naturalem, ostendi lib. 1. cap. 10. & 13. hîc idem inquirendum est de erroneâ: eo enim fundamento nituntur, & jam dicta de ejus obligatione, & dicenda de obligationis gravitate. Multi videntur dicere ac supponere, conscientiam, saltem erroneam, non esse legem, sed alius legis naturalis, vel positivæ, divinæ vel humanæ promulgatricem, & quasi præconem ac nuntium. 145.

Respondeo: Conscientia etiam erro- 146.

Conscientia etiam erronea est lex:

erronea est lex, scilicet naturalis. Est eorumdem Doctorum, quorum utraque conclusio capp. jam citatorum. Imò illi expresè agunt de conscientiâ erroneâ, ut Hallus cap.9.16.& 17. Salas num.13.24.& 31.Malderus 1.2.quæst.19. disp.84. initio. Idem docet D. Thomas ibid. citatus quæstionibus disputatis 15. de conscientiâ art. 3. & 1.2. quæst.19.art.5. imò plerique, quatenus asserunt simpliciter conscientiam etiam erroneam obligare. Pro eâdem sententiâ meritò allegantur Patres citati dictis capp. nominatim Ambros. de Paradiso cap.8. & Damasc. libr. 4. de Fide cap. 23. qui asserunt universaliter opinionem nostram, & conscientiam esse legem. Addidi, *naturalis*, quia, ut ibidem dixi, clarum est non esse positivam divinam vel humanam: ergo si sit lex, erit naturalis scripta in cordibus nostris, juxta Apostolum ad Rom.2.& Patres citatos.

lex naturalis.

Probatur conclusio Primò, ex dictis illis capitibus: quia, quæ ibi dicta sunt de conscientiâ in genere, conveniunt etiam erroneæ saltem invincibiliter: ergo non potest negari quin hæc sit lex, si illa est.

Probatur Secundò, ex duobus capp. præcedentibus, ac Scripturâ, & Apostolo ibidem citato: ex quibus certò constat conscientiam etiam erroneam obligare sub peccato, seu peccatū esse illi se difformare: ergo etiam esse legem.

Probatur consequentia, ex ipso iterum Apost. ad Rom.4. *Vbi non est lex, nec prævaricatio*: ergo si hîc non esset lex, nec esset prævaricatio, seu peccatum: atqui certum est, idque certitudine fidei, esse peccatum: ergo etiam certum est etiam esse legem. Sed nulla est lex, nisi conscientia, eaque erronea, quæ, si esset lex alia, erronea non esset: ergo certum est hanc esse legem.

Confirmatur hoc argumentum, 147.
& probatur conclusio Tertiò: omnes vel saltem plerique inde colligunt, conscientiam non tantùm ligare, sed propriè obligare: ergo & esse legem. Quia juxta communem omnium sensum obligatio, vel est differentia essentialis legis, vel proprietas cum lege convertibilis; adeò ut ubicumque est lex, ibi sit obligatio; & ubi obligatio, ibi lex: seu, ut quodcumque sit lex, id obliget; & quodcumque obligat, sit lex. Sicut omnis homo est risibilis, & omne risibile est homo. Neque ulla est ratio cur, cui tribuitur obligatio, non tribuatur etiam ratio legis: omnes enim rationes contra utramque valent vel neutram. Itaque Doctores qui asserunt conscientiam simpliciter & propriè obligare, etiam erroneam, ut asserunt plerique, negare non possunt eamdem esse legem.

Obligatio est differentia essentialis legis, vel proprietas convertibilis.

Confirmatur iterum: quia, ut dixi capitibus citatis, jamque iterum dicam, sæpè nulla alia lex vel est, vel denuntiatur, cui tribui possit

sit obligatio: ergo saltem tunc sola conscientia, quamvis erronea, obligat, estque lex.

148. *Invincibiliter erronea cōsciētia est absolutè lex, vincibiliter secundùm quid.* Unde sequitur, hanc conclusionem intelligendam esse juxta primam cap. 14. & quartam cap. 15. seu conscientiam erroneam ita legem esse, sicut obligat: invincibilem simpliciter, absolutè & in sensu diviso, vincibilem verò tantùm secundùm quid, & in sensu composito. Neque potest esse absurdum hanc eo sensu esse legem, si eo sensu obliget. Imò tantùm ideò absurdum esset eam esse legem, quia obligaret, scilicet ad peccatū sensu ibi dicto. Eodem sensu malitia & peccati ratio sita est in difformitate à ratione ac conscientiâ, etsi non rectâ, sed culpabili. Quia eo sensu & ratione difformitas ab illâ peccatum est, quo illa sub peccato obligat. Est autem & ea lex cordi humano impressa à Deo, sed tamquam causâ universali: quâ ratione ab eodem est etiam actus voluntatis intrinsecè malus.

149. Sequitur Secundò, non satis explicari à Sylvestro v. *Conscientia*, quæst.2. Cordubâ cit. quæst.4. in respons. ad argumenta, aliisque, obligationem & auctoritatem cōscientiæ similitudine nuntii vel præconis tantùm ostendentis & denuntiantis legem ac obligationem. Quia nec nuntius, nec præco, quantumvis fide dignus, propriè obligant, sed tantùm denuntiant obligationem. Conscientia verò propriè obligat, ut nobiscum docet Corduba ibidem dubit.3. Addendum igitur est, conscientiam insuper esse tamquam regis vicarium, cui ille commisisset non tantùm officium promulgandi, sed & suo nomine ac auctoritate ferendi leges & præcipiendi. Ita enim suas vices & auctoritatem conscientiæ quasi delegavit summus rex & legislator Deus, juxta dicta capp. citatis, aliisque. Quod indicavit Niderus 2.p. cap. 6. comparans conscientiam non nuntio aut præconi, sed principi cujus dictum obliget sicut regis, etsi regis non sit. Quod ne quidem Ethnici ignorarunt. Imò Menander eo etiam sensu videtur dixisse conscientiam cunctis mortalibus Deum esse. *Conscientia similior est vicario regis, quàm nuntio.*

Observa tamen, juxta dicta de lege naturali libr.1. cap. 11. & de conscientiâ cap. illo 13. conscientiam etiam erroneam insuper esse promulgationem, & hoc sensu præconem seu nuntium, imò participationem seu irradiationē quamdam legis æternæ. Nam & hujus decretum est, conscientiæ, quamvis erroneæ, obtemperandum esse. Ubi tamen notanda differentia inter conscientiam veram & erroneam: quòd vera ideò obliget, quia obligat æterna; contrà verò æterna ideò potiùs obliget, quia obligat erronea. Vera itaque sequitur æternam, æterna potiùs sequitur erroneam, scilicet in particularibus casibus. Nam generale illud decretum 150. *Conscientia etiam erronea est promulgatio ac participatio legis æternæ.*

tum legis æternæ præcedit quamvis erroneam: unde etiam habet suam vim ac potestatem obligandi: quod solum voluerunt indicare D.Thomas, multique alii, cùm ipsi conscientiæ videntur negare potestatem legis, & obligationis.

151. *Conscientia ordinariè, non semper denuntiat aliam legem.*

Observa Secundò, ordinariè conscientiam, & veram & erroneam, denuntiare aliquam aliam legem creatam naturalem, vel positivam. Sed id nec fit necessariò, nec semper: quia ad obligationem & peccatum, si contrà fiat, certò sufficit unicum judicium, quo simpliciter aliquid dictetur necessarium, vel illicitum quocumque motivo & causâ. Quo casu clarum videtur, solam conscientiam obligare, & esse legem. Sed dubium videtur an illa etiam sola obliget cùm erroneè denuntiat aliam legem naturalem vel positivam. Plures enim dicunt tunc has leges, quamvis falsò creditas, obligare. Quare

152. *Leges quæ verè non sunt, verè non obligant, sed earum conscientia.*

Observa Tertiò, id explicandum esse juxta jam dicta, quòd illæ obligent, quatenus earum conscientia obligat. Nam aliàs leges, quæ verè non sunt, sed putantur esse, verè non obligant, sed putantur obligare. Nam & hîc conformiter ratiocinari oportet de verâ lege, & verâ obligatione. Unde etjam apparet, conscientiam erroneam non esse tantùm conditionem requisitam ad obligationem vel promulgationem, seu denuntiationem veræ validæque legis, sed proximam causam obligationis; adeoque ipsam veram legem. Quod optimè expressit D. Ambrosius citatus, cùm dixit opinionem nostram ipsam sibi legem facere. Quod propriè verum est etjam de opinione falsâ alîus legis. Aliàs legem verè obligare supponit legem verè esse: quod non videtur egere majori probatione. Atque ita juxta mentem Apostoli ad Rom. 14. & communem sensum Doctorum, judaizantes non peccassent verè contra legem Mosaicam. quâ putabant se debere abstinere à certis cibis; sed tantùm contra æstimationem, fidem seu conscientiam suam, si illis usi fuissent.

Confirmatur: quia juxta communem sententiam ob rationes jam allatas ne quidem ipsa conscientia obligat, nisi cùm verè est; adeò ut non sufficiat fuisse & virtualiter manere, quod communiter docetur contra Medinam suprà citatum. Aliàs opera infidelis omnia essent peccata, cujus conscientia semel dictasset omnia referenda ad idolum. Hæc enim, etsi jam esse desiisset, pergeret obligare, ut omnia eò referrentur. Ad quod nil referret, quod tamen ille respondet, sive multo tempore præcessisset, sive parvo, modò non retractaretur contrario dictamine. Quod de conscientiâ eâdem operâ notandum est. Idem ergo di- *Conscientia ut lex non obligat, nisi cùm est.*

dicendum de quâvis lege naturali vel positivâ: quod clarius est de eâ quæ ne quidem umquam fuit, etsi putetur esse.

153. Dices, Si leges æstimatæ non obligent, v.g. præceptum audiendi Sacrum die qui creditur festus: ergo tunc Sacrum omittere erit alius rationis & speciei peccatum, quàm si omitteretur die festo, quia contra aliam legèm. Idem dicendum erit de similibus. Quare falsa erit doctrina D. Thomæ cit. art. 5. ad 3. & communis, quòd peccatum contra conscientiam erroneam sit contra illam virtutem ejusque speciei, cujus esset, si cōnscientia esset vera, & verè exstaret lex, quæ putatur exstare.

Respondeo, negando primam consequentiam, & omnia illi annexa: quia communis illa & vera sententia optimè explicatur juxta conclusionem & explicationem traditam. Universaliter enim dictamen ac præceptum conscientię accommodat se materiæ, circa quam versatur, etsi erroneum sit, primamque obligationem inducat: sicut lex positiva non mutat materiam virtutis, sed illam eamdem facit necessariam. Itaque in casu allato æquè peccabit contra religionem non audiens Sacrum die quem festum putat, ac die festo. Similiter, in exemplo sæpiùs allato, non mentiendo qui putat se debere id facere ad servandam alterius vitam, æquè peccat contra caritatem, ac si omitteret aliquid aliud reverà licitum, ad quod eodem motivo & fine obligaretur.

Æquè peccat contra religionem non audiēs Sacrū die quem festū credit, ac si festū esset.

Unde apparet priori casu, etsi non obliget præceptum Ecclesiasticum, obligare tamen virtutem religionis; ut in posteriori obligat virtus caritatis. Quia in priori casu præceptum conscientiæ est etiam religionis, circa cujus materiam versatur, ut in posteriori caritatis. Quâ ratione etiam lex naturalis obligat ad actum virtutis in cujus materiâ versatur, ita ut contra hanc etiam peccetur, si contra illam. Imò hac etiam doctrinâ confirmatur conclusio.

Ex dictis hoc & præced. capite colligitur etiam doctrina communiter recepta hîc notanda, quòd Confessarius vel quivis alius non teneatur, imò sæpè non possit, tollere pœnitentis aliúsve conscientiam invincibiliter erroneam, etsi obligantem ad materiale peccatum, v.g. quòd non debeat aut possit monere conjuges de impedimento dirimente, aut nullitate matrimonii, quando ex ejus notitiâ sequerentur gravissima incommoda, eversio familiæ, graves discordiæ vel peccata, non tantùm materialia, sed formalia: ut si nihilominus perrecturi essent more conjugum cohabitare, etsi id scirent. Quod probatur ex cap. *De viduis*, 42. cap. 27. quęst. 1. ubi Pontifex in simili: *Nos autem*, inquit, *nullum debemus talibus laqueum injicere,* 154

Sæpè non debet, imò nec potest, tolli alius conscientia erronea, etsi obligas ad materiale peccatum.

cere, ut & nostra sit absoluta conscientia, & illarum pro se rationem Deo reddat intentio. Imò addiderim, eodem casu posse Confessarium jubere pœnitentibus materiale peccatum, redditionem debiti: quo modo & ratione eligendum ac consulendum est minus malum, ut evitetur majus. Itaque poterit negare absolutionem, nisi promittant se debitum reddituros. Quia non est absurdum similibus circumstantiis, ac morali necessitate obligare mandatum positivum, ad quod obligat lex naturalis, ut ostendi.

CAPVT XVII.

An conscientia erronea reddat hominem perplexum, seu obliget ad peccandum simpliciter?

157. SVppono quod dixi cap. 15. nu. 143. reddere perplexum aliquando secundùm quid, eâdemque ratione & sensu dici perplexum, quo obligatur ad peccandum. Supereſt ergo difficultas, an aliquo casu ita quis sit perplexus simpliciter & absolutè, ut in quamcumque partem se vertat, quidquid agat vel omittat, peccare debeat. Videtur id docere D. Gregorius 32. Moral. cap. 18. & sequ. in illud Iob 40. *Nervi testiculorum ejus perplexi*, & refertur dist. 13. cap. *Nervi testiculorum Leviathan perplexi sunt, quia suggestionum illius*, id est dæmonis, *argumenta implicatis inventis illigantur, ut plerosque ita peccare faciant, quatenus si fortasse fugere peccatum appetant, hoc sine aliquo peccati laqueo non evadant, & culpam faciant, dum vitant.* Affert ibidem tria hujus rei exempla in tribus hominum generibus.

Primò, in conjugatis, ut, si quis juraverit alteri secretum se celaturum, quem deinde intelligat esse adulterum, & machinari mortem mariti adulteræ; hærebit ille perplexus, an debeat servare juramentum tacendo, vel impedire adulterium & homicidium revelando.

Secundò, in Religiosis, ut, si quis relicto mundo, Prælato se subjecerit voto obedientiæ, qui illi quæ mundi sunt, non quæ Christi præcipiat; dubitabit ille an debeat Prælato obedire, vel sectari quæ Christi sunt.

Tertiò, in Pastoribus vel Episcopis, ut, si quis simoniacè, vel certè illicitè, ad curam animarum promotus sit, ac deinde angatur scrupulo, hæreatque an debeat officium abdicare, vel non deserere gregem jàm sibi commissum. Quibus tamen casibus non docet Gregorius, hominem absolutè esse perplexum: imò addit optimam regulam à dubio omnique peccato se expediendi, è duobus malis eligendo minus. *Cùm in dubiis*, inquit, *constringimur, utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine veniâ peccemus.* Itaque

que potest & debet etiam in istiusmodi casibus deponi conscientia erronea peccati necessariò committendi.

156. Respondeo itaque in particulari ad primum casum; illum non obstante juramento debere impedire si possit adulterium & homicidium; neque contrarium censendus est jurasse, etsi indefinitè juraverit se servaturum secretum. Imò quamvis expresse hoc jurasset de tali secreto, non magis ad id teneretur, quàm si ipse jurasset se occisurum. Quia videlicet nemo potest obligari ad peccandum, ne quidem juramento.

Etsi juraveris secretū, debes id revelare, cū necessariū est ad impediendum homicidium.

Ad secundum Respondeo, Religiosum debere obedire Prælato præcipienti conformia regulis & instituto suo, nec contraria bonis moribus & legi divinæ. Qualia debet credere illum præcipere, nisi contrarium constet juxta dicta lib. 4. cap. 14. & 15. Quare si constet illum alia præcipere, obedire non debet.

Religiosus non debet obedire Prælato, quem constat præcipere contraria legi divinæ.

Ad tertium: simoniacè adeptus officium debet illud abdicare: quia non est adeptus validè ob dispositionem Juris Canonici. Si aliter adeptus esset illicitè, v.g. ob malam intentionem, sed validè, potest bene fungi eo quod malè adeptus est, si videlicet sit ad illud aptus. Itaque potest illud retinere.

Validè adeptus officium etsi malè, potest eo bene fungi.

157. Circa quos similesque casus nota Primò, inconveniens, quo posito sequitur aliud, scilicet perplexio, obligatio, & necessitas peccandi secundùm quid, esse conscientiam culpabiliter erroneam. Nam si sit erronea inculpabiliter, non obligat ad peccatum, ne quidem secundùm quid, sed sufficit ad meritum. Ita merebitur mentiendo qui sic putabit id necessarium ad servandam alteri vitam; idque opere & affectu caritatis. Nam, ut suprà dixi, ignorantia inculpabilis consistit cum ratione & conscientia rectâ, & hæc sufficit ad bonitatem declarādam, vel etiam causandam.

Conscientia erronea inculpabiliter non obligat ad peccatum, sed sufficit ad meritum.

158. Nota tamen Secundò, ad similem bonitatem & meritum non sufficere quamvis circa idem objectum ignorantiam culpabilem, quâ v. g. putet quis culpabiliter ad servandam alteri vitam bonam seu necessarium esse mentiri. Quia si ignorantia sit culpabilis, apparet in objecto aliqua ratio mali: quâ detectâ cessat objectiva bonitas, & incipit malitia, quæ objectivè inficit prosecutionem talis objecti, fitque eo ipso voluntaria indirectè. Cujus rationem ulteriorem assignat D. Thom cit. ad 1. ex Dionys. cap. 4. de Divinis nominib. quòd bonum sit ex integrâ causâ: quare etiam debet esse directè voluntarium: malum autem ex singulis defectibus.

159. Ex dictis jam colligo, & Respondeo ad quæstionem propositam, universaliter negativè. Est satis certa, ut communiter supponunt Doctores.

Numquā conscientia erronea reddit hominē perplexū simpliciter.

Proba-

Probatur Primò, ex jam dictis: quia vel conſcientia eſt erronea inculpabiliter, & dirigit actum bonum, nedum obligat ad peccatum; vel culpabiliter, & poteſt debetque abſolutè deponi. Ubi

Dupliciter deponitur conſciētia, materialiter vel formaliter.

Adverte, dupliciter hanc deponi poſſe, vel materialiter, quatenus tale judicium quod emendetur judicio contrario; vel formaliter, quatenus culpabilem, ut ſi factâ morali diligentiâ veritas deprehendi non poſſit: tunc enim deſinit eſſe culpabilis, etſi maneat eadem erronea. Alterutro itaque modo conſcientia culpabilis deponi abſolutè debet, cùm eſt neceſſitas operandi, ac periculum peccandi.

Implicat aliquem obligari, ut peccare [illegible].

Probatur Secundò: quia, cùm peccatum adeò liberum ſit, ut, ſi liberum non ſit, peccatum non ſit, implicat aliquem abſolutè debere, vel neceſſariò peccare.

Confirmatur: quia ſimiliter implicat ſecundùm prudens judicium, ut quis hîc & nunc peccet, ſi hîc & nunc facit quod poteſt, ne peccet. Ob quam item cauſam implicat aliquem abſolutè ſub peccato obligari ad peccatum.

Probatur Tertiò: quia non conſiſtit cum ſuavi Dei providentiâ, præſertim novo teſtamento ac ſuavi jugo Chriſti, ut miſer homo redigatur aliquando ad inextricabiles illas anguſtias ac neceſſitatem peccandi, quidquid agat, vel omittat.

160.

Quid ſi quis invincibiliter putet utramque partem contradictionis eſſe peccatum.

Dices, Poteſt contingere, ut quis, præſertim rudis, putet utramque contradictionis partem eſſe peccatum: exempli causâ, opilio putet ſe peccare die Dominico, ſive deſerendo gregem eat ad templum, audiatque Sacrum; ſive non eundo ad templum gregem cuſtodiat; idque non ignorantiâ vincibili, ſed invincibili. Similiter poteſt quis putare invincibiliter ſe peccaturum ſive mendacio vitam alteri ſervet, ſive non: eo caſu talis erit perplexus ſimpliciter, & abſolutè. Quia, ut ſuppono, nec poteſt ignorantiam vincere, & conſcientiam illam deponere (nec enim in ſylvis aut campis opilio habet virum doctum, quem conſulat) & peccabit contra conſcientiam utramvis contradictionis partem eligat. Hanc difficultatem contra communem ſententiam, quam omnes docent vel ſupponunt, pauci tangunt, etſi non exiguam.

Reſpondent aliqui apud Sanchez cit. num. 13. quod ipſe dicit probabile, & è recentioribus Granadus 1. 2. controverſ. 2. tract. 12. diſp. 7. ſect. 2. negando caſum eſſe poſſibilem, eò quòd ad divinam providentiam ſpectet vel eum non permittere, vel ſic conſtitutum illuminare. Quia aliàs ob argumentum allatum ille ſimpliciter & abſolutè deberet peccare, quidquid ageret, vel non ageret. Verùm licet multi præſertim antiqui Doctores in ſimilibus caſibus ſoleant ad

Deum recurrere; non afferunt tamen sufficiens fundamentum, quòd ille ejusmodi casus (qui videntur in rudibus, atque etiam scrupulosis satis frequentes) debeat aut velit extraordinariâ providentiâ impedire. Deinde, hoc ipsum videtur absurdum, nec credibile, quòd communi rerum cursu homo sępiùs debeat peccare velit nolit, non in universali aliquando, sed in particulari casu, hîc & nunc. Vel enim facit ille quod est in se, scilicet viribus naturæ & gratiæ, ne peccet, & sic videtur implicare quòd peccet: vel non facit, & sic mutatur casus, nec est mirum quòd peccet.

Non videtur ille casus impossibilis.

161. Respondeo ergo Primò, sic constitutum eligere debere alterutram contradictionis partem quæ hîc & nunc apparet minus peccatum, scilicet ad evadẽdum majus. Quod etiam docet D. Gregorius. Ubi suppono cum D. Gregorio cit. atque etiam August. libr. 2. de Adulterin. conjugiis cap. 15. & refertur cap. *Si quod verius*, 33. quæst. 2. & communi sententiâ, licere juxta axioma è duobus malis eligere, ut & consulere, minus, scilicet non tamquam malum, sed minus, seu tamquam necessarium medium ad evitandum majus. Qui finis bonus est ac honestus. Itaque qui hoc facit, non facit malũ, quod semper illicitũ juxta Apost. ad Rom. 3. sed bonũ. Quòd si ne quidẽ discernere possit, utrùm sit minus malum,

Debet sic cõstitutus eligere quod apparet minus malũ.

Respondeo Secundò, eum non peccare utramvis partem eligat, idque defectu libertatis non quidem physicæ (quia potest v.g. opilio physicè gregem deserere, & non deserere) sed moralis ad peccandum formaliter. Quia, ut supponitur, sive deserat gregem, sive non, contra conscientiam suam æquè peccabit. Cùm ergo debeat deserere vel non, etiam debet æquè contra conscientiam peccare: nec hoc est illi liberum. Quare non refert quòd possit peccatum illud determinare ad hanc vel illam materiam commissionis vel omissionis. Hoc enim impertinens est ad rationem peccati formalis, quâ solâ Deus offenditur: quæ illi non est libera, nec secundùm rationem genericam, nec secundùm gravitatem peccati. Quæ duæ rationes solæ hîc spectandæ sunt. Nam si Deus necessariò offendendus putetur, idque tam graviter, non refert moraliter an hoc vel illo actu, seu omissione, vel etiam an hac vel illâ specie peccati: quæ proinde hîc etiam spectanda est tamquam conditio materialis, & impertinens. 162.

Quòd si nec illud discernere possit, non peccat utrumvis eligat.

Eodem modo respondendum ad casus similes, v.g. si conjunx dubitans de valore matrimonii, putet se peccare & debitum reddendo, & negando. Scotus in 4. dist. 30. quæst. 1. hoc casu, si uxor marito dicenti se numquam consensisse in matrimonium credat, nec possit con- 163.

Conjunx etiam invincibiliter putãsse peccaturũ sive reddat debitum, sive non, non

peccat utrumvis faciat. conſcientiam deponere, videtur dicere eam verè perplexam, & peccaturâm in quamcumque partem ſe vertat: quo nomine ab aliis reprehenditur. Sed explicari poteſt de ignorantiâ vincibili, & impotentiâ aliquâ laxiori, id eſt difficultate, quæ libertatem & peccatum non tollat; adeò ut abſolutè poſſit, quod illo caſu deberet (ut ibidem bene docet Scotus) marito non credere, & cum eo agere ut antè. Aliàs ſi invincibiliter putaret ſe æquè peccaturam, nec abſolutè poſſit conſcientiam deponere, non peccaret ſive redderet debitum, ſive negaret, ob rationem allatam. Similiter Paſtor die Dominico poſſet putare ſe peccaturum, ſive Sacrum celebraret, quia non jejunus; ſive non celebraret, quia Parochiani Sacrum non audient: ob quam cauſam veriùs deberet celebrare. Utramque hanc reſponſionem optimè tetigit Adrianus in 4. de pœnit. ac reſtit. quæſt. quia dictum eſt, quòd detinendo alienum. §. *Mihi videtur planius*, agens de dubio: quem citat, & poſteriorem reſponſionem, tamquam probabiliorem, ſequitur Sanchez cit. Idem ſentit Corduba cit. quæſt. 5. propoſ. 2. Becanus 1. 2. tract. 1. c. 4. quæſt. 8. concl. 4. & Laiman tract. 1. de conſcientia cap. 4. in fine. Salas ſect. 16. num. 145.

CAPUT XVIII.

An aliquando perplexæ conſcientiæ licitum, ac neceſſarium, remedium ſit reſtrictio mentalis?

QUamvis S. Gregorius ſuperiori cap. citatus expreſsè hujus non meminerit, in praxi tamen non occurrit caſus frequentior, quo conſcientia exponatur periculo perplexitatis, quàm neceſſitas vel mentiendi, aut certè reſtringendi mentem, vel committendi peccatum gravius. Exempli causâ Confeſſarius interrogatur an pœnitens tale peccatum confeſſus fuerit, ſi neget, videtur mentiri; ſi affirmet, graviſſimè peccat contra confeſſionis ſigillum, aut famam pœnitentis. Sicarius vel latro inſequitur innocentem, quem occidat; petit à te ubi ſit: ſi dicas te neſcire, videris mentiri; ſuppono enim te ſcire; ſi indices ubi ſit, prodis & objicis injuſtæ cædi innocentem; ſi reſpondeas te nolle indicare, te ipſum. Maritus petit ab uxore, an cum aliquo ſuſpecto egerit, cum quo verè egit; ſi neget, mentitur; ſi fateatur, occidetur à marito. Eodem modo perplexa erit, ſi examinetur ancilla conſcia de illo vel etiam ſimili facto, quod niſi celet, gravium malorum, acrixarum inter conjuges cauſa futura eſt. In eaſdem anguſtias ſæpiſſimè rediguntur, qui examinantur vel

164. *Ratio difficultatis.*

vel à privato, vel ab illegitimo, judice de secreto suo, aut alieno. Neque sufficit his & similibus casibus tacere, vel aliò sermonem convertere: quia saltem sæpè ipsum silentium, vel declinatio absolutæ seu categoricæ responsionis, confessio est, & proditio secreti quòd interrogans inde illud satis colligat. Quibus eàdem operâ satis exposita est ratio hujus difficultatis in praxi, atque etiam in speculatione non exigua: de quâ ferè Augustinus integrum librum scripsit de mendacio.

165. *Numquã licet mentiri.* Suppono, juxta certam & communem Catholicorum sentētiam, non licere ad evitanda ejusmodi incommoda, quantumvis magna, mentiri: quia hoc intrinsecè, ideóque semper malum est. Et quamvis Xenophon & Plato, paucique eos secuti, putarint, aliquando licere uti mendacio, tamquam medicamento, scilicet ad evitanda ejusmodi incommoda; solo tamen naturę lumine Aristoteles 4. Ethic. cap. 7. *Per se*, inquit, *malum & vituperabile mendacium est*; ac Plutarchus de Liberis educandis ait illud esse vitium servile, & cunctis mortalibus insectandum. Idem docent Patres, præsertim August. integris libris de, & contra mendacium, D. Thomas 2. 2 quæst. 110. art. 3. & communiter Scholastici.

166. Nota Primò, uti datur duplex conscientia, practica & speculativa; ita distingui posse duplex mendacium, practicum & speculativum. Practicum mendacium dici potest quodvis peccatum, quatenus difforme regulæ sive practico conscientiæ dictamini, juxta dicta cap. 13. concl. 2. speculativum seu propriè dictum mendacium est, locutio difformis conscientiæ speculativè sumptę, seu opinioni mēte conceptę. Mentiri enim, juxta omnes, est cōtra mentem ire. Atque in eo ipso sita est malitia mendacii, quòd mendax aliud exteriùs significet verbo, quàm mente ac conscientiâ concepit, adeoque abutatur voce, signo naturali conceptûs seu rei, quatenus à mente conceptæ. Unde nata est sequi deceptio audientis, & perturbatio humani commercii. Quare omne mendacium reverà repugnat legi naturali: quamvis aliqui universale hoc ejus dictamen, seu prohibitionem, adeoque malitiam mendacii cujuscumque invincibiliter ignorent, juxta dicta cap. 11. Unde

Collige Primò, mendacium materiale, quod tantùm est difforme rebus, ut se habent à parte rei, non esse propriè mendacium, nisi insuper sit difforme menti ac conscientiæ. Quòd si huic difforme sit, etsi conforme rei, erit nihilominùs proprium & formale mendacium, ut si dicas aliquid verum, quod tamen putas falsum. Pulchrè August. de Mendacio cap. 3. *Non omnis qui falsum dicit, mentitur, si credit aut opinatur verum esse quod dicit.* 167. *Mendacium materiale nō est propriè mendacium.*

Et

Et infrà: *Quapropter ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis vel quibuslibet significationibus enuntiat. Unde etiam duplex cor dicitur esse mentientis, id est, duplex cogitatio: una rei ejus, quam veram esse vel scit vel putat, & non profert: altera ejus rei, quam pro istâ profert, sciens falsam esse, vel putans. Ex quo fit, ut possit falsum dicere non mentiens, si putat ita esse ut dicit, quamvis non ita sit: & ut possit verum dicere mentiens, si putat falsum esse, & pro vero enuntiat, quamvis reverà ita sit, ut enuntiat: ex animi enim sui sententiâ, non ex rerum ipsarum veritate aut falsitate, mentiens, aut non mentiens judicandus est.*

168. *Non omne proprium mendacium est peccatum.* Collige tamen Secundò, non omne mendacium proprium & formale, esse peccatum proprium & formale: quia non necessariò contra practicum conscientiæ dictamen. Potest enim quis invincibiliter ignorare ejus malitiam, imò putare in casibus allatis sibi necessariò mentiendum: quo modo non tantùm non peccabit, sed bene aget mentiendo. Sufficit ad mendacium etiam formale, loquatur contra cōscientiam speculativam, seu opinionem suam.

169. *Vera locutio præcipitur à veritate.* Nota Secundò, veram locutionem dicto sensu dirigi & præcipi à virtute veritatis, seu veracitatis, juxta D. Thomam cit. qu. 109. quæ etsi specialis virtus, pars est quodammodo justitiæ, quatenus respicit debitum morale, in quantum ex honestate unus homo alteri debet veritatis manifestationem: quæ sunt ipsius verba art. 3.

à quâ non differt simplicitas. A veritate non differt simplicitas, nisi ratione, ut idem docet art. 2. ad 4. & quæst. 111. art. 3. ad 2. Eadem enim virtus dicitur veritas, quatenus efficit ut signa concordent cum signatis, id est voces rebus per illas significatis; simplicitas, quatenus eo ipso excludit duplicitatem seu diversitatem inter conceptum interiorē & signa exteriora: quâ, ut loquitur August. mentiens habet non simplex, sed duplex cor; dum aliud habet in animo, aliud verbis enuntiat. Atq; ita Iob 1. ubi Vulgatus textus habet, *Erat ille simplex*; Septuag. legunt, *Erat homo ille verax*. Est autem ea virtus voluntatis, non intellectûs. Quia non respicit verum ut scibile, seu ejus cognitionem, sed ut dicibile, seu ejus manifestationem. Veritati etiam affinis virtus est, nec fortè specie, sed tantùm accidentaliter diversa, ratione materiæ, fidelitas: cujus est à veritate dictum reipsâ verificare, seu promissum adimplere.

Nota Tertiò, propriè distingui inter se restrictionem mentalem, & æquivocationem; seu propositionem mentaliter restrictam, & æquivocam vel amphibologicam. 170. *Propriè differunt æquivocatio, & restrictio mentalis.* Æquivocatio est, cùm verba secundùm se admittunt duplicem sensum, vel utrumque ferè æquè usitatum: uti Filius Dei significat naturalem & adoptivum; vel unum

usitatum communiter, alterum rariùs. Ita verbum *Est*, communiter significat, existit: rariùs, comedit. Restrictio mentalis est, cùm verba non admittunt verum vel plenum sensum, nisi cum addito mente suppresso. Exemplum obvium est, cùm quis negat se aliquid scire, & tacitè subintelligit, Ut tibi dicam. Quomodo S. Gregorius explicat Ezechielem incepisse prophetiam suam: *Et factum est*, conjungendo internam orationem cum externâ. Quod attinet ad æquivocationes etiam minùs obvias & usitatas, communissima Doctorum sententia est, eas ob causam licitas esse, v. g. ad evitanda incommoda indicata. De restrictione mentali minùs conveniunt.

171. Prima sententia est, eam non esse umquam licitam, nisi fiat iis circumstantiis, ut prudentes meritò possint colligere verbis exterioribus aliquid subintelligi, quòd aliàs illa non possit excusari à mendacio. Ita Cajetanus 2.2. quæst. 89. art. 7. Azor tom. 1. libr. 11. cap. 4. quæst. 5. Malderus de Restrict. mental. abusu c. 4. & 10. Coninck de Actibus supern. disp. 10. concl. 3. Laiman libr. 3. tract. 3. cap. 13. n. 7.

Secunda multò communior absolutè affirmat restrictionem mentalem esse licitam, scilicet ob justam causam, de quâ postea, & ad evadenda ejusmodi incommoda; idque abstrahendo à circumstantiis, quibus alii eam colligere possint. Ita D. Thomas in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 1. ad 2. & 3. ubi docet quòd Confessarius posset dicere se nescire peccata in confessione audita, subintelligendo ut subditus interrogantis: & in scripto 2. ad Hannibaldum in 3. dist. 38. quæst. unicâ art. 2. ad 1. dicit Iacob absque mendacio dixisse se primogenitum Isaac; non quidem suo, sed Spiritûs sancti intellectu, seu restrictione, quod ad rem nostram perinde est. Quâ item ratione in Summâ 2.2. quæst. 110. art. 3. dicit verba Iudithæ, pluraque alia in Scripturâ habere veritatem secundùm sensum mysticum. Itaque satis clarè D. Thomas docet, non debere esse vera secundùm sensum exteriùs expressum, ut vult prima sententia. Altisiodorensis libr. 3. Summæ tract. 18. quæst. 2. sub finem, agens expressè de modo licito, ac conveniente etiam viris perfectis, declinandi conscientiæ perplexitatem casibus allatis, *Vir*, ait, *perfectus non debet esse perplexus, sed debet deludere ipsos apparitores, sicut dicebat Præpositivus*, scilicet juxta hanc sententiam, cùm inquirunt aliquem ad mortem. Sylvest. v. *Iuramentum* 3. quæst. 2. Angelus eodem num. 9. Philiarcus tom. 1. de Officio Sacerdotis punct. 2. lib. 3. c. 14. qui post multa in hanc rem, hæc ait: *Sententia est magis pia, quatenus liberat ab infinitis scrupulis*. Martinus Navarr. qui clarissimè idem docet variis locis: imò hanc sententiam proba-

probavit integro commentario ad cap. *Humanæ aures*, 22.quæst.5. qui est de veritate responsi, partim verbo expresso, partim mente concepto redditi. Unde apparet, quàm immeritò aliqui hanc sententiam traducant, quasi inventum recentiorum. E quibus eamdem tradunt Valentia 2.2. disp.5. qu.13. puncto 2. §. *nihilominus*, Suarez tom.2.de rel.tract.4. libr.3.cap.10. & 11. Lessius de Jure & justitia cap. 42.dub.9.num.47. Sanchez libr.3. in Præcepta cap.6. num.15. Diana tract. Miscel.6.resolut.30. qui hinc deducit multos casus, Pesantius 2.2. qu.70. art.4. disp.1. totâ conclusione, qui addit esse communem omnium Theologorum & Canonistarum. Denique prolixè & eruditè hanc sententiam defendit Theophilus Rainaudus integrâ disput. de veritate, qui à cap.14. ostendit esse reverà communem omnium Doctorum Scholasticorum, Moralium Theologorum, seu Summistarum, Jurisperitorum ac Philosophorum Moralium, uno excepto Genesio Sepulvedâ, Historico Caroli V. magis in humanis, quàm in divinis litteris erudito.

172. *Conciliatio dictarum sententiarũ.* Nota Quartò, duas has sententias practicè nihil, speculativè parum differre; adeò ut sæpè miratus sim aliquos qui primam sequuntur, secundam tam operosè oppugnare. Notavit idipsum Rainaudus cit.cap.9. & ostenditur Primò: quia nullus est casus quo ad declinandam conscientiæ perplexitatem, & evitanda incommoda superiùs indicata, juxta ambas sententias non sit utendum eodem remedio, iisdemque omninò verbis; modò scilicet adsit sufficiens causa, quâ assignandâ non differunt: v.g. interrogaris ab illegitimo, vel saltem illegitimè agente, judice de crimine occulto tuo vel alieno: juxta utramque sententiam potes respondere: Nescio, Non vidi, vel Non feci. Similiter sicario roganti an domi sit is, quem quærit ad cædem, simpliciter potes juxta utramque dicere: Non est domi. Eadem est ratio de aliis casibus: quorum nullus afferri potest juxta rationes & principia secundæ sententiæ, quo simili locutione utendum sit, qui etiam afferri non debeat juxta principia primæ; neque hujus Auctores ullum afferunt.

Quare etsi disputent Doctores, an, exempli causâ, veniens è loco peste infecto non infectus, rogatus à custodibus civitatis, quam inde venientes ingredi prohibentur, possit negare etiam juratus se ex eo loco venire, subintelligendo, ita ut sim infectus, ut juxta communem affirmat Sanchez citat.num.35. etsi probabiliter neget Coninck n.59. ejus tamen casûs resolutio non est petenda ex principiis alterutrius sententiæ. Quare etiam plures Auctores primæ sententiæ affirmant posse, sed tandem ex ipsâ lege prohibente,

hibente, an hæc rationabiliter omnes comprehendat inde venientes, vel non. Sola igitur videtur esse differentia, quòd eadem verba alio sensu explicentur ab unâ, quàm alterâ sententiâ: quod ad praxin & conversationem externam nil refert; imò neque ad significationem & rationem mendacii, juxta primam sententiam, quâ tota significatio sita est in verbis exterioribus: atqui hæc eadem sunt in utrâque sententiâ prædictis casibus: ergo & eadem significatio, atque adeò in utrâque, vel neutrâ, sententiâ responsiones dictæ, sunt, vel non sunt mendaces.

Unde etiam constat, si August. libr. de mendacio non debuisset laborare ad evitandum mendacium casibus urgentibus, quales proposui, juxta secundam sententiam, quod huic objicitur à primâ, parum vel etiam nil debuisse laborare juxta primam. Ipse tamen August. lib. 10. Retract. cap. ult. fatetur se sibi ipsi in illo libro non satisfecisse, & plura disputasse, quàm affirmasse.

173. Secundò, ostenditur quòd vix differant etiam speculativè, explicatione verborum: quod enim affirmat prima, his circumstantiis à prudentibus colligi posse ea dici sensu restricto, non negat imò reverà concedit secunda, eo ipso quo dicit eadem his circumstantiis eodem sensu etiam à prudentibus usurpanda. Nemo enim prudens alio sensu ea putabit intelligenda, quàm putet à prudentibus proferenda. Quod attinet ad auditores, ad quos diriguntur, utraque consentit ab iis ea non debere intelligi eo sensu, ne quidem his circumstantiis. Aliàs proderetur secretum, nec obtineretur finis restrictionis. Itaque utriusque sententiæ Auctores idem reverà videntur sentire, etsi aliter eamdem sententiam probent: quod perspicuum putat Rainaudus. Certè parum vel nimium probant rationes primæ sententiæ contra secundam: parum, si procedant de prudentibus quibus non loqueris: nimium, si de iis quibus loqueris. Nam reverà ferè tota ratio inconvenientiæ & duplicitatis, quæ in hoc negotio timeri potest, est, ne agatur dupliciter ac decipiantur, non auctores alterutrius sententiæ, seu prudentes, quibus non loqueris; sed ii quibus loqueris. Illis enim videris debere accommodare locutionem, ac verborum signa, ad quos ea dirigis, neque illis ingenerare errorem, ac conceptum falsum. Aliàs videris mentiri falsum significando, scilicet iis quibus loqueris. Hoc autem incommodum non esse curandum ad evadendum majus, fatentur etiam Auctores primæ sententiæ.

Tertiò, si ulla inter utramque sententiam sit differentia, in eo videtur sita, quòd juxta primam restrictio circumspectè sit adhibenda 174.

bende

benda eo modo & circumstantiis, ut à prudentibus adverti possit: juxta secundam procedi possit liberiùs, v. g. dicendo: Non scio, Non feci, subintelligendo aliquem quemcumque sensum, qui veritatem contineat: quam praxin simplicioribus convenientem tradit Suarez cit. cap. 10. In idem recidit, si subintelligant sensum, quem norunt docti: in quo præferenda est secunda sententia. Quia positâ jam justâ causâ, & necessitate restrictionis mentalis, expedit conscientiæ jam satis perplexæ eâ necessitate, non injicere novum scrupulum, & perplexitatem circa modum ex eâ emergendi, quod videtur facere prima. Quod incommodum majus est in simplicioribus, qui non sciunt judicare de circumstantiis, & significatione verborum respectu prudentum. Quare simplicioribus beneficium restrictionis redditur ferè inutile, qui tamen maximè illo indigent. Quibus præmissis,

Simplices possunt mentem restringere subintelligendo sensum aliquem, qui veritatem contineat, vel norint docti.

175. Dico Primò: Licet aliquando, ad evitanda incommoda antè indicata, uti restrictione mentali, scilicet sensu explicato. Est reverà communis Doctorum, ut jam dixi.

Licet aliquando uti restrictione mentali.

Probatur Primò, ex Scripturâ utriusque testamenti. Simili enim restrictione multa dixit Iudith; & juxta D. Thomam citatum Iacob se esse primogenitum Genes. 27. qui ab August. D. Thomâ, aliisque communiter excusatur à mendacio; Raphael affirmavit se esse Azariam Ananiæ magni filium Tob. 5. Quas aliasq; locutiones etiam divinitus approbatas præstat vero ejusmodi sensu explicare, quàm cum aliquibus damnare mendacii. In novo testamento ipse Christus Marci 13. dicit se nescire diem judicii, tacitè subintelligendo, ad manifestandum, ut cum August. communiter explicant Patres; vel, quod in idem recidit, tamquam hominum doctorem, ac scientiâ publicâ seu communicabili. Ioan. 7. dicit se non ascensurum ad diem festum, subintelligendo, statim, vel manifestè.

Quibus exemplis observandum est, sola verba, cùm saltem primò prolata sunt, etiam spectata secundùm omnes circumstantias, non significasse sensum verum ulli mortalium, nisi conscio arcani Dei consilii, & causæ sic loquendi. Itaque verè tantùm dici & intelligi potuerunt restrictione mentali. Similis praxis ac restrictio passim usurpatur etiam à probis, cùm v. g. ingrediuntur ditiones, vel transeunt per loca aliàs sibi periculosa, ut sibi tribuant novum nomen, officium, & cognomen, atque etiam patriam, idque iis circumstantiis, quibus nemo quantumvis prudens, nisi eos noverit, dubitet quin reverà tales sint. Cujusmodi locutionum etiam Scripturæ sensus restrictus esse potest: Sum talis, scilicet voluntate, ac deputatione Dei,

Quo sensu possit quis sibi tribuere novũ nomen, &c.

Dei, vel meâ, & quasi repræsentatione. Præterea alias locutiones dubias à Scripturâ quidem relatas, sed non laudatas, nisi à bonâ intentione: quas non est improbabile fuisse mendaces, ut Iehu, obstetricũ Ægypti, & meretricis Rahab.

176. Probatur Secundò, ex Patribus: Gregorio lib. 26. Moral. & refertur cap. *Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant: divina verò judicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur*, 22. quæst. 5. addit Gratianus: *Certè noverit ille qui intentionem & voluntatem alterius variis explicat verbis: quia non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem & intentionem, quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni.* Et infrà: *Patet quòd Deus non accipit hîc juramentum, sicut ille cui juratur: sed potiùs sicut qui jurat intelligit.* Quibus clarè tam Gregorius, quàm Gratianus universaliter dicunt, verba verè, ac judicio divino explicanda esse secundùm intentionem ac mentem loquentis, non externum sonum aut intellectum audientis. Qui sensus clarissimè juxta conclusionem explicatur ab eodem Gregor. libr. 6. in 1. Regum cap. 3. ubi docet tyrannorum versutiam esse piâ fraude deludendam, ita *ut caveatur*, ait, *culpa mendacii; quod tunc bene perficitur, cùm illud quod fit, asseritur, sed quod fit sic dicitur, ut celetur: quia ex parte dicitur, & ex parte reticetur.* Idem omninò est ex parte reticeri, quod tacitè subintelligi, & mentem restringi. Eamdem sententiam satis indicant August. & Patres alii, dum explicant loca citata Scripturæ.

Nec tantùm doctrinâ, sed & exemplo suo Patres ac Sancti sententiam hanc confirmarunt. Ita enim S. Athanasius se persequentes delusit, & respondit non longè abesse Athanasium, seque vidisse eum non longè abeuntem; & S. Franciscus rogatus, quà transisset homicida, manibus in manicas immissis fertur respondisse, non transisse illac. Similiter constat, alios Sanctos non tantùm factis, sed & verbis stultitiam, alium sexum, vel quid piè simulasse. Neque refert an illæ fuerint restrictiones, vel æquivocationes: quia eadem est utrarumque ratio, si æquè occultæ sint.

Probatur Tertiò, à pari: quia, 177.
etsi juxta Augustinum initio citatum, etiam factis aliisque signis, non tantùm verbis, mendacium committi possit; nihilominus bellicis strategematibus etiam à Scripturâ probatis, variisque modis ac factis sæpè licitum, imò laudabile, est præbere occasionem proximo errandi: quomodo etiam Christus finxit se longiùs ire, Lucæ 24. ergo etiam verbis. Deinde juxta certam ac communem sententiam licitæ sunt æquivocationes & amphibologiæ, etsi rariùs usitatæ. Quo sensu Abraham Genes. 20. uxorem dixit sororem suam, id est consanguineam,

guineam, non germanam; etsi hæc ordinariè intelligatur nomine sororis. Sic etiam juxta Glossam communiter, ut testatur Navarr. receptam, in cap. *Ne quis*, 22. qu. 2. si Petrus domi existens quæratur à sicario ad necem, Paulus pro foribus stans potest respondere, si rogetur an domi sit: Non est, id est, non comedit: ergo licet etiam restrictione mentali dicere in casu proposito: Non est domi, subintelligendo, tuæ vel meæ, vel ita ut tenear tibi dicere. Neque enim hæc locutio magis exotica est, ac noxia conversationi, aut minùs vera juxta communem hominum sensum, quàm illa.

178. Probatur Quartò. Restrictio mentalis, seu locutio mente restricta, est aliquando necessaria ad declinandam conscientiæ perplexitatem, & evadenda graviora incommoda: neque tunc repugnat virtuti veritatis; aut cōtinet rationem mendacii: ergo aliquādo licita est.

Prior pars antecedentis constat ex jam dictis, ac ratione difficultatis initio propositâ. Nam gravissimis sæpè incommodis nullum est aliud remedium. Mendacium enim, quo aliqui putarunt ea declinari posse, est intrinsecè ac semper malum: nimis autem durum est & intolerabile, nullum tam gravibus & frequentibus incommodis remedium esse salvâ conscientiâ. Quæso, quid facerent casibus initio propositis, qui omnibus omnino restrictionibus adversantur?

Posterior pars, quòd non repugnet virtuti veritatis, probatur item ex dictis not. 2. quia veritas tamquam pars justitiæ potentialis tantùm dirigit & præcipit locutionem quatenus proximo debita est, & utilis ad conversationem ac commercium humanum: atqui locutio aperta, nec restricta, sæpè neque debetur proximo, & fidem ac conversationem humanam omninò perturbaret, secreta proderet, & gravissima damna & injurias innocentibus pareret: ergo tunc non est necessaria locutio aperta, sed licita restricta. Itaque retorquetur argumentum, quod contra conclusionem ac restrictionem mentalem afferri solet. Quòd autem non sit mendacium, probatur etiam ex dictis & not. 1. qui enim loquitur restrictè, non loquitur contra mentem, sive conscientiam; imò, ne contra eam loquatur, ideò verba restringit. Neque aliud habet animo, aliud verbis enuntiat: sed hoc ipsum, quod habet animo, enuntiat, & intendit enuntiare ac significare, & quidem efficaciter ex parte suâ: ergo secundùm August. non habet duplex cor, neque mentitur.

Qui loquitur restrictè, nō mentitur.

179. Neque refert, quòd putetur ab audientibus dicere quod reverà falsum est: quia, ut dicit Gregorius cit. *Humanæ aures verba nostra talia judicant, qualia foris sonant; divina verò*

verò judicia talia foris audiunt, scilicet juxta rei veritatem, *qualia ex intimis proferuntur*: atqui qualia ex intimis proferuntur, scilicet mentaliter restricta, sunt vera: ergo absolutè sunt vera, non falsa. Quo sensu rectè addit Gratianus ex mente Gregorii, non debere quoad veritatem considerari verba, scilicet sola, sed intentionem significandi verum: quæ ipsa est actus elicitus veritatis, adeoque verba intentioni debere accommodari, non contrà.

Confirmatur: quia si exteriùs proferretur tota propositio cum sui parte mentaliter suppresâ, v.g. Nescio, ut tibi dicam, certò esset vera: atqui manent eadem & propositio & significatum, etsi posterior ejus pars, Ut tibi dicam, mente supprimatur: ergo & tunc est vera. Quando ergo profertur propositio sic dimidiata, non dicitur mendacium, sed tacetur veritas, ut loquitur Augustinus. Quod eâdem ratione apparet dicendum, si simili restrictione dimidiatâ scriberetur. Unde item apparet, non indi vocibus, ejusmodi restrictione, novam significationem, ut putant aliqui, sed iis retentâ suâ significatione tantùm addi partem propositionis suppressam; quam cum illis clarum est habere aliam significationem quàm illas solas.

Vocibus restrictione non inditur nova significatio.

180. Dices: Pars propositionis suppressa est interna & occulta: ergo ipsa nil potest significare falsò hominibus.

Respondeo distinguendo consequens: sola concedo; adjuncta parti sensibili, nego: quâ ratione Sacramenta Eucharistiæ & Pœnitentiæ, etsi signa sensibilia, constant partibus insensibilibus, illud Christo ipso, hoc dolore.

Pars propositionis suppressa est significativa, si addatur expressæ.

Unde quoque colligitur, quâ ratione pars suppressa mutare possit significationem partis sensibilis, cùm præsertim propositio interna & externa non sint disparatæ, sed naturaliter hæc illi subordinetur; & pars suppressa & expressa maneant partes unius integræ propositionis.

Confirmatur: quia voces non significant res ut sunt à parte rei, sed ut sunt in mente loquentis: atqui significatum vocum in mente est conjunctum significato partis suppressæ: ergo ut sic, etiam significatur.

Ex dictis collige, in casibus conclusionis proximum cum quo agis, nullum habere jus ad apertam vel ullam locutionem tuam, adeoque te non debere illi loqui, illiusque habere rationem, sed tunc (ut conclusionem aliqui explicant) posse loqui absolutè, & verba dirigere ad Deum vel te ipsum, quasi esses solus. Clarum enim est, quòd tibi soli liceat ita mentem restringere. Quam rationem magis expendit secunda sententia. 181.

Probatur tamen ultimò conclusio, & confirmantur dicta juxta 182.

princi-

principia primæ ſententiæ: quia, ut etiam indicavi in conciliatione utriuſque ſententiæ, hîc & nunc concurrentibus illis circumſtantiis, adeoque juſtâ causâ ſic loquendi, prudētibus auditoribus verba exteriora apta ſunt ingenerare ſimilem aliquem ſenſum. Atque hac ratione etiam hominibus verum ſignificant, etſi per accidens imprudentibus dent occaſionem errandi: quòd ſuæ importunitati, injuſtitiæ, ſi te iniquè urgeant, aut certè imprudentiæ, vel ignorantiæ circumſtantiarum, nominatim juſtæ cauſæ ſic loquendi imputare debent; non tibi, qui uteris jure tuo quaſi ad redimendam vexationem. In idem recidit, ſi dicas, verba mentaliter reſtricta verum ſignificare, quaſi in actu primo, & ſpectatâ intentione loquentis, nec tantùm Deo, ſed & hominibus; etſi ſignificent falſum in actu ſecundo, & ſpectatâ conditione audientium: qui errant acceptâ, non datâ occaſione, quaſi ſcandalo paſſivo. ad quam ſignificationem falſi in actu ſecundo, verum eſt nil conferre intentionem loquentis: quæ tamen plurimùm confert ad veri ſignificationem in actu primo: non quòd ea immediatè verbis conferat vim ſignificandi, ſed quòd ea applicet & determinet ad aliquam, quam de ſe habent in iis circumſtantiis, efficiatque ut locutio ſit actus imperatus veritatis.

Verba reſtricta prudentibus apta ſunt ingenerare verum ſenſum.

Verum ſignificant in actu primo, etſi falſum in actu ſecundo.

Confirmatur communi ſententiâ ſaltem recentiorum, qui docent ſpeciatim formas Sacramentorum dubias pendere ab intentione proferentis, an veræ, adeoque validæ ſint: quod colligitur ex definitione Zachariæ Papæ cap. *Retulerunt*, de conſecrat. diſt. 4. ergo ex eorumdem mente à fortiori idem dicendum in caſibus concluſionis, quibus ſenſus verborum occultus & dubius eſt. Ex quibus non erit difficile ſolvere objectiones.

Dico Secundò: Non tantùm aliquando licita eſt mentalis reſtrictio, ſed & neceſſaria, ne pecces. Hanc Doctores non exprimunt, ſed ſupponunt. 183.

Reſtrictio mentalis aliquando neceſſaria ne pecces.

Probatur: quia, ut conſtat ex dictis, aliquando neceſſaria eſt ad evadenda graviſſima incommoda, v.g. cædem innocentis, revelationem ſecreti, non tantùm naturalis, ſed & Sacramentalis. Quæ & ſimilia impediri haud dubiè debent, cùm poſſunt: atqui jam probavi licitè impediri poſſe, cùm ſit licita reſtrictio: ergo neceſſariò debent, ſeu neceſſaria erit reſtrictio, non tantùm ut illa mala impedias, ſed etiam ne pecces.

Confirmatur: quia, ut conſtat ex dictis lib. 3. à cap. 8. ad evadenda ejuſmodi incommoda teneris aliquando ſequi ſententiam probabilem, etſi minùs veram, tuæque contrariam: ergo multò magis ob ſimiles cauſas teneris ſequi hanc ſententiam omnino communem,

Zzz &

& moraliter certam, idque quamvis tu crederes falsam.

Cui tamen non obstat, quòd aliquando non tenearis uti restrictione, cùm potes, ut dicam c. seq.

Eadem honesta est & meritoria.

Addiderim, restrictionem mentalem honestam esse ac meritoriam, quod item ex dictis sequitur, & confirmatur exemplis ab ipsâ Scripturâ relatis & laudatis. Imperatur autem ea à caritate, aliisque virtutibus, quarum motivo fit.

Caput XIX.

An & qualis requiratur causa ad restrictionem mentalem?

184. AB hujus quæstionis decisione videtur mihi maximè petendum remedium contra abusum restrictionis mentalis, quæ reverà restringenda est, cùm aliqui nimis liberè ea utantur, adeoque abutantur.

Illicitum est uti restrictione mentali absque justâ causâ.

Dico Primò: Omninò illicitum est uti restrictione mentali absque justâ causâ. Est communis & certa.

Probatur: quia, si passim absque justâ causâ id licitum sit, humana & civilis conversatio ac commercium evertitur à fundamentis: quæ sunt fides, & sinceritas, seu veritas ac simplicitas. Meritò enim in omni negotio, colloquio, & contractu habebitur suspecta mens ac sinceritas quorumlibet, & dubitabitur an fortè non utantur licitâ restrictione mentali, etiam tum, cùm profitentur se sincerissimè agere: quod quia tam manifestum est, non eget majori probatione.

Quare juxta dicta ex D. Thomâ not. 2. præced. cap citra justam causam restrictionis, veritas ac simplicitas præcipit apertam locutionem, tamquam proximis debitam. Quare iisdem fit laxa quædam injuria, cùm restrictione decipiuntur, & imbuuntur errore quasi scandalo activo & dato, non passivo & accepto: quia omnis error est quoddam malum naturæ rationali.

185. *Universaliter peccatum est sine causâ dare proximo occasionem errandi.*

Unde collige, universaliter peccatum esse, absque causâ proximo præbere occasionem errandi sive æquivocatione, sive restrictione. Quia tamen hæc materia de se non est gravis, peccatum id est ex genere suo tantùm veniale.

Restrictio mentalis absque justa causâ repugnat veritati vel simplicitati.

Collige Secundò, quamvis juxta dicta superiori cap. conclus. 1. restrictio mentalis non sit proprium mendacium, repugnare tamen, citra justam causam, virtuti veritatis, quæ præcipit locutionem, non tantùm veram, sed claram & sinceram; nisi eadem virtus dicatur veritas, quatenus imperat locutionem veram; simplicitas verò vel etiam sinceritas, quatenus imperat locutionem claram & sinceram. Quo item sensu veritas opponitur falsitati, simplicitas duplicitati. Qui modus loquendi conformis est communi usui, & D. Thomæ citato, qui duplicitati tribuit, quòd eâ homo aliud intendat

dat interiùs, aliud prætendat exteriùs, & contrarium simplicitati. Illud autem propriè fit restrictione mentali, quà homo aliud animo intendit significare, aliud prætendit, id est verbis exterioribus secundùm se spectatis significat. Quà ratione restrictio mentalis non dicetur repugnare veritati, sed simplicitati ac sinceritati.

186. Sed petes, quanta debeat esse causa ut sit justa? Hoc optarem à Doctoribus, qui justo zelo ducuntur contra abusum restrictionum mentalium, fuisse accuratiùs explicatum. Navarr. in cap. cit. admittit causam non tantùm virtutis cujusvis, sed & rei familiaris, ac sanitatis, & honoris, scilicet justam. Plerique etiam alii requirunt, juxta conclusionem causam justam: sed quæ sit illa, non explicant. Sanchez cit. num. 19. eam esse dicit quoties id necessarium aut utile est ad honestum aliquem finem. Sed reverà nimis laxa videntur verba: *aut utile*, disjunctivè sumpta. Unde sequeretur, nullam requiri necessitatem, sed sufficere quamvis utilitatem etiam ad res familiares, salutem corporis, vel honorem tuendum: quæ Sanchez sub fine illo comprehendit.

187. Adverte, restrictionum aliquas esse occultas, & inusitatas: quales voco non quæ latent prudentes, sed quæ latent omninò auditores: aliæ sunt satis obviæ, ut si Confessarius dicat se nescire peccata in confessione audita, vel legatus secreta sibi commissa, vel quivis crimen aliquod, aut rem omninò secretam, etsi à judice rogatus: quia sensus satis obvius est de scientiâ publicâ, aut fori externi: de quali item judex censendus est interrogare. Atque hujusmodi restrictionum eadem est ratio, quæ locutionum amphibologicarum sæpiùs usitatarum.

Respondeo jam Primò: Ad posteriores restrictiones sufficit utilitas ad quemvis honestum finem. 188. *Ad restrictiones obvias sufficit utilitas ad bonum finẽ.* Probatur: quia illis vix vel nõ decipiuntur auditores: vel enim eas satis intelligunt, vel saltem dubitant de earum sensu. Simili ratione bene docet Sanchez n. 22. ex Domin. Soto amphibologicæ locutionis justam causam esse honestum etjam jocum. Quò item reducendæ sunt amphibologiæ reales, v.g. stratagemata: quia res & opera non sunt tam determinatè significativa, ac deceptiva, ut verba.

Respondeo Secundò: Priores tantùm redduntur licitæ morali necessitate, seu causâ & incommodo non quovis, sed gravi, quale excusat ab observatione præceptorum positivorum, v.g. jejunandi & audiendi Sacrum. 189. *Ad occultas requiritur quadam moralis necessitas.* Sic intelligi rectè potest Sanchez, ut verba, *Necessarium aut utile* accommodentur non iisdem, sed diversis restrictionibus jam explicatis. Idem clariùs indicat Suarez cit. cap. 10. sub finem, ubi requirit justam causam,

& necessitatem conjunctivè, scilicet ad restrictiones posteriores, quæ sunt puræ restrictiones. Levis causa vel incommodum non potest dici necessitas: ergo ad hanc requiritur causa vel incommodum grave, quod aliter evitari non possit.

Probatur hæc responsio Primò, ex Patribus, qui minimum requirunt ejusmodi necessitatem; Dorotheus doctr. 9. num. 7. apud Rainaudum cap. 12. allegatâ aliorum auctoritate, docet licere aliquādo uti restrictione mentali, seu, ut ipse loquitur, dissimulare, mutare verba, ac variare sermonem: sed expressè addit id non faciendum, nisi rarò, & ob urgentem necessitatem. Quod explicat apto simili sumpto à medicamento, ac theriacâ: cujus usus infrequens tempore necessitatis prodest, frequens obest. Itaque nōn l[...]et uti restrictione mentali, nisi tamquam necessario quodam medicamento conscientiæ infirmæ, seu perplexæ. Eodem simili eamdem doctrinam explicat verisimiliter Clemens lib. 6. Stromat. & Cassianus collat. cap. 17. & alibi: qui, ut & Chrysost. variis locis, etsi putentur ab aliquibus eà moderatione cum Platone approbare mendacium; benignius tamen explicari possunt de restrictione mentali, quam vocant mendacium & fraudem, non simpliciter, sed bonam ac piam: qualem passim admittunt cum Scripturâ. Quia nimirum instar mendacii propriè dicti ingenerat errorem audientibus, illisque falsum in actu secundo significat. Saltem cùm licita non sit restrictio mentalis, nisi ferè in casibus & ob causas, quibus aliqui admiserunt mendacium, non nisi eâdem ferè moderatione & necessitate admittenda est, quà ab illis mendacium, quasi illi insit natura hellebori, ut ait Cassianus. Imò addunt Dorotheus & Cassianus, non esse veniendum ad illud remedium, nisi cum timore ac tremore, ac tutum esse postea pœnitere: quod est consilii; ne fortè illud usurpatum fuerit absque sufficienti causa. Quomodò timere ac dolere solent pii dum legem Ecclesiasticam transgrediuntur, etsi tantùm materialiter.

Restrictione mentali uti oportet ut medicamēto.

Probatur Secundò, ratione conclusionis prudenter expensâ: quia juxta prudens judicium & communem proborum sensum, grave omninò incommodum est conversationis humanæ, & civilis vitę, restrictio mentalis occulta sæpiùs usurpata, cùm semper proximum decipiat, ingenerando illi errorem: ergo non debuit permitti, nisi rariùs, ad evitandum grave incommodum illi prævalens. 190.

Confirmatur: quia si levis (licet aliàs rationabilis) causa sufficit, quisque facilè sibi persuadebit, eam intervenire, v.g. alicujus lucelli vel gloriolę spem, atque adeò pacatâ

catâ conſcientiâ reſtringet locutionem ſuam in omni ferè colloquio & negotio. Quâ ſanè ratione mentalis reſtrictio fieret, non utile medicamentum, ſed perniciosum venenum converſationis humanæ.

191. Nec refert Primò, quòd non ſit tantum incommodum ſemel uti reſtrictione mentali abſque gravi causâ. Quia ſi ſemel liceat, licebit eâdem ratione & causâ ſæpiùs: hoc autem eſſet grave malum, ut jam dixi. Itaque univerſaliter lumine ac lege naturæ prohiberi debuit extra moralem neceſſitatem.

Quare nec refert Secundò, quòd veritas tantùm obliget ſub veniali, lex autem poſitiva ſub mortali, ideoque faciliùs videatur ceſſare illius obligatio quàm hujus. Quia veritas etiam obligat tantùm ſub veniali ad veram locutionem, ſeu ad vitandum mendacium: quæ tamen obligatio numquam ceſſat: ergo mirum non eſt, ſed conveniens non tam facilè ceſſare obligationem ſimplicitatis loquendi clarè, ſeu vitandi locutionem reſtrictam, & obſcuram; quod vitium, etſi minus, eſt tamen affine mendacio.

192. Juxta duplicem hanc explicationem, explicandæ quoque ſunt reſtrictiones ac æquivocationes S.Scripturæ. Aliquæ enim factæ ſunt juxta poſteriorem, quâdam neceſſitate, ut ſimulatio ſtultitiæ Davidis. Quo item modo excuſari poſſunt dicta non tantùm Judith, ſed & obſtetricum Ægypti, ac Rahab meretricis ad ſalvandos innocentes. Quod attinet ad Deum ipſum, is neceſſitari non poteſt, ideoque non videtur uti poſſe reſtrictione omninò occultâ. Quo certior videtur S. Scripturæ auctoritas. Aliæ factæ ſunt etiam à Christo juxta priorem reſponſionem illo modo & circumſtantiis, ut ſtatim vel paulò pòſt adverti potuerit, non quidem determinatus ſenſus locutionum reſtrictarum, ſed ſaltem hoc ipſum, quòd aliquid myſterii in illis lateret, aut ſenſus aliquis myſticus: quod de verbis Chriſti pronum erat opinari, ut & Iacob & Raphaëlis. Quod clarius fuit, poſtquam illæ à Scripturâ fuerunt canonizatæ. Addiderim veriſimiliùs dici poſſe, aliquos, quorum dicta narrantur à Scripturâ, abſque ſufficienti causâ uſos fuiſſe reſtrictione, ſcilicet ignorantiâ inculpabili, v. g. Jehu, quàm mentitos eſſe.

Ex dictis collige, non eſſe licitam tam facilè ac frequenter reſtrictionem mentalem, ac plures exiſtimant, atque adeò peccatum eſſe, eâ uti ad evitandam confuſionem, pœnam, vel reprehenſionem aliquam, vel levem jacturam honoris aut bonorum, aut obtinendum lucrum aliquod aliàs juſtum, ſi merces ſupra meritum ac verum laudentur. 193. *Non eſt tam ſæpè licita reſtrictio mentalis, ac plures exiſtimãt*

Adverte præterea, ut rectè monet Malderus cit. cap. 9. aliquando 194.

laudabilius esse abstinere ab ejusmodi restrictionibus, quamvis licitis, adeoque id consulendum præsertim adspirantibus ad perfectionem. Quemadmodum laudabilius est explere legem audiendi Sacrum, v.g. etsi ob gravem molestiam, incommodum temporale, aut jacturam honoris ad illud non tenearis. Quisque enim in rebus bonisque ejusmodi laudabiliter cedit jure suo majoris boni intuitu. Magis id suadendum est Superioribus, ac personis constitutis in dignitate: quas valdè indecens & noxium est audire duplices, ideoque illis præsertim expedit, vel clarè loqui, vel tacere. Quâ ratione videtur August. de Mendacio c.13. laudare responsum Firmi Episcopi rogati ab apparitoribus de homicidâ, qui ad se confugerat, Nec mentiri possum, nec hominem prodere.

195. *Restrictionem aliàs licitam, sæpè vetãt aliæ virtutes.* Dico Secundò: Restrictionem mentalem aliàs juxta jam dicta licitam, & à simplicitate permissam, sæpè per accidens vetant aliæ virtutes, v.g. fides, justitia, vel obedientia. Est reverà communis, & intelligenda de utràque restrictione occultâ & obviâ, atque etiam amphibologiâ, seu æquivocatione.

Probatur breviter de singulis virtutibus. Primò, fide: quia communis & certa Theologorum sententia est, ut hîc suppono ex 2.2. quòd non liceat simulare, aut uti æquivocatione vel restrictione, in negotio fidei, saltem publicè, ne in re tanti momenti periclitetur Dei honor; qui inter homines maximè pendet à fidei Deique confessione. Quamvis ergo, cùm non urget tempus aut præceptum dictæ confessionis, possis; cùm tamen urget, non potes celare te esse Catholicum. Itaque non licet per fidem, quod aliàs liceret per veritatem ac simplicitatem, ad evitãdum grave incommodum. *Non licet uti restrictione in negotio fidei,*

Probatur Secundò, de justitiâ in privatis contractibus, præsertim utrimque onerosis: quibus restringendo aut æquivocando deciperes proximum, non tantùm ingenerando intellectui errorem, sed inferendo damnum bonis: ergo hinc oritur peculiaris obligatio justitiæ abstinendi à restrictione aliàs licitâ. Ita etiam qui ficto promisso matrimonii aliquam decipit, peccat non tantùm contra simplicitatem ac castitatem, sed & justitiam. Idem fortiori ratione ac jure dicendum de pactis & fœderibus publicis, quibus maximè innititur fides & pax publica: nisi enim illa sincerè ineantur, & inita serventur, non erit finis bellorum. Quare rectè August. epist. 207. *Fides quando promittitur, etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur.* *neque in contractibus immaque onerosis,*

Probatur Tertiò, de obedientiâ: tum quia Superior, ut alia, ita claram locutionem potest præcipere: tum quia per se peculiariter inde- 196. *neque in materiâ obediẽtiæ.*

indecens est, subditum cum Superiore agere dupliciter. Ita Primò, verior, ut communior, sententia est D.Thomæ 2.2.quæst. 63. art.1. teneri reum apertè fateri crimen judici legitimè illud inquirenti: quamvis in ordine ad illius punitionem etiam capitalem: quia Superiori legitimè præcipienti parendum est: judex autem in eo negotio est Superior, &, ut suppono, legitimè procedit præcipitque. Unde à fortiori apparet idem dicendum de judice inquirente veritatē in processu litis. Quod item verisimilius est, etsi dubitetur de legitimo modo procedendi: quia, ut dixi lib.3. cap.16. & l.4. cap.14. etiam dubio mandato certi Superioris parendum est.

197. Ex quibus collige vix contingere, ut subditus, præsertim Religiosus, licitè agat cum Superiore restrictè: & quidem in re præceptâ numquam id licet, ut jam constat: in aliis multò gravior deberet esse causa erga Superiorem, quā alios. Cùm igitur erga hos requiratur causa & incommodum grave, gravissimum requiretur, ut id liceat erga Superiorem. Idem eâdem ratione dicendum de filiis erga parentes, atque etiam servatâ proportione famulis erga dominos, & discipulis erga magistros.

Dixi in conclusione, *per accidens*: quia restrictio mentalis secundùm se est propria materia simplicitatis, cujus proinde est per se illam præcipere, vel prohibere. Quando ergo ob finem & causam aliquam extrinsecam illi accidentalem prohibetur ab aliis virtutibus, id fit per accidens.

Observa præterea, etsi simplicitas per se prohibeat restrictionem tantùm sub veniali; alias virtutes sæpè per accidens prohibere sub mortali, ut contingit casibus jam propositis: quibus dictæ virtutes obligant sub mortali; nisi in aliquo excuset parvitas materiæ. Quod verum est, sive obligent solæ, cessante obligatione simplicitatis ob grave incommodum juxta conclusionem; sive cum illâ concurrant. Quare cavere sibi debent assueti restrictionibus, ne peccent, non tantùm venialiter, sed & mortaliter. 198. *Simplicitas per se prohibet restrictionem sub veniali, aliæ virtutes per accidens sæpè sub mortali.*

Denique ex dictis utroque hoc cap. collige, an & quâ de causâ liceat etiam juramento adhibere restrictionem mentalem. Primò enim, id aliquando licere juxta communem sententiam constat ex superiori cap. Imò plerique Doctores ibi citati expresè agunt de juramento. Quia illud est aliquando necessarium ad evadenda gravissima incommoda ibi indicata. Non licere tamen absque gravissimâ causâ, seu incommodo, constat ex hoc capite. Quia major causa requiritur ut licitum sit juramentum restrictum, quàm communis locutio, ut per se manifestum est: sed ad hanc requiritur 199. *Aliquando, sed rarò, licet adhibere restrictionem mentalem juramento.*

causa

causa gravis: ergo ad illud, præsertim publicum, gravissima.

200. Quare etiam communis, (ut fatetur Sanchez num. 22. etsi contrariam sequatur) sententia est probabilior, quòd sit peccatum mortale absque necessitate jurare amphibologicè & restrictè. Quamvis enim propriè id non sit perjurium, cùm non sit mendacium; est tamen abusus valdè indecens rei tam sacræ, juramenti, cùm præsertim sic evertatur ejus finis, certæ veritatis certa testificatio.

Probabilius peccatum est mortale absque necessitate jurare amphibologicè, & restrictè.

Unde apparet raò admodum licere juramentum mentaliter restringere, nisi saltem ab alio vel privato, vel illegitimo judice extorqueatur: qui sibi debet imputare, si decipiatur. In judicio autem, seu coram æquo ac legitimo judice, numquam id licere constat à fortiori ex dictis de qualibet restrictione.

CAPUT XX.

Quale peccatum sit agere contra conscientiam erroneam, seu velle malum in genere?

201. EX dictis hoc libro cap. 16. & lib. 1. cap. 13. apparet, conscientiam veram, cùm aliam legem denuntiat, cum hac conspirare, & ejusdem rationis speciei virtutisque præceptum complere, juxta materiæ capacitatem. Valentia 1. 2. disp. 2. quæst. 14. puncto 4. & Sayrus lib. 1. cap. 4. num. 20. limitant hanc doctrinam, ut vera sit communiter, non semper, eò quòd proponi aliquando possit ratio mali in genere non restricta ad ullam certam materiam vitii, nec opposita certæ virtuti, scilicet à conscientiâ eodem sensu genericè sumptâ: quam rationem mali si prosequatur voluntas agendo contra conscientiam dictam, peccatum committat nullius certæ speciei.

Sed hoc postremum verum esse non potest, cùm non possit genus, vel individuum, existere, nisi in certâ aliquâ specie, neque in moralibus, neque in physicis. Verum tamen est primum, juxta dictà c. 12. libr. 1. ita ut eo casu peccatum opponatur propensioni syntereticæ ad bonum in genere, & sortiatur certam speciem æquè, ac si opponeretur certis virtutum habitibus, scilicet ab objecto suo malo in genere, non genericè, sed determinatè considerato ac volito. Quo modo ab eodem specificatur physicè ejusdem cognitio, ac volitio, juxta dicta lib. 2. cap. 5. Neque fortassis contrarium senserunt Doctores citati, sed tantùm voluerunt significare illum actum non esse certæ, id est nominatæ speciei virtutis seu habitûs. Ceterùm de ejusmodi peccato etiam verum est, quod dixi, ejusdem rationis ac speciei fore, sive fiat contra conscientiam erroneam, sive veram.

Non datur actus malus in genere nisi certæ speciei.

Verùm superest major difficul- 202.

tas, an, si quis eo modo feratur erga malum in genere propositum à conscientiâ erroneâ, vel etiam verâ (nam utriusque est eadem ratio) sed abstractum à gravi vel levi, facturus sit peccatum grave ac mortale, vel leve & veniale? Eadem est ratio & difficultas, si feratur erga malum in certâ quidem materiâ ac specie, sed item abstractum à gravi vel levi. Nec rarò videntur eo modo peccare simpliciores, quo ipso peccant contra conscientiam similiter consideratam & abstractam, ut patet.

Respondent aliqui, peccatum tum fore mortale, si ejus objectum ac materia sit à parte rei mortalis; veniale autem, si ea sit venialis. Ita Sayrus cit. n.15. secutus Navarrum præludio 9. num. 9. quos secuti sunt alii ipsis recentiores.

103. Quæ responsio rationabilis esset & vera, si in legem naturalem, qualem jam ostendi esse etiam conscientiam licet erroneam, caderet ἐπιείκεια, ut in legem positivam. At verò juxta sententiam D. Thomæ 1.2. quæst. 100. art. 8. & 2.2. quęst. 120. art. 1. & communem, illa propriè in legem naturalem, adeoque conscientiam non cadit. Ratio optima affertur à D. Thomâ art. 8. quia utraque in se continet intentionem legis, adeoque ipsa explicat æquitatem & intentionem legis, quæ nec magis, nec minùs se extendit, quàm utriusque dictamen ac tenor: secùs quàm lex humana: quæ cùm v.g. dictet absolutè audiendum Sacrum diebus festis, non explicat intentionem legislatricis Ecclesiæ, quòd illud non sit audiendum gravi cum incommodo: secùs quàm lex naturalis, quæ non dictat, aut prohibet, v.g. rem alienam non esse usurpandam absolutè, sed invito domino. Itaque in legibus positivis licita est per ἐπιείκειαν interpretatio liberæ intentionis legis, seu legislatoris, non in naturali ac conscientiâ. Quæ prudenter quidem explicanda est, sed ex solâ & necessariâ rei naturâ. Unde necessariò sequitur, ubi est idem dictamen legis naturalis ac conscientiæ, esse eamdem obligationem, adeoque peccatum, si contra illud fiat: atqui in casu proposito est idem dictamen conscientiæ, ut mali cognitio ac propositio, sive illud à parte rei sit grave, sive leve: ergo necessariò erit idem peccatum.

Epiikia non cadit in legem naturalē, & conscientiam.

Confirmatur ex dictis suprà. Voluntas non fertur in malum, ut est à parte rei, sed (quia ipsa cæca est) ut sibi ab intellectu proponitur: si ergo, ut supponitur, illud eodem modo ab hoc proponatur, illa eodem modo in illud feretur; seu illud eodem modo erit voluntarium, atque adeò peccatum. In idem recidit, si sic formes argumentum: Tota ratio peccati formalis sita est in actibus intellectûs & voluntatis: ergo impossibile est esse diversitatem in peccato, si non

ſit in actibus intellectûs & voluntatis: atqui in his nulla hîc eſt diverſitas: ergo nec in illo.

204. Reſpondent ergo cõmuniùs & meliùs recentiores cum Vaſquez diſp.59.cap.3.fore peccatum mortale ratione periculi peccandi graviter; cui ſe exponit qui abſque examine in malum ſic propoſitum fertur Quod verum eſt ſaltem ordinariè: vix enim contingit ſaltem intelligentioribus, quin ſimul tunc occurrat aliqua ratio dubitandi, ſitne malum grave, vel leve. Quare juxta regulam ſæpiùs traditam tenentur ſub mortali, vel illud non proſequi, vel antè examinare. Sed quid ſi ne quidem in confuſo occurrat ulla ratio dubitandi, vel cogitandi de malo gravi? quod non video quin aliquando, imò ſæpiùs contingat rudioribus.

Ordinariè qui vult malum in genere abſtractum à gravi & levi, peccat mortaliter.

205. Reſpondeo tunc fore tantùm peccatum leve ac veniale, ut docent Valent.citat. quæſt.3. & Salas num.33.atque adeò non explicandum illud in confeſſione, quod item docet Diana tract. de circumſt.reſolut.24.

Si tamen nulla occurrat ratio dubitandi de malo gravi, tantùm venialiter.

Probatur ex eâdem illâ regulâ: quia gravitas non poteſt eſſe voluntaria, niſi aliquo modo cognita, ut nec ratio mali ſimpliciter. Cùm ergo, ut ſupponitur, ea nullo modo ſit cognita, non eſt voluntaria. Non poteſt autem eſſe grave peccatum, niſi ſit voluntarium grave malum, ſeu mali gravitas.

Dices, Eodem argumento probabo nec eſſe peccatum leve: quia peccati levitas non poteſt eſſe voluntaria, niſi aliquo modo cognita: atqui neque hæc ullo modo eſt cognita, ut ſupponitur: ergo.

Reſpondeo, negando paritatem ac minorem: quia levitas mali reverà nil eſt aliud, quàm aliquis ſaltem quaſi gradus mali, quem neceſſariò cognoſcit & vult, quicumque cognoſcit & vult malum. At gravitas mali nil aliud eſt, quàm intenſio ac plures gradus mali: quos non neceſſariò cognoſcit & vult, quicumque cognoſcit & vult malum. Quemadmodum non poteſt reverà exſiſtere malum, niſi ſecundùm aliquem gradum mali. Poteſt autem exiſtere, etſi non ſecundùm plures gradus. Quâ ratione explicari debet quod dicit Salas, malitiam in communi non eſſe majorem malitiam, quàm quæ reperitur in materiâ levi. Eodem ſenſu dici poſſet: Ubicumque eſt mali gravitas, eſt etiam levitas, licet non ſolo, ſed nõ contrà: quamvis communiter accipiatur levitas ſimpliciter ſumpta, prout excludit & opponitur gravitati, ut & in qualitatibus accipiuntur remiſſio & intenſio. Aliàs ubi eſt intenſio ſeu octavus gradus caloris, neceſſariò etiam eſt remiſſio, id eſt primus gradus. 206.

Ex quibus collige, quanti ad omne peccatum momenti ſit judicium ac dictamen conſcientiæ, non tantùm ut ſit, vel non ſit peccatum, 207.

A conſcientiâ pendet non tantùm an quid ſit peccatum, ſed etiam an grave vel leve.

catum, ſed etiam ut grave ſit, vel leve. Imò tandem ab eo pendet totum, non tantùm cùm conſcientia eſt erronea, ſed etiam cùm eſt vera. Nam & tunc voluntas fertur in malum, non ut eſt à parte rei, ſed ut à conſcientiâ proponitur, valentque ad hoc probandum aliæ rationes paulò antè allatæ. Quamvis, ut plenè verum ſit ejus dictamen & obligatio, debeat conformari legi, ejuſque obligationi, prout eſt à parte rei. Unde apparet, ſæpiſſimè ratione conſcientiæ tum peccari ſæpiùs & graviùs quàm res ipſa exigat; tum etiam rariùs & leviùs, præſertim à piis, & Deum timentibus: quos ſæpè non eſt credibile commiſiſſe aliquod malum, reclamante ſaltem graviter conſcientiâ. Quare meminerint Confeſſarii, ut forment ſibi judicium verum de ſtatu & conſcientiâ pœnitentium, ſæpiùs examinare, quâ conſcientiâ malum fecerint, præſertim aliàs pii & ſimplices. Aliàs poſſunt ordinariè credere feciſſe eâ conſcientiâ, quam res exigebat.

Examinandi pœnitentes quâ conſcientiâ malum fecerint.

CAPUT XXI.

An conſcientia erronea magis obliget, quàm mandatum Superioris?

208. CElebris fuit hæc quæſtio inter antiquiores ab iiſdem fuſiùs diſputata.

Nota duplicem eſſe ejus ſenſum: Primò, ut particula *magis*, idem ſit quod fortius, id eſt, utra lex alteri cedere debeat, ſi concurrat utraque; Secundò, ut *magis*, idem ſit, quod gravius, id eſt, utrius violatio ſit gravius peccatum; vel, quod idem eſt, utra obliget ſub graviori peccato. Quibus prænotatis facilis eſt ex dictis reſponſio, ſed cum diſtinctione.

Dico itaque Primò: Primo ſenſu magis obligat conſcientia invincibiliter erronea. Eſt D. Thomæ quæſtionibus diſputatis quæſt. 15. de conſcientiâ art. 3. & in 2. diſt. 39. art. ult. ad 3. & reverà communis. 209.

Si concurrat mandatum Superioris cum conſcientiâ erroneâ invincibiliter, hæc prævalet.

Probatur facilè ex dictis: quia nemo poteſt negare, legem naturalem, quæ etiam dicitur divina, adeoque conſcientiam, cujus auctor eſt Deus, omnium Superiorum Superior, magis obligare, quàm mandatum humanum Superioris. Imò addiderim, legem conſcientiæ, etſi erroneæ invincibiliter, magis eodem ſenſu obligare quàm legem poſitivam Dei, ſcilicet ſolam: tum quia ne quidem hæc ſine illâ habet vim obligandi completam, illa habet, ut dixi lib. 1. cap. 11. tum quia hæc abſolutè eſt diſpenſabilis, non illa, ut dicam cap. ſequ.

Confirmatur ex illo Apoſt. ſæpè citato: *Quidquid non eſt ex fide, peccatum eſt*: atqui quod quis contra conſcientiam faceret juxta mandatum Superioris, & poſitivum Dei, non eſſet ex fide, id eſt con-

ſcientiâ: ergo peccatum. Adeoque tenetur is ſub peccato ſequi conſcientiam, non mandatum Superioris, ſi cum illâ concurreret.

210. *Prævalet illud conſcientiæ vincibiliter erroneæ.* Dico Secundò: Mandatum Superioris magis obligat quàm conſcientia vincibilis, ſcilicet eodem ſenſu.

Probatur: quia hæc non eſt lex, quæ ſimpliciter & abſolutè obliget; imò ſimpliciter deponi debet eo ipſo quo culpabilis: ergo debet mandato Superioris cedere: quod, ut ſuppono, obligat ſimpliciter. Addo, ordinariè cõſcientiam mandato Superioris contrariam, eſſe vincibilem ac culpabilem, adeoque deponi debere: quod tantùm volunt D. Bernardus, Bonaventura, aliique; non autem contra conſcientiam manentem mandato Superioris obediendum eſſe: quod intrinſecè & neceſſariò malum eſſet; adeò ut ne quidem Deus in eo poſſit diſpenſare.

Dixi *Ordinariè*: quia communi & ſancto ſenſu proborum ſubditorum tutius & laudabilius eſt, judicium, adeoque conſcientiam propriam, judicio & conſcientiæ Superioris ſubmittere, ſcilicet in omnibus, ut ait S.P.N. citatus lib. ſuper. cap. 14. num. 141. ubi peccatum non cerneretur contra legem naturæ, aut Superioris mediati, tam certò, ut ejus conſcientia ſit invincibilis, nec deponi poſſit. Quod S.P.N. indicavit verbo, *cerneretur*: quod ſignificat evidentem quamdam certitudinem, quæ adimat libertatem aliud judicandi. Exemplum afferri ſolet: ſi ſubditus certò ſciat à mediato Superiore quidquam ſtatutum fuiſſe, quod neſciat immediatus illi contrarium mandans: interim utroque neſciente ſtatutum illud revocatum ſit. Hoc caſu ſubditi conſcientia, licet reverà erronea quòd immediato parêre non liceat, erit invincibilis, nec poterit deponi; & tamen juſtum ac licitum erit mandatum immediati Superioris. Verùm facilè apparet quàm rari ſint ejuſmodi caſus. Quòd ſi reverà lex eſſet contraria legi, vel naturæ, vel mediati Superioris, reverà non eſſet lex, nec obligaret. Quid autem faciendum in dubio, dixi c. illo 14.

Dico Tertio: Secundo illo ſenſu ad quæſtionem unâ certâque regulâ reſponderi non poteſt, ut dixi in ſimili num. 144. 211. *Non poteſt certâ regulâ definiri, an gravius obliget mandatũ Superioris, vel conſcientia erronea.*

Probatur. Nam aliquando lex Superioris obligat ſub mortali, conſcientiæ ſub veniali: quo caſu haud dubiè gravius peccatum erit tranſgredi mandatum Superioris. Contrà aliquando cõſcientia obligat ſub mortali, Superior ſub veniali ob parvitatẽ materiæ, aliámve cauſam: quo caſu æquè clarũ certumq; eſt majus peccatũ eſſe reniti conſcientiæ. Similiter intra latitudinem peccati vel mortalis, vel venialis, nunc hæc, nunc illa graviùs leviuſq; obligat: quod ſatis clarum eſt, nec eget majori probatione.

CA-

CAPUT XXII.

An lex conscientiæ erroneæ sit dispensabilis?

212. *Lex conscientiæ erroneæ nulli dispensabilis.* RESpondeo negativè: Ne quidem à Deo, multò minùs ab homine. Quæ item conclusio, ut prima cap. præced. quæ hac confirmatur, sequitur ex principiis antè positis, breviter proinde probanda. Imò jam probata est, cùm aliâ occasione ostendi num. 203. legem conscientiæ erroneæ etiam esse incapacem propriæ epiikiæ, quia obligatio conscientiæ, ut legis naturalis, non pendet ab ullo libero decreto aut voluntate etiam Dei, sed tantùm ex naturâ rei ac dictaminis, tandemque ipsius legis æternæ, ac naturæ divinæ. Quare quod docet D. Thomas cit. art. illo 8. de lege naturali, Deum se ipsum negaturum, si in eâ dispensaret, valet etiam de lege conscientiæ, licèt erroneæ. Quamvis ergo Deus haud dubiè possit conscientiam nostram deponere, id est, tollere, non potest in eâ perseverante dispensare, adeoque ipsa simpliciter est indispensabilis.

Certiùs Deus non potest dispensare in lege conscientiæ, quàm naturæ. Confirmatur Primò: quia, ut bene docet Vasquez disp. 61. c. 2. certius id est de lege conscientiæ, quàm naturæ, scilicet prout illa ab hac distinguitur, & significat ultimum dictamen ac proximam regulam actionum humanarum; adeò ut, quamvis Deus posset dispensare in præceptis naturalibus secundæ tabulæ, ut putat Scotus; vel etiam primæ, ut putat Almainus; non sequeretur inde, quòd posset dispensare in lege conscientiæ.

Ratio clara est in nostrâ verâque sententiâ, quæ hinc confirmatur: quia ipsa malitia ratioque peccati sita est in difformitate à ratione ac conscientiâ: ergo manifestè implicat, ut agatur absque peccato contra rationem ac conscientiam. Ageretur autem, si dispensatione legi conscientiæ adempta esset obligatio ullo casu. Nam lex non obligans sub peccato, absque peccato violatur. 213.

Confirmatur Secundò, conclusio, ut & prima capitis præced. quia licèt vel cum conscientiâ peccati concurreret mandatum Superioris, vel in eâ dispensaret Deus, modò ea maneat, proponitur ab intellectu voluntati ratio mali: ergo necessariò, & ex naturâ rei, voluntas ejusmodi objectum prosequendo, illam sibi reddet voluntariam, & peccabit: quia, ut loquitur Apostolus, opus inde secutum non erit ex, sed contra fidem, id est conscientiam. Atque ita hîc recurrunt argumenta allata duobus præcedent. capitibus, & alibi.

Caput XXIII.

Quo remedio modoq́ deponenda sit conscientia erronea?

214. Quemadmodum in morbis corporis magna pars medicinæ est nosse illorum causam ac radicem: ita in hoc animæ ac conscientiæ morbo, errore ac ignorantiâ. Itaque postquam superioribus capp. ipsum morbum inspeximus, ultimo saltem hoc capite paucis investigabimus ejus causam, ut sic faciliùs inveniatur medicina. Niderus cit. cap. 7. dicit conscientiam erroneam oriri ex quinque causis, ex discendi negligentiâ, ex quærendi erubescentiâ, ex superbiæ pertinaciâ, ex affectûs malevolentiâ, & ex aliorum vitiorum gravium fœtulentiâ. Octo causas affert Gerson citandus. Verùm neque omnes hæ causæ videntur inter se satis distingui, & videntur ad pauciores reduci posse.

Prima origo omnis ignorantia est peccatum originale.

Quare nota Primò, primam omnis ignorantiæ causam ac originem dici posse ipsum peccatum originale, ut dixi cap. 2. num. 22. cujus effectus est etiam cæcitas in intellectu, ut in utroque appetitu rationali & sensitivo languor, ita tamen ut nulli dictarum potentiarum quidquam detractum sit facultatis naturalis, sed tantùm lumen & auxilium supernaturale, innocenti homini concedendum, nisi originaliter peccasset. Verùm de hac causâ hîc non agimus, cùm non sit jam in potestate nostrâ.

Non omnis ignorantia vincibilis, quæ absolutè vinci potuit.

Nota Secundò, quod suprà etjam dixi cap. 1. num. 7. non omnem ignorantiam culpabilẽ esse, quæ ex culpâ sequitur; neq; omnẽ vincibilem, quę absolutè quocumq; remedio vinci potuit. Nam ad culpabilẽ præterea requiritur, ut ipsa quâ talis, aliquâ ratione cognita, adeoque voluntaria fuerit; ad vincibilem similiter, ut ejus vincibilitas aliquâ ratione fuerit cognita, adeoque vinci potuerit determinatâ intentione vincendi. Ita in exemplo suprà allato barbari, qui nihil de fide nostrâ audiverunt, illuminandi tamen divinitus quacumque ratione, si fecissent quod est in se, laborant ignorantiâ fidei physicè, sed non moraliter vincibili, neque culpabili. Ejusmodi ignorantiæ causa est mala vita, & neglectus orationis ac gratiæ divinæ. Quare remedium erit vita bona, oratio, & cum gratiâ cooperatio, eaque constans & assidua, juxta dicta cap. 6. quod ipsum est facere quod est in se, ut loquuntur Doctores antiqui, scilicet viribus suis, & gratiæ. 215.

Nota Tertiò, dari præterea ignorantiam omninò, etiam physicè, invincibilem juris & facti, ut colligitur ex cap. 11. & 12. quia nec naturali diligentiâ expelli potuit, nec à Deo obtineri supernaturale lumen & auxilium ad eam expellendam, quòd expulsio ad salutem minimè sit necessaria. Quare nec 216.

ipsa

ipsa culpa est, nec ex culpâ sequitur, nisi originali. Ita constat viros etiam sanctissimos multa ignorasse, atque inter se dissensisse ac disputasse: v.g. Hieronymum & Augustinum de cessatione legalium, seu legis antiquæ, de origine animæ, ac traduce peccati originalis, aliisque. Similiter S. Cyprianus, & cum eo Concilium Episcoporum, laboravit conscientiâ erroneâ, putans rebaptizandos hæreticos, cùm ad Ecclesiam Catholicam reverterentur. Atque hujusmodi ignorantiæ expulsio, seu conscientiæ erroneæ depositio, nullo modo est in potestate nostrâ, uti nec ejus causa. Quare superest præcipua difficultas de conscientiâ vincibili, scilicet moraliter, ac culpabili. De quâ solâ hîc agemus, cùm illi soli possit adhiberi remedium: suprà cap. 2. egimus de qualibet etiam invincibili.

217. Nota itaque Quartò, ejus causas posse reduci ad tres: Prima est, discendi negligentia, scilicet orta ex pigritiâ. Aliàs, si per eam intelligatur quævis, undecumque orta, ea sola erit adæquata causa ignorantiæ. Quare cap. 1. hanc solam è tribus assignavimus nobis liberã. *Causæ tres conscientiæ culpabiliter erroneæ.*

Secunda est, superbia, quâ pudeat ignorantem alios consulere, & ab iis doceri. Ad eam meritò reducitur proprium judicium: nam superbiæ & arrogantiæ est, nolle suum judicium subjicere judicio doctiorum, vel peritiorum in eâ arte, seu materiâ, de qua agitur.

Tertia est, passio seu inordinatus affectus erga aliquid, quo ignorans avertatur à cognitione seu consideratione rei, quam ignorat: qui affectus si tantus sit, ut ab eo de industriâ imperetur quasi, & affectetur ignorantia, dicitur affectatio. Addunt aliqui etiam pusillanimitatem, imò & humilitatem, esse causam conscientiæ erroneæ, juxta illud D. Gregorii: *Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est*. Sed hoc verum est non de conscientiâ erroneâ, ac culpabili, de quâ hîc agimus; sed de scrupulosâ ac tenerâ, de quâ sequ. libro.

Ex quibus collige tria remedia conscientiæ erroneæ, tribus illis causis opposita. Primò, diligentiã discendi, quæ, ut dixi cap. 4. nu. 54. pertinet ad studiositatem; Secundò, humilitatem; Tertiò, affectum ordinatum & directum ad Deum, ac res divinas. 218. *Remedia tria conscientiæ erroneæ.*

Ad primum debet nos excitare momentum rei, de quâ hîc agimus, quæ est scientia benè formandi mores, tandemque salvandi animam suam. *Si quis ignorat*, ait Apostolus ad Rom. 14. *ignorabitur: & si quis negligit, negligetur*, scilicet à Domino, qui fatuis & ignorantibus dicit Matth. 25. *Nescio vos*, id est, tamquam ignotos negligo, & claudo januam regni cælestis. *Primum studium discendi.*

Ad secundum, consuetus divinæ providentiæ cursus, modusque homi- 219. *Secundũ humilitas.*

homines dirigendi & illuminandi per homines; ut etiam Angelos per Angelos. Quare periculosè errant, & Deum quodammodo tentant, qui in rebus ad fidem ac salutem animæ spectantibus, vel suo judicio nimis fidunt, vel exspectant privatam à Deo illuminationem, aut revelationem. Quod ex professo docet Augustinus prologo libri de Doctrinâ Christ. his verbis: *Neque tentemus eum, cui credidimus, ne talibus inimici versutiis & perversitate decepti, ad ipsum quoq; Evangelium audiendum, atque discendum, nolimus ire in ecclesias, aut codicem legere, aut legentem prædicantemq; hominem audire; & exspectemus rapi usque in tertium cælum. caveamus tales tentationes superbissimas & periculosissimas, magisq; cogitemus, & ipsum Apostolum Paulum licet divinâ & cælesti voce prostratum & instructum, ad hominem tamen missum esse; & Centurionem Cornelium, quamvis exauditas orationes ejus, eleemosynasq; respectas, & Angelus nuntiaverit; Petro tamen traditum imbuendum, per quem non solùm Sacramenta perciperet, sed etiam quid credendum, quid sperandū, quid diligendum esset, audiret. Et poterant utique omnia per Angelum fieri, sed abjecta esset humana conditio, si per homines hominibus verbum suum Deus ministrare nolle videretur. Deinde ipsa caritas, quæ sibi invicem homines nodo unitatis adstringit, non haberet aditum refundendorum, & quasi miscendorum sibimet animorum, si homines per homines nil discerent.* Hæc præter alia Augustinus, quibus affert ejus providentiæ duplicem causam, ad evehendam humanæ naturæ conditionem, & exercendam inter homines mutuam caritatem. Itaque contra utramque etiam, non tantùm contra humilitatem peccant, qui isti providentiæ se subtrahunt. Quare similiter ipse August. libr. 1. de Trinitate cap. 2. *Nec pigebit*, ait, *me, sicubi hæsito, quærere; nec pudebit me, sicubi erro, discere.* Cujus rei ipsa Dei Sapientia visa est nobis præbere exemplum Lucæ 2. in templo audiens Doctores, & interrogans eos.

220. *Tertium, affectus ad divina, & à terrenis aversus.*

Ad tertium remedium adhibendum, & supprimendas passiones affectusque inordinatos, considerandum est nil illis homine rationali esse indignius, cùm rationem offuscent & judicium perturbent. Nimis verum est illud quamvis Ethnici: *Perit omne judicium cùm res transierit in affectum.* Item illud: *Impedit ira animum, ne possit cernere verum:* nec tantùm ira, sed eâdem ratione quævis alia passio. Rationem affert D. Thomas 1.2. qu.77. art.1. non tantùm ratione subjecti, quòd, cùm omnes potentiæ animæ in unâ ejus essentiâ radicentur, vel sint ipsa anima, quo magis illa uni rei intendit, minùs possit intendere alteri; sed etiam ratione objecti, de quo malè judicat, qui agitatur passione: *Sicut*, ait, *dispositionem linguæ, sequitur judicium gustûs:*

vel sicut videnti per vitrum rubrum omnia videntur rubra. Idque duplici ratione: tum quia passio causa est, quòd intellectus attentiùs consideret bonum sensibile, leviùs honestum: tum quia verè homini sic disposito, v.g. irato, majus bonum sensibile est vindicta, quàm mansueto: quia convenientius ejus appetitui: sicuti eidem homini frigenti melior est calor, quàm non frigenti. Ita Danielis 13. *senes everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum.* Subjungitur ratio: *Erant ambo vulnerati amore ejus*, id est Susannæ. Quare alteri eorum dicit Daniel: *Species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum*. Eâdem ratione avaritia, seu munera excæcant oculos sapientum Deuter.17. Ob camdem causam laborantes culpabili errore Isaias cap. 30. vocat, filios mendaces, filios nolentes audire legem Dei. *Qui*, addit, *dicunt videntibus*, id est Prophetis, *Nolite videre: & aspicientibus*, *Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt*: *loquimini nobis placentia, videte nobis errores*, scilicet etiam placentes & faventes cupiditatibus nostris, ut liberiùs indulgeamus appetitui ac genio nostro: quod est ignorantiæ affectatæ.

221. Ex dictis collige Secundò, tribus illis remediis ac modis deponendam quoque esse conscientiam erroneam, cui etiam potest applicari illud axioma Juris cap. *Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, de regulis juris. Quibus consonant tres modi deponendi conscientiam non tantùm culpabilem, sed & inculpabilem, assignati, tum ab Adriano quodlib. 2. puncto 3. in respons.ad argumenta; tum à Gersone de Naturâ & qualit. conscientiæ post medium; & ex utroque ab Hallo cap.22. Primò, ergo Adrianus dicit eam deponi per voluntariam aversionem intellectûs à causâ, vel objecto proposito. Quando, scilicet voluntas timore vel amore Dei abstrahit intellectum à consideratione objecti mali & falsi, ad quod eum abripuerat affectus inordinatus, & applicat ad considerandum objectum bonum ac verum. Quo modo laudabiliter & securè deponitur conscientia culpabilis. Malè autem & periculosè deponeretur conscientia vera ac recta sic abstrahendo intellectum ab objecto bono, & convertendo ad malum.

Conscientia erronea, etiam invincibilis, quomodo deponenda.

Secundo modo, juxta Adrian. deponitur conscientia per non voluntariam distractionem, seu oblivionem. Quo modo possunt dici deponere conscientiam confitendi plura peccata, qui inter confitendum obliviscuntur mediæ illorum partis. Qui tamen modus etsi à peccato excuset, non est tamẽ moralis ac libera conscientiæ depositio, sed naturalis oblivio.

Tertio igitur modo, juxta eumdem, deponitur conſcientia, cùm ob rationes novas ac contrarias mutatur prius judicium, ſeu conſcientiæ dictamen, vel de certo in dubium; & hoc modo nõ tam deponitur quàm mutatur conſcientia, de certa in dubiam; vel de certo dictamine in certum contrarium; de negativo in affirmativum, vel contrà: & hoc modo propriè deponitur conſcientia.

222. Petes, an conſcientia erronea poſſit deponi ad libitum abſque ratione?

An conſcientia erronea deponi poſſit abſque ratione?

Reſpondeo diſtinguendo; affirmativè, ſi formata fuit temerè, abſque ratione reverâ probabili ac ſufficienti: tunc enim ſufficit hoc ipſum advertere, itaque illam deponere abſque aliâ ratione. negativè, ſi probabiliter ac prudenter formata fuit. Primò, quia, ut dixi lib.4.cap.2.num.17. judicium practicum debet conformari ſpeculativo, niſi excuſet peculiaris aliqua ratio. Secundò, quia quoad modum ſic deponendi æquè poſſet deponi vera, & per accidens contingit, quòd ea ſit erronea. Quare non minùs eam ſic deponens exponeret ſe periculo errandi & peccandi, ac ſi veram rectamque deponeret. Itaque ne ejuſmodi conſcientia temerè deponatur, opus eſt novâ aliquâ ratione, quæ tamen juxta dicta lib.3. non debet eſſe certa, imò nec probabilior, ſed ſaltem probabilis: aliàs committeretur peccatum ejuſdem rationis, ac ſi ageretur contra conſcientiam non depoſitam ac veram, ob rationem jam allatam. Sic conciliari poſſunt Doctores, qui variè de hac quæſtione loquuntur.

Denique ad hujuſmodi propriè dictam depoſitionem tendunt tres modi Gerſonis: quorum Primus eſt per fortem & ferventem meditationem, ac diſcuſſionem caſus; quando ſcilicet conſcientiam ſic depoſiturus notitiam legis & lumen ſcientiæ ex ſeipſo habet, ut habent viri docti, qui cùm poſſunt videre oculis ſuis, fruſtra utantur alienis. 223.

Tres modi deponendi conſcientiam erroneam ex Gerſone.

Secundus, per diſcretam & diligentem inquiſitionem ex viris doctis & probis: qui modus magis convenit indoctis. Addit: *Quilibet in credendis plus debet conſentire fidei quàm ſibi; & in agendis plus debet credere aliis, quàm ſibi.* Quæ eſt optima regula in iis ſervanda. 224.

Tertius modus eſt, qui cum duobus dictis debet concurrere per converſionẽ mentis ad Deum, ac orationem, ubi & quando deeſt conſilium humanum; exemplo Joſaphat Regis 2.Paral.20. *Cùm ignoremus quid agere debeamus; hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.* Qui tres modi convenientes ſunt, & utiles ad depoſitionem conſcientiæ erroneæ. Primo modo homo conſulit ſeipſum; Secundo alios; Tertio Deum. Benignè tamen explicanda ſunt, quæ 225.

addit

addit Gerson: Si aliter conscientia deponatur, non tam esse conscientiæ depositionem, quàm contemptum gravem, & superbam præsumptionem; scilicet juxta materiæ, circa quam erratur, gravitatem, & exigentiam. Aliàs vix contingit, ut quis debeat ad deponendam conscientiam recurrere ad tertium modum ac Deum, nisi erret circa mysteria fidei: quòd si tantùm laboret ignorantiâ juris humani vel facti, sufficit ordinariè docto primus modus, indocto secundus, juxta dicta cap. 11. nu. 96. Nam, ut iterum utar simili & exemplo medico, sicut ægri non tenentur ad sibi curanda medicamenta pretiosissima contra morbos, præsertim leviores: ita nec ordinariè laborantes morbo conscientiæ erroneæ ad remedia extraordinaria. Imò ne quidem semper tenentur ullo remedio conscientiam erroneam deponere, nisi vel sit ea speciale peccatum, vel exponat morali periculo alîus peccati, juxta dicta concl. 1. cap. 15. tunc enim absolutè debent eam deponere, &, si ad hoc non sufficit primus modus, & secundus, adhibere debent etiam tertium.

Quando teneamur conscientiam erroneam deponere.



LIBER SEXTVS

De Conſcientiâ ſcrupuloſâ.



OSTREMVM inter conſcientias locum occupat Scrupuloſa. Primò, quia longiſſimè recedit à ratione conſcientiæ, præſertim rectæ: nam ut ab iis diſtinguitur, non eſt ſpecies, ſed ſcrupulus ſeu morbus quidam conſcientiæ; ſecùs quàm erronea: quæ licet erronea, verè tamen eſt conſcientia. Secundò, quia quinque ſuperioribus libris dicta, eò etiam tendunt, ut paretur huic morbo medicina. Itaque ex illis elicienda ſunt remedia conſcientiæ ſcrupuloſæ: de quibus potiſſimùm agendum hoc libro. Primò, quidem poſt explicatam ejus naturam, cauſas & incommoda, de generalibus; deinde de particularibus contra graviores ac frequentiores ſcrupulos.

CAPVT I.

Quid ſit conſcientia ſcrupuloſa, ac ſcrupulus?

1. *Scrupulus quid ſignificet?*



Crupulus diminutivum à ſcrupus, lapillus eſt qui in calceo pedem non tam vulnerat quàm affligit: hinc metaphoricè ſignificat ſimilem afflictionem animæ, ſeu conſcientiæ. Quæ ſcrupuli ſignificatio etſi non prima, præcipua tamen eſt, nec tantùm inducta recenti uſu, ſed jam olim uſurpata ab ipsâ Scripturâ 1. Reg. 25. ubi Abigail Davidi: *Non erit*, inquit, *tibi in ſingultum, & in ſcrupulum cordis, quòd effuderis ſanguinem innoxium.* Et Cicerone qui pro Sext. Roſcio: *Hunc mihi ex animo ſcrupulum euelle, qui me dies noctesq; ſtimulat ac pungit.*

Conſcientia igitur ſcrupuloſa eſt, quæ ſimiliter animam affligit, ſtimulat, ac pungit: ſed dubium eſt, cuinam actui id conveniat. Ubi ſup-

ſuppono eum eſſe actum intellectûs, ſaltem primariò: quia ut conſcientia in genere, ita ſcrupuloſa ad intellectum pertinet.

Speciatim autem difficultas eſt de primâ & ſecundâ operatione intellectûs, apprehenſione & judicio. Nam formido & metus quatenus voluntatem ſpectat, jam excluſus eſt, quia non eſt actus intellectûs.

Nota tamen, cùm de ſcrupulo conſcientiæ vel conſcientiâ ſcrupuloſâ agitur, aliquando intelligi habitualem ipſam animam, juxta dicta libr. 1. cap. 3. quæ ſcrupulo propriè affligitur, non actus intellectûs.

Scrupuloſa conſciētia conſiſtit in apprehenſione peccati cū volūtatis formidine.

2. Dico Primò: Conſcientia ſcrupuloſa, ut ab aliis diſtinguitur, ſeu ſcrupulus propriè & ſtrictè ſumptus, ſitus eſt in apprehenſione peccati, ſcilicet quatenus habet adjunctam, & in voluntate excitat ejuſdem formidinem. Eſt Cordubæ libr. 3. quæſt. 2. Sanchez in Præcepta, libr. 1. cap. 9. num. 2. & Granadi de actibus humanis diſp. 5. num. 1. Et ſic explicari poſſunt Doctores, qui eam dicunt eſſe ſuſpicionem levem, vel ſuſpiciunculam, vacillationem, dubitationem, vel rationem intellectui ſe offerentem contra honeſtatem actûs; ſcilicet per apprehenſionem, quæ ſit ſcrupulus, ut ita dicam, formalis. Ratio autem argumenti apparens poſſet dici ſcrupulus objectivus. Eamdem ſententiam clarè tradit valdeque illuſtrat S. P. N. Ignatius ſuis notandis de ſcrupulis, quibus diſtinguit cæleſti & experimentali doctrinâ duplicem ſcrupulum, planè juxta hanc & ſequentem concluſionem, ſitum in judicio: *Veluti*, inquit, *ſi quis animadvertens ſe crucem in paleis humi figuratam in tranſitu calcaſſe, crimini ſibi vertat*; ſcilicet judicando, ut præmittit, & concludendo id peccatum eſſe: *Hoc autem*, addit, *non ſcrupulus propriè, ſed judicium potiùs erroneum vocari debet.*

Secundus ergo, (quem dicit ſcrupulum propriè dicendum) 3.
quo tantùm ambiguitatem quamdam, & animi perturbationem ſentimus poſt illud aut ſimile factum, non eſt error aut judicium, ſed ſola apprehenſio ſeu ſuſpicio apprehenſiva; error enim non cadit in primam operationem intellectûs, apprehenſionem; ſed ſecundam, judicium. Quare ſi in exemplo illo formaretur judicium, eſſet neceſſariò error, quem excludit S. Pater.

Probatur concluſio: tum quia, ſi ſit ſuſpicio ac judicium etſi debile, verè eſt conſcientia opinativa & erronea, ut optimè S. P. N. ſi mera animi ſuſpenſio, eſt conſcientia dubia: ergo ut ſit ab iis diſtincta, debet eſſe apprehenſio: tum quia hæc, præſertim vehemens, nata eſt excitare in voluntate formidinem & horrorem peccati, itaque animam affligere in-

ſtar ſcrupuli: ergo non eſt ratio quin debeat dici conſcientia ſcrupuloſa.

Confirmatur experientiâ, quâ conſtat pati nos ejuſmodi, etiam circa veritates fidei licet in ſe & nobis certiſſimas; quibus judicio non poſſemus diſſentire etſi vellemus: ut ergo illarum falſitatem tantùm apprehendimus, non judicamus; ita etiam ſæpè actûs vel objecti malitiam.

4. *Scrupulus conſiſtere poteſt cũ conſcietiâ certâ.* Hinc ſequitur, non eſſe verum, quod docent aliqui, ſcrupulum non poſſe conſiſtere cum conſcientiâ certâ de honeſtate, vel veritate objecti: neque item, quod alij, cum ſtrictè dubiâ. Nam ſola apprehenſio, ut non tollit aut repugnat judicio, etſi certiſſimo & evidentiſſimo; ita neque ſuſpicioni animi inter aſſenſum & diſſenſum. Quia etſi apprehendas in objecto malitiam aut falſitatem, non ideò præbes iſti apprehenſioni aſſenſum vel diſſenſum judicativum. Verum tamen eſt, quòd, ut docet Sanchez, ejuſmodi apprehenſiones faciant titubare conſcientiam, vel aſſenſum aliàs certum; quatenus ex parte ſubjecti reddunt minùs firmum.

5. *Scrupulus latè ſumptus ſignificat judicium leve.* Dico Secundò: Conſcientia, ſeu ſcrupulus latiùs ſumptus, ſignificat etiam judicium, ſeu opinionem ac ſuſpicionem de objecti malitiâ abſque ſufficienti fundamento. Eſt communis: quia communiter Doctores eam explicant per ſuſpicionem, & judicium leve.

Probatur: quia ſic ſumitur ab ipſo Pontif. cap. *Inquiſitioni*, de ſent. excommunic. ubi pro eodem videtur ſumi conſcientia ac credulitas levis, & ſcrupuloſa: & cap. *Per tuas*, 2. de ſimoniâ, ubi dicitur, conſcientia ſcrupuloſa. Priori loco dicitur explodenda, poſteriori deponenda. Quod tamen intelligi poteſt de judicio, ut conſtabit cap. 3. quamquam priori loco fortè explodi, nil aliud eſt quàm contemni: quod etiam convenit apprehenſioni.

Probatur etiam ratione: quia judicium & opinio magis nata eſt affligere & turbare animum, quàm apprehenſio: quando ergo non nititur fundamento, meritò vocatur, ut vocari communiter ſolet, ſcrupulus ſeu conſcientia ſcrupuloſa.

Neque refert, ſitne judicium intenſum, & ex parte ſubjecti, ſeu judicantis, firmum, an remiſſum & debile; modò non nitatur ſufficienti fundamento. Ita enim ſemper manebit ſcrupulus, ut bene docet Sanchez, & verum eſt etiam de apprehenſione. 6.

Adverte præterea, judicium ſcrupuloſum eſſe vel ſpeculativum, quo v. g. putes te hoc vel illud non eſſe confeſſum; vel practicum, quo putes te debere iterum confiteri. atque hoc potiſſimùm dicitur ſcrupuloſum.

Ex utrâque concluſione ſequitur, bene libr. 1. cap. 2. definitam fuiſſe

fuisse conscientiam scrupulosam, apprehensionem vel judicium leve, quòd aliquid sit peccatum; sub peccato autem comprehendo, vel ad illud reduco, imperfectiones, etsi propriè peccata non sint. Ob illas enim etiam solent angi conscientiæ teneræ, & animæ studiosæ perfectionis, dum putant se in viâ virtutum vel nullo modo, vel non satis progredi. Leve autem est eo ipso, quo caret sufficienti fundamento.

7\. *Scrupulosus non ab uno, sed pluribus actibus est appellandus.*

Adverte tamen Primò, quamvis unicus ejusmodi actus dicatur scrupulus, ab unico tamen actu nō denominari aliquem, vel consciētiam simpliciter scrupulosam, sed à pluribus. Quare scrupulosus judicandus est, qui vel in certâ materiâ, vel pluribus, sæpè & ex consuetudine, & quasi habitu, ejusmodi apprehensionibus vel suspicionibus absque fundamento divexatur; ut rectè notat Azor lib. 2. ca. 2. quæst. 3. & post illum alii.

8\. *Scrupulus alias necessarius, alias liber.*

Adverte Secundò, judicium scrupulosum elici dupliciter, ut ibidem indicat S.P.N. vel liberè ex proprio liberi arbitrii motu, vel necessariò ob rationem aliquam apparentem, extrinsecus obortam, vel à dæmone obtrusam; quo modo & causâ excitatur quoque apprehensio, idque ordinariè, ac sæpiùs quàm judicium: facilè enim aliquid apprehendimus; sed non facilè judicamus inviti. quod bene notandum. Inter quos scrupulos liberos & necessarios est magnum discrimen, ut ibidem addit S. Pater, quòd prior scrupuli species impropriè sic dicti, prorsus abhorrenda est, ut erroris plena, quod maximè verum est circa materiam fidei. *Posterior verò*, ait, *per tempus aliquod, dum præsertim recens est vitæ melioris institutio, animam rebus spiritualibus vacantem non parum juvat; cùm eam mirum in modum purget, atque ab omni peccati specimine abducat, juxta illud D. Gregorii: Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.* Quæ etsi potissimùm vera sint & intelligantur ab eo de scrupulo stricto, juxta primam conclusionem; ex ejusdem tamen mente intelligi possunt de scrupulo latè sumpto, & necessario, seu errore invincibili.

Vter ex his vitandus.

9\. *Conscientia scrupulosa quomodo à SS. Patribus laudetur?*

Ex quibus etiam collige sensum verborum illorum S. Gregorii, prout communiter citantur & intelliguntur: quibus aliàs simpliciter videtur laudari conscientia scrupulosa. Primò enim intelligi possunt de agnoscendâ culpâ subinde, ac moderatè, ubi culpa non est; non sæpè, ac immoderatè. Ita videlicet ut potiùs judices culpam, ubi culpa non est, quàm non judices culpam, ubi culpa est. Secundò, si intelligenda de agnitione speculativâ, etiam intelligi possunt de apprehensivâ, juxta conclus. primam; non tantùm judicativâ, juxta secundam. Addiderim tamen, intelligi etiam posse de timore, & agnitione

tione quadam practicâ; quâ videlicet ita te geras erga rem sub specie mali, etsi dubiè propositam, ac si reverà mala esset. quod non est obnoxium errori; & videtur innui ipsis verbis Gregorii scilicet ad August. Anglorum Episcopum, & referuntur dist. 5. cap 4. *Bonarum quippe mentium est, ibi etiam aliquo modo culpam agnoscere, ubi culpa non est.* Quibus ex ipso Gregorio ac Bedâ insertæ sunt voculæ: *Aliquo modo.* Quam explicationem videtur probare Pont. Clement. *Exiri de paradiso*, de verb. significat. *Quia*, inquit, *plerumque ubi culpa non est, eam timere solent conscientiæ timoratæ.* Huic conformis est explicatio D. Thomæ 2. 2. quæst. 113. art. 1. ut culpa dicatur defectio, non tantùm à justitiâ; sed perfectione justitiæ: quo sensu bonarum mentium est agnoscere culpas, id est, imperfectiones, adeoque has practicè vitare ut culpas; etsi verè culpæ non sint. Quæ explicatio proximè accedit ad mentem S. Gregorii, qui ibi agit de culpâ, non personali cujusque, quâ terrentur scrupulosi; sed originali, quæ agnoscatur etiam in suo effectu, ac pœnâ, fluxu sanguinis menstruo; quem proinde patiens mulier laudabiliter præ veneratione abstineat à sacrâ communione, etsi non necessariò sub pœnâ propriæ culpæ. Quare immediatè ante ea verba, præmittit: *Si autem ex veneratione magnâ sumere*, scilicet communionem, *non præsumit, laudanda est: sed si percipiat, non judicanda.* Et immediatè pòst: *Quia sæpè sine culpâ agitur, quod venit ex culpâ; unde etiam cùm esurimus, sine culpâ comedimus, quia ex culpâ primi hominis factum est ut esuriremus: menstrua enim consuetudo mulieribus non aliqua culpa est, sed tamen ex culpa venit vitio.* Tertiò, explicantur eadem verba à Gersone, Navarr. aliisque, quòd id sit bonæ mentis, id est, animæ seu voluntatis; non autem boni, sed infirmi seu læsi intellectûs ac cerebri. Vera est hæc responsio, si verba Gregorii intelligantur de agnitione judicativâ propriæ culpæ; quamvis, ut jam ostendi, minùs conformis ejus menti. Eodem sensu verba illa continent verè mendacium juxta D Thomam, & August. quem ille citat art. illo 1. sermone 29. de verbis Apostoli: *Cùm humilitatis causâ mentiris, si non eras peccator, antequam mentireris; mentiendo effeceris quod evitaras.*

Adverte, scrupulos, prout magis vel minùs sunt intensi, magis vel minùs turbare rationem; imò adeò subinde invalescere, ut ejus lumen usumq; tollant, scilicet circa materiam & objectũ suum. Experientiâ enim constat, perfectè scrupulosos non plus sapere, aut rationũ ab aliis propositarum capaces esse, quàm stultos, scilicet circa materiã scrupulorum, etsi de aliis sapientissimè discurrant. Cum qualibus proinde frustra rationibus agitur contra scrupulos. 10.

CA-

CAPVT II.

Quæ ſint cauſæ ſcrupulorum?

11. IDem quod ſuperiori libro cap. ult. dixi de ignorantiâ ſeu conſcientiâ erroneâ, dicendum hîc de ſcrupulis, ſeu conſcientiâ ſcrupuloſâ; ſcilicet magnam partem medicinæ ſeu remedii morbi hujus ſpiritualis, uti corporalis, eſſe cognitionem cauſæ. Hoc proinde cap. paucis inveſtigandæ ac declarandæ: fusè de iis agunt Niderus cit. cap. 4. ac præſertim Hallus libr. 3. à cap. 6.

Cauſæ ſcrupulorum. Quinque vel ſex ſcrupulorum cauſas aſſignant Doctores, nominatim citati. Prima eſt, ignorantia; ſecunda, complexio frigida apta ad timorem; tertia, morbus maniæ ſeu melancholiæ; quarta, defectus reginiinis corporalis; quinta, tentatio dæmonis; ſexta, conſortium ſcrupuloſorum. Quibus addi poteſt ſeptima, occulta ſuperbia, ac tenacitas proprii judicii.

12. *Prima, ignorantia,* Primò itaque, ignorantia non malè dicitur cauſa & mater ſcrupulorum. Imò illi latè ſumpti, ſunt errores quidam, ac judicia erronea, ut conſtat ex præced. capite: ſtrictè etiam ſumpti profluunt ex ignorantiâ: quia ſi certò ſciretur res eſſe bona, quæ ſub mali ſpecie apprehenditur, vel ſponte deſineret hæc apprehenſio, vel certè animam non affligeret. Ejuſmodi ignorantiâ, ac ſcrupulo ex eâ orto, laboravit Monachus Eremita viginti circiter annis: qui, ut eſt in Vitis Patrum, peccata eſſe horrenda putârat ſolas cogitationes blaſphemas & impudicas. Quod cùm ſeni ſcripto (verbo enim non audebat) aperuiſſet; hic juſſit manum ſuam ſuper caput ſuum ponere, hoc ſigno verboque teſtatus, ſe totum illud peccatum onuſque in ſe ſuſcipere; addidit: Poſtquam ipſe talia non ageret, ſed pateretur, diceret dæmoni, cùm redirent illæ cogitationes: Tibi, & ſuper te, ſit hæc tua blaſphemia; ego Dominum Deum meum adoro & veneror. Quo facto dictoque ab omni tentatione ac ſcrupulo liberatus fuit. Huc item ſpectat dictum Abbatis Moyſis apud Caſſianum collat. 1. cap. 7. jejunia, vigilias, méditationes Scripturarum, nuditatem, ac privationem omnium facultatum, non eſſe ipſam perfectionem; ſed tantùm media ad illum finem: ſcilicet adhibenda diſcretè, nec ſemper; adeò ut ſine illis non tantùm ſalus, ſed ipſa aliquando perfectio, obtineri poſſit. Quod quia non intelligunt vel conſiderant ſtudioſi perfectionis, ſæpè ſe torquent, ac deſperant de fine, ad quem acquirendum non adhibent omnia media.

Ex quibus ſequitur, cauſam remotam ſcrupulorum eamdem aſſignari poſſe, quam ignorantiæ aſſignavi concl. 3. cap. 2. ſuper. lib. ipſum peccatum originale, infirmi-

tatem humani intellectûs, atque etiam negligentiam discendi.

13. *Secunda, complexio frigida,* Secundò, naturali dispositione scrupulos causat complexio frigida: quali sunt phlegmatici, & melancholici. Ratio est, quia in illis defectu naturalis caloris, spiritus circa cor constipantur, & quodammodo congelantur; adeoque cor ipsum constringitur. Quo ulteriùs fit naturali sympathiâ, ut imaginatione apprehendantur pleraque tristia ac mala.

Ob eamdem causam experimur ejusmodi complexione præditos, esse pusillanimes ac meticulosos: ob causam verò contrariam cholericos & sanguineos videmus magnanimos & audaces: quia ob copiam caloris & spirituum cor eorum dilatatur.

14. *Tertia, infirmitas capitis, seu melancholia,* Tertia causa affertur infirmitas capitis, ac præsertim morbus maniæ seu melancholia, quâ læditur ab atrâ bile cellula cerebri anterior, seu imaginatio, ac sensus communis, cujus illa est sedes: si ab eâdem exundante invaderetur media cellula, læderetur vis æstimativa, ac ratio seu judicium, cujus hæc est sedes: quòd si similiter malè afficeretur cellula cerebri posterior, debilitaretur vel amitteretur memoria, cui ea sedes attributa est. Quas tres facultates sedesque videtur designare D. Nemesius de Naturâ hominis cap.13. cùm animo tribuit τὸ φανταστικὸν, διανοητικὸν, καὶ μνημονικὸν, vim phantasticam, seu imaginativam; cogitativam, seu ratione præditam; & memorativam, tres facultates distributas tribus illis sedibus. Nascitur autem hic morbus ex melancholicis & corruptis humoribus nimiis metu, mœrore, jejunio, vigiliâ, curâ, & mentis attentione.

Confirmatur hoc ipsâ experientiâ: quâ constat unam sæpè dictarum facultatum lædi reliquis illæsis. quod probatur ex Galeno variis exemplis. Nam quidam febricitans rogatus ab alio, num vellet projici vasa vitrea; eo annuente, ea projecit, idque singula nominans. imò adjecit & hominem. Suppetebat illi vis imaginativa, quâ vasa hominemque designaret: deerat ratio, quâ adverteret vasa frangenda, & hominem lædendum. Contrà, alius fugiens & respiciens patrem se insequentem, eum percussit: eo autem rogante, cur filius patrem cæderet; provolutus in genua, culpam deprecatus est. Constabat huic ratio, quâ judicaret patrem à filio non percutiendum; non imaginatio, quâ patrem agnosceret. Quæ facultatum differentia non potest refundi in ipsam animam indivisibilem, & ubique totam; sed varias corporis seu cerebri partes. Similia narrat Gerson de Passionibus animæ, cōsider. 20. quemdam imaginatum se gallum, & gallorum more cantasse: alium putasse se felem, & sub lectis mures venatum fuisse: alium putasse se mor-

mortuum, quem credibile est noluisse comedere: quemdam sibi tribuisse pedes ferreos, & fortissimè terram pulsasse: alium sibi pedes vitreos, & modestè incessisse, scilicet ne eos frangeret.

Adverte autem, vim imaginativam lædi non tantùm melancholià, sed vehementi ac frequenti imaginatione, v.g. peccati in genere, vel specie; quo fiat, ut vi imaginativæ sic læsæ lędatur iterum æstimativa, ac propter turbatam imaginationem ac phantasiam turbetur quoque judicium & ratio, ob magnam, quæ inter ea intercedit, connexionem, & sympathiam; unde sequatur, ut scrupulosus aliquando ducatur non tam libertate ac ratione, quàm naturali inclinatione ac necessitate instar bruti. Est enim maxima in totum hominem potestas imaginationis, ut bene docet cum Gersone Hallus libr. 3. cap. 9.

Ex quibus à pari colligitur, quod item docet experientia, similiter sæpiùs lædi dictas facultates circa materiam scrupulorū. Aliqui enim scrupulosi facillimè apprehendunt rationem mali, & subitò eâ turbantur: quos tamen ratione possis componere. Alii ne quidem rationis sunt capaces aut compotes. Alii non tam facilè sibi imaginantur peccata, nisi de iis incipiant cogitare, & discurrere: tunc enim se miserè intricant cogitationibus suis, & de peccatis pessimè judicant.

Quartò, certum est prudens ac temperatum corporis regimen maximi esse momenti, ut ad omnes functiones mentales, ita ad evitandos scrupulos. Christus ipse ait Lucæ 25. *Attendite ne graventur corda vestra in crapulà, & ebrietate, & curis hujus vitæ.* Nota verba: *Ne graventur.* Cor grave obnoxium est scrupulis, ac inanibus terroribus, ut jam indicavi: gravatur autem haud dubiè uti corpus, ita cor superfluo potu ciboque, crudisque humoribus inde natis: qui etiam generant subinde morbum melancholiæ. Addit optimè Christus: *Curis hujus vitæ:* quia quævis immoderatæ curæ, studia, imò & orationes atque labores iisdem incommodis obnoxia sunt; qualia proinde improbantur cap. *Non mediocriter*, de consecrat. dist. 5. *Deus*, inquit Gerson de Exercitiis debit. simplicium, *vult, ut sit rationabile obsequium nostrum; ita ut cuncta, quæ pro ejus servitio facimus, fiant cum discretione, tam quoad corpus, quàm quoad animam.* Qui autem in exercitiis corporis & animæ modum non servaret, fieret, ut idem addit, totus debilis, phantasticus & melancholicus, sibique ipsi, Deo & hominibus inutilis, periculosus & gravis. Quæ planè sunt conditiones scrupulosorum. 15. *Quarta, defectus regiminis corporis,*

Quinta scrupulorum causa est tentatio dæmonis: qui etsi non possit immediatè afficere ac perturbare superiorem animæ partem, 16. *Quinta, tentatio dæmonis,*

Cccc 2 tem,

tem, memoriam, intellectum, voluntatem; (solius enim creatoris est suam hîc ingredi creaturam, ut docet etiam S P.N. 2. regulâ de spirituum discretione) potest tamen mediatè, impetendo proximè partem inferiorem, appetitum sensitivum, ejusque organum, commovendo humores, & objiciendo tristia phantasmata. Quemadmodum enim potest inflammare renes ac sanguinem, excitare spiritus ac libidinem, similique modo iram, famem & sitim. Quæ causa est cur tentationes suas hominum complexioni attemperet, ut optimè D. Gregorius libr. 29. Moral. cap. 14. *Prius*, ait, *complexionem uniuscujusque antiquus hostis prospicit, & tunc tentationis laqueos apponit. Alius namque lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus est præditus: quò igitur adversarius occulta facilè capiat, vicinas complexionibus deceptiones parat: quia enim lætitiæ voluptas insita est, lætis moribus luxuriam proponit; & quia tristitia in iram facilè labitur, tristibus poculum discordiæ porrigit; & quia timidi supplicia formidant, paventibus terrores intentat*. Postrema hæc verba conveniunt scrupulosis; quibus objicit umbras peccatorum, simulque commovet atram bilem, ac melancholiam, quo humore ac passione uti solet, ut præcipuo suo instrumento; adeò ut etiam medici morbum melancholiæ singulariter dæmoni tribuerint. Quamvis dubium non sit, quin aliis etiam humoribus ac passionibus sæpè abutatur. Solet autem dæmon scrupulis aggredi recens præsertim conversos, ut constat ex vitis Sanctorum, ut quos viâ latâ ducere ad perditionem non potuit, iis viam vitæ æternæ reddat nimis arctam, & horridam, itaque adigat ad desperationem. Quod optimè notavit S. P. N. propriâ & alienâ experientiâ doctus, suis notandis de scrupulis not. 4. verba ejus sunt: *Callidè observare solet inimicus, qualisnam sit animæ cujusvis conscientia, crassiórne an delicatior. Et si quam noverit delicatam, multò quoque delicatiorem efficere nititur, & in extremum quemdam redigere anxietatis gradum; ut sic miserè turbatam à profectu spirituali tandem dejiciat. Putà si animam noverit, quæ peccato nulli consentiat mortali, sive veniali, immò ne umbram quidem, ut sic dicamus, voluntarii peccati sustinere queat; tunc quoniam non potest veram peccati rationem illi objicere, eò satagit adducere, ut peccatum sibi esse credat quod reverà non est; cujusmodi est de verbo aliquo, vel cogitatiunculâ repentinâ. Crassam è diverso animam seu conscientiam, reddere crassiorem studet, ut quæ negligebat priùs venialia peccata, mortalia nunc quoque parum curet, ac in dies minùs respiciat*. Hæc S. P. N. qui conscientiam teneram vocat *delicatam*; laxam verò *crassam*.

17. *Sexta, consortium scrupulosorum.*

Sexta. Nocet item scrupulosis consortium ac societas scrupulosorum,

ſorum, ut cum ſancto ſanctus, cum prudente prudens, ita cum ſcrupuloſo ſcrupuloſus eris, fieſque. Præclarè Gregorius hom. 10. in Ezech. *Sic verba proximorum audiendo quotidie ſumimus in mente, ſicut flando atque reſpirando aërem trahimus corpore: & ſicut malus aër aſſiduo flatu tractus inficit corpus, ita perverſa locutio aſſiduè audita infirmantium inficit animos.* Eâdem certè ratione animum mentemque ſcrupuloſorum quodammodo infirmam magis intricat, agitque locutio ſcrupuloſa.

Addiderim, æquè vel magis ſcrupuloſis obeſſe lectionem librorum Theologicorũ, præſertim tractantium de caſibus conſcientiæ: quemadmodum enim ſtomacho jam malis humoribus infecto, cibi deinde ingeſti in malos etiam crudoſque humores convertuntur, niſi parcè ſumpti bene digerantur; ita contingere ſolet laborantibus conſcientiâ jam ſcrupulis infectâ, ut nimirum omnes caſus illi commiſſi in ſcrupulos convertantur, niſi bene condiantur ſale Theologico.

18. *Septima, proprium judicium.* Septima & ultima ſcrupulorum cauſa, etſi non minima, eſt proprium judicium, & huic annexa occulta quædam ſuperbia & pertinacia. Solent ſcrupuloſi eſſe non malo ingenio. Quare neſcio per quot qualeſque conſequentias inveniant ſubtiliſſimos ſubinde ſcrupulos; nec ſolent hoc ipſi ignorare, ſed ingenium ſuum æſtimare, imò etiam aliquando ſibi tribuere, etſi non habeant. Quare non patiuntur ſibi perſuaderi ſe falli, nec poſſunt credere ſe adeò deſipere. Quo in negotio immiſcet ſe nõ tantùm ſuperbia, nimiaque ſui æſtimatio; ſed & quædam pertinacia, quâ nolunt judicium ſuum judicio prudentiorum ſubjicere; imò non verentur judicium ſuum quantumvis ſtultum, eorum judicio præponere.

Neque id contingit abſque culpâ ipſis verè liberâ, præſertim ſub initium ſcrupulorum; antequam illi occupaverint, & læſerint cerebrum.

Atque hæc dicta ſunt de ſcrupulis noxiis, de quibus agunt Doctores; nam ſalutarium cauſa & auctor ſæpè eſt ipſe Deus, vel in pœnam peccati, vel ob alia commoda, quæ indicabo ſequenti capite.

CAPVT III.

Quæ ſint commoda & incommoda ſcrupulorum?

RESpondeo breviter, & dico Primò: Scrupuli aliqui conveniunt, & ſalutares ſunt recens converſis, immortificatis, & conſcientiâ ac converſatione nimis laxis & liberis. ita S.P.N. Ratio univerſalis eſt, quia, ut in iis conſcientia nimis laxa & curva, fiat recta inſtar virgulæ, expedit pluſculum inflecti 19. *Scrupuli quibus proſint?*

 in

in partem oppositam, fierique aliquantisper arctam & scrupulosam; ut dicam in scrupulosis ob rationem contrariam expedire, ut fiat aliquanto laxior & liberior: quo simili in hac materiâ utuntur Doctores cum S. Antonino. Commoda autem & speciales rationes sunt; Primò, quòd animam purgent, scilicet per modum cujusdam pœnitentiæ & satisfactionis, à reliquiis ac pœnis peccatorum vitæ præteritæ. Est enim ea pœnitentia certè gravis, molesta, ac molestum quoddam Purgatorium. Secundò, conscientiam & animam nimis liberam, ac effusam in vanitates, instar fræni cujusdam cohibent, & abducunt ab omni specie peccati, adeoque relabendi periculo, quæ commoda assignavit S. P. N. citatus. Quamvis non rarò contingat, ut scrupulosi circa peccata præterita, nimis laxi sint circa futura præcavenda; ut rectè notavit Vasquez. Imò aliqui etiam circa futura aliqua nimis sunt scrupulosi, v. g distractiones in Horis ac precibus; circa alia nimis laxi, v. g. detractiones, etsi multò iis graviores. Plura refert Niderus Consolatorii timor. conscientiæ p.3. cap. 3. Tertiò, itaque sit, quòd utiles sint ad mortificandas ac refrænandas passiones nimis adhuc vivaces, juxta illud Psalm. *Confige timore tuo carnes meas*, id est, carnalia desideria & concupiscentias. Quartò, huc spectat, quòd valeant ad radicationem ac confirmationem virtutum, juxta illud: *Initium sapientiæ timor Domini.* Verè enim timor Domini quodammodo nimius occasio est scrupulorum.

Animam purgant, conscientiam liberam refrænant, mortificant passiones, confirmant virtutes,

humilitatem promovent,

Quintò, prosunt etiam ad humilitatem ac cognitionem propriæ fragilitatis ac cæcitatis. Ita narrat idem Auctor, quemdam optimæ memoriæ, in scholasticis argumentis valdè clarum, humiliatum fuisse scrupulis, quibus antequam absolveret Salutationem Angelicam, quinquagesies eam inchoabat, semper dubitans an verba integrè pronuntiasset, etsi aliâ voce prolatâ.

20. *Incommoda scrupulorum.*

Dico tamen Secundò: Etsi hæc solatio esse possunt scrupulosis, plura tamen ac graviora sunt scrupulorum incommoda, ob quæ studiosis perfectionis, nec laborantibus conscientiâ laxâ vehementer obsunt, & ab intento perfectionis fine retrahunt. Quod benè ostendit Reginaldus de prudentiâ Confessarii cap. 10. num. 1. Quare meritò D. Bernardus de Interiori domo, id est, conscientiâ ædificandâ, cap. 11. quartam illi columnam erigit, animum liberum ab omni turbatione, atque adeò scrupulo: additque causam: *Quoniam Christus pax est, & in pace requiescit pacis amator, & in perturbato animo habitare non potest.* Primò, si scrupuli sint frequentes, ac universales, præbent occasionem, imò subinde moralem quamdam neces-

Præbent occasionẽ peccandi,

necessitatem, peccandi: moraliter enim impossibile est vitare omnia quæ scrupulosis sub specie umbraque peccati proponuntur: quâ ratione contingit ut illi eodem opere peccent, quo alii merentur. Secundò, hinc fit, quod sæpiùs docuit experientia, ut via virtutis ac perfectionis videatur scrupulosis nimis arcta, horrida, & impossibilis; ideoque desperatione quâdam respiciant retrò, redeantque, illâ relictâ, ad viam latam, quæ ducit ad perditionem. Tertiò, etsi viam virtutis non relinquant, valdè tamen in eâ, seu profectu spirituali, retardantur; dum scrupuli eos privant dulcedine spiritûs, & pacem ac quietem conscientiæ turbant ad perfectionem bonorum operum valdè utilem, ut ostendi lib. 2. cap. 12. Quartò, iidem privant promptâ illâ voluntate ac desiderio serviendi Deo. Quintò, spiritum supprimunt, & cor nimis constringunt, ideoque minùs aptum reddunt ad actus amoris, meditationem, contemplationem, aliaque virtutum exercitia perfectiora. Sextò, anima scrupulis turbata non est apta ad audiendas inspirationes & instinctus Spiritûs sancti. Quo ferè modo in mediis turbis non bene audimus vocem nos alloquentium: non enim, ait Gerson de Remediis pusillanimitatis sub finem, auctor gratiæ Deus habitare vult in tali conscientiâ inquietâ & turbidâ; quippe cùm de eo scriptum sit: *In pace factus est locus ejus*. Ne tamen scrupulosi hoc sic intelligant, quasi suis scrupulis abegissent è conscientiâ suâ Deum, ejusque gratiam sanctificantem: Deus non vult, id est, non desiderat, & quasi non gaudet habitare in tali conscientiâ, nec in illâ sibi complacet. Quare etiam minores gratias illi impertit: neque potest in illâ habitare tam perfectè & commodè: quo etiam modo intelligendus D. Bernardus cit. Septimò, ut antè indicavi, rationem adeò offuscant turbantque, ut periculo sæpiùs exponant amentiæ ac maniæ. Denique scrupulosos sæpè ineptos reddunt ad docendum, concionandum, audiendum confessiones, licèt aliàs aptissimos, & egregiis naturæ dotibus instructos; ideoque non tantùm in ipsis, sed etiam aliis impediunt profectum spiritûs, ac majorem Dei gloriam. Quare ipsis scrupulis incidunt in incommoda, quæ iisdem volunt evitare. Quæ aliaque incommoda & rationes sufficiunt, ut seriò deliberetur ac disputetur, quâ ratione contra illos agendum sit; imò quibus modis & remediis expellendi & curandi sint.

Margin notes: *viam virtutis nimium arctant,* — *profectum retardant,* — *privant voluntate prompta,* — *spiritum supprimunt,* — *inspirationes divinas impediunt,* — *rationem offuscant.* — *ineptum ad munia varia reddunt.*

CA-

CAPUT IV.

An & quâ ratione agendum sit contra scrupulos?

21. *Agimus dupliciter contra scrupulos.* NOta Primò, dupliciter agi posse contra scrupulos, seu conscientiam scrupulosam, ejusque dictamen. Primò, ita ut hæc deponatur, seu illi antè expellantur. Secundò, ita ut maneant, & nihilominus agatur contra eorum dictamen: atque hoc sensu disputatur hæc quæstio. Quare idem est agere contra scrupulos, & agere vel operari cum illis; non tamen juxta illos: licere enim ac expedire conscientiam scrupulosam deponere, itaque contra eam agere ab omnibus indubitatum est; quamvis commune dictum, quòd liceat agere contra scrupulum, hoc sensu interpretetur Hallus libr. 3. cap. 15. sub finem.

Nota Secundò, scrupulos item hîc distingui posse duplices: Primi sunt ita vehementes & urgentes, ut impediant vel retractent judicium ac dictamen de actûs vel objecti bonitate. Secundi sunt moderatiores, & dictum judicium compatiuntur: cujusmodi sunt omnes propriè & strictè dicti, ut dicam concl. 2.

22. Suppono autem hîc dicta lib. 3. consistere simul & sese compati hæc judicia: Hoc est probabile, imò probabilius ac verum; & tamen contrarium est etiam probabile. Secundò, conscientiam ac judicium tantùm probabile de actûs vel objecti bonitate esse sufficientem regulam actûs boni; adeoque non esse necessarium judicium certum, scilicet in ratione cognitionis. Nam in ratione regulæ, eo ipso quo est probabile, est practicè ac moraliter certa; ut ostendi lib. cit. cap. 6. Tertiò, ejusmodi tamen conscientiam minimum esse necessariam, adeoque non licere operari conscientiâ practicè ac strictè dubiâ, ut ostendi lib. 4. cap. 2.

Dico jam Primò: Non licet agere contra scrupulos latè ac primo modo sumptos. est communis. 23. *Non licet agere contra scrupulos judicium de actûs bonitate retractâtes.*

Probatur Primò ex cap. *Per tuas*, citato cap. 1. ubi Pontifex: *Contra conscientiam ad superiores Ordines non ascendat; ne fortè ædificet ad gehennam, licèt ex eo, quòd conscientiam nimis haberet scrupulosam, in difficultatem ejusmodi sit collapsus, quam utique non evadet, nisi deponat errorem.* Ubi supponitur, quòd is ne quidem probabiliter putarit sibi licitum ad superiores Ordines ascendere, eò quòd certum crederet, etsi fortè absque fundamento, Episcopum, à quo ordinandus esset, esse simoniacum. Ceterùm clarè iis definit Pontifex, conscientiam scrupulosam deponendam esse, nec licere cum, vel contra eam operari ascendendo ad Ordines superiores. Idem probari potest ex cap. *Inquisitionem*, ibidem citato: ubi

ubi Pontifex conjugi dubio de valore matrimonii permittit ejus usum; sed, *conscientiâ*, ait, *levis & temerariæ credulitatis explosâ*: ubi similiter videtur exigere, ut antè deponatur conscientia scrupulosa; verùm, ut dixi cap. 1. *explosa*, idem potest significare, quod spreta, non deposita.

Probatur Secundò, ratione: tum quia ejusmodi actio non esset conformis suæ regulæ, ac dictamini de bonitate objecti, quod, ut supponitur, impeditum vel retractatum fuit scrupulis, adeoque esset ipsi difformis & mala, juxta dicta lib. 2. cap. 18. & cap. illo 2. lib. 4. tum quia defectu ejusdem dictaminis non proponeretur objectum sub ratione boni; sed per dictamen oppositum & scrupulosum sub ratione mali: ergo circa illud non posset sequi actio nisi mala.

Confirmatur: quia conscientia, etsi culpabiliter erronea, obligat etiam positivè, posito quòd maneat, ut ostendi libr. 5. cap. 15. ergo etiam scrupulosa, si videlicet consistat in judicio ac dictamine, non solà apprehensione.

24. Ubi observa Primò, ordinariè conscientiam scrupulosam judicativè esse etiam erroneam, non tamen semper: quia aliquando potest quid credi absque sufficienti fundamento, scilicet ex parte credentis, quod sufficit ad scrupulum; & tamen à parte rei esse verum; tunc ergo dabitur conscientia scrupulosa, & tamen vera.

Observa Secundò, dictamine scrupuloso speculativo non impediri, aut retractari rectum practicum, etsi retractetur speculativum; imò scrupulosus, etsi omnino putet se non esse confessum aliquod mortale, potest auctoritate Confessarii illud nolle confiteri: quia dictamen speculativum non repugnat practico; neque ex speculativo semper sequitur practicum proportionatum, juxta dicta lib. 3. & 4. pluribus capp.

Dictamē scrupulosum speculativū non officit recto practico.

Observa Tertio, non sufficere, ne liceat agere contra scrupulos, ut dictamine scrupuloso, etsi practico, impediatur judicium rectum, & moraliter certum, vel probabilius de bonitate: quia potest nihilominus manere judicium probabile, sufficiens regula actûs boni, ut dixi. Quare, si quis probabiliter putat se vexari scrupulis, eo ipso licet ipsi contra illos agere: quia eo ipso, quo creduntur scrupuli, creduntur probabiliter carere sufficienti fundamento, nec reverà repugnant judicio probabili de bonitate, ut bene Sanchez cap. 10. num. 80. Requiritur ergo ut retractetur etiam judicium probabile. 25.

26.

Dico Secundò: Licet agere contra scrupulos secundo modo, adeoque semper contra propriè & strictè sumptos. & hæc est reverà communis. Quia Lopez & Manuel, qui citantur pro contrariâ, ex-

Licet agere contra propriè dictos scrupulos, qui judicium rectū cōpatiūtur.

explicandi sunt juxta conclus. præcedentem. Ceterùm omnes reverà in eâ conveniunt, ut ostendunt Salas num.2. quæst.8. Sanchez loco citato, Granadus num.3.

Probatur & explicatur: quia cessat hîc ratio conclusionis præcedentis: nam etsi durent ejusmodi scrupuli, manet tamen sufficiens dictamen ac regula actûs, non tantùm liciti, sed & boni, ut supponitur: ergo juxta illam, etsi contrà, vel cum scrupulo licebit operari.

Unde jam sequitur posterior conclusionis pars: quia cum propriis scrupulis explicatis conclus.1. cap.1. semper potest manere judicium de bonitate; nec tantùm probabile, sed certum. Nam nulla apprehensio, quantumvis vehemens & urgens, repugnat, impedit, aut retractat ullum judicium.

27. Confirmatur. Ideo non licet operari cum conscientiâ latè scrupulosâ ac erroneâ: quia, si manet, obligat etiam positivè. Quæ item ratio cessat de strictè sumptâ & apprehensivâ, quæ nec est lex ut illa, neque ad quidquam obligat, vel positivè, vel negativè, cùm sit mera apprehensio: quod bene notandum scrupulosis. Neque his repugnat definitio cap. *Per tuas*, quia ibi non agitur de conscientiâ strictâ, sed latâ & erroneâ, ut constat ex verbis postremis, *nisi deponat errorem*.

Ordinariè etiã licet agere contra scrupulos judicativos. Addo Primò, ordinariè ne quidem impediri rectum illud judicium per scrupulos latè sumptos, & judicativos: quia cùm nitantur reverà levi fundamento, ordinariè non impediunt judicium, saltem probabile, de bonitate; unde sequitur, ordinariè licere agere etiam contra scrupulos latè sumptos. Dixi tamen *Ordinariè*: quia aliquando potest scrupulosus judicare certò aliquid esse malum, etsi levi fundamento, cum quo judicio non consistit rectum de bonitate, ne quidem probabile.

Addo Secundò, ea vera esse, etsi scrupulosus nesciat se scrupulosum, seu aliquod suum judicium leve vel scrupulosum esse. in quo major est difficultas; nam nihilominus valent rationes allatæ, quòd si hoc sciret vel crederet, etsi tantùm probabiliter, semper liceret illi agere contra scrupulos quoslibet proprios, vel improprios: quia semper eo ipso cum illis consisteret judicium, ratio, vel conscientia recta, saltem probabilis, ut dixi paulò antè. 28.

Ex quibus collige, quâ ratione conciliari debeant diversæ non sententiæ, sed locutiones Doctorum, etiam recentiorum, quorum aliqui docent semper licere agere contra scrupulos, ut Sanchez & Granadus citati; alii non semper, sed communiter, ut Salas: prius verum est de scrupulis strictè, posterius de latè sumptis.

Expedit, & sæpè Dico Tertiò: Non tantùm licet, sed expedit, imò aliquando necesse est, 29.

necesse est, sic agere contra scrupulos. est, eo modo contra scrupulos agere. est item communis, non tantùm modernorum, sed & antiquorum Doctorum.

Probatur Primò, ex dictis, quando illi occurrunt circa opus vel objectum bonum, quod clarum est expedire, nec illi impediunt, quo minùs bene fiat, si fiat, ut ostendi.

Probatur Secundò, universaliter circa objectum quodvis: quia illud est optimum remedium scrupulorum, ut tradunt Doctores communiter. Corduba libr.3.qu.5. propos.4.& quæst.13. sub initium. Navarr.in Summâ cap.27.nu.283. *Debent*, ait ex Gersone Sanchez, *scrupulosi audacter contra tales scrupulos operari; aliàs numquam pacem habebunt.* S.P.N. suis notandis de scrupulis not.5. *Vt anima progredi valeat in viâ spirituali, ad illius partis oppositum tendat necesse est, in quam inimicus tentat pertrahere: ut, si laxiorem iste conscientiam facere adnititur, faciat illa strictiorem: aut relaxet contrà, si dæmon nimiùm velit restringere: sic enim continget, vitatis extremæ utriusque partis periculis, animam ipsam in medio quodam quieto & securo statu permanere.* Cui conforme est not.6. quo præter alia, *Tendendum*, ait, *rectâ erit adversus talem, id est, scrupulosam cogitationem, atque obstrepenti nobis inimico respondendum cum D.Bernardo: Nec propter te cœpi, nec propter te finiam.* Declarari hæc solent similibus: quia, sicut qui timent vel transnatare maria, vel conscendere turrim, aut rectâ transire per pontem angustum, aut sub trabe, aut saxo pendente; desinent omninò vel tantoperè timere, postquam illæsi id aliquoties egerint: ita scrupulosi desinent terreri scrupulis, postquam contra illos sæpiùs egerint. Ratio insuper est naturalis, quia, ut in quavis materiâ, ita in hac scrupulosi audendo, & agendo contra scrupulos, fiunt audaces & resoluti, sicut contrà timendo, & agendo juxta scrupulos, fiunt magis timidi & scrupulosi.

Addidi, *aliquando id esse necessarium*: quod videtur indicare etiam S.P.N. & optimè Corduba proposit.illâ 4. Valent. 1.2.disp.2.q.14. puncto 4.quæst.ult. Sanchez cit. num.83. quando videlicet vel scrupuli occurrent circa opus aliàs præceptum, v.g. lectionem Horarum, vel quando scrupulosus ex ordinatâ erga se caritate deberet se juvare eo modo scrupulos expellendo, ex quibus alioquin oriretur grave detrimentum.

Adverte, duplici modo agi universim contra scrupulos. Primò, resistendo positivè, disputando, & opponendo rationes iis contrarias. Secundò, negativè, contemnendo, nec auscultando. Posterior hic modus, ut facilior, ita longè tutior est, quo scrupulosus nixus generali aliquo principio, auctoritate, vel exemplo proborum, resolutè 30. *Contra scrupulos agitur vel resistendo, vel meliùs contemnendo.*

procedat ad opus, nullâ scrupulorum habitâ ratione. Prior obnoxius est novis tricis ac scrupulis: quia, ut bene Cajet. cit. sicut non expedit movere cumulum lapidum sibi suppositorum, ne uno tacto motoque moveantur omnes, & corruat totus cumulus: ita nec expedit movere scrupulos disputando, ne uno scrupulo ac ratione tactâ moveantur omnes, & turmatim obruant conscientiam scrupulosam.

31. Unde colligitur, quâ ratione excusari possit doctrina ejusdem Cajet. 1. 2. qu. 19. art. 5. & exemplum feminæ, quæ etsi audivisset ex concionatore usum alienorum capillorum esse peccatum mortale, nec sciret solvere ejus rationes; nihilominus iis usa est, putans id sibi licere: neque enim illa debuit examinare rationes & verba concionatoris, itaque refutare, aut deponere scrupulum suum; suffecit ut potuerit formare sibi conscientiam saltem probabilem, (vel in sententiâ Cajetani, moraliter certam) de licito capillorum usu, v. g. exemplo aliarum probarum, aliave ratione, quo modo practicè putavit illum esse licitum, etsi speculativè putarit illicitum, juxta dicta cap. 7. lib. 3. Quo item sensu & ratione bene docet Matthæus à Cracoviâ citatus à Nidero 3. part. Consolatorii cap. 19. non esse bonum hoc argumentum scrupulosi: Nescio solvere dubium, quod circa hanc conclusionem occurrit: igitur debeo de eâ dubitare, scilicet practicè. Imò, ne quidem speculativè semper debemus eâ ratione dubitare. Nam circa veritates certò demonstratas in Philosophiâ occurrunt aliquando dubia, quæ solvi non possunt. Idem sæpè contingit circa articulos fidei, quo modo ipse August. lib. 3. de Peccat. meritis & remiss. cap. 4. disputans de peccato originali, *Etsi*, inquit, *istorum argumenta refellere non valeam, video tamen inhærendum esse his quæ in Scripturis sunt apertissima.*

Verùm objiciunt sibi scrupulosi, In articulo mortis non auderem cum hoc scrupulo ex hac vitâ discedere, ergo nec jam oportet cum illo vivere, & operari. 32.

Respondetur vel negando consequentiam: alia enim in illo articulo expedit facere, alia nunc. vel potiùs negando antecedens: quia etiam illo articulo expedit contemnere scrupulos.

Sed quid si scrupulosus ita immersus sit suis scrupulis, ut nullâ ratione statuere possit contra illos agendum: & ex alterâ item parte perplexus hæreat, putetque se peccaturum, si juxta illos agat, v. g. putet se peccaturum, sive communicet in Paschate ob suam indispositionem, sive non communicet ob Ecclesiæ præceptum? vel, sive legat Horas ob distractiones, sive non legat ob recitandi obligationem? 33. *Scrupuloso in perplexitate quid agendum?*

Resp.

Resp. ex dictis lib. 5. c. 17. à n. 160. alterutrum proponatur illi, tamquam minus malum, hoc præ altero eligendum esse: si utrumque tamquam æquale peccatum, vel certè ita ut de æqualitate vel inæqualitate discernere nil possit, licere amplecti utrumlibet, neque peccaturum utrumvis amplectatur defectu libertatis ad peccandum requisitæ ob rationem ibi explicatam.

CAPVT V.

Quæ sint remedia scrupulorum generalia?

34. GEneralia scrupulorum remedia proponam hoc cap. antequam descendam ad particularia capitibus seqq. Ad remedia enim scrupulorum spectant omnia deinceps hoc libro dicenda.

Pars magna medicinæ nosse scrupulorum causam.

Nota Primò, recolenda hîc esse, quæ cap. 2. dixi de eorumdem causis, nominatim, ut dixi de conscientiâ erroneâ, magnam partem medicinæ esse nosse causam conscientiæ scrupulosæ; vel quia contraria contrariis curanda sunt, vel quia cessante seu ablatâ causâ cessabit ejus effectus: cui conforme est axioma Juris: *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Quare sæpè medicina erit sola ablatio notæ causæ.

35. Nota Secundò, etiam esse remedia conscientiæ scrupulosæ, quæ, juxta caput ult. superioris libri dicta sunt erroneæ; cùm præsertim, ut dixi cap. 2. scrupulosa, vel sit erronea, vel ab hac aliquo semper modo pendeat. Excipiendum tamen est remedium, quo quisque consulit seipsum: scrupuloso enim nullius judicium ac consilium magis debet esse suspectum, quàm suiipsius de seipso. Dixi *de seipso*, quia de alio sæpè optimè judicat: quare expedit, si præsertim vir doctus sit, primò statuat quid alteri simili casu scrupuloque suaderet, ac deinde hoc applicet sibi ipsi. Prudenter item usurpandum quod quis consulit aliis. Consilium enim ac consortium scrupulosorum non est remedium, sed causa scrupulorum, ut & lectio præsertim librorum de casibus tractantium (quamvis aliqui & hanc annumerent remediis) nisi videlicet libri selecti sunt, quibus proponantur remedia scrupulorum, qualia deinceps explicanda ac conscientiæ scrupulosæ applicanda sunt.

Quibus præmissis, primum remedium sit, quod afferunt S. Antoninus 1. p. tit. 3. cap. 10. Corduba lib. 3. quæst. 13. aliique, recursus ad Deum per orationem cum fiduciâ, & aliquâ ad Dei gratiam lumenq; præparatione. Quod videtur indicare Psalmista psal. 13. *Dominum non invocauerunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.* Proprium est scrupulosorum trepidare timore *ubi non est timor*, id 36.

Primum remedium scrupulorum, recursus ad Deum.

est, causa timendi: ita narrat S. Antoninus B. Petrum Martyrem oratione liberatum fuisse à scrupulo infidelitatis. Dixi *cum fiduciâ*: non tantùm, quia hæc est conditio cujuslibet efficacis orationis Iacobi 1. sed quia peculiariter convenit scrupulosis, qui magis terrentur Dei justitiâ, quàm confidunt in ejus misericordiâ, cumque sibi proponunt, non ut misericordiæ patrem, sed severum judicem, imò quasi tyrannum.

Sentiant itaque de eo in bonitate, & confidenter ad eum recurrant: misericors enim est, ac fidelis, nec patietur eos tentari supra id quod possunt, sed faciet etiam cum tentatione proventum, 1. Cor. 10. Quod eâdem ratione verum est de tentatione scrupulorum, cùm præsertim immittuntur à dæmone. Addidi, *cum præparatione ad gratiam*, qualis est Primò, humilitas, ac consideratio propriæ cæcitatis. Cùm enim scrupuli soleant habere admixtum aliquid occultæ superbiæ, valet hic istud Iacobi 4. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Secundò, quodlibet bonum opus, eo præsertim fine præstitum. *Hoc genus dæmoniorum*, inquit Christus Matth. 17. *non ejicitur nisi per orationem ac jejunium*. Quod item applicari potest scrupulis, ut & illud quod eodem cap. additur de lunatico sæpè cadente in ignem, & crebrò in aquam: nam scrupulosi sæpè & habent aliquid affine lunaticis: ut indicavi cap. 2. num. 14. sæpiusque agitantur scrupulis omnino contrariis.

Ad hoc remedium spectat Primò, recursus ad Sanctos, præsertim B. Virginem, quam sibi scrupulosus proponat, qualis verè est, benignissimam matrem. Secundò, meditatio de gloriâ, aliisque quæ animi serenitatem, ac fiduciam augere possint; quales item sunt sententiæ ad eumdem finem aptæ, ac selectæ ex Script. v. g. *Dicite, Pusillanimes, confortamini, & nolite timere*, Isaiæ 35. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Iugum meum suave est, & onus meum leve*, Matth. 11. Scrupulosi jugum Christi reddunt sibi durissimum ac intolerabile. Contrà verò meditationes de inferno, ac rebus verbisque quæ timorem ac mœrorem augere possunt scrupulosis, ut omninò perniciosæ, vitandæ sunt. Putent iidem sibi dictum illud Ecclesiastæ 7. *Noli esse justus multùm; neque plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas.* Et intelligant ipsius Sapientis infallibili testimonio posse esse excessum in conatu ad sanctitatem ac perfectionem consequendam. 37.

38. *Secundũ, acquiescere judicio viri docti, præsertim Superioris vel Confessarii.*

Secundum remedium, est acquiescere consilio viri docti ac probi, præsertim Superioris, vel Confessarii: in quod omnes omnino conveniunt. Gerson de Remediis contra pusillanimitatem alphab. 69. lit. E. Contra professum in-

inobedientem alphab.71. lit. A. & alibi sæpiùs. Antoninus cit. reg. 5. Cordubensis cit. §. *Quintus modus*; qui rectè addit, eum modum superandi scrupulos esse valdè utilem, securum, meritorium, & præstare omnibus. Quos sequuntur omnes omninò recentiores. Imò Christus ipse primus omnium illud remedium attulit Matth. 23. cùm dixit: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæ dixerint vobis, servate & facite.* Si id servandũ à quibuslibet, multò magis à scrupulosis: & si erga Scribas & Pharisæos, multò magis erga viros probos & doctos. Ad omnes, præsertim scrupulosos, spectat prudẽtissimum Sapientis monitum Proverb. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Illudque Tobiæ 4. *Consilium semper à sapiente perquire.* Confirmat id Antoninus Primò, apparitione, & responso dato scrupuloso his verbis: *Consule discretos, & acquiesce illis.* Secundò, exemplo & auctoritate D. Bernardi, qui scrupuloso non audenti celebrare dixit: *Vade, frater, & in fide meâ celebres*; obedivit ille simpliciter, & continuò scrupulis liberatus fuit. Nec valet hîc objectio scrupulosorum: Si talis esset meus Prælatus, qualis S. Bernardus, facilè acquiescerem: quia, ut bene Gerson, debent cogitare se obedire Superiori, non ut homini defectibus obnoxio, sed ut vicario Dei, per illum jubentis ac docentis; juxta illud Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Eadem est ratio de Confessariis circa causas conscientiæ, in quibus verè sunt judices ac Superiores pœnitentium. Ita S. P. N. Ignatius, cũ valdè scrupulis agitatus, nec precibus, nec jejuniis, aliisque pœnitentiis ab iis liberari posset, tandem conscientiæ summam quietem cõsecutus est, acquiescens consilio ac mandato Confessarii, ut deinceps quietus esset.

Ratio ulterior assignata est super. libr. cap. ult. in simili de conscientiâ erroneâ, quam item optimè affert Corduba cit. *Nam hic*, ait, *est ordo hierarchicus à Deo institutus, in Ecclesiâ, ut minores illuminentur per superiores; sicut fit inter Angelos secundùm Dionysium.* Causam hujus providentiæ ulteriorem reddit optimam D. Augustinus in Prologo lib. de Doctrinâ Christ. cit. eo cap. num. 219. tum ad extollendam hac ratione naturam humanam, cùm homini Dei vicario committitur, quod per ipsum Deum, vel Angelos fieri posset; tum ad exercendam inter homines mutuam caritatem; addiderim & humilitatem, quâ solent egere scrupulosi. Quare idem Augustinus epist. 150. suadet Paulino, ut cum viro docto ac spirituali causas conscientiæ suæ communicet. 39.

Ex quibus concluditur, remedium hoc ac regulam esse indubitatam, certissimam & securissimam, valdè inculcandam scrupulosis; 40.

losis; qui eam sequi possint, & credere certissimam, quasi articulũ fidei absque omni peccandi periculo; imô magno cum merito; quidquid sibi videatur, cæco quodam modo captivando intellectum ac judicium suum, & acquiescendo dictis judicioque aliorum. Quod item verum certumque esset, etsi alii errarent: sibi enim errarét, non scrupulosis, qui excusarentur ignorantiâ invincibili, & nihilominus prudenter ac meritoriè illorum judicio suum subjicerent.

41. Ex dictis collige Primò, quod dixi cap. superiori concl. 3. optimum & securissimum remedium scrupulorum esse, agere contra scrupulos, scilicet auctoritate Superioris, Confessarii, vel viri docti; idque semper, cùm ea suppetit, sive scrupuli sint latè, sive strictè sumpti. Imò nil possunt scrupulosi præstare Deo gratius, vel sibi utilius. Longè perfectius est subigere eâ ratione judicium, atque etiam voluntatem propriam, quàm corpus jejuniis & pœnitentiis. Declarat hoc S. Antoninus ex S. Gregorio, simili myrmicoleonis, qui etsi insidietur occidatque formicas; ipse tamen proteritur & occiditur ab animalibus grandioribus. Ita diabolus obruit pusillanimes, fugit autem à magnanimis, fortiter agentibus contra scrupulos, juxta illud D. Jacobi 4. *Resistite diabolo, & fugiet à vobis.*

42. Collige Secundò, quod ibidem addidi, longè tutius & perfectius esse agere contra scrupulos negativè, contemnendo, nec auscultando; quàm positivè, refutando & disputando, scilicet eodem principio & auctoritate: quia disputando scrupulosus intellectus magis se scrupulis intricabit; nec conscientia scrupulosa est apta mensura actionum, nisi innitatur & conformetur conscientiæ & auctoritati alienæ. Itaque non debet curare scrupulosus quid sibi videatur; sed quid alteri, cujus conscientiam ac judicium debet habere pro suis; atque ita practicè intelligere intellectu tantùm alieno. Omninò autem expedit, ut unum aliquem Confessarium deligat, cui totam animam & conscientiam suam eâ ratione committat, neque recurrat, consulatque varios, ne variis ac disparatis, imò fortè contrariis, variorum consiliis magis turbetur conscientiæ quies, ut solet turbari sanitas corporis variis variorum medicorum medicamentis.

Collige Tertiò, hoc ipsum debere scrupulosum credere alteri, præsertim Confessario; quòd sit scrupulosus, etsi sibi ipse non videatur scrupulosus, sed laxus. In quo solet esse magna difficultas; id autem necessarium est, ut sciat sibi applicanda remedia ac privilegia scrupulosorum.

Confirmantur hæc omnia ex dictis lib. 3. cap. 3. quòd auctoritas unius sufficiat ad reddendam opinionem

nionem probabilem, adeoque practicè tutam cuilibet, etsi non scrupuloso; ergo magis scrupuloso.

43. *Tertium, exemplũ proborum.*

Tertium remedium priori conforme, est exemplum aliorum proborum, qui præsumi debent habere rectum affectum & judicium, ut rectè Corduba cit. regulâ quartâ: adeò, ut meritò eorum vita sensusque proponatur aliis in exemplum, & normam vivendi. Non sufficit autem exemplum unius, etsi probi doctique sic viventis; sed requiritur plurium, etsi sufficiat auctoritas unius hoc docentis, vel affirmantis ob rationem allatam cap. illo 3. num. 33.

44. *Quartũ, scrupulosus nil agat [illegible] exoticum.*

Huc reducitur aliud remedium, ne scrupulosus umquam existimet sibi quidquam faciẽdum vel omittendum, propter quod se reddat aliis probis ridiculum, aut exoticum: quia hoc ipso faceret vel omitteret aliquid contra proborum sensum & exemplum. Dixi *proborum*; quia sæpiùs tenetur quis non se accommodare exemplo ac consortio improborum & laxorum; etsi ita se exponat eorum risui & contemptui, audiatque ab illis scrupulosus: non debet autem scrupulosus facilè alios judicare improbos, nimisque laxos, nisi id constet, & ab aliis tales habeantur.

45. Adverte circa hæc remedia, atque etiam sequentia, non esse necessarium, ut scrupulosus propter illa motiva formet sibi conscientiam certam, ne quidem moraliter, etsi meritò id facere posset; sufficit formet sibi probabilem, etsi ob rationes intrinsecas, vel etiam extrinsecas contrarium putaret nõ tantùm probabile, sed probabilius: juxta dicta cap. 4. num. 22. Vix autem fieri potest, ut audiat virum doctum id affirmantem, vel videat probos sic viventes, adeoque hoc docentes actu quasi exercito, aut advertat contrarium ab iisdem explodendum, quin judicet saltem probabile id licere.

46. *Quintũ, nil mortale judicet, nisi certissimè sciat.*

Quintum remedium est, ut scrupulosus consilio viri docti, præsertim Superioris, ac Confessarii, nil habeat pro mortali peccato, sive præteritum, sive futurum, nisi certissimè sciat tale esse.

Unde sequitur, eo ipso quo dubitat, quomodocumque seu strictè seu latè, sive negativè sive positivè, an mortale sit, tamquam scrupulum explodi & contemni posse. Ita expressè graves Doctores, Azor lib. 2. cap. 20. quæst. ultim. Vasquez disp. 67. cap. 2. sub finem, Sanchez cap. 10 nu. 82. Granadus de Actib. humanis disp. 5. num. 7. citans & sequens Medinam libr. 2. Summæ cap. 17. qui addit hanc esse certissimam regulam, Filiucius tom. 2. tract. 21. cap. 4. num. 183. Ratio afferri potest. Primò, quia, cùm scrupulosi dubitent etiam de rebus clarissimis, & inveniant peccatum, etiam mortale, ubi nulla reverà est umbra aut periculum peccati; intolerabile ipsis esset, imò impossibile;

bile, practicè pro peccato habere, quidquid tantùm dubiè ipsis, ut malum proponeretur. Secundò, quia, cùm scrupulosi ita propensi sint ad judicanda quævis mala, non est morale periculum, ne aliquid reverà mortaliter malum sit, quod ab iis certissimè non credatur tale. quod docet experientia.

47. Addit optimè Vasquez, & post illum Sãchez, Granadus, Filiucius, aliquem posse adeò esse scrupulosum, ut, consilio alius, possit nil habere pro mortali, nisi quod auderet jurare esse mortale. Ratio jam allata est: ea enim fortior est, quo quis scrupulosior. Suppono autem, cum dictis Doctoribus, agi de scrupuloso universaliter circa quamvis materiam peccati, simulque timente Deum, qui nullâ causâ deliberatè velit mortaliter peccare. Quòd si quis tantùm esset scrupulosus circa certam materiam, circa illam solam eâdem ratione applicanda esset dicta regula, ac remedium.

48. Addiderim præterea, posse esse aliquem conscientiâ tam tenerâ ac scrupulosâ, ut consilio alius possit nil habere pro peccato etiam veniali, nisi quod auderet jurare esse peccatum: quod probatur praxi prudentum Confessariorũ, qui id consilii dant suis pœnitentibus. & probatur ratione allatâ: nam multò faciliùs scrupulosi dubitant de quibusvis, an sint mala saltem venialiter, quàm an mortaliter: quare impossibile ipsis esset ea omnia vitare; neque morale periculum est, ne non certissimè peccatum judicent, quod reverà tale esset, scilicet ipsos spectans; ut item docet experientia in iis, qui non tantùm de salute, sed etiam perfectione soliciti sunt, atque ita constituti, ut nullâ de causâ velint deliberatè peccare, ne quidem venialiter; de qualibus hîc intelligo.

Confirmatur tota hæc regula & remedium sic explicatum: quia, etsi possit aliquando contingere, ut peccatum sit, quod scrupulosi non putant certissimè peccatum; illud faciendo tantùm peccabunt materialiter præ ignorantiâ invincibili. quod multò minus incommodum est, quàm si teneantur omnia habere pro peccatis, de quibus dubitant: tum quia, cùm non possint moraliter evitare omnia, prosequentur ex illis aliqua, idque peccato formali: tum, quia inde necessariò oriretur anxietas nimis magna, quæ ineptos reddet ad servitium Dei, & exercitium virtutum.

Ex dictis collige Primò, quod optimè docuit Sa v. *Dubiũ*, Sanchez & Granadus citati, scrupulosum non debere confiteri peccata, nisi quæ potest jurare, & fuisse peccata mortalia, & se numquam illa fuisse confessum: quod etiam probant rationes allatæ. Sed de scrupulis circa cõfessionem agam infrà c. 6. 49.

Advertat autem scrupulosus, se non debere secum disputare, an cer-

certissimè aliquid sit, vel non sit peccatum: hoc enim illi est perniciosum; sed si primo intuitu non videatur id tam certum, liberè ac fortiter rejiciat tamquam scrupulum. Idem faciat, si dubitet, an jurare auderet; nam eo ipso id non est illi certissimum.

Addiderim, etsi scrupulosus putet tam certò aliquod esse peccatum, ut auderet jurare; posse nihilominus, imò debere, Confessario dicenti contrarium credere, juxta dicta remedio secundo.

50\. *Sextum, non est illi applicanda regula: In dubio tutius sequendum.*

Sextum remedium: Scrupuloso non sunt applicandæ regulæ de eligendâ necessariò in dubio viâ tutiori explicatæ lib. 4. Quare in dubio liberè potest eligere viam partemque minùs tutam, sive illud sit juris, sive facti, sive de præteritis, præsentibus, sive de futuris; imò ne quidem consilium. In idem recidit si dicas: Omnia dubia scrupulosi interpretanda esse in mitiorem partem. Ita Vasquez cit. num. 8. Sanchez num. 86. Filiucius nu. 182. ante omnes Navarr. cap. *Si quis*, de pœnit. dist. 7. num. 77. Conforme est hoc remedium præcedenti, ex quo constat non debere scrupulosum duci aut moveri dubio, sed tantùm certitudine.

51\. Ratio præterea peculiaris afferri solet, quòd regulæ illæ intelligendæ sunt de dubio rationabili, non scrupuloso: quia tamen hoc ipsum dubium solet esse, sitne dubium rationabile, nec ne; universalis hujus remedii ratio, & mitigatio conveniens scrupulosis jam antè lib. 4. sæpiùs allata est: quòd in dubio via tutior non sit eligenda notabili cum incommodo: atqui scrupulosis notabile, imò intolerabile incommodum esset, in dubio debere eligere viam tutiorem; ergo ipsi ad hoc minimè tenentur. Imò consultius ipsis & tutius est, pacandæ conscientiæ, & tanti incommodi evitandi causâ, eligere partem aliàs minùs tutam.

Cum quibus convenit, quod ex Cajet. & Medinâ docet Filiucius cit. credulitatem scrupulosi habendam pro certitudine; scilicet non quoad obligationem odiumque, (contrarium enim jam diximus) sed quoad exemptionem ac favorem.

Ex quibus sequitur, scrupulosum dubitantem sitne irregularis; an teneatur lege votoque; an illa expleverit, nec ne, ad nihil teneri. Idem dicendum de quibusvis ejusmodi dubiis, nisi videlicet esset dubium speculativum, & de re circa quam scrupulosus non esset. ita v. g. dubitans an biberit post duodecimam nocturnam, etsi aliàs scrupulosus, non potest communicare, si illud potest omittere absque notabili incommodo.

Septimum remedium elicitur ex dictis lib. 2. cap. 7. ac sequ. & lib. 5. cap. 6. quòd nemo umquam peccet nisi liberè volendo rem expressè præcognitam sub ratione mali; 52. *Septimū, non est credibile scrupulosum peccato con-*

sensisse, à quo tantoperè abhorret.

imò ratio peccati sita sit in difformitate cum rectâ ratione rem sic propositam improbantis. Cùm ergo scrupulosi non tantùm rationem, sed umbram peccati ita horreant, ut ejus tantùm metu ita se torqueant; non est credibile, eos rem expresè cognitam ut malam, vel prosecutos fuisse, vel prosecuturos, quamdiu scrupulosi sunt: nec enim consistunt simul tantus peccati horror, ac ab eo voluntatis aversio, & libera ejusdem quamvis expresè præcogniti volitio. Quare illum ipsum horrorem esse signum caritatis peccatum excludentis, S. Teresiæ de eo valdè solicitæ revelavit Christus.

53. *Octavũ, avertere se debet scrupulosus ab omnibus, quæ ad scrupulos spectant.*

Octavum est, ut scrupulosus præcedentibus remediis animatus obfirmet se contra scrupulos, & fortiter ac constanter avertat cogitationem ac imaginationem ab omnibus eò spectantibus, eo ferè modo quo ab objectis impuris. Ad quod conferet continua aliqua occupatio, & distractio intellectûs ad objecta læta, nec scrupulis peccatisque affinia.

Experientia docuit, plures hoc remedio curatos, vel sublevatos fuisse; & ratio naturalis est, quòd cogitationibus & disputationibus scrupulosis scrupuli, eorumque species non minuantur, sed intendantur, ut habitus exercitio actuũ suorum. Imò forti ac frequenti imaginatione ad cogitationes ac disputationes præviâ lædatur vis imaginativa, ut dixi cap. 2. causâ tertiâ. Contrà verò cessatione actuum habitus ac species scrupulosæ remittuntur, & tandem omninò pereunt. Quare imprudenter Confessarii in vel extra confessionem permittunt scrupulosis pœnitentibus, ut multis scrupulos explicent, ac de iis texant historias, vel ipsi cum illis disputant, aguntque rationibus, quarum incapaces sint. Multò consultius est paucis inculcare unum aliquod generale principium ac remedium, præsertim secundum, quintum, vel aliud, quod cuique pro suâ dispositione convenientius judicabitur, & prohibere ne pluribus de scrupulis agant, cogitentque. Quo modo potissimùm agendum est cum intensè ac formatis scrupulosis: nam cum leviter vel incipientibus, expedit aliquando agere rationibus, ut convincantur, quamdiu earum capaces sunt.

Nonum, si scrupulosus his aliisque remediis curari non possit, etsi ipse morali diligentiâ adlaboret, quòd vel scrupuli nimis altas radices egerint, vel naturaliter ad illos inclinetur; expedit eum nihilominus solari, & proponere commoda scrupulorum relata cap. 3. propter quæ credat Deum eos in se permittere ad tempus. Itaque interim acquiescat providentiæ Dei, cui nihilominus cordi & curæ est, imò cujus amore ac timore ita angitur. Eidem solatio esse potest illud 54. *Nonum, consolandus est scrupulosus, qui aliter juvari nequit.*

D. Gre-

D.Gregorii: *Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.* Neque hac ratione foventur scrupuli, sed mitigantur, dum satis afflicto scrupulis non additur nova afflictio, propter scrupulos reflexos de infelici suo statu. Convenit magis hoc remedium studiosis perfectionis, quales constat non parum eo sublevatos fuisse.

55. Decimum. Quia scrupuli item proveniunt ex dispositione corporis, ut constat ex secundâ, tertiâ, & quarta eorumdem causâ, expedit sæpè applicare remedia, non tantùm spiritualia, de quibus hactenus; sed & corporalia, expurgando corpus humoribus, ut animus expurgetur scrupulis. Optima autem medicina est, quâ quisque sibi est medicus sobrio ac temperato corporis regimine.

Decimũ, medicina corporalis.

56. Denique viro docto ac discreto, præsertim Superiori, ac Confessario, ut prudenti medico, committitur discernendum, quæ quibus scrupulosis remedia applicanda sint: omnia enim simul applicare nullo modo expedit; ne infirma conscientia obruatur copiâ remediorum, ut aliquando corpus medicamentorum. Nunc eos reprehendat, jubeatque sibi obedire, cùm nimis importuni sunt; nunc soletur, jubeatque esse bono animo, cùm nimis pusillanimes: subinde etiam totum eorum periculum in se suscipiat, spondeatque, se pro iis responsurum in die judicii: numquam verò cum iis agat dubiè & obscurè; sed resolutè & clarè, ne augeat scrupulos, dum vult curare. Postremò ne desperet ipse, aut fastidiat tam molestam conscientiæ scrupulosæ curam; sed confidat in Domino, qui illuminat omnẽ hominem, eamque pergat curare in omni patientiâ & doctrinâ, non tantùm hisce remediis, sed suis precibus, aliisque medicamentis, quæ docebit unctio cælestis Spiritûs sancti.

CAPUT VI.

Quæ sint remedia scrupulorum particularia, de peccatis mortalibus præteritis, eorumque confessione?

Ut certior medicina adhibeatur multiplici morbo scrupulorum, remediis generalibus addam particularia, scilicet magis necessaria contra præcipuos ac frequentiores scrupulos; ac Primò, contra gravissimum ac molestissimum de peccatis mortalibus. 57.

Nota, scrupulum versari posse circa peccata præterita quadrupliciter, ut dixi lib.4.cap.18.de dubio. Primò, si scrupulosus apprehendat, putétne falsò se fecisse aliquid, quod est mortale. Secundò, si falsò credat aliquid mortale, quod reverà fecit. Tertiò, si eodem modo putet se non fuisse confessum aliquid, quod constet ab ipso factum

 esse.

esse, & esse mortale, sive putet se numquam illud aperuisse in cōfessione, sive non obtinuisse remissionem, vel ob suam indispositionem ac defectum doloris, vel defectum potestatis Confessarii. Quartò, etiam angi potest, quòd putet peccata fuisse reservata.

58. *Remediū primum, consideratio misericordiæ divinæ.*

Quibus præmissis, Primum & universale remedium sit consideratio immensæ ac inexhaustæ Dei misericordiæ, & in eâ humilis ac firma fiducia: quod etsi valeat etjam contra omnes, singulariter tamen contra scrupulos de quibusvis peccatis præteritis. Quamvis enim in omnibus Dei operibus eluceat ac immisceatur ejus misericordia; singulariter tamen in remissione peccatorum, quantumvis gravium. Non minùs solidè quàm piè hoc ostendit Ven. Blosius in Consolatione pusillanim. cap. 17. appositis testimoniis Scripturæ, piorumque Scriptorum: *Nulla*, inquit, §. 2. *mœroris magnitudo, nulla angustiarum acerbitas, nulla defectuum multitudo, nulla scelerum enormitas te ad desperationem nimiamq; pusillanimitatem adducat. Quantumcumque peccaveris, semper Dei misericordia in infinitum excedit tuas iniquitates: quantumcumque infirmus sis, semper illius benignitas adjuvare parata est tuam fragilitatem.* & §. 3. *Quantumvis magni peccatores & imperfecti homines simus, quare nō cum humili plenâq; fiduciâ ad Deum convertimur, qui est abyssus inexhaustæ pietatis, cujus natura bonitas est, cui verè proprium est misereri semper ac parcere?* Sanè injuriam faciunt tantæ bonitati ac misericordiæ scrupulosi, quòd non magis in eâ confidant, cùm quâ si comparentur omnia eorum, imò totius mundi, peccata, habent se erga illam, ut gutta aquæ erga universum mare. Iterum §. 4. ex Psalmis: *Apud eum propitiatio & copiosa redemptio est. Non jam secundùm peccata nostra facit nobis, neque secundùm iniquitates nostras retribuit nobis: quoniam secundùm altitudinem cæli à terra corroboravit misericordiam suam super timentes se: & quantum distat Ortus ab Occidente, longè facit à nobis iniquitates nostras: & quomodo miseretur pater filiorum, miseretur Dominus timentibus se.* Quibus addi potest illud Ezechielis 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis & vivat?* Et paulò pòst: *Et quare moriemini domus Israel? quia nolo mortem peccatoris: revertimini, & vivite.* Efficaciùs Christus in novo testamento Matth. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Ex quibus deducitur certa Theologorum sententia, nemini in hac vitâ ob ulla peccata, quantumvis gravia & multa, denegari auxilium sufficiens ad eorum remissionem, ac vitam æternam. Frustra enim Deus omnes vocaret, si omnes venire non possent, scilicet defectu auxilii sufficientis.

Quare

Quare damnata est vox desperabundi Cain Genes. 4. *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Atque hoc ipsum docet Blosius cit. cap. 5. ex August. in Psal. 102. *Misericors & miserator Dominus, longanimis, & multùm misericors. In his, quibus veniam dedit, misericors est; in his quibus non dedit, adhuc longanimis est; non damnans, sed exspectans, atque ipsâ exspectatione clamans: Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Concludit: *Omnipotenti medico nil est insanabile.*

59. Neque enervatur vis hujus remedii, quòd Matth. 12. Marci 3. dicatur irremissibile peccatum blasphemiæ in Spiritū sanctum: quia id ideò & eatenus verum est, quatenus peccator sibi hunc misericordiæ fontem obstruit, & æger rejicit hanc medicinam, resistendo ex obstinatâ malitiâ Spiritui sancto, ejusque sanctificationi, seu mediis eò tendentibus: qualia sunt quæ dicuntur peccata in Spiritum sanctum. quò magis ostenditur vis ac necessitas dicti remedii: quamquam neque ejusmodi peccata sint irremissibilia absolutè, sed moraliter ægrè remissibilia, juxta communem certamque sententiam Theologorum.

60. *Secundū, fiducia in Dei & misericordiæ matre.* Secundum remedium illi affine, est fiducia & recursus ad Dei & misericordiæ matrem, consolatricem afflictorum, & refugium peccatorum, qualem reipsâ se præstat afflictis & peccatoribus, ut testantur omnes historiæ. Quare probabo hoc remedium unicâ tantùm auctoritate ejusdem Blosii cap. 6. & S. Bernardi serm. 2. super Missus est: *Si criminum immanitate turbaris, conscientiæ fœditate confusus, & judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, & desperationis abysso; cogita Mariam in periculis, in angustiis, in rebus dubiis: Mariam cogita, Mariam invoca; non recedat ab ore, non recedat à corde. ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras.* atque iterum paulò pòst: *Omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu.* Quæ, præsertim prima, optimè conveniunt scrupulosis.

Tertium remedium sumitur ex quinto superioris capitis, ut scrupulosus consilio viri docti, præsertim Confessarii, Primò, non habeat pro mortali à se commisso, de quo non est certissimus; Secundò, etsi de eo certissimus, si morali tamen diligentiâ, vel semel generalem confessionem fecerit, vel suo sæpiùs tempore confiteri solet, putet se illud confessum fuisse, nisi certissimè meminerit se illud omisisse. Adeò ut confiteri illud non teneatur, nisi jurare possit se & illud commisisse, nec confessum fuisse. Ratio universalis ibi allata est, cui additur peculiaris de confessione: quia hæc non est instituta ad injiciendos conscientiæ laqueos, sed ad 61. *Tertium, scrupulosus nō habeat pro mortali, vel non confesso, nisi, de quo est certissimus.*

ad eam pacandam, & sepelienda peccata morali diligentiâ manifestata, scrupulosque inde ortos: qui ergo illam adhibuit, potest probabiliter credere se isti obligationi satisfecisse, nec ad quidquam amplius aliquando teneri.

62. Imò adverte, eâdem ratione ac moderatione nullos teneri peccata confiteri, nisi certi sint aliquo modo se ea non fuisse confessos. Quare Sanchez num. 86. citans & sequens Emmanuelem Sa in Summâ, v. *Confessio*, num. 42. hanc regulam extendit ad non scrupulosos: neque his repugnant, sed consonant dicta cap. illo 18. concl. 1. Etsi enim non memineris te certum aliquod peccatum confessum fuisse, nisi peculiari aliquâ ratione id scias; prudenter ac probabiliter credis te & illud confessum fuisse, ac comprehendisse sub generali peccatorum numero; adeoque potes rejicere dubium inde ortum, ut leve: aliàs sanè aperiretur ostium scrupulis etiam à non scrupulosis, ut ibi dixi. Prudenter itaque Blosius citatus cap. 1. §. 6. ex Taulero: *Eorum qui confessiones recipiunt, potestati & auctoritati fides adhibenda est: sicut & verbis Domini, quibus ait: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis. In veritate dico, charissimi, ubi quis peccata sua ritè confessus, adhuc remorsus ex iisdem in conscientiâ patitur, multò meliùs fecerit, si hac in parte Deo confidendo, & fidem virtuti confessionis adhibendo, eadem denuò non confiteatur, quàm si iteret confessionem.*

Confirmantur hæc à fortiori de scrupulosis peculiariter dictis super. cap. remedio 6. quòd eorum credulitas habenda sit pro certitudine, scilicet quatenus id cedit in eorum favorem. quod idem docet Sanchez num. 85. citans alios: addit Reginaldus de prudentiâ Confessarii cap. 2. num. 11. ex Navarro in Manuali cap. 21. num. 42. aliquando teneri scrupulosum abstinere ab iterandâ confessione, idque sub mortali, ne se exponat periculo amentiæ, per nimiam de re tristi cogitationem. Sæpiùs ad id tenetur sub veniali, ne se ipse ineptiorem reddat ad Dei obsequium, & officium suum: ut bene docet ibidem Reginaldus: simili incommodo licet illi dimidiare confessionem confitendo tantùm aliqua peccata.

Ex dictis infertur quartum remedium, quod item sumitur ex illo 6. quòd scrupulosus non teneatur confiteri peccatum, de quo minimùm dubitat, vel an illud commiserit, vel an confessus fuerit: neque habere pro reservato, de quo similiter dubitat, an reservatum sit. Itaque liberrimi sunt scrupulosi ab obligatione confitendi peccata dubia, etiam ut dubia; de quâ egi toto illo cap. 18. 63. *Quartū, scrupulosus nō tenetur id confiteri de quo minimū dubitat.*

Unde sequitur Primò, imprudenter Confessarios permittere scrupu-

scrupulosis confessiones, vel etiam extra confessionem narrationes scrupulorum & peccatorum dubiorum etiam ut dubiorum. Omninò expedit nullâ ratione & importunitate id permittere; sed tantùm ut confiteantur peccata certa: imò, si valdè scrupulosi sunt, certissima, quæ auderent juramento confirmare; aliàs numquam exhaurient fontem scrupulorum. Imò illis augebunt, non minuent ob rationem allatam remedio generali octavo. Ita ferè Azor lib. 2. cap. 20. quæst. ult. Sanchez cit. num. 83. 84. & 85.

64. Sequitur Secundò, nullo modo esse permittendas scrupulosis, vel etiam propensis ad scrupulos, confessiones generales absque evidenti necessitate. Non est hoc remedium scrupulorum, quidquid putent dicantque scrupulosi: sed efficacissimum medium ad scrupulos generandos vel augendos: aperitur enim illis patentissimum ostium, dum permittitur examen peccatorum à longo tempore præteritorum, quorum certò meminisse non possunt an & quoties facta sint. Itaque dubitant de omnibus, omniaque vel pleraque fient illis materia scrupulorum, ut item docet experientia, quà constat plures factos esse scrupulosos potissimùm ob confessionem generalem, & ad illam examen imprudenter factum; adeò ut postea multò inquietiores sint, magisque propendeant ad illam vel totam, vel partem, iterandam, quàm antè.

Neque subest hîc ullum periculum, si consilio ac mandato Confessarii omittant confessiones generales: quia si fortè aliqua, vel omnia, peccata antè ritè confessi non essent, ea nihilominùs proximâ confessione de aliis peccatis factis ab ultimâ, remitterentur indirectè, quasi inculpabili oblivione omissa, juxta communem certamque sententiam Theologorum. Quia verò scrupulosi angi solent de peccatis & confessionibus præteritis, non tantùm quòd putent se ea non fuisse confessos, cui malo hactenus remedia præscripta sunt, sed etiam quòd putent se non satis de iis doluisse;

Quinti remedii loco cogitent ipsi, vel dicatur eis à Confessariis, Primò, juxta satis rectam Theologorum sententiam, cum Sacramento sufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ, imò & ejus effectum, ac remissionem peccatorum, attritionem, etsi notam, seu dolorem de iis imperfectum ob eorum turpitudinem vel metum gehennæ: si videlicet voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, juxta Tridēt. sess. 14. cap. 4. Qualem saltem dolorem se habuisse, imò adhuc habere ipsi certò testantur, dum ob peccata sic anguntur: nec enim ob peccata ita angerentur, nisi ea horrerent & aversarentur. Quare ipse scrupulus certum est argumentum 65. *Quintū, attritio nota dolor est sufficiens cum Sacramēto.*

& signum doloris. Huc etiam spectant illa Blosii cap.1. §.4. ex Taulero: *Si alicui dolor sive contritio deest, saltem doleat se non dolere: nam hoc quoque dolor est,* scilicet eâdem conditione cum Sacramento, *sufficiens.*

Sufficit dolor supernaturalis, sine sensitivo, Secundò, juxta dicta libr.2. cap.11. num.113. distinguenda hîc est pars animæ superior ab inferiori, seu volũtas rationalis ab appetitu sensitivo; adeoque dolor rationalis à sensibili. Optimè consistit in animæ parte superiore dolor sufficiens, imò perfectus, qui totus est spiritualis; etsi non diffundat se ad partem inferiorem, ideoque sit insensibilis, absque lacrymis, singultu, gemitu, similive motu corporeo. *absque intensione certâ.* Tertiò, ne quidem in parte superiore, ac voluntate requiritur ad veram contritionem seu dolorem perfectum, summa aut certa intensio. Quare nec sensibiliùs nec intensiùs debes dolere peccata tua, quàm v.g. mortem patris: sufficit doleas cave detesteris, ut bonitati divinæ contraria, absoluto ac quoad substantiam supernaturali actu caritatis: qui eo ipso, quo elicitur auxilio & lumine supernaturali, quodammodo commẽsuratur objecto suo ac bonitati divinæ; estque amor Dei, & odium peccatorum super omnia: scilicet eo ipso appretiativè, etsi non sensibiliter & intensivè. Rectè tamen admonet Gerson tract. 8. super *Magnificat* alphabeto 88. & ex illo Reginaldus cit. num. 9. non esse necessarium, nec expedire propositiones comparativas: v.g. Mallem mori, hæc & illa tormenta pati, quàm peccare: quod præsertim verum est de imperfectioribus. Quartò, neque hujusmodi dolor requiritur formalis, sufficit virtualis comprehensus formali amore Dei super omnia, juxta multò communiorem & certiorem sententiam: quia etiam Scriptura passim tribuit remissionem peccatorum soli caritati. Proverb.8. *Ego diligentes me diligo.* & 1.Petr.4. *Caritas operit multitudinem peccatorum.* Pulchrè Bernardus epist. 107. *Nemo se amari diffidat, si jam amat: lubenter enim amor Dei nostrum, quem prævenit, amorem sequitur. Nam, quo pacto redamare pigeat, quos amavit nec amantes?* *Sufficit dolor virtualis in amore Dei inclusus.*

De ejusmodi dolore & amore intelligenda sunt quæ ex Taulero refert Blosius cit. cap.7. nominatim cap.11. §.2. *Licet mater obliviscatur interdum unici filii sui, Dominus tamen, prout ipse testatur, haudquaquam nostri potest oblivisci. Tanta siquidem ejus misericordia est, ut stuppa aliqua, sive linum in immenso igne positum non tam citò incendi possit, quàm ipse peccatori veraciter dolenti peccata omnia condonare paratus est. Enimverò inter Dei bonitatem & pœnitentem peccatorem, neque tempus, neque medium ullum interest.* Quia videlicet pœnitenti absque ullã dilatione gratiam infundit, & peccata remittit, idque naturali quadam bonitate & propensione, quali ignis est 66.

est combustivus, & bonum sui diffusivum. Notandum item est, quia prudens & salubre, scrupulosis præsertim, monitum, quod ex eodem habet c.12. Quidam amicus Dei interrogatus, quid facere vellet, si, ut multi peccatores, omnibus diebus vitæ suæ in magnis iniquitatibus vixisset, respondit: Si omnia quæ sapiens & discretus Confessor mihi injunxisset, fecissem, & peccata, sicut oportet, dimisissem, numquam deinceps vellem inde cogitare, nec cor meum eis contaminare. Denique stultum est, vexare te, ac velle scire certò & infallibiliter an talem amorem vel dolorem conceperis, an ritè omnia peccata confessus fueris, & similia quæ sine speciali Dei revelatione scire infallibiliter non potes: cùm juxta Ecclesiasten cap. 9. *Nesciat homo utrùm amore, an odio dignus sit*. Potest tamen obtineri moralis & practica quædam iis de rebus certitudo, quæ rationabiliter excludat anxietatem, imò omnem actualem formidinem de opposito, ut dixi lib.2.cap.15. atque ejusmodi certitudinis scrupulosis præter alia argumentum est, ipse scrupulus & peccati horror.

CAPVT VII.

Remedia scrupulorum de peccatis venialibus ob eorum frequentiam.

67. CONveniunt hæc potissimùm Religiosis, & studiosis perfectionis, quibus meritò horrori sunt non tantùm mortalia, sed & venialia: quæ etsi non impediant salutem, nec repugnent justitiæ, seu caritati, impediunt tamen perfectionem, & repugnant fervori caritatis; adeò ut aliqui ipsam rationem peccati venialis, scilicet habitualis, constituant in privatione auxiliorum ad illum fervorem excitantium. Meliùs tamen ipsum peccatum veniale, & habituale dicitur ipse actus peccati moraliter manens, quatenus non retractatus, ita tamen ut in ratione peccati ac maculæ, qualem animæ imprimit, compleatur privatione dictorum auxiliorum; sicut habituale mortale, est actus peccati mortalis eodem modo manens, & completus privatione gratiæ ac caritatis. Quemadmodum quoque ostendi libr. 2. cap. 18. ipsum peccatum actuale compleri privatione rectitudinis ac conformitatis cum rectâ ratione.

Nota Primò, scrupulos de peccatis venialibus reduci ad duas potissimùm causas, quòd vel putentur plura committi, quàm reverà committantur, vel non putentur tam facilè remitti, quàm reverà remittuntur. Primò, afferam remedia contra natos ex primâ causâ hoc capite; Secundò, contra natos ex secundâ, capite sequ. 68. *Causa duplex horum scrupulorum.*

Nota Secundò, ut libr.5.cap. & num.1. distinxi peccatum in genere, ita distingui etiam peccatum

veniale, in factum plenâ deliberatione, & factum ex passione, aut ignorantiâ, seu inadvertentiâ. Prius dicitur fieri ex malitiâ, ideoque ceteris gravius est: posterius ex fragilitate & cæcitate, ideoque levius. Suppono deinde Catholicam doctrinam definitam à Trident. contra Pelagianos sess. 6. cap. 11. & can. 23. in hac vitâ mortali, quantumvis Sanctos, in aliqua venialia peccata quandoque cadere; neque hominem, etsi justificatum, posse totâ vitâ peccata omnia etiam venialia vitare; nisi ex speciali Dei privilegio: quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia. Quibus præmissis,

69. *Primum. studiosi perfectionis non peccant singulis horis aut diebus.* Primum remedium contra primos scrupulos sit, credere quòd studiosi perfectionis non peccent singulis horis, ut plures putant; imò ne quidem diebus, neque fortè perfecti septimanis: vix ausim dicere mensibus, ne quidem de valdè perfectis. Tridentinum enim tantùm definit, quod dixi, omnes quandoque in vitâ peccare venialiter; cui conformis est doctrina Theologorum: quòd justus ordinariè non potest abstinere ab omni veniali longiori tempore: longius autem tempus non debet restringi ad unam septimanam, medium diem, aut horam. Satis mirum & miserum est, justos & amicos Dei, tot gratiis confirmatos, debere aliquando in vitâ offendere Deum, & committere peccatum, etsi veniale, verè tamen peccatum, quod nullo umquam casu & causâ licet, etsi esset necessarium ad salutē totius mundi. Quare tam indigna necessitas, tamquam odiosa, restringenda est, potiùs, quàm absque necessitate amplianda.

Confirmatur: quia, quod jam dixi sæpiùs, nullum umquam peccatum committi, nisi ante expressè fuerit præcogita ejus malitia, etjam verum est de quocumque veniali. Videtur autem satis certum perfectos & conscientiâ teneros aliquanto sæpiùs tempore, nil liberè facere, quod expressè præsciverint malum. cui conformis est praxis ejusmodi pœnitentium, peccatis ab ultimâ confessione factis (quia fortè verè ac formaliter peccata non sunt) addendi aliquod certum vitæ anterioris: quod prudenter talibus jubent Confessarii, ne absolutio ac Sacramentum exponatur periculo nullitatis defectu materiæ.

Adverte, omnes nihilominùs prudenter & utiliter quotidie semel vel bis examinare conscientiā, 70.
imò exemplo S. Patris Nostri aliorumque Sanctorum, singulis horis sese colligere: tum quia hoc ipsum optimum medium est diutiùs ab omni veniali abstinendi: tum quia materia examinis studiosis perfectionis non sunt tantùm propriè sumpta peccata, sed & imperfectiones, ac omissiones operum bonorum. Quo sensu juxta mentem Gregorii & D. Thomæ cap. 1. citati,

citati, *bonarum mentium est ibi culpam aliquo modo agnoscere*, id est, tamquam culpam fugere & detestari. *ubi culpa*, scilicet propriè dicta, *non est*, sed tantùm imperfectio.

71. Advertant tamen Secundò, caveantque scrupulosi, ac conscientiâ teneri, ne nimis se torqueant dum conscientiam examinant, volendo invenire peccata, ubi verè peccata non sunt: nam, ut ex jam dictis constat, sæpiùs nullum ab iis peccatum admissum est, quod examine deprehendi possit: saltem, si quod eos lateat, non est nisi leve & indeliberatum, ut jam dicam. Itaque si morali diligentiâ & examine nil, vel parum peccati deprehendant, non se angant; sed gaudeant in Domino, illique gratias agant, quòd se à gravioribus peccatis servarit. Neque hæc est vana gloria, sed debita erga Deum gratitudo. Aliàs examen conscientiæ scrupulosis fit inutile, imò perniciosum tormentum: quod proinde sæpiùs expedit iis prohibere, vel ad breve tempus restringere.

72. Objicies illud Proverb. 24. *Septies in die cadet justus.*

Quo sensu septies in die cadat justus.

Respondeo Primò, non addi, necessariò, vel semper. Itaque sufficit ad veritatem illorum verborum, aliquando vel sæpiùs cadat justus septies in die: quod non negamus. *Cadet* ergo, id est, continget cadere, eodemque sensu peccata venialia dicuntur quotidiana: quia, etsi non sit necesse, contingit vel solent ea etiam à justis quotidie committi.

Respondeo Secundò, non haberi in textu sacro, *in die*: etsi hę voculæ addantur ab aliquibus, etiam Patribus. verba Scripturæ sunt: *Ne insidieris, & quæras impietatem in domo justi, neque vastes regimen ejus: septies enim cadet justus, & resurget; impii autem corruent in malum.* Quibus verbis discernuntur ab impiis justi, quòd hi, etsi septies, id est, sæpiùs, (ponitur enim numerus certus pro incerto) cadant, statim resurgant: quia videlicet, ut jam ostendam, peccata eorum, quia venialia, statim ac facilè remittuntur; secùs quàm impiorum, qui proinde mole suorum peccatorum corruunt in foveam damnationis. Eôdem recidit, si ob eamdem causam dicas, quod videtur indicari verbis prioribus, impietatem, seu peccatum, non habitare in domo, seu conscientiâ justi, more incolæ, ut habitat in conscientiâ impii; sed tantùm transire more hospitis, juxta illud Chrysostomi hom 12. in 1. ad Cor. *Peccatum, si quando ad animam tuam divertit, hospes sit, non incola.* Unde apparet Primò, verba illa non debere esse scrupulo, sed solatio justis ac scrupulosis. Quare expressè additur: *Ne vastes regimen ejus*, id est, ne turbes propterea quietem conscientiæ justi: cui favet alia lectio, *Ne vastes cubile illius:* cubile autem seu lectus conscientiam denotat, juxta Greg. in Psal. 1.

 pœ-

pœnitentialem: *Quia sicut in lecto corpus, ita mens in conscientiâ quiescit.*

Apparet Secundò, iisdem nec dici, nec indicari peccata venialia à justis, nedum perfectis, committi quotidie; ne quidem semel, multò minùs septies. quod clarius esset, si juxta Augustinum ibi ageretur de casu non peccatorum, sed tribulationum ad humilitatem perducentium.

73. Ex quibus collige, justorum, præsertim perfectorum, conscientiam aliquantulo tempore jam designato, post bonam confessionem, ac indulgentiam plenariam, servari posse omninò puram & mundam ab omni culpâ, imò & pœnâ, ejúsve debito; quo tamen tempore prudenter ac utiliter & ipsi dicent: *Dimitte nobis debita nostra*: tum quia ne quidem certò sciunt, an amore, vel odio digni sint; sive, an sint in statu peccati mortalis vel gratiæ: multò minùs, an sint in statu peccati saltem venialis, vel puritatis ab omni peccato: tum quia, etsi id scirent, utiliter petent sibi dimitti peccata, vel in actu secundo, si antè dimissa non sint; vel si sint, in actu primo per novam gratiam eorumdem remissivam. Quo sensu fructuque etiam utiliter confitemur, & absolvimur à peccatis, etsi antè remissis. Optimè ergo Trident. cap. cit. *Iustorum*, addo & perfectorum, *illa vox est: Dimitte nobis debita nostra*. Neque debet ea intelligi tantùm de peccatis alienis, sed & propriis, ut contra Pelagianos argumentati sunt Patres.

Secundum remedium sit, cogitare, quòd etiam longiori tempore evitari possint peccata venialia graviora, seu deliberatè commissa. Imò Durandus in 2. dist. 28. qu. 3. docet eximios aliquos Sanctos ab ejusmodi venialibus abstinuisse totà vità: quod saltem probabile est de S. Joanne Baptistà, de quo id videtur indicare Ecclesia in hymno: *Ne levi saltem maculare vitā Famine posses.* Ubi, etsi mentio fiat *faminis*, id est, verbi, quòd in illud facilior sit lapsus linguæ; eadem tamen apparet ratio de peccato quolibet. De aliis Sanctis ac perfectis certius est, quod idem docet cum aliis, posse videlicet, ut jam dixi, longo tempore, esto non totâ vitâ, abstinere ab omni ejusmodi peccato. Quod item indicat D. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 8. ubi docet quod definit Trident. citat. *Non autem potest homo abstinere ab omni peccato veniali*. addit rationem notatu dignam: *Propter corruptionem inferioris appetitûs sensualitatis, cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest, & ex hoc habent rationem voluntarii, non autem omnes: quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit: & etiam, quia ratio non semper potest esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos.* Quibus clarè significat, peccata, à quibus omnibus abstinere non possumus, esse, quæ fiunt

74. *Secundū, venialia deliberata longiori tempore caveri possunt.*

fiunt ex passione, & inadvertentiâ, adeoque ex surreptione: alia verò, in quibus hæc causa cessat, seu quæ ratio pervigil perfectè advertit & deliberat, vitari posse, non tantùm singula, sed omnia.

Confirmatur experientiâ & testimonio ipsius conscientiæ piorum, quorum plures sic constanter constituti sunt, ut mallent mori, quàm deliberatè consentire in aliquod peccatum, etsi veniale. Quâ constitutione certum est eos deliberatè in nullum peccatum consentire.

75. Ex quibus collige, etsi non possis prudenter concipere propositum numquam omninò peccandi venialiter longiori tempore, quia hoc est impossibile; posse tamen & prudenter & utiliter breviori tempore; item longiori, etiam usq; ad finem vitæ, numquam peccandi deliberatè, quod plures Sancti & perfecti conceperunt, & servarunt, postquam vel in Religioso Ordine, vel alio vivendi genere se totos servitio divino manciparunt.

CAPUT VIII.

Remedia scrupulorum de peccatis venialibus commissis, eorumq; confessione.

76. AGo hîc Primò, de peccatis venialibus, non mortalibus, quæ ut sunt graviora & rariora, ita pauciora eorum remedia jam allata cap. 6. quæ reducuntur ad tria, scilicet contritionem, amorem Dei super omnia, vel attritionem cum Sacramento. Secundò, de venialibus commissis, quia committendis etiam conveniunt generalia remedia allata cap. 5. Universim eorum remedia etiam sunt triplicia, Sacramenta, sacramentalia, & actus pœnitentiæ: quæ paucis sunt explicanda.

Primum itaque remedium pretiosum & efficax constat ex ipsis Sacramentis, præditis virtute remittendi venialia ex opere operato, juxta opinionem D. Thomæ 3. p. quæst. 83. art. 3. & communem certamque de Sacramentis aliquibus, Baptismo, Pœnitentiâ, & Extremâ unctione institutis ad remissionem peccatorum, & de Sacramento Eucharistiæ: quia Trid. sess. 13. cap. 2. expresse definit illud sumi tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur. quod conforme est ejusdem quoque fini, qui est per modum cibi debiles confirmare, ac vitæ spiritualis, id est, caritatis, vigorem seu fervorem accendere, adeoque tollere ejus impedimenta peccata venialia. Imò juxta communiorem ac probabiliorem sententiam idem dicendum de Sacramentis quibuslibet: quibuslibet enim applicatur sanguis Christi, & convenit virtus nobilior conferendi vel augendi gratiam sanctificantem: ergo etiam remittendi venialia; cùm præsertim

Remediū primum, Sacramēta.

tim conveniat esse facilia ac multiplicia remedia contra mala tam levia, ac necessaria.

77. Tantùm adverte, verisimiliùs ad remissionem peccatorum venialium semper, etiam cum Sacramentis, esse necessarium aliquem actum pœnitentiæ, saltem virtualis, paulò pòst magis explicandum; qui videlicet, ut antè dixi in simili ex Trident. voluntatem peccandi excludat, actumque peccati retractet; ne maneat interpretativè voluntarius: nec enim convenit remitti peccatum etiamnum eo modo voluntarium. Idem eadem moderatione dicendum de Baptismo sanguinis martyrio.

78. *Secundũ, sacramẽtalia.* Secundum remedium constat ex sacramentalibus, quæ numero sex comprehenduntur hoc versiculo:

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Primum est oratio Dominica, cui, nominatim verbis, *Dimitte nobis debita nostra*, Christus ipse ejus auctor eam vim concessit: huc etjam spectant orationes factæ in ecclesiâ consecratâ, quas eo ipso sortiri vim quamdam peculiarem constat ex 3. Regum 9. nec enim novi testamenti templa inferiora sunt templo Salomonis.

Secundum est, aqua benedicta ab Ecclesiâ in hunc finem peculiariter. Quare cap. *Aquam*, de consecrat. dist. 3. dicitur precibus sacrata, populum sanctificare & mundare.

Tertium, panis benedictus, quem August. l. 3. de Peccatorum meritis cap. 26. vocat panem catechumenorum, quibus olim dari solebat. Posteà cœpit dari baptizatis loco Eucharistiæ, postquam hujus frequens usus cœpit flaccescere: & aliquid confert etiam ad remissionem venialium, ut constat ex ejus benedictione: quamvis eo fine primò benedictus non fuerit; nam catechumeni ejus effectûs ante baptismum non sunt capaces.

Quartum, confessio generalis, vel eo titulo habet peculiarem virtutem, quia fit à ministro Ecclesiæ, quæ publicis precibus eam potuit annectere. Ad hanc reducitur tunsio pectoris, quando videlicet dicitur, *mea culpa*. Eadem reduci potest ad orationem, aliàs ex se non habet illam vim.

Quintum, eleemosyna: quia opus tam nobile habet singularem vim remittẽdi peccata etiam mortalia: quod probant luculenta Scripturæ testimonia, & capitula, *Medicina* ac *Medicamentum*, de pœnit. dist. 1. Priori cap. citatur illud Tobiæ 12. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata*: & additur ex Ambrosio: *Crimina ergo eleemosynis redimũtur*. Posteriori illud Lucæ 11. imò ipsius Christi: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*; quæ à fortiori vera sunt de venialibus.

Sextò, benedictio, non tantùm Episcopi ac Abbatis, sed & sacerdotis

dotis eâdem auctoritate eam vim recepit, quâ confessio generalis, idque quamvis procederet à benedicente peccatore, cap. *Dictum*, 1. quæst. 1.

Denique præter sex sacramentalia vim remittendi venialia habet iterum sacrificium Missæ, ut certò constat ex Trident. sess. 22. cap. 2. quod definit illud verè propitiatorium esse.

79. *Tertium, actus pœnitentiæ.* Tertium remedium est actus pœnitentiæ, qui non debet esse contritio, sed sufficit attritio; etiam extra Sacramentum: nec debet ea esse formalis, sed sufficit virtualis, qualis est quodvis bonum opus omnibus, vel aliquibus peccatis venialibus repugnans, ac retractans: etiam oratio aut intentio quodvis faciendi ad ea delenda; propositum ea in posterum vitandi, vel similia. Quæ est media sententia inter nimis strictã, requirentem extra Sacramentum contritionem: nec enim verisimile est, non esse facilius remedium venialium, quàm mortalium peccatorum. & nimis laxam, quòd sufficiat quodvis bonum opus, vel satisfactio: nec enim verisimile est, remitti peccata adhuc interpretativè ac moraliter voluntaria.

Differẽtia inter Sacramenta & sacramentalia in modo delendi venialia. Observa Primò, hîc differentiam inter Sacramenta & sacramentalia; quòd Sacramentis immediatè ex opere operato infundatur gratia, & remittantur venialia absque alio opere operantis: sacramentalibus autem obtineatur auxilium excitans ad actum pœnitentiæ, quali jam dixi illa remitti, scilicet ex opere operantis, etsi ipsum auxilium impetretur ex opere operato. Simili etiam modo venialia, imò & mortalia, remittit sacrificium Missæ; quod indicat ipsum Trident. cùm dicit, per illud nos misericordiam consequi, & gratiam invenire in auxilio opportuno, dandâ occasione & tempore opportunis.

Ex dictis collige efficax remedium scrupulorum de confessione venialium: nam frustra & irrationabiliter scrupulosi sunt adeò soliciti de confessione eorumdem; præsertim quoad substantiam & numerum, quæ tot aliis mediis remittuntur extra confessionem, neque ullo præcepto confiteri tenemur, multoque minùs, si confiteamur, addere numerum aut circumstantias. Quare Trident. sess. 14. cap. 5. expresse declarat citra culpam taceri, multisque aliis remediis expiari posse. Imò non desunt, qui probabiliter putent numquam ea Sacramento, ne quidem Pœnitentiæ, remitti in actu secundo: quia vel præcedit eorum pœnitentia, qualem jam requisivi, & sic remittuntur ante Sacramentum; vel ea non præcedit, & sic ne quidem remittuntur Sacramento. Hoc tamen non videtur conforme sensui Christi fidelium, imò Tridentini cit. dicentis rectè & utiliter 80.

nos confiteri venialia, ut piorum usus demonstrat: scilicet juxta eorumdem sensum, ut confessione iis liberemur.

81. *Venialia etiam in actu secũdo sæpè remittuntur per pœnitẽtiæ Sacramẽtum.*

Quare observa Secundò, probabilius esse etiam in actu secundo ea remitti Sacramento; nimirum quando pœnitentia est nimis remissa, vel oratio nimis tepida; quamvis aliàs omnibus venialibus repugnans: quia ad actum meritorium seu remissivum venialium requiritur non tantùm repugnantia, sed etiam proportio ad eorumdem remissionem, qualis non est inter pœnitentiam remissam, & remissionem omnium venialium, quantumvis multorum & gravium. Itaque, nisi accedat Sacramentum, remittentur tantùm aliqua vel leviora, aut expressiùs nolita, vel certè à Deo designata. Quòd si illud accedat, remittentur omninò omnia, quorum præcedit qualiscumque pœnitentia. Nec enim credibile videtur, Sacramento datam potestatem remittendi venialia, quæ numquam possit exire in actum secũdum. Saltem ex dictis clarissimum est confessionem venialium nullo modo esse necessariam, ne quidem ut perfectè iis conscientia expurgetur.

Confirmatur hoc remedium scrupulorum de confessione venialium, verbis Blosii propriè ad scrupulos spectantibus cap. 1. §. 4. ex Taulero: *Quod ad veniales quotidianasq; culpas attinet, à quibus, dum hîc vivimus, omnino liberi esse non valemus; monendi estis, charissimi, ne multum soliciti sitis, néve perturbemini, si non omnes in confessione expresseritis. Illas humiliter ac seriò Deo confitemini, & contrito devotoq; corde vos reos coram eo accusabitis: sic enim iis, qui confessionibus audiendis adhibentur, nimis multum temporis non auferetur.* Item §. 1. ex Rusbrochio: *Hortor, ut maximè caveas prolixas & verbosas confessiones: nam turbabũt pectoris pacem, & erroribus ac scrupulis implicabunt. Si enim utaris in confessione multis verbis non necessariis,* putà in enarrandis peccatis venialibus, *magisq; velis tuo labore, quàm piè Deo confitendo, in hujusmodi minoribus culpis conscientiam tuam reddere pacatam; semper manebis divinæ illuminationis expers, nec à Deo doceri poteris.*

Ex dictis collige ulteriùs Secundò, remedium item efficax scrupulorum, communionem in statu peccati venialis, quo item confirmatur præcedens: nam prætérquam quòd in eo Sacramento, *in quo,* verba sunt Trident. citati, *divitias divini sui erga homines amoris velut effudit,* singulariter justus debeat confidere in tantâ ejus misericordiâ & caritate; præterea illud ipsum etiam institutum est, tamquam antidotum peccatorum venialium, necdum remissorum, ut jam dixi ex eodem Tridentino, idque peculiari ratione quæ non competit mortalibus. 82. *Remediũ aliud, cõmunio in statu peccati venialis.*

Itaque

Itaque non faciunt contra, sed potiùs secundùm exigentiam & institutionem sacratissimi Sacramenti, qui ad illud accedunt in statu peccatorum venialium, ut ab iis liberentur: & frustra scrupulosi ita se angunt, ut ante communionem confiteantur omnia omninò venialia. quod tamen aliàs omninò suadendum est, ut scilicet sacratissimum Sacramentum tantò majori fructu ac reverentiâ sumatur, quo puriori conscientiâ.

Scrupulosis consultum sæpius ad communionem accedere sine confessione.

Unde collige Tertiò, scrupulosis circa confessiones non tantùm licitum, sed consultum ac salutare esse, sæpiùs ad communionem accedere, absque confessione: optimum hoc iis erit & securissimum remedium ejusmodi scrupulorum. Quare prudenter à Confessario præscribetur conformiter dictis cap. 5. remedio octavo, & cap. 6. remedio quarto. Quòd si nihilominùs videatur expedire, ut confiteantur, saltem constringantur ut confiteantur pauca ac præcipua.

83.

Quid si timeant, ne sint in statu peccati mortalis.

Sed objicient, vereri ac dubitare se ne sint in statu peccati mortalis: huic scrupulo jam antè remedium allatum est libr. 2. cap. 15. num. 146. ubi ostendi neminem debere esse certum de statu gratiæ; sed sufficere, ut prudenter ac probabiliter credat, se non esse in statu peccati mortalis. quæ probabilis credulitas scrupuloso potest esse certitudo, ut dixi cap. 5. num. 51. & c. 6. nu. 61. Secundò, hîc applicandum est remedium generale secundum, & quintum cap. 5. videlicet scrupulosum judicio ac consilio Confessarii posse practicè, certò & ad sacratissimum Sacramentum accedere, & credere se esse in statu gratiæ; nisi de contrario certissimus sit, ita ut auderet illud jurare. Quòd si tamen esset in statu peccati mortalis, non tantùm non peccabit accedendo; sed & remissionem ejus consequetur, si videlicet accedat saltem attritus, æquè per Sacramentum Eucharistiæ, ac Pœnitentiæ: eâ tantùm differentiâ, quòd hoc id præstet per se, illud per accidens.

CAPUT IX.

Remedia scrupulorum de peccatis venialibus creditis mortalibus, & quomodo ab his illa discernantur indeliberatione?

SVperiori cap. ostensum est frustrà se scrupulosos adeò torquere ob peccata venialia, etsi facta; quorum tam varia & facilia sunt remedia: sed hoc ipsos pessimè habere solet, quòd dubitent, vereantur, vel putent esse mortalia, quæ tantùm sunt venialia. Quare addam hoc cap. regulas ac signa aliqua, quibus ea discerni possint. 84.

Differentia peccati mortalis & venialis.

Suppono Primò, ex D. Thomâ 1.2. quæst. 88. art. 1. ac Catholicâ do-

doctrinâ, peccatum mortale esse, quod destituit principio vitæ spiritualis, gratiâ sanctificante, seu caritate & amicitiâ cum Deo, adeóque ordine ac morali conjunctione cum ultimo fine: quare ipsum est mors spiritualis: unde sequitur, tamquam proprietas, dignitas pœnæ ac mortis æternæ. veniale autem, quod manente principio vitæ spiritualis, hanc tantùm reddit debiliorem, ut spiritualis morbus; quatenus scilicet, ut explicat D. Thomas, tollit non ordinem circa finem ipsum, sed media ad illum faciliùs perveniendi, quæ sunt auxilia excitantia ad fervorem caritatis, ut indicavi initio cap. 7. unde sequitur, tamquam proprietas, dignitas pœnæ alicujus temporalis, ac levioris. Addit optimâ similitudine D. Thomas, quòd peccatum mortale sit quasi error circa principia, qui corrigi non potest, scilicet defectu principii, quo intellectus errans convincatur: veniale autem, quasi error circa conclusionem, facilè corrigibilis ob rationem contrariam. Quibus conformis est communior ac probabilior sententia Theologorum, quòd justus pro peccato veniali satisfacere, ac de condigno ejus remissionem mereri possit: scilicet vi & dignitate gratiæ, principii vitæ remanentis; etsi injustus, quia spiritualiter mortuus, id minimè possit.

85. Suppono Secundò, ex dictis lib. 2. cap. 18. & 22. radicem distinctionis mortalium & venialium esse diversam difformitatem cum rectâ ratione, seu conscientiâ. Si peccatum in genere in eo situm sit, quòd repugnet rationi ac conscientiæ: ergo peccatum grave ac mortale erit, quod eidem graviter; leve autem ac veniale, quod eidem leviter repugnabit: quo ipso illud graviter, hoc leviter repugnabit legi æternæ, ut ibidem dixi. Quando autem quis deliberatè committit aliquid graviter illis repugnans, graviter item repugnat, & offendit earum auctorem Deũ, ejusque ipse amicitiæ practicè interpretativè renuntiat, redditque se dignum pœnâ jam dictâ: quod quia non facit, qui tantùm venialiter peccat, D. Thomas dicit eum peccare, non tam contra præceptum ac legem (scilicet necessariam, & connotantem suum ultimumque finem, gratiam & gloriam) quàm præter eam; etsi aliàs propriè, etsi leviter, agat contra legem, eo ipso quo contra rationẽ.

Unde naturali rationis, ac infallibili conscientiæ lumine probari potest contra hæreticos nostri temporis, quòd non omnia injustorum seu infidelium peccata sint mortalia; nec justorum venialia. Secundò, contra aliquos Catholicos, quòd peccati distinctio petenda sit etiam ex naturâ rei ac peccati; non tantùm ex benignâ Dei dispensatione punientis venialia

nialia pœnis temporalibus, etsi mereantur æternis: quia naturali lumine, ac ipsius conscientię dictamine, aliqua graviter, alia leviter improbantur à justis & injustis; & post factum, ejusdem conscientiæ iidem sentimus gravem vel levem remorsum: ejusdem itaque judicio aliqua gravi æternâque pœnâ digna sunt, alia tantùm levi ac temporali. Imò ipsa conscientia graviùs leviusque ea punit, graviùs leviusque remordendo.

86. Nota Primò, utrumque peccatũ, mortale & veniale, esse tale vel ex objecto ac genere suo, vel per accidens, cùm ob extrinsecam aliquam circumstantiam unũ transit in aliud. Quare triplex est veniale, Primò, ex genere suo, quod adæquatè etiam secundùm objectum totum suum spectatum leve est, v.g. verbum & cogitatio otiosa, mendacium officiosum, & similia; quæ numquam fiunt mortalia, quantâvis deliberatione, voluptate, & intensione fiant: Secundò, ex indeliberatione ac defectu sufficientis libertatis: Tertiò, ex parvitate materiæ, quod si magis extenderet se circa objectum ac materiam suam, esset mortale, v.g. furtum unius vel paucorum assium. Duobus posterioribus modis mortale dicitur transire in veniale. Hoc cap. agam de priori seu primo, & secundo; sequenti de posteriori modo, seu tertio; ante tamen

Veniale triplex.

87. Nota Secundò, etiam veniale transire in mortale, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 88. art. 4. Quod fit quatuor modis. Primò, si dirigantur ad finem extrinsecum, mortaliter malum, ut si quis jocetur ad fornicandum. Secundò, si in eo constituatur finis ultimus: ut colligunt ex D. Thomâ cit. art. 5. quod tunc fit, ut jam indicavi, cùm peccans ita affectus est actu, ut paratus sit ideò etiam peccare mortaliter. Tertiò, ratione vel periculi peccandi mortaliter; vel materiæ nimis multiplicatæ ac unitæ, ut explicabo cap. sequ. Quartò, ratione contemptus, ut explicabo cap. 11. Utraque hæc mutatio peccati tum venialis in mortale, tum mortalis in veniale, explicatur ab ipso D. Thomâ aptâ similitudine cibi, qui, etsi venenosus, adeoque mortalis, mortem aliquando non affert modicè sumptus: & quamvis non venenosus, mortem aliquando causat immodicè sumptus.

Quot modis veniale trãseat in mortale?

Nota Tertiò, distinguendum item esse utrumque peccatum in materiale, quod simpliciter & coram Deo peccatum non est, quo scilicet is offendatur: & formale, quod simpliciter peccatum est, Deique offensio, ut enim sæpè contingit committi peccatum materiale mortale absque omni peccato formali: ita sæpiùs contingit committi materiale mortale peccato formali tantùm veniali, idque non tantùm secũdo illo modo defectu libertatis, sed etiam ex 88.

Peccatum aliud materiale, aliud formale.

ignorantiâ, ac judicio erroneo.

89. *Nullum est mortale absq; perfectâ deliberatione.* Dico Primò: Nullum est peccatum mortale contra quamlibet virtutem, nisi illud præcesserit perfecta deliberatio, & cognitio mali. Unde sequitur, quantumvis aliàs objectum ipseque actus abominabilis sit, peccatum esse tantùm veniale, si præcesserit deliberatio tantùm imperfecta. est communis & certa.

Probatur partim ex fragilitate hominis ad malum proclivis, nec potentis perfectè advertere ad omnes rationes mali; tum enormitatis peccati mortalis, pœnæque æternæ illi debitæ; quam proinde naturali judicio & æquitate nemo meretur, nisi actu perfectè humano, libero, & deliberato. Quare nec consistit cum immensâ illâ Dei misericordiâ aliter homini tam enormem pœnam infligere.

Dixi, *perfecta*: quia imperfecta, expressa tamen deliberatio seu cognitio mali, etiam prærequiritur ante omne peccatum veniale, ut dixi cap.7. remedio primo. Rectè S.P.N. libello Exercitiorum in examine conscientiæ generali: *Peccat autem leviter aliquis, seu venialiter, quando in subortâ peccati mortalis cogitatione aliquantulum moratur, quasi auscultando, vel quando aliquâ obiter sensûs delectatione afficitur, vel in eâ retundendâ sese exhibet negligentem,* scilicet absque consensu perfectè deliberato, ut fit in motibus, qui dicuntur secundò primi.

Observa tamen non posse, nisi à Deo certò discerni, quando præcisè deliberatio ad requisitam illam perfectionem pervenerit; afferri tamen probabilia signa & similitudines ad hoc explicandum à Doctoribus. Primò, à Cajetano in Summâ v. *Delectatio*, paulò post initium; ut non censeatur deliberatio perfecta, quando est similis illi, quam de peccato pollutionis habent semiexperrecti; vel de quovis objecto semiebrii. Secundò, à Valent. 1.2. disp. 6. quæst. 4. puncto 3. §.2. ut censeatur perfecta, quando ratio advertit non tantùm objectum malum, sed ejus circumstantias, seu, ut loquitur Aristoteles in definitione voluntarii, singula in quibus est actio, quibus moveri possit ad illud discutiendum. Quod tamen signum non est infallibile: etsi enim tunc communiter deliberatio sit perfecta; non tamen semper: quia verisimiliùs possunt etiam circumstãtiæ cognosci imperfectè, ipsaque malitia etiam mortalis, & dignitas pœnæ æternæ. Ita semiebrii cognoscunt sæpè illas, quia de iis loquuntur & discurrunt, sed imperfectè; quæ imperfectio cognitionis, advertentiæ, vel deliberationis se habet ex parte actûs, non objecti: quemadmodum imperfectiori lumine videmus eadem, quæ perfecto, sed imperfectiùs. Neque ulla est ratio, cur ab uno extremo insipientiæ non debeat, aut saltem possit,

90. *Quando censenda deliberatio perfecta?*

possit, per illud quasi medium veniri ad aliud sapientiæ, ut à tenebris noctis venitur ad lucem diei per medium lumen auroræ.

91. *Datur status, in quo possit peccari venialiter, & non mortaliter.* Unde sequitur, dari sæpè statum, in quo quis possit, imò peccet, venialiter; non tamen possit mortaliter: v.g. in pueris, semiebriis, aut abreptis vehementi passione, scilicet quamdiu illa durat. Quod docet Granadus 1. 2. controversiâ 6. de peccatis tract. 2. disp. 2. num. 28. qui addit num. 2. ex Medinâ, Sayro, & Sanchez lib. 1. num. 20. probabiliter credi posse, non fuisse sufficientem libertatem ad peccatum mortale, quoties quis dubitat an pravæ cogitationi consenserit in somno, vel vigiliâ. Quod tamē vix ausim dicere, nisi de viro probo & timorato, de quo etiam ipse videtur se explicare: de illo enim procedit ratio, si peccatum mortale admisisset, quod adeò horret, id sciret: ut enim ait apud eumdem Didacus Alvarez, consensus in peccatum mortale est tanta iniquitas, ut celari aut ignorari non possit. de scrupuloso id certum est.

92. *Cognitio necessaria ad deliberationem etiā versari debet circa objecti malitiam.* Dico Secundò: Non tantùm cognitio prærequisita ad peccatum mortale debet esse perfecta eo modo ex parte actûs; sed etiam objecti, quod cognoscatur, non quidem necessariò, ut mortaliter, sed ut graviter malū. hoc sequitur ex dictis super. lib. cap. 20. nu. 205. cum Valentiâ & Salas ibi citatis: quia, nisi ipsa etiam gravitas saltem in confuso cognoscatur, non potest ipsa seu peccatum, quatenus grave, esse voluntarium. Quare prosequi malum in genere nullâ ratione cognitum ut grave, peccatum est veniale; quamvis materialiter sit mortale.

Ex dictis collige Primò, motus inhonestos ex imaginatione aut aliunde secutos, si vel nullo modo præcogniti fuerint, vel non ut mali, nullo modo esse peccata; si præcogniti, sed imperfectè, vel ex parte actûs, vel etsi ex illius parte perfectè, imperfectè tamen ex parte objecti, esse peccata venialia: quòd si perfectè cogniti ex parte actûs & objecti, sunt peccata mortalia. Idemque dicendum de quibusvis aliis motibus, actibusque. 93. *Motus inhonesti quando peccata sint.*

Addo, totam illam mutationem moralem convenire posse eidem numero motui & actui physico: quia hic in voluntate aliâve potentiâ potest manere physicè idem; etsi dicto modo mutetur in intellectu cognitio, & advertentiâ rationis.

Collige Secundò, eo etiam sensu peccata fieri venialia defectu perfecti consensûs. Perfecti inquam moraliter, non physicè: quia eo ipso, quo defectu plenæ advertentiæ ac deliberationis, est imperfectè liber, etiam est moraliter imperfectus; etsi physicè esset perfectus, seu intensus. Ubi suppono libertatem, etsi formaliter competat voluntati, radicaliter tamen conve-

convenire intellectui, objectum illi proponenti sub ratione boni, quâ possit illud prosequi; & sub ratione mali, quâ possit aversari, quæ dicitur indifferētia objectiva.

94. *An ad peccatum mortale requiratur plenitudo consensûs præter deliberationem?* Adverte tamen, Sanchez libr. 1. cap. 1. num. 12. præter perfectam deliberationem ad peccatū mortale requirere plenum consensum, & videri hujus plenitudinem distinguere ab illius perfectione: quare addit tepiditatem consensûs non sufficere ad peccatum mortale: non video tamen quæ plenitudo seu imperfectio in consensu voluntatis requiri possit ad peccatum mortale, præter perfectam libertatem. Præter hâc enim nil in illo reperitur, nisi intēsio: satis autem certum est, non requiri ad peccatum mortale certam actûs intensionem, quę ne quidem reperitur ad contritionem & amorem Dei super omnia. Imò si juxta probabiliorem sentētiam detur omissio pura & libera, hæc potest esse mortaliter mala absque omni omninò actu, multò magis intensione physicâ.

Libertas minuitur tractione appetitûs sensitivi. Adverte Secundò, libertatem consensûs minui, non tantùm imperfectâ cognitione, sed etiam passione ac sympathicâ tractione appetitûs sensitivi: quia eo ipso consensus voluntatis, etsi physicè intensus, minùs est ab intrinseco. Nec video, cur illa non possit esse tam vehemens, ut tollat perfectam libertatem requisitam ad mortale; quamvis non facilè id cognosci aut possit, aut asseri debeat, dum relinquitur perfecta deliberatio.

Adverte Tertiò, ex D. Thomâ 1.2. quæst. 15. art. 4. ac dictis libr. 1. cap. 5. consensum in malum spectare ad partem animæ, seu rationem superiorem, quatenus hæc comprehendit voluntatem, appetitum rationalem: ad ipsam enim, ut supremum judicem, ille spectat quasi finalis sententia. Quare non sufficit ad peccatum consensus & advertentia partis inferioris, scilicet appetitûs sensitivi, & imaginationis. Sed hoc, etsi Sanchez doceat de peccato tantùm mortali, verum quoque est de veniali. 95.

96. *Regulæ ad discernendum consensum perfectum ab imperfecto.* Denique adverte hîc aliquot regulas ad discernendum consensum perfectum ab imperfecto, adeoque peccatum veniale à mortali, optimè traditas à Sanchez cit. à num. 17.

Prima est: appetens aliquid mali, sic tamen constitutus, ut, etsi facilè posset, id non exsequeretur, nullo, aut imperfecto modo consentit; quia videlicet aliàs potentia exsecutrix voluntati obediret, & exsequeretur.

Secunda est: si motus pravus brevi tempore duret, eò quòd paulò postquam advertitur rationi ac conscientiæ repugnare, à voluntate repellatur, signum est nullius, vel imperfecti consensûs: quia homo eget saltem brevissimo

vissimo tempore ad deliberandum.

Tertia: non est signum certum consensûs mora temporalis delectationis, etsi post plenam cõsiderationem, ut esset v. g. mora ac duratio ambulationis: quia appetitus sensitivus non obedit voluntati despoticè, ut potentia motiva, sed politicè: quare illi aliquamdiu resistit. Hac ratione Cajet. cit. in fine rectè docet, excusari multas negligentias à mortali, etiam post plenam advertentiam, præsertim in sic dispositis, ut mori mallent corpore, quàm animâ.

Quarta: ipsa dubitatio, an aliquid volueris, dixeris, feceris; dormiens, an vigilans; sobrius, an ebrius; tui compos, an phrenesi abreptus; magnum indicium est imperfectæ deliberationis: quia perfecta deliberatio solet relinquere sui memoriam, secùs quàm imperfecta, vel cogitatio, aut imaginatio necessaria; ut experiuntur ebrii, & somniantes.

Quinta: quam etiam tradunt Medina 1. 2. quæst. 74. art. 8. in fine, & Sayrus Clavi regiâ libr. 8. cap. 7. num. 6. in fine: similiter dubitatio de consensu perfectè libero viri bonis moribus, & timidâ conscientiâ, signum est imperfecti consensûs; secùs quàm viri moribus pravis, & conscientiâ perditâ: quia cùm prior adeò horreat peccatum mortale, meminisset si commisisset; secùs quàm posterior.

Addo, scrupulosis, singulari privilegio suprà explicato, hæc signa non esse tantùm probabilia, ut aliis, sed certa.

CAPVT X.

Quomodo peccata venialia discernantur à mortalibus, parvitate materiæ?

SVppono communem certamque sententiam: quòd ad obligationem, ac culpam peccati mortalis requiratur materia gravis: quod non tantùm verum est de lege humanâ, sed etiam naturali ac divinâ: quia universaliter, vel naturali rationis lumine apparet ad peccatum mortale, culpam, pœnamque tam enormem, requiri rem opusque magni momenti; quale non est, quod versatur circa materiam parvam. Si nimis dura & irrationabilis haberetur lex & decretum, quo ob quid parvum infligeretur pœna tẽporalis mortis corporeę; quantò magis, quo simili causâ infligeretur pœna æterna mortis spiritualis? Imò hoc adeò verum est, ut nullus legislator, etsi velit, possit in materiam parvam obligationem sub mortali inducere: quamvis verisimiliùs possit in materiam gravem inducere obligationem levem; scilicet intendendo expresè obligare tantùm leviter. Quare certum omnibus est, peccatum aliàs ex genere seu objecto mortale, fieri vel transire in ve-

97. *Ad peccatũ mortale requiritur gravitas materiæ.*

 niale

niale parvitate materiæ: sed practica difficultas, quænam sit, vel unde dignoscenda materiæ parvitas?

98. *In quibusdam nulla datur materia parva.* Nota, ex hoc capite non fieri peccatum veniale in omni materiâ contra quamvis virtutem, ut super. cap. dixi de indeliberatione; sed juxta jam dicta, id non ideò contingit, quòd in illâ materia ad peccatum mortale non requiratur gravis; sed quia omnis est gravis, nec ulla datur materia parva, eò quòd in quavis reperiatur difformitas à ratione, adeoque offensio gravis. Cujusmodi potissimùm sunt ea quæ immediatè versantur circa majestatem divinam, Dei odium, contemptus, infidelitas, perjurium assertorium, blasphemia, quatenus versatur circa ipsum Deum, non Sanctos. Idem multi docent de simoniâ; quod saltem verum est, cùm ea versatur circa rem in substantiâ supernaturalem: nam eam quantumvis exiguam commutare, itaque comparare cum re temporali, magna est in ipsum quoque Deum injuria. similiter in minimo, deliberatè tamen, Deum odisse, contemnere, discredere infidelitate, advocare testem falsi perjurio, & blasphemare, apparent per se rectæ rationi graviter repugnantia.

99. *Materiæ gravitas prudẽtum judicio pensanda.* Dico Primò: Quæ sit materia parva, seu levis, vel gravis, certa regula statui nequit; sed hîc & nunc prudentis arbitrio consideratis circumstantiis & fine rei præceptæ statuenda. Ita tandem omnes.

Probatur: quia non potest formari morale ac prudens judicium, nisi de re cõsideratâ cum omnibus circumstantiis, ac fine; neque debet ea spectari hîc physicè & speculativè, sed moraliter, ac practicè. Quo sensu rectè dixit Cajetanus Summâ, v. *Praeceptum*, videri impossibile in jure humano ex solâ materiâ discernĕre obligationem sub mortali; quòd Superior sæpè habeat rationem finis & circumstantiarum, quas subditi ignorant. Imò eâ tantùm ratione fuit materia & peccatum grave protoplastæ Adæ & Evæ comedere pomum: quia illud quantumvis physicè parvum, moraliter maximum fuit, in iis circumstantiis, quibus per illos etiam à toto genere humano obedientiam Deus exigebat.

Ex quibus collige Primò, præcepta Superiorum, etsi de re levi videantur, non esse facilè contemnenda, quasi excedentia materiæ capacitatem; nec censuras, quasi tantùm ad terrorem comminatorias, quòd illi considerent fortè circumstantias, vel intendant finem subditis ignotum: cùm præsertim, ut dixi lib. 4. c.14. in dubio Superiori obediendum sit, privilegio possessionis: si tamen constet omnibus consideratis rem parvam esse, quam Superior præcipit, non obligat nisi sub veniali, quibuscumque verbis præcipiat, 100. *Quando in præceptis Superiorum sit parvitas materiæ*

piat,

piat, etiam in virtute obedientiæ.

101. Collige Secundò, eamdem materiam, quæ magna est respectu unius præcepti, finisque ab eo intenti, aliquando parvam esse respectu alterius. Exempli causâ, audire Missam diebus festis magna est materia respectu præcepti Ecclesiastici, finisque ab eo intenti, cultûs divini, illis saltem diebus ab omnibus exhibendi; nec non spiritualis eorumdem fructûs. Eadem tamen materia parva esset, respectu præcepti politici lati à principe sæculari, Universitate, vel Seminario studiosorum, ad bonam gubernationem. Ita Vasquez 1.2. disp. 158. cap. 6. num. 60. Sanchez citat. cap. 4. num. 6.

102. *An multæ materiæ parvæ conflent unam magnam?* Petes, an & quomodo multæ materiæ parvæ conflent unam totalem magnam?

Respondeo Primò, negativè, nisi peculiari aliquâ ratione inter sese moraliter continuentur, ac uniantur ratione sui, & objectivè; non tantùm ratione unius peccatoris, ac subjectivè. Aliàs multa peccata venialia tandem efficerent mortale, contra communem certamque sententiam Doctorum: imò ne quidem illa, quantumvis multiplicata, umquam adæquant malitiam peccati mortalis; quemadmodum vulnera levia quotcumque numquam adæquant unum lethale, ut docet D. Thomas 1.2. quæst. 88. art. 4.

103. Observa tamen ex D. Thomâ citato, venialia disponere ad mortalia, *Venialia multis quo sensu ad mortale deducant.* tum directè facta ex indeliberatione, v.g. motû primò vel secundò primum ad delectationem morosam; de quo peccato vel facto ex contemptu videtur intelligi quod ex Augustino dicitur cap. *Vnum*, dist. 25. *Nullum peccatum veniale est, dum placet.* vel indirectè quævis: qui enim assuescit appetitum rationi præponere in parvis, faciliùs idem faciet in magnis. Ad quam rationem naturalem accedit supernaturalis, subtractio gratiæ. Quâ ratione sensuque *qui spernit modica, paulatim decidit*, Eccli. 19. &, *Peccata parva, si crebra, tandem nos opprimunt, sicut grande peccatum*. cap. *Tres sunt*, de pœnit. dist. 1. ex Augustino. Quemadmodum etiã vulnus aliàs leve, si negligatur, fit lethale: nec alio sensu tepidos, & laxos in iterandis venialibus, Deus incipit evomere ex ore suo Apoc. 3. scilicet, paulatim subtrahendo gratiam, itaque permittendo lapsum mortalem. Unde collige, propositum committendi omnia vel pleraque venialia, quorum occasio se obtulerit, mortale esse ratione periculi peccandi mortaliter; idque quamvis propositum restringatur ad unam materiam valdè lubricam, v.g. luxuriæ.

Respondeo Secundò, affirmativè: quando sic moraliter uniuntur ratione sui, vel saltem effectûs. Quare tunc conflant unam malitiam objectivam mortalem, 104. *Materia parva quando magnam conflent?*

 ac

[illegible] transit in [illegible]

in materiâ furti, Ita Primò, peccat mortaliter, qui post multa furta minima furatur aliquid, quod cum aliis antè ablatis sufficit ad materiam gravem, sufficientem ad peccatum mortale, saltem quatenus illa omnia conflant materiam gravem retentionis: nam simul omnia retinet, etsi non simul abstulerit.

Unde necessariò sequitur, peccare mortaliter, qui uult furari vel omnia, etsi diversis vicibus, vel ultimum, quod eam materiam compleat.

105. *in materiâ intẽperantiæ,* Secundò; similiter fit gravis materia intemperantiæ postremâ comestione, etsi secundùm se exiguâ; quæ juncta præcedentibus, etsi interruptis, incipit graviter nocere valetudini: quia manent, & uniuntur omnium effectus. Idem eâdem ratione dicendum de potatione, quâ post alias turbatur ratio. Ita ferè Vasquez disp. 146. cap. 2. nu. 6. & Sanchez cit. num. 11. Qui meritò hinc inferunt, decipi eos, qui putant non esse mortale sæpiùs die jejunii modicũ comedere: quia cùm sit eadem dies, moraliter continuantur eæ comestiones: addo, sic etiam manere & uniri earumdem effectus contra finem jejunii. Aliud dicendum de diversis diebus: quare nec esset mortale velle diversis, secùs quàm unâ die, sæpiùs parum comedere.

106. Tertiò, ob eamdem causam mortale esset unico die festo sæpiùs, exiguo tempore serviliter operari, ob eamdem causam: quia opera licet interrupta, uniuntur eodem festo, & ratione effectûs sui non minùs distrahunt & impediunt finem præcepti ea prohibentis, quàm si physicè continuarentur: quæ rationes, quia cessant de diversis festis, contrarium de iis dicendum est. *in observantiâ Festi,*

Quartò, si quis voto, juramento, aut quovis præcepto teneatur quotidie, v. g. vel recitare orationem Dominicam, vel dare parvam eleemosynam, distinguendum est, conformiter jam dictis: vel enim illud recitandum, aut dandum quotidie in honorem diei cujusque, aliámve causam ad illum restrictam; & tunc variorum dierum parvæ materiæ non unientur, neque conflabunt materiam gravem peccati mortalis: quare nec omittere, quantumvis multis diebus, nec illud velle, est peccatum mortale. Vel utrumque faciendum est aliâ de causâ, v. g. ut tandem recitetur tantus numerus orationum, vel erogetur tanta eleemosyna, apposito tantùm tẽpore, tamquam termino exsecutionis saltem partialis: & tunc ex dictis materiis conflabitur una totalis. Quare peccatum erit mortale non tantùm velle omnes omittere, sed negligere illam, quæ præcedẽtibus addita sufficit ad materiam gravem. Ratio disparitatis est, quia 107. *in voto quotidie aliquid præstandi.*

priori

priori modo singulæ materiæ alligatæ sunt suis diebus, ut iis elapsis cessset earum obligatio, quare non uniuntur cum aliis. Juxta quam distinctionem conciliari possunt variæ de casu proposito sententiæ, vel locutiones.

Gravitas materiæ absolutè statuenda, non respectivè ad personam, aut totū.

108. Dico Secundò: Levitas & gravitas materiæ definienda est absolutè omnibus spectatis, nō respectivè, quatenus spectat hanc vel illam personam, vel est totum aut pars magni vel parvi totius. Videtur reipsâ communis, etsi modo loquendi dissentiat Sanchez nu. 18.

Probatur ab incommodis: quia aliàs v. g. in materiâ furti non esset materia gravis, aut peccatum mortale, furari 10. 20. 50. nummos, centum florenos diviti, vel ditissimo principi, ac Regi; quia ea respectu illorum non est materia & damnum grave. Idemque dicendum esset de eâdem, imò majori summâ ablatâ plurimis. Similiter, respectu voti erogandi hodie decies mille florenos, aut recitandi totidem orationes Dominicas, non esset grave omittere mille, vel saltem centum florenos, aut orationes: quia respectu tanti totius ea pars esset parva. Contrà verò esset grave ac mortale, omittere vel unicam orationem, aut florenum, quando ea esset tota materia voti, sive etiam præcepti, aut saltem pars notabilis parvi totius, v. g. trium florenorum, aut orationum. Quare etiam nimis scrupulosa censetur sententia Navarri, quòd tertia pars Horarum etiam parvarum, & nominatim initium Primæ usque ad 1. psalmū sit materia gravis, sufficiens ad mortale: quia videlicet, etsi dicta pars sit notabilis respectu sui totius, non tamen absolutè. Similiter, in materiâ violationis festi, non tantùm non esset notabilis labor servilis unius horæ, ut ex Suarez dicit Sanchez, sed ne quidem plurium: quia videlicet non est notabilis respectu viginti quatuor horarum. Ob eamdem causam die jejunii vesperi plus liceret sumere viro robusto, quàm debilioris stomachi, si videlicet quantitas similiter definienda esset respectivè: nec enim videtur ea refectio tantùm permissa, ne potus noceat, ut ait Sanchez; sed simul etiam ad aliquam sustentationem naturæ.

Probatur Secundò, ratione, & 109.
explicatur: quia simpliciter & moraliter res tales meritò censentur, quales sunt absolutè, vel respectu plurimorum, ut & rerum pretia: quales enim sunt respectu hujus, vel illius, vix quisquam novit. Quare etiam in materiâ justitiæ ac furti, communiter admittitur materia absolutè sufficiens ad peccatum mortale, cuicumque auferatur, v.g. aureus vel florenus; vel, ut quid statuatur universale omni loco temporique conveniens merces operarii pro uno alteróve die: quòd autem respectu aliquorum

sufficiat minor materia, fit per accidens ratione gravis damni ipsis illati; ut, si valdè pauperi auferas assem, quo erat empturus sibi necessarium panem, vel sartori acum, unicum & necessarium instrumentum. Similiter ergo in materiâ aliarum virtutum præcepti ac voti datur gravis materia absolutè, respectu cujuscumque, quod concedit Sanchez, v.g. tertia pars rosarii, seu coronæ B. Virginis, aut preces illi æquivalentes: quæ precum quantitas ferè respondet duodecimę parti integri Officii divini, qualis est una Hora, vel Nocturnum, aut pars illi æqualis: quanta materia probabiliùs requiritur ad peccatum mortale, contra præceptum recitandi Officium, & obligationem restituendi inde ortam. Quod ipsum potiùs confirmat conclusionem; quia pars duodecima non est notabilis respectu sui totius. Itaque minor materia erit absolutè, & respectu cujuscumque levis, nisi quis etiam per accidens teneretur sub mortali orare, & recitare saltem orationem Dominicam, v.g. ad superandam gravem tentationem.

110. *Quando sit grave peccare in legē prohibentem ad evitādum dānū grave?* Ex dictis collige, quod bene docet Sanchez num. 8. citans & sequēs Victoriam de Potestate civil. num. 19. cùm leges aliquid prohibent ad vitandum damnum, probabiliùs ad materiam gravem non esse necessarium, ut singulis vicibus grave damnum incurratur; sufficit eam secundùm se gravem esse. Exempli causâ, si prohibitum sit, ne ex urbe exportentur certæ merces aut pecuniæ, grave erit vel semel eas notabili quantitate exportare; etsi inde non sequatur grave damnum: tum quia, ut dixi, ea nihilominus materia secundùm se absolutè magna est; tum quia, si singulis id liceret, tandem etiam grave damnum civitati inferretur.

Dixi in conclusione, *omnibus spectatis*, juxta dicta conclus. 1. quare non nego habendam aliquam rationem, etiam totius, cujus aliquid sit pars; quatenus scilicet inde colligi potest, an tanta materia notabiliter vel parum conducat ad finem præcepti, adeoque sit absolutè magna vel parva: quâ ratione intelligi potest Sanchez, & Doctores ab eo citati. Ita in exemplo Suarez, quia hora est tantùm vigesima quarta pars diei naturalis, quo præcipitur cultus festi, colligi potest laborem servilem unius horæ non repugnare graviter dicto ejus fini, quod tamen non debet extendi ad complures horas: quia communi hominum sensu praxique potiùs videtur hîc spectanda dies artificialis, quàm naturalis. Ita etiam rectè docet Azor, quòd omissio minoris partis tertiâ, possit esse mortalis, si totum sit valdè magnum; quæ tamen esset venialis, si totum esset minus: quatenus videlicet prior omissio absolutè III. *Quænam in gravitate materiæ habenda sit ratio totius?*

lutè potest & solet esse magna, posterior parva.

112. *Quanam peccata habenda pro mortalibus?* Denique ex dictis collige Primò, veram esse ut communiter receptam doctrinam Richardi à S. Victore, lib. de Differentiâ peccati mortalis & venialis, sub finem, quòd peccatum mortale non posset ab ullo committi sine grandi corruptione sui, sine gravi læsione proximi, & sine gravi contemptu Dei. Cetera autem omnia pro venialibus habenda sunt: quia, ut probavi hoc capite, requiritur materia gravis, adeoque grave peccatum materiale, & perfecta deliberatio ac libertas; adeoque grave etiam peccatum formale, ut probavi cap. superiori.

113. Unde collige Secundò, à timentibus aliquo modo Deum, nedum scrupulosis, satis rarò committi mortalia: vel enim deest materia gravis: vel, si hæc adsit, deest perfecta advertentia ac libertas. Nec enim tam subitò ac facilè mutari solet hominis voluntas, ut, quod paulò antè adeò horruit, nunc deliberatè sciens & volens amplectatur. Quare sæpiùs etsi constet de materiâ gravi, non est præsumendum adfuisse perfectam deliberationem; ideoque credendum commissum mortale tantùm materiale, formale autem tantùm veniale.

114. Denique eximendus est hîc vulgaris scrupulus, natus ex divisione peccatorum in septem mortalia, vulgò nota, & in praxi frequentia: quæ dicuntur mortalia, quòd talia esse possint, sintque fontes & capita ceterorum, etsi ordinariè sint tantùm venialia; imò aliqua videantur talia ex genere suo, ut gula, avaritia, & acedia sumpta pro tepiditate. Quare D. Thomas 1. 2. quæst. 84. art. 4. ex Gregorio 31. Moralium cap. 31. vocat ea non mortalia, sed capitalia.

CAPUT XI.

Remedia scrupulorum de obligatione legum, ac regularum.

SUppono dicta libr. 1. cap. 22. quòd illæ verè obligent in conscientiâ, idque sub mortali, cùm adsunt omnia ad hoc requisita, potestas, intentio graviter vel sub mortali, aut secundùm exigentiam materiæ obligandi, & materia gravis, juxta dicta super. cap. 115.

Nota Primò, ἐπιείκειαν, seu benignam juris legisque interpretationem, de quâ egi libr. 4. cap. 17. non habere tantùm locum in dubio, sed etiam, imò potissimùm, extra dubium, quando res seu intentio legislatoris certò, vel saltem probabiliter, cognosci potest: tunc enim absque recursu ad Superiorem ac legislatorem ea permittitur cuivis viro docto, ut ibidem dixi. quod probatur ex ipso Jure C. de judiciis l. *Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ æquitatisq; quàm stricti juris rationem.* & ff. de legi- *ἐπιείκεια quando locum habeat?*

legibus, l. *Nulla juris ratio aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos interpretatione duriore contra ipsorum commodum producamus ad severitatem.* Quibus conformis est regula Juris in 6. *Certum est quòd is committit in legem, qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem.* Quibus verbis significatur officium *epikiæ*: aliquando contra verba legis complecti legis voluntatem, seu intentionem, scilicet ejus medullam & animam, relicto cortice & corpore.

Ratio ulterior affertur ab ipso etiam Jure Canonico in proœmio Clementinarum, & civili leg. *Non possunt iisdem*: quòd non possunt omnes casus legis ejus verbis ita exprimi, quin sæpiùs recurrendum sit ad prudentem ac benignam interpretationem. Quare Hallus lib. 3. cap. 22. eos, qui nimis tenaciter inhærent verbis statutorum, vocat litterales tyrannos, inhumanos, duros & crudeles. *Est autem,* ait Gerson de regulis moralibus, *æquitas, justitia pensatis omnibus circumstantiis dulcore misericordiæ temperata. Hoc,* addit, *intellexit, qui dixit: Ipsæ etiam leges cupiunt, ut jure regantur; & Sapiens: Noli esse justus nimis; alioqui summa justitia, summa injustitia fit. Omnia mandata Dei æquitas, id est, cum æquitate pensanda.* Hæc Gerson.

116. *Triplex interpretatio Iuris: judicialis, doctoralis, necessaria.*

Nota ergo Secundò, rectè distingui ab iisdem Doctoribus triplicem interpretationem ac exceptionem Juris, judicialem, doctoralem, & necessariam, ideò spectantem ad quemlibet. Ad Primam spectat irritatio legis, necdum receptæ, abrogatio ejus jam receptæ, dispensatio in aliquo particulari casu ac personâ, ut & privilegium seu potestas contra eam aliquid agendi. Quæ omnia requirunt ac supponunt potestatem jurisdictionis, quare non conveniunt nisi Superioribus.

Secunda eadem est cum epikià, nec requirit potestatem, sed prudentiam & eruditionem, ideóque convenit etiam subditis. Tertia nec potestatem requirit, nec eruditionem, sed naturale tantùm judicium, quòd necessitas non habeat legem, quare convenit omnibus.

117. *Diversitas triplex verborum legis.*

Nota Tertiò, triplicia distingui verba legislativa. Primò, præceptiva: *Præcipio, jubeo, mando, obligo, prohibeo, inhibeo, veto, interdico.* Secundò, iis æquipollentia: *Debeat, teneatur, necessariò, necesse est, non licet, non potest.* Utraque hæc verba multi simpliciter dicunt significare vim & intētionem obligandi sub mortali. Abbas, Cajetanus, Sylvester, Castro, Azor, aliique. Tertiò, communia: *Moneo, hortor*; & verisimiliùs, *Ordino, statuo, cōstituo, sancio, volo, intendo, decerno*; quibus adnumerari potest, *Oportet*; quod tantùm significat debitum honestatis. Hęc verba Abbas, Navarrus & Philiarcus

cus putant significare obligationem sub veniali. Imò Bonacina posteriora etiam sub mortali. Quartò, addi possent tamquam dubia, verba imperativi modi: *Facite*, vel *faciant*, aut *Ne facite, ne faciant*. Quæ nunc consilium, nunc præceptum significant, tam in Scripturâ, quàm Jure. Quare ex consuetudine aliisque circumstantiis colligendum est utrum hîc & nunc significent.

118. *Quæ verba obligationem inducant, quando?* Dico Primò: Verba tertii generis nullam significant aut inducunt obligationem, ne quidem sub veniali: secundi & primi tunc tantùm sub mortali, cùm est materia gravis. Tota conclusio videtur reverà communior, etiam posterior pars: quia plures, qui obligationem sub mortali colligunt ex illis verbis, non excludunt, sed supponunt materiam illi proportionatam, ut & clementina, *Exivi de paradiso*, de verb. significat. & cap. *Exiit*, eodem, in 6.

Probatur itaque conclusio, tum ex ipsâ dictorum verborum significatione, juxta communiorem sensum Doctorum Ledesmæ, Medinæ, Salonii, Vasquez, Toleti, aliorumque quos citat & sequitur Sanchez cap. 4. à num. 29. Tum ex dictis initio superioris capitis, quòd ex naturâ rei ad gravem obligationem necessaria sit gravis materia.

Confirmatur & conclusio, & dicta de significatione verborum illorum: quia, ut docet Cajet. Armilla, Navarrus, Philiarcus, quos citat & sequitur Sanchez num. 66. contra Joannem Medin. Castro, Valent. in dubio, vel an verba obligationem sub mortali significent, vel an lex sub mortali obliget, possunt practicè existimari non obligare: quare si apta sint ad significandam obligationem sub mortali & veniali, possunt intelligi de veniali: quia ipsis legibus statutum est; quæ de pœnâ majori & minori possunt intelligi, in dubio de minori interpretandas esse, reg. *In pœnis*, in reg. Juris in 6. l. *Interpretatione*, & l. *Si præses*, ff. de pœnis. Cujus ulterior ratio petenda est ex dictis libr. 4. quia obligatio sub mortali est pœna, & onus valdè grave; quale in dubiis non est subeundum, eligendo partem tutiorem: quod multò certius est de scrupulosis, ut constat ex dictis cap. 5. & 6.

Adverte, omnem legem, eo ipso quo lex est, necessariò sub culpâ & in conscientiâ obligare, etiam merè pœnalem; scilicet ad ipsam pœnam subeundam, v. g. hanc: Jubemus, ut arma gestans talem mulctam pendat. Quòd si esset mixta, v. g. Jubemus ne quis arma gestet, sub tali mulctâ; nascitur obligatio duplex, ad pœnam saltem tolerandam, & rem sub pœnâ præceptam. Imò pœna addita etjam signum est obligationis gravis vel levis, prout ipsa gravis vel levis fuerit. Quare pœnæ graves, tum 119. *Omnis lex sub culpâ obligat: quanā sub mortali?*

 spi-

ſpirituales, v.g. excommunicatio, etiam ferenda, aliæque cenſuræ & irregularitas; tum corporales, mors, flagellatio, triremes, gravis infamia, perpetui carceres, ſigna ſunt obligationis ſub mortali: nec tantùm in verbis præceptivis, æquipollentibus, dubiis; ſed etiam communibus, juxta Navarrum Summâ cap. 23. Caſtro libr. 5. de Lege pœnali c. 5. quos ſequuntur alii. Quòd ſi res aliàs gravis præciperetur ſub pœnâ levi, videtur hæc ſatis indicare intentionem obligandi tantùm leviter, ſub veniali.

120. *Signa obligationis ſub mortali.*

Ex quibus collige, obligationis ſub mortali ſigna eſſe, Primò, verba, ſi expreſsè eam ſignificent, aut iis addatur: *In virtute ſanctæ obedientiæ: In nomine* vel *virtute* IESV, ſeu *Spiritus ſancti*: *In virtute voti*, aut *juramenti*. Secundò, materiam gravem.. Tertiò, pœnam item gravem. Quare nequaquam eſt recipienda, aut practicè uſurpanda ſententia aliquorum, qui putant pœnam externam, etiam civilem, ſignum eſſe nullius obligationis in conſcientiâ. Eadem erunt ſigna obligationis ſub veniali, ſi vel verba eā ſignificent, vel ſit materia aut pœna levis. Quòd ſi verba neutram determinatè, ſed in genere obligationem ſignificent; neque ulla pœna appoſita ſit, credendus eſt legiſlator voluiſſe obligare pro capacitate materiæ, ſub mortali, ſi illa ſit gravis; ſub veniali, ſi illa levis, niſi aliud conſtet receptâ conſuetudine, alióve ſigno: quemadmodum receptum eſt Ordinibus Regularium, ut nullum Superioris mandatum obliget ſub mortali, niſi mandetur, id eſt, *in virtute obedientiæ*, aut terminis æquivalentibus: ut teſtantur D. Antoninus, Vaſquez, Leſſius, quos citat & ſequitur Sanchez.

121. *Regulæ Regularium, non tamē omnia, obligant ſub peccato.*

Dico Secundò: Idem dicendum eſt de legibus ac regulis Regularium, quamvis aliquorum regulæ ſub nullo peccato obligent. Prior pars eſt communis, & probatur ex cap. & clementinâ citatis, quibus Pontifices, ſenſu præced. concluſionis, ex verbis præceptivis vel æquipollentibus inferunt regulam S. Franciſci obligare ſub mortali, adduntque expreſsè ſic præcepta ſervanda eſſe, tamquam præcepta: reliqua tantùm, ut conſilia. Ratio eadem & univerſalis eſt, quòd iis verbis ſigniſque ſatis conſtet de intentione ſic obligandi Fundatorum, ſeu Patriarcharū Ordinum. 122.

Poſterior pars eſt item communis, ut de regulis Ordinis ſui docet ac teſtatur D. Thomas 2.2. qu. 186. art. 9 ad 1. Sylveſter v. *Religio*, qu. 11. dicto 1. aliique. Idem conſtat de regulis Societatis noſtræ, & teſtatur de regulis Minimorum Paſſarellus apud Sanchez, contra Joannem de Neapoli apud eumdem Sanchez, à quo non diſſentiunt aliqui recentiores.

Probatur, quia ipſi legiſlatores,

ſeu fundatores, teſtantur ſe nolle obligare ſub ullo peccato. Regulis Prædicatorum additur: *Nolumus obligare ad culpam*. Quintâ part. Conſtitutionum noſtrarum cap.5. S.P.N. *Viſum eſt*, inquit, *nobis in Domino, nullas conſtitutiones, declarationes, vel ordinem ullum vivendi poſſe obligationem ad peccatum mortale, vel veniale inducere, niſi Superior ea in nomine Domini* IESV *Chriſti, vel in virtute obedientiæ juberet*, ſcilicet, exceptis, quæ ibidem excipit, votis. Nota verba, *Nullas conſtitutiones poſſe*, &c. Unde & ex mente Fundatorum ſatis conſtat, ne quidem à lege naturali, aut aliunde, competere regulis obligationem, eo ſolo, quo regulæ ſunt; aliàs auctores regularum vellent impoſſibile, cùm vellent eas nõ obligare, ac fallerentur ipſi, adeoque imprudenter eas eo animo ferrent: quod nullo modo eſt credibile. Præterea fruſtrarētur fine ſuo, qui eſt occaſione & vi regularum non injicere conſcientiis laqueum peccati, ut loco timoris offenſæ ſuccedat amor, & deſiderium omnis perfectionis, quæ ſunt verba Sancti Patris Noſtri. Si enim ſemper & neceſſariò regula ſub peccato obliget; perinde eſt ad illũ finem, ſive ea obligatio proveniat immediatè à voluntate legiſlatorum, ſive ea poſita ſit aliunde. Imò & ſic verè illi per regulas obligant, etſi mediatè: quo ferè modo etiam in phyſicis dicitur cõburere domum, qui applicat illi ignem.

Unde ſequitur Primò, tranſgreſſionem ejuſmodi regulæ non eſſe ſemper peccatum, idque, quamvis, ut oſtendi lib. 2. cap. 9. non dentur actus indifferentes. Poteſt enim opus, quod contra regulam fit, eſſe bonum; etſi melius & perfectius foret eam ſervare: nemo autem tenetur ſemper facere melius & perfectius, ut cum Vaſquez diſp. 158. cap.3. num.16. docet Sanchez cit. num.14. addo te poſſe eamdem tranſgredi purâ & indifferenti omiſſione. 123.

Tranſgreſſio regulæ nõ eſt ſemper peccatũ, dum illa ſub peccato non obligat.

Sequitur Secundò, ejuſmodi regulas non eſſe rigidè & propriè leges, ſed latè minuſque propriè: ſeu non eſſe leges ſimul coactivas, ac quodammodo ſerviles; ſed tantùm directivas, & purè filiales: quod libenter concedimus adverſariis; & ſignificatur ipſo nomine non legum, ſed regularum. Vide dicta lib.1.cap.23.

Regula iſtiuſmodi non eſt propriè lex.

Unde etiam conſtat, proprium eſſe ejuſmodi Religioſorum ſpiritu duci, & non eſſe ſub, ſed in lege, ſeu regulis, ut loquitur Auguſtinus ibidem citatus num. 227. Ceterùm, ut dixi paulò antè, non poteſt conſiſtere propria lex ſine propriâ obligatione ſub culpâ: quamvis etiam regulis illis convenit obligatio laxior; non ſub culpâ, ſed imperfectione, ut jam dicam.

Sequitur Tertiò, ne quidem pœnitentiam trãſgreſſoribus ejuſmodi regularum impoſitam eſſe rigidam, ac ſervilem; ſed minùs pro- 124.

Propria regulæ iſtius non datur pœna,

propriam ac filialem pœnam, seu, ut loquuntur aliqui, pœnalitatem: pœna enim rigida ac propria videtur respondere rigidæ & propriæ culpæ: latiùs autem sumpta etiam imperfectioni; seu, ut loquitur S.P.N. negligentiæ ac defectui non culpabili. De quali pœnâ apertè agit regula Juris: *Sine culpâ, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Quo item sensu ejusmodi Religiosis convenit illud D. Gregorii: *Bonarum mëtium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est*; ut ex ejus ac D. Thomæ mente ea verba explicui cap.1. num.9. quia agnoscunt imperfectionem, & tamquam culpam timent fugiuntque, aliasque puniuntur, ubi culpa non est, sed tantùm imperfectio.

125. *Pœna regulæ istius nō est sub obligatione præcepta.* Sequitur Quartò, probabiliùs ne quidem regulas tales obligare strictè ad talem pœnam subeundam, ut paulò antè dixi obligare legem purè pœnalem: quia universaliter earum auctores declararunt eas non obligare sub culpâ; ergo ne quidem ad pœnam, ut scilicet ipsa etiam pœna subeatur non coactè & serviliter, sed libenter & filialiter; non timore offensæ, sed solo amore & desiderio perfectionis. Itaque habet hîc etiam locum eorum ratio, & motivum. Si tamen quis nollet pœnitentiam explere, posset Superior eam illi injungere in virtute obedientiæ: quo sensu potest dici regula obligare ad pœnitentiam sub culpâ, quasi radicaliter; videlicet si ob regulæ transgressionem ea præcepto imponatur. Ita ferè Cajetanus cit. Valentia & Sanchez contra D. Antoninum, Castro & Azor, quibus videtur favere D. Thomas cit.

Sequitur Quintò, illas regulas, etsi verè possint dici consilia, communi tamen sensu modoque loquendi esse quid amplius, quasi medium inter leges, & consilia: hæc enim communiter non dicuntur obligare, ne quidem laxè, sub ejusmodi imperfectione, & pœnitentiâ, ut obligant regulæ: quæ earum obligatio similis est illi, quæ Jure civili dicitur obligatio antidoralis, id est, remuneratoria, juxta dicta lib.1. cap.21. num.198. Neque huic obligationi ac imperfectioni repugnat, quod dixi, opus, quo regula violatur, posse esse opus bonum: quia, etsi illud, quà tale, non sit imperfectio, ut nec transgressio regulæ; potest tamen illi alio respectu imperfectio, & regulæ transgressio esse annexa. 126. *Regulæ [illegible] plus sunt, quā consilia.*

Ex præcedenti conclusione ac dictis præterea collige, Regularem probabiliùs non teneri tendere ad perfectionē, nisi servando sua vota, & præcepta illis annexa, vel regulas eorum obligationem explicantes. 127. *Quale præceptum tendēdi ad perfectionem Regulari impositum.*

Suppono enim Primò, eum non teneri esse perfectum, sed tantùm tendere ad perfectionem; quòd Ordo regularis sit status perfectionis non acquisitæ, sed acquirendæ; ut docet D. Thomas 2.2. quæst.

quæst.184. art.5. quæst.186. art.2. & 9.

Secundò, non teneri eum tendere ad hunc perfectionis finem per omnia media, consilia, seu opera supererogationis; sed tantùm per ea quæ vovit, & quæ cujusque Ordinis constitutionibus, ac regulis determinata ac præscripta sunt: quod etiam cum D. Thomâ art. illo 2. docent omnes. Cùm enim in iis, quæ vovit, quæque ipsi præcepta sunt, includantur præcipua cōsilia, mediaque ad perfectionem; hoc solo, quo illa servat, tendet ad perfectionem; adeoque satisfaciet exigentiæ & obligationi status sui, scilicet ad perfectionem tendendi. Itaque absque fundamento imponetur illi aliud onus, & obligatio, quæ tamquam odiosa potiùs restringenda est.

128. Unde apparet Primò, præceptum tendendi ad perfectionem non esse peculiare ac distinctum à præcepto servandi vota ac præcepta; sed iis inclusum, imò idem. Nec refert quòd illa jam non sint consilia: quia sufficit, imò hoc ipsum valdè laudabile est, certaque via ad perfectionem, quòd sibi ipsi liberè injecerit hæc vincula, & necessitatem ea servandi.

Apparet Secundò, non rectè docuisse Cajetanum in artic. illum 5. D. Thomæ, Religiosum violantem vota, & observantias regulares, non peccare contra præceptum tendendi ad perfectionem, si animum retineat eam procurandi: quia eo ipso non retinet, sed retractat animum eam procurandi iis mediis, quibus debet; ideoque animum ab intentione perfectionis revocat, ut loquitur D. Thomas art. illo 5. ad 2.

Apparet Tertiò, Regularem ne quidem debere amplecti omnia consilia mediaque ad perfectionem sibi in Ordine suo proposita; nisi sint præcepta: aliàs teneretur servare omnes regulas, etsi sub peccato non obligantes, multaque alia. In idem recidit si dicas, non teneri tendere ad omnimodam perfectionem, etiam accidētalem, quæ acquiritur observatione regularum omnium; sed tantùm ad essentialem, quæ acquiritur observatione votorum ac præceptorum.

Dico tamen Tertiò: Peccatum est, & quidem ex genere suo mortale, transgressio legis, ac regulæ ex formali contemptu, adeoque ipse contemptus. Est communissima sententia D. Thomæ locis citatis, qui expressè art. illo 9. ad 1. idem docet de regulis non obligantibus ad ullam culpam. Addo cum Cajetano in art. illum 9. Cordubâ in regulam D. Francisci cap. 1. qu. 5. dicto 3. aliisque, planè juxta mentem D. Thomæ cit. in Regulari contemptum regulæ, esse etiam contemptum perfectionis: quia videlicet ejus perfectio sita est in observatione regularum; adeò ut nullo modo possit contemnere re- 129. *Transgressio regulæ ex formali contemptu est mortalis.*

gulam, nisi contemnendo perfectionem: quod verum est de utrâque perfectione essentiali, si contemnatur regula illam explicans; & accidentali, si contemnatur quævis alia regula. Sed communissimæ sententiæ non est communis, aut facilis probatio: difficultas in eo est, quid sit ille contemptus, scilicet quatenus significat actum voluntatis, quo imperetur opus vel transgressio externa; quod non convenit contemptui intellectuali, quem etiam constat raro esse peccatum mortale.

Quando sit contemptus formalis regulæ? Nota ex D. Thomâ art. illo 9. transgressionem legis, vel regularum, præterquam ex inadvertentiâ, contingere, vel ex negligentiâ ac torpore; vel irâ ac horrore rei præceptæ; vel concupiscentiâ erga rem, quæ transgressionis est occasio; vel ex eo quòd voluntas, ait, renuit subjici ordinationi legis vel regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel regulam; quia videlicet apprehendit eam, vel etiam auctoritatem Superioris contrariam libertati, aut dignitati suæ, aliáve simili causâ. Postremo hoc modo tantùm contingit contemptus, scilicet expressus & formalis; prioribus interpretativus, & implicitus, qui proinde non est mortalis, nisi sit legis graviter in materiâ gravi obligantis.

130. Probatur ergo conclusio, juxta communiorem Doctorum sensum, de contemptu illo postremo ac formali; quia valdè inordinatum apparet, Regularem eo modo aversari & contemnere regulam, vel subditum quamvis legem: ita enim contemnere regulam ac legem est contemnere ipsam honestatem obedientiæ; scilicet, quo modo sub aliquâ ratione mali contemni potest: & eidem resistere, juxta Apostolum Paulum, est ipsi Dei ordinationi expressè resistere; similique modo contemnere auctoritatem Superioris, seu hunc, non quatenus suis defectibus obnoxium, sed quatenus Superiorem, Deique vicarium; est Deum ipsum expressè contemnere, juxta illud: *Qui vos spernit, me spernit*: ergo non debet videri mirum, quòd hoc sit peccatum mortale. Quæ clariora sunt, si quis ideò legem vel regulam violet, ut sic ostendat se eam, vel Superiorem contemnere, aut parvi facere.

Ex quibus apparet, eo modo legem contemnere faciliùs esse mortale, quàm nudam regulam: hanc verò faciliùs, quàm nudum consilium, cujus rarò contemptus est mortalis; aliquando tamen, ut si quis ideò expressè nolit fieri Religiosus, ut repugnet consiliis Christi.

Confirmatur hæc probatio, & explicatio: quia in aliquo Ordine est casus reservatus inobedientia expressa, quâ quis asserit se nolle parere, quamvis Superior non præcipiat in virtute obedientiæ.

Non

Non potest autem eatenus esse peccatum mortale, nisi ratione contemptûs, scilicet modo explicato, quo constat ejusmodi contemptum directè impetere ipsam obedientiam, & esse actum formalem inobedientiæ, adeoque expressam inobedientiam; etsi quatenus redundat in Superiorem, impetat etiam observantiam, sitque actus inobservantiæ.

131. Dixi in conclusione, *ex genere suo,* quia verius est à mortali excusare hîc etiam parvitatem materiæ, ut docet Cajetanus in art. illum 9. Sylvester v. *Contemptus*, aliique. Primò, quia, etsi hic contemptus Deum attingat, sensu dicto; non tamen immediatè; qualia peccata numquam fieri venialia dixi c. 10. num. 98. nec videtur quid adeò grave quemvis legislatorem contemnere in re parvâ. Quare etiam contemptus similis, vel inobservantia ipsius immediatè Dei semper esset mortalis. Secundò, quia nimis durum videtur, ejusmodi contemptum semper damnare peccati mortalis; qui videtur, & à Doctoribus putatur satis frequens, & cadit in homines non omninò malos. Notandum tamen, multò minorem materiam sufficere ad contemptum mortalem, quàm transgressionem aliâ de causâ factam.

Excusat etiam parvitas materiæ.

132. Dico Quartò: Mortale est in Religioso, propositum non servandi ullas, vel plerasque, seu præcipuas regulas, aut statuta, etsi ad peccatum non obligantia. Est Sanchez cap. 5. num. 9. & à fortiori Sylvestri, Tabienæ, Cordubæ ab eo citatorum, qui non improbabiliter dicunt, illum esse contemptum interpretativum, mortalem contra præceptum tendendi ad perfectionem: etsi contrarium sit probabilius, ut jam constat ex dictis.

Mortale est in Religioso propositum non servandi ullas, plerasque, aut præcipuas regulas.

Probatur Primò, quia Regularis tam dissolutus, &, ut ita dicam, irregularis graviter noceret, turbaretque Ordinem suum, ac regularem disciplinam. Quò item spectat illud: *Turpis est omnis pars suo toti disformis*: qualis non est, qui unam subinde alteramque regulam violat, quod faciunt plures; sed qui ordinariè quaslibet, quod nulli, vel vix ulli faciunt. Tertiò, seipsum exponeret periculo non perseverandi: daretque justam vel necessariam occasionem se dimittendi vel expellendi.

Quartò, etiam sæcularis, qui solâ preceptorum observatione contentus proponeret se consilia non servaturum, etsi non ex contemptu, peccaret saltem venialiter, ut bene docet Sanchez num. 8. Rationem indicat D. Thomas art. illo 2. ad 2. non quia omitteret consilia; sed quia illo proposito obfirmaret animum, obstrueretque aditum Spiritui sancto ad meliora excitanti; quod indecens & inordinatum est, cùm præsertim non detur 133.

tur

tur actus indifferens: ergo à fortiori Regularis, qui magis obligatur suis regulis, quàm sæcularis consiliis, ideò etiam graviùs peccabit, quia illo proposito ponit obicem Spiritui sancto, excitanti ad majorem perfectionem: quæ nisi extendat se ad observationem regularum, satis imperfecta est; non videtur tamen ex hoc solo capite peccatum illud mortale. Imò addiderim, & sæcularem, qui proponeret se nulla consilia servaturum, seu nil omninò facturum, ne quidem oraturum, nisi quando sub peccato hîc & nunc teneretur, peccaturum mortaliter, ratione periculi, cui se exponeret peccandi mortaliter, ut jam dixi in simili de Religioso: non tantùm, quia exponeret se occasionibus peccatorum, sed quia redderet se indignum auxiliis divinis, quibus etiam justus eget ad diu perseverandum in gratiâ.

Quintò, quia interpretativè sic contemnens violansque omnia statuta non obligantia, exponit se periculo peccādi mortaliter, atque eadem cōtemnendi, etiam formaliter: prior enim contēptus est dispositio ad posteriorem, ut docet D. Thomas art. illo 9. ad 3. quæ rationes fortiores sunt de regulis, ac statutis substantialibus, iisque Ordinibus, quibus pauca sunt præcepta obligantia sub culpâ.

Ex quibus sequitur, eum qui monetur vel advertit se plerasque regulas violare, teneri sub mortali proponere emendationem, iisque incommodis & periculis Ordinem suum ac seipsum eximere; quamvis sola consuetudo eas trāsgrediendi, absque ejusmodi incommodis, vel advertentiâ, mortalis non sit.

CAPUT XII.

Regulæ mitigantes rigorem legum, ac scrupulos inde natos.

GErson de regulis moralibus, & ex illo Hallus lib. 3. cap. 22. 134.
statuunt varias regulas, utiles ad leges explicandas, & dispellendos scrupulos, quarum præcipuas hoc cap. afferam, & explicabo: scilicet omissis iis, quæ ex præced. cap. facilè colliguntur, & aliquibus additis.

Regula prima. Consuetudo optima legum interpres.

Prima sit: Consuetudo est optima legum interpres, neque debet ea judicari corruptela, nisi sit contraria legi divinæ naturali, vel positivæ. Quare cùm consuetudo sit altera natura, non debent leges eâ quasi versæ in naturam facilè tolli aut mutari.

Consuetudo præscripta, & nō præscripta quādovim obtineant?

Nota, pro explicatione hujus regulæ, & sequentium, duplicem esse consuetudinem; præscriptam, & non præscriptam. Præscripta est, quæ confirmata ab ipso Jure, ac tempore ab eo requisito, cap. ult. de consuetud. accedente communi contra aliquos recentiores Doctores explicatione. Tempus 135.

autem

autem debet esse saltem decem annorum: hoc enim censetur longum, etsi non longissimum, Inst. de usucap. & longi temp. præscript. Cod. eodem. Non præscripta non exigit determinatum tempus, sed indeterminatè tantum, quantum hîc & nunc sufficit, ut princeps vel Superior conscius censeatur illam probare vel connivere: quale aliquando potest esse paucorum annorum, mensium, imò septimanarum; quando interim sæpiùs esset occasio contra legem agendi. Utraque habet vim consensu Superioris; Prior legali, ut ita dicam, legibus explicato; Posterior ab interpretativo, fundato in scientiâ & dissimulatione Superioris, juxta regulam Juris: *Qui tacet, consentire videtur.*

136. *Requisita ad cōsuetudinem introducendam.* Nota Secundò, consuetudinem præterea debere esse Primò, rationabilem cap. cit. id est, utilem ad honestum aliquem finem, saltem ad impedienda peccata; qualis ordinariè censetur, si non sit contraria legi divinæ, secùs, quàm humanæ. Secundò, eam debere esse majoris partis communitatis: quia in corpore mystico seu politico, qualis est communitas, consensus majoris partis cēsetur totius, leg. *Quod maior*, ff. ad municipalem. Tertiò, eam debere introduci animo non tantùm continuandi, sed firmandi aliquid per modum legis: cujus conditionis defectu non nascitur obligatio ad facienda multa, etsi longo tempore usitatissima, v. g. ad salutandam B. Virginem audito certo campanæ pulsu, ad gestandos ramos Dominicâ Palmarum, aspersionem cinerum die Cinerum, non sumendum jentaculum ante Sacrum, &c.

Ex quibus jam facilis est explicatio, & probatio dictæ regulæ: quia consuetudo vel declarat mentem legislatoris, quam verisimile est non ignorasse primos illius auctores, quo modo solent eam declarare Doctores; vel cum auctoritate interpretatur, quæ sit vis & obligatio legis, eam, si opus sit, restringendo aut extendendo, quo modo eam solent interpretari Superiores. Quia dictis conditionibus habet vim, novam obligationem legemque inducendi, vel antiquam abrogandi totam, aut partem.

Ex dictis collige moderationem multarum legum, præter earum verba ac tenorem, atque etiam præter paritatem rationis in legibus similibus. Exempli causâ: lex Ecclesiastica jejunandi ita recepta, & mitigata est consuetudine, ut non obliget ad jejunium physicum, sed aliquod morale, cui non repugnat potus, nec etiam cibus exiguâ quantitate, etsi extra unicam refectionem sumptus. Contrà lex, Ne quis communicet, nisi jejunus, recepta est de jejunio physico, cui repugnat omnis cibus & potus. Similiter aliqui 137.

moderantur leges imponentes tributa & vectigalia, ut non obligent antequam ea exigantur; neque tunc, nisi ut solutio non negetur per fraudem, vim, aut perjurium. Quod etsi satis laxum videatur, non possum tamen rejicere tamquam improbabile, cùm plures ita sentiant. Saltem citra necessitatem nullo modo id suadendum ante factum; post factum admitti faciliùs posset excusatio ab obligatione restituendi, si præsertim ea esset difficilis, v.g. pauperi. Ratio autem est, non quòd ejusmodi leges sint purè pœnales, cùm directè præcipiant solutionem justis, ut suppono, de causis, etsi insuper addant pœnam non solventibus; sed quia eâ moderatione receptæ putantur à consuetudine, ut plures testantur: aliàs obligarent in conscientiâ ad solutionem, etiam antequam exigeretur.

138. *Secunda regula, Communis inobedientia absolvit ab observantiâ legis, nisi hæc sit jurata.*

Secunda regula: Communis inobedientiæ culpa quandoque absolvit per accidens ab obedientiâ & culpâ futurâ, scilicet contra leges positivas, ut tales; alioqui, non videtur in multis, quomodo lex lata & jurata possit per non observationem aboleri.

Prior hujus regulæ pars Primò, eodem modo explicanda, quo regula præcedens; scilicet ratione consuetudinis præscriptæ, vel non præscriptæ: quæ tamen, quia non excusat eos qui primò legem transgrediuntur, cùm non potest constare de consensu ac dissimulatione Superiorum, tantùm absolvit à culpâ futurâ eosdem, vel alios eorum exemplo postea legem non servantes.

Secundò, idem verum est non tantùm de abrogatione legis, sed etiam dispensatione. Quare si quis habens potestatem, etsi delegatam, viderit cõtra legem fieri, nec contradicat, cùm potest; interpretativè dispensat, saltem pro foro consciẽtiæ. Quare si v.g. rusticus die festo ob periculum pluviæ invehat triticum, vidente nec contradicente Pastore, potest sine peccato pergere, etsi cum peccato cœperit. Imò ejusmodi consensus est etiam ratihabitio de præsenti. Quare si pari modo sacerdos absque jurisdictione & approbatione cœperit audire confessiones vidente Episcopo, nec contradicente, censetur hic eas ratas habere, jurisdictionem conferre, & approbare. Ratio est, quia, nisi Superiores similibus casibus dispensent, aut ratum habeant, cùm non contradicũt, peccant, quod non est præsumendum: quare valet hîc regula Juris: *Qui tacet, consentire videtur.*

Posterior pars probatur: quia, etsi leges juratæ non obligarent, quà leges, ob rationem dictam; obligant tamen, quia juratæ vi juramenti, quod obligat in conscientiâ, etsi metu extortum; nisi sit tale, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ, cap. 8. de jurejurando. 139.

jurando. Adde, nisi manifestè Superior legem abroget, etsi juratam: tunc enim non magis eam servare teneris, quàm solvere centum, cui jurasses te soluturum, si ille condonaret: eo enim sensu juramentum explicandum est, ut tamquam accessorium sequatur conditionem sui principalis, legis vel promissionis, cui appositum est: non censetur verò princeps facilè connivere ad violationem legis, ad quam firmandam exegit juramentum. quod etiam explicandum est, ut valeat non obstante contrariâ consuetudine, saltem præviâ. Negari tamen non potest, quin ejusmodi juramenta quæ fiunt de servandis legibus, aliisque quæ vel absolutè non servantur invalescente contrariâ consuetudine, vel non nisi restrictione aliquâ mentali, conjiciant sæpè conscientias in laqueos vix evitabiles. Quare omninò expediret aut tollere ejusmodi juramenta, aut curare ut serventur plano sensu, nec tantùm ad pacem conscientiarũ, sed etiam ad reverentiam Numinis, ipsiusq; juramenti.

140. *Tertia, Superiores non reclamantes violationi legũ consentire censendi sunt.*

Tertia regula: Consentire censendi sunt Superiores, saltem interpretativè, in abolitione legum suarum; quando passim eas non observari vident, nec verbo aut facto reclamant. Quæ regula conformis est dictis de consuetudine non præscriptâ. Intelligenda autem est, quando Superiores facilè reclamare possunt.

Quarta: Lex positiva non obligat, nisi promulgata, neque vigorem habet, nisi cùm moribus utentium approbatur. Alia est ratio de lege divinâ atque naturali, contra quas non est præscriptio, neque consuetudo, sed tantùm corruptela. Quæ item regula bona est & clara, benignâ tamen explicatione eget: quod ea dicitur de vigore legis; quo videtur indicari eam non obligare nisi acceptatam, cùm tamen si justa est, obliget, ut acceptetur, itaque approbetur moribus utentium. Quamvis cùm servatu difficilis est, liceat uti supplicatione ut legislator eam revocet vel moderetur. Imò probabiliter credi possit latam animo experiendi, adeoque non obligare, nisi acceptatam, & posse primò non acceptari. 141.

Quarta, Lex positiva non obligat, nisi promulgata, neque viget nisi usu approbata.

Quinta: Benigna interpretatio legum ceteris paribus est præponenda duriori, ne tollatur spiritualis dulcedo: quia ex rigidâ interpretatione nascitur tristitia, quæ perinde est cordi, ut tinea vestimento; cùm Christi jugum sit suave, & onus ejus leve. Quæ regula conformis est primæ, & dictis in confirmatione conclus. primæ cap. præcedentis, & Doctoribus ibi citatis. 142.

Quinta, Benigna legum interpretatio præponenda est duriori.

Sexta: In dubiis, bonorum virorum vita debet esse regula vivendi; quoniam illi præsumuntur in rebus agendis habere rectum judicium. Hæc regula conformis 143.

Sexta, In dubiis regula vivendi est bonorum vita.

 est

est remedio generali tertio cap. 5. eâdemque ratione valet, cùm dubia est lex, ejusque obligatio. De quâ addo, standum esse judicio virorum proborum & doctorum; tum quia illi credendi sunt assequi legem, ac legislatoris mentem; tum quia eorumdem sententia, præsertim communis, signum est consuetudinis eam sic recipientis.

144. *Septima, Dei præceptum neminem obligat ut ridiculum se exhibeat.* Septima: Nec Deus, nec Ecclesia obligat hominem ut sit fatuus opinione prudentum ac proborum, sive, ut legem servando reddat se iis, vel faciat aliquid ridiculum. hæc est cōformis præcedenti, & remedio quarto cap. cit.

145. *Octava, Non sunt improbāda, quæ non sunt contra fidem, & ad mores formandos conducūt.* Octavam colligo ex Driedone de Libertate Christianâ, & August. epist. 118. ad Januarium: Quæ non sunt contra fidem, & conducunt ad formandos mores, excitandam pietatem, ac devotionem fidelium, non sunt improbāda & negligenda, sed potiùs laudanda & imitanda; nimirum, etsi nec consuetudo, nec lex ad ea obliget. Expedit autem unumquemque se conformare Ecclesiæ, ad quam venit. Quod August. confirmat responso Ambrosii interrogati ab eo Mediolani, de consuetudine jejunandi sabbatho, Cùm Romam venio, jejuno sabbatho; cùm hîc sum, non jejuno. Quæ verò non conducunt ad ejusmodi finem, nec certâ consuetudine stabilita sunt; potiùs resecanda sunt & abroganda, ne videlicet novis quis oneribus nec necessariis, nec utilibus constringatur.

Nona: Numquam inciditur in casus reservatos, censuras, aut irregularitatem pœnalem; nisi peccato mortali, scilicet formali: excusat autem à censuris & irregularitate ignorantia, non tantùm legis, sed etiam pœnæ additæ, eaque omnis probabiliùs, quæ, etsi mortalis, non est tamen crassa & supina. A posteriori hujus regulæ parte videntur dissidere Doctores citati, quæ tamen probata est cap. 1. num. 11. lib. 5. ubi etiam explicui, quæ sit ignorantia crassa, & supina. 146. *Nona, Excusatur à reservatis & censuris, qui nō peccat mortaliter, uti etiam ignorans.*

Unde apparet, frustra plures, etsi probos, adeò terreri rigore & multitudine censurarum, quæ latæ non sunt, nisi contra contumaces in Deum & Ecclesiam.

Decima: Communis error jus facit: quod intelligi potest dupliciter. Primò, quòd communi errore multa fiant justè ac licitè, quæ aliàs fierent illicitè; eò quòd leges aut Superiores eo posito non obligent; vel non sub peccato formali, si nil aliud accedat; vel ne quidem sub peccato materiali, si ad errorem, ut sit, accedat consuetudo, aliúdve signum voluntatis Superioris, quo lex abrogetur. Secundò, quòd eâdem de causâ multa fiant validè, quæ aliàs fierent invalidè, eò quòd communitas vel Ecclesia ob bonum publicum censeatur supplere defectum potestatis, v.g. falsò crediti Prætoris; ut in exem- 147. *Decima, Communis error multa licita, multa valida reddit.*

exemplo legis citandæ; vel Confessarii falsò putati habere jurisdictionem, modò non desit illi potestas Ordinis, quam Ecclesia supplere non potest. Quia verò communis error solet niti aliquo saltem apparenti fundamento ac titulo, solet vocari Titulus coloratus. Prior regulæ sensus clarus est, & certus ex dictis. Posterior traditur communiter à Doctoribus, præsertim recentioribus, argumento legis *Barbarius.* ff. de officio Prætorum.

148\. *Undecima: Deus & Ecclesia non jubent impossibilia, etiam moraliter tantùm.*

Undecima: In statu præsertim Euangelicæ libertatis, nec Deus, nec Ecclesia jubent physicè aut moraliter impossibilia, id est, valdè difficilia: quia mandata ejus gravia non sunt. Quæ regula probatur etiam ex Isidoro, & refertur à D. Thomâ 1. 2. quæst. 95. art. 3. & dist. 4. cap. *Erit autem lex possibilis secundùm naturam & consuetudinem patriæ, loco temporiq; conveniens,* Quibus verbis exigitur possibilitas non tantùm physica, sed & spectatis naturæ fragilitate & circumstantiis moralis, cui repugnat gravis difficultas, & incommodum. Ratio ulterior est benigna Dei voluntas, qui nec ipse vult gravia nobis imponere, etsi posset: quare difficiliora paupertatem, castitatem, &c. consulit, non præcipit; nec concessit hominibus potestatem gravia aliis imponendi, nisi extraordinariè ob causam aliquam urgentem. Quanta autem difficultas & incommodum ab obligatione excuset, non potest certâ & communi regulâ statui, juxta dicta lib. 4. cap. 17. num. 185.

Tantùm adverte, excusare etiam incommodum seu detrimentum bonorum, non tantùm spiritualium, aut vitæ ac sanitatis, in quibus non potes cedere tuo jure, ut dixerunt aliqui; sed etiam temporalium, in quibus potes cedere jure tuo: nec eorum tantùm acquisitorum, seu damnum emergens; sed etiam acquirendorum, seu lucrum notabile cessans. Quare communi consuetudine receptum est, ut possis omittere v.g. Sacrum, ne occasionem magni lucri omittas. 149.

150\. *Duodecima. Cessante causâ cessat lex.*

Duodecima & ultima: Cessante totâ causâ legis cessat quoque lex, ejusque obligatio, scilicet absque aliâ abrogatione, juxta communem sententiam. Dixi tamen *totâ*, & respectu communitatis, non partiali respectu alicujus privati; v.g. prohibitum sit lege civili gestare arma ob periculum pugnæ; etsi hoc cesset in aliquo particulari, obligatur tamen lege, ne scandalo sit aliis, in quibus non cessat illud periculum. Similiter lege Ecclesiasticâ præceptum est jejunium, ut satisfiat pro peccatis. Tenetur jejunare qui pro peccatis satisfecisset: quia alia dictæ legis causa & motivum est, honestas temperantiæ, quæ ne quidem in illo cessat. Quòd si tamen lege tributum exigatur ad faciendum v.g. pontem aut ædificium publicum; hoc

hoc perfecto cessat obligatio omnis legis & tributi; ut & legis gestandi arma contra hostes, factâ pace. Ratio est, quia totâ causâ sic cessante, desinit lex esse rationabilis, & utilis ad bonum publicum, aliàs non.

CAPUT XIII.

Remedia scrupulorum circa adimpletionem legum, præsertim recitandi Horas, & audiendi Sacrum.

151. *Aliud est objectum legis, aliud finis.* NOta Primò, ex D Thomâ 1.2. quæst. 100. art. 9. ad 2. aliud esse materiam seu objectum præcepti aut legis; aliud finem, ad quem illud destinatur. Illud est quod verbis legis per modum imperii exprimitur, v.g. Sume Eucharistiam, Lege Horas, Audi Sacrum. Finis autem est bonum aliquod, & fructus extrinsecus natus inde sequi, inprimis formalis actûs bonitas & devotio, caritas, ut ait Apostolus 1. ad Timoth. 1. spiritualis profectus hominis, & honor Dei.

Quæ cognitio objecti ad impletionem legis exigatur? Nota Secundò, dupliciter opus præceptum posse esse voluntarium, seu intentum & cognitum. Primò, quatenus est talis naturæ, v.g. quatenus lectio Horarũ canonicarũ est actus orationis, auditio Sacri cultus divinus; Secundò, insuper, quatenus præceptũ est, ita ut cognoscatur & intendatur aliquo modo saltẽ confuso, legis expletio.

Suppono, ut lex impleatur, opus debere esse cognitum & voluntarium, saltem primo modo: quia aliàs non est liberum & humanum, quale præcipitur. Quare qui Missam, v.g. audiret ebrius, aut omninò coactus, non posset legem explere; ideoque teneretur aliam Missam audire: quæ etiam causa est cur ebrii & amentes non teneantur ipsi legibus, nec alii debeant curare ut eas expleant. Et quoniam potissimùm oriuntur scrupuli circa adimpletionem legum, quæ videntur requirere attentionem actusque internos;

Nota Tertiò, triplicem esse attentionem: superficialem, v.g. ad verba ritè pronuntianda, dum advertis, quæ verba dicas, etsi nec reflectas te advertere, nec intelligas quid verba significent. Secundò, litteralem ad sensum verborum litteralem. Tertiò, spiritualem, vel ad sensum verborum mysticum, vel ad Deum, aut Sanctos qui rogantur, vel etiam rem quæ petitur. 152. *Attentio circa rem præceptam multiplex.*

Iterum hujusmodi attentio, vel est actualis, cùm durat actu; vel tantùm virtualis, cum virtute & quasi in voto ac intentione attendendi, seu orandi, quæ virtualiter manet, quamdiu non retractatur deliberatè contrariâ voluntate non attendendi, vel cogitandi incompossibilia: eodem modo virtualiter manet, & sufficit ipsa intentio, quæ nec debet ab initio esse explicita, vel attendendi vel orandi;

sussi-

sufficit implicita recitandi Horas, audiendi Sacrum, eundi ad chorum, accipiendi Breviarium, vel satisfaciendi præcepto: qualis item intentio sufficit. & requiritur ad actiones Sacramentales.

Quibus præmissis remedio contra dictos scrupulos sint sequentes conclusiones.

153. *Finis præcepti non cadit sub præcepto.*

Dico itaque Primò: Finis præcepti non cadit sub præcepto: quare sæpè hoc expletur, etsi ille non obtineatur. est D. Thomæ loco citato, & art. sequ. ubi eodem sensu docet modum caritatis, etiam quatenus est modus aliarum virtutum, non cadere sub præcepto. Idem docent vel supponunt communiter Theologi, à quibus conclusio videtur recepta tamquam axioma.

Probatur, quia vi & obligatione legis id tantùm expleri debet quod imperativè exprimitur, seu præcipitur; quod tantùm convenit materiæ & objecto legis, non fini; quem quidem legislator intendit, speratque, non tamen præcipit, vel quia non vult, vel quia non potest; cùm situs sit plerumque in actibus internis, qui juxta communiorem sententiam lege humanâ præcipi non possunt, & saltem ordinariè non præcipiuntur.

154. Hinc sequitur Primò, frustra scrupulosos piosq; sæpè angi, quasi legem non servassent, eò quòd non sint assecuti finem legis, v. g. quòd non oraverint & communicarint piè, devotè & utiliter.

Sequitur Secundò, expletionem legis non semper fieri actu moraliter bono, sed sæpiùs malo seu peccato: hoc enim non repugnat objecto legis, sed tantùm fini. Ita legem jejunandi, legendi Horas, audiendi Sacrum, vel communicandi explet, qui quidvis istorum facit ex vanâ gloriâ alióve affectu malo. Imò etiam qui communicat indignè in statu peccati mortalis, adeoque communicando peccat mortaliter: quia videlicet nihilominus facit, quod sibi præceptum est, id est, verè sumit Eucharistiam, etsi malè sumat. Quæ confirmabuntur sequ. conclusione; sed priùs adverte, sic explentem legem, etsi contra ipsam non peccet, peccare tamen contra aliam, v. g. divinam non communicandi indignè, aliàs non peccaret.

Dico Secundò: Etsi ad formalem legis observationem opus præceptum debeat esse cognitum & intentum secundo illo modo; ad materialem tamen, sufficientem ne contra illam peccetur, sufficit primo modo. Iuxta priorem conclusionis partem explicandi Doctores, qui negant; juxta posteriorem, qui affirmant legem primo modo expleri. 155. *Sufficit ne contra legem peccetur, cognitio rei, quæ, non quatenus, præcipitur.*

Probatur prior pars ratione indicatâ à D. Thomâ art. illo 9. quia ignorans legem existere, seu opus eâ præceptum esse, per accidens ope-

operatur respectu legis, nec eâ moveri potest ad operandum; ergo formaliter & propriè eam non observat, aut implet.

Probatur tamen posterior pars, quia nihilominus facit, quod lege imperativè exprimitur, adeóque præcipitur: tantùm enim illâ dicitur: Jejuna, Lege Horas; nec additur, Ut legem serves, vel, quia scis eam existere. Potest autem quis jejunare, & legere Horas, idque libero & humano modo, etsi nesciat hoc esse præceptum. quod ipsum docet D. Thomas 2.2. quæst. 104. art.3. ad 2. *Licet*, ait, *actus virtutis cadat sub præcepto, potest tamen aliquis implere actum virtutis, non attendens ad rationem præcepti.*

Confirmatur. Qui facit id quod sic præcipitur lege, saltem eam non transgreditur; qui autem legem non transgreditur, non peccat contra illam. Hinc sequitur, qui recitavit Horas, aut Sacrum audivit ex devotione, nesciens vel non advertens se id facere debere, eò quòd nesciverit esse diem festum, non teneri vel Horas repetere, vel audire secundum Sacrum, quia materialiter legem explevit, etsi ignoratam.

Nesciens diei festi si audivit Sacrum, non tenetur ad aliud, dũ de festo cognoscit.

156. Sed quid si id fecerit expressâ voluntate legem non adimplendi?

Satisfecit, etsi Sacro illo noluerit legem implere.

Respondeo, probabiliùs nihilominus adimplevisse sensu & ratione jam dictâ; cùm præsertim satisfecerit etiam rationi ac motivo legis, quod est, ut diebus singulis, vel festis, Deus eâ ratione colatur, quod ille jam præstitit.

Adverte tamen, peccasse eum, idque contra legem, si habuerit voluntatem nec illo, nec alio opere legem explendi; quomodo peccaret, qui nollet absolutè die festo audire Sacrum, etsi deinde audiret. 157.

Advertunt præterea aliqui, illum sub novo peccato debere voluntatem illam non explendi revocare, & auditionem præteritam dirigere ad præcepti expletionem, nisi videlicet malit secundum Sacrum audire. Sed non videtur hoc verum, aut necessarium: tum quia, ob rationem allatam, indepẽdenter ab illâ revocatione aut directione, ille legẽ explevit: tum quia opus præteritum jam non subest ejus libertati, ergo nec directioni.

158.

Idem dicendũ de satisfactione Sacramentali.

Ex quibus collige, idem dicendum de pœnitentiâ injunctâ à Confessario, v.g. lectione Rosarii. Quare si quis illud legat ex devotione post confessionem immemor pœnitentiæ, hanc nihilominus explebit, etsi nollet explere. Idem verisimiliùs dicendum de voto, si quis illud vovisset ob camdem rationem.

Malè tamen hinc inferunt aliqui, debentem alicui ex justitiâ centum, satisfacturum si tantumdem donet: quia donatio eo ipso quo est donatio, ac gratuita, repugnat, & excludit solutionem ex justitiâ: nec possum rem tuam, vel quasi

quasi tuam, id est, strictè debitam tibi donare: alia est ratio de operibus debitis ex lege, præcepto, vel voto, quorum expletioni non repugnat, imò convenit eadem fieri ex devotione.

159. Dico Tertiò: Ad explendum præceptum recitandi Horas, & audiendi Sacrum, sufficit, & probabiliùs requiritur, saltem attentio superficialis, eaque virtualis. Quòd sufficiat, est communis sententia.

Attentio superficialis & virtualis sufficit & requiritur ad recitationem Horarum & Sacri auditionem.

Probatur, quia ejusmodi attentio sufficit ad veram & internam orationem & auditionem, qualis tantùm præcipitur: nec enim præcipitur oratio attentior seu melior, sed tantùm oratio. Quare ne quidem teneris aspirare ad meliorem, ut putat Cajetanus & Navarrus, sed licita est voluntaria ab eâ præcisio.

160. Quòd autem ea saltem attentio requiratur, est communior & probabilior sententia, ac conformior cap. *Dolētes*, de celebrat. Missarum. Quia sine illâ exterior ac vocalis oratio non est, qualem Ecclesia censetur præcipere, vera aut simpliciter oratio, cùm illius quasi anima sit attentio, & oratio interna. Hâc ergo seclusâ non est magis oratio, quàm homo mortuus est homo: similiter sine attentione ac auditione internâ non est rationalis auditio Sacri, qualem Ecclesia præcipit, sed tantùm, cum particulâ etiam alienante, externa.

Recitans Horas, & studiosè aliud agens, non satisfacit.

Unde sequitur Primò, eum, qui Horas recitaret animo tantùm exercendi memoriam, vel inter assistendum Missæ studiosè componeret versus, quantâvis externâ modestiâ ac reverentiâ, neutri præcepto satisfacere, adeoque teneri Officium repetere, & audire aliud Sacrum.

Sequitur Secundò, beneficiatum, qui sic recitasset Horas, absque internâ attentione, teneri restituere fructus beneficii illi diei respondentes.

Neque hæc sententia videtur scrupulis obnoxia, quia superficialis & virtualis attentio facilis est: imò vix potest contingere, ut qui ritè & ordinatè verba officii pronuntiat, ad ea superficialiter & actualiter non attendat, etsi hoc actu reflexo non advertat, & simul alia cogitet. Eademque est ratio de assistente sacrificio Missæ, nisi studiosè tunc aliud agat. 161.

Dixi tamen *probabiliùs*: quia non est improbabilis sententia aliquorum, tum antiquorum, tum recentiorum, quòd Ecclesia tantùm præcipiat recitationem Horarum vocalem, & assistentiam seu auditionem Sacri externam, adeoque devotionem & attentionem tantùm externam, sitam in convenienti pronuntiatione verborum, & compositione corporis. 162.

Probabile est tamen tantùm exigi devotionem externam

Hinc sequitur Primò, absque omni internâ & intellectuali attentione utrumque præceptum expleri posse: quod apparet probabilius,

lius, de auditione Sacri. Nam communi piorum consuetudine receptum est, ut ad eam non requiratur attentio ad ipsum Sacrum, ejusque verba aut facta, sed sufficiat saltem attentio ad quaslibet sub eo preces; ergo auditio Sacri, qualis præcipitur, non includit internam attentionem, scilicet ad Sacrum.

Sequitur Secundò, beneficiatum, qui exteriùs Officium, ejusq; verba ritè ac integrè recitavit, etsi nullâ internâ devotione, non teneri quidquam restituere: quod etjam docent aliqui ex Auctoribus prioris sententiæ.

164. *Sic orans peccat venialiter.* Adverte eum, qui sic explet præceptum recitandi Horas, peccare contra præceptum divinum non orandi distractè: sed non nisi venialiter, etsi intra latitudinem peccati venialis graviter: nisi id fieret, quod rarò fit, ex contemptu, quo peccatum hoc posset fieri mortale conformiter dictis cap.11. concl.3. Similiter peccaret, qui solo corpore assisteret Sacro, mente aliò ad vana distractâ; scilicet contra reverentiam Deo, Sacratissimo Sacramento, & sacrificio debitam.

165. *Eodem tempore satisfieri potest, & Sacro audiendo, & Horis recitandis.* Ex dictis etiam colligi potest, juxta multò communiorem, & probabiliorem sententiam; eodem tempore posse expleri utrumque præceptum, seu posse simul recitari Officium, & audiri Sacrum, nec tantùm juxta posteriorem hanc sententiam, quâ id clarum est, sed etiam priorem: quia facilè potest adhiberi attentio interna superficialis ad Officium, simulque Sacrum, quemadmodum potest quis attendere, v.g. ad sui vestitionem, & recitationem Officii, dum simul se vestit & recitat Officium. Simili ratione potest quis simul idoneo loco audire, adeoque satisfacere obligationi audiendi duo, imò tria Sacra: quia potest nõ tantùm tribus assistere, sed etiam attendere superficialiter: hujusmodi enim attentio facilè dividitur, & applicatur diversis, præsertim ab ingeniosis. *Sic etiam plura Sacra simul quis audiendo satisfacit.*

Addiderim tamen, non esse necessarium, ut attentio eo modo dividatur: quia eadem attentio non tantùm superficialis, sed magis litteralis & spiritualis, potest sufficere Officio & Sacro, vel pluribus Sacris: nec enim, ut jam dixi, necessarium est, ut attendatur ad ipsum Sacrum, ejúsve verba aut facta, ad explendum præceptum illius audiendi, sufficit sub illo attentio ad quascumque preces. Quòd autem recitentur preces aliunde præceptæ, non potest impedire attentionem aliàs ad explendum præceptum audiendi Sacri sufficientem. Alia attentio requiritur vel ab ipso sacrificante, vel legente Horas, scilicet ad verba ritè pronuntianda. 166.

Ex quibus collige Secundò, etsi Confessarius injungens pœnitentiam audiendi Sacrum, potiùs intelligendus sit de Sacro voluntario; 167.

rio; nihilominus illam simul expleri posse in præcepto, quando in vicinis altaribus duo Sacra simul fiunt: quia sic reverà auditur aliud Sacrum, quàm præceptum est.

Nullus aliquid in Horis repetere debet, nisi certo moraliter sciat se nõ legisse.

Adverte circa lectionem Horarum, quæ solet esse magis obnoxia scrupulis, Primò, applicanda illi esse remedia generalia, nominatim sextum cap. 5. primum & tertium c. 6. ubi quod dictũ est in simili de non iterandâ confessione, hîc etjam valet de non iterandâ lectione Horarum. Quare qui ad finem vel aliquousque in iis videt se pervenisse, non tenetur anteriora repetere, etsi non meminerit se ea legisse; nisi meminerit, scilicet morali certitudine, se ea non legisse, ut bene ex Navarro & Majore docet Oliverius Bonartius noster lib. 3. de Horis canonicis cap. 23. à nu. 17. quia aliàs probabiliter potest credere, se etiam illa legisse, scilicet more & ordine solito. Eademque est ratio de sacerdote, qui non meminit se consecrasse post medium Sacri. Quæ ratio & doctrina spectat omnes, ut ibi dixi in simili, non tantùm scrupulosos: hi enim singulari privilegio, juxta ibidem dicta, non tenentur umquam quidquam repetere, nisi certissimi sint se illud non legisse; & quidem aliqui ita, ut hoc auderent jurare. Eodem privilegio non tenentur audire secundum Sacrum, nisi certissimi sint se notabili parte primi voluntariè distractos fuisse. Valdè est inculcandum scrupulosis, ne umquam quidquam repetant; quia si semel incipiant, non erit finis repetendi.

168. *Scrupulosis tempus assignari potest, intra quod absolvant.*

Adverte Secundò: quia scrupulosi solent nimium tempus impendere legendis & relegendis Horis; convenire illis remedium, quod utiliter cuidam præscripsit S.P.N. Ignatius: ut nimirum redigantur ad certum tempus, quo alii Officium solent absolvere, jubeanturque omittere, quidquid interim non legerint, postquam vel clepsydra effluxit, vel hora audita est; ita enim citiùs illud legent, absolventque majore metu, ac scrupulo propellente ne quidquam omittant.

Possunt esse tam scrupulosi, ut sæpius illis expediat Horas omittere.

Quòd si tam scrupulosi essent, ut eò adduci non possent, expediret sæpiùs Officium omitti, quàm legi tanto tormento, & turbatione capitis, non sine periculo amentiæ. Egit mecum vir aliàs doctus & prudens, sed tam scrupulosus in recitandis Horis, ut totum ferè diem iis impenderet, &, quo certus esset se pronuntiasse singula verba, colligeret litteras & syllabas alphabetariorum more, cùm discunt legere. Certum est, scrupulosos tanto suo incommodo & periculo, non teneri Horas legere; quamvis hâc etiam ratione teneãtur adhibere sibi remedia scrupulorum, ut iis se expediant, aptosque reddant ad explendum præceptum, quo aliàs obligantur, juxta posteriorem partem conclus. 3. c. 4.

169. *S. Lutgardis quomodo scrupulis liberata.* Concludo hoc caput exemplo illustris Sanctæ Belgii nostri Lutgardis; quæ, ut refert in ejus Vitâ Cantipratanus, & Surius XVI. Junii, cùm miserè scrupulis vexaretur ob distractiones inter preces Canonicas, nec tenera ejus conscientia ab illis pacari posset; Deus singulari providentiâ excitavit opilionem instar Amos Prophetæ, posuitque verbum in ore ejus, quo coram aliis Dei nomine jussit illam quietam esse, testatus Deo gratas esse ejus preces. Acquievit illa verbis opilionis, à scrupulis deinceps libera. Credant ejus exemplo scrupulosi, non tantùm se satisfacere præcepto; sed & Deo gratas esse preces suas, etsi sibi non videantur, neque fiant absque distractione.

CAPUT XIV.

De scrupulis circa orationem, variisq; ejus modis ac gradibus.

170. REmedii loco paucis explicabo varios ejus ac præcipuos modos gradusque, ad evitandos circa hanc materiam duos potissimùm defectus extremè oppositos, satis hoc tempore frequentes. Aliqui enim abutuntur reverà, & immeritò sibi arrogãt pulchrum nomen contemplantium, etsi re donoque veræ contemplationis careant. Alii contrà nimis scrupulosè rejiciunt & devitant omnem contemplationem tamquam periculis & illusionibus obnoxiam.

Suppono Primò, orationem in genere esse medium homini rationis compoti ad salutem omninò necessarium, adeoque esse necessariam necessitate medii, scilicet præcepto divino naturali. Ratio est, quia necessaria est ad obtinendam à Deo gratiam, haud dubiè necessarium medium ad salutem: meritò enim Deus illam statuit non dare, nisi orantibus & petentibus, juxta illud: *Petite, & accipietis.* Quare Patres, nominatim Hieronymus, & Augustinus adversus Pelagianos, docent tam esse necessariam orationem, quàm Dei gratiam & auxilium. *Necessaria ad salutem oratio:*

Suppono Secundò, necessitatem illam ac præceptum non esse determinatum ad orationem vel vocalem, vel mentalem, sed alterutram. Alterutra enim sufficit ad petendam ac obtinendam à Deo gratiam necessariam. Ubi per mentalem intelligo eam, quæ solâ mente fit, non voce; prout scilicet opponitur, & excludit vocalem. Per vocalem autem eam quæ fit voce, sed non solâ; quia nisi fiat etjam mente, vera oratio non est. Omnis enim oratio est & dicitur quædam mentis elevatio, vel ascensus in Deum. *non tamẽ determinatè mentalis aut vocalis, sed alterutra.*

Unde sequitur, numquam debere nos orare determinatè vel vocaliter, vel mentaliter, nisi præcepto aliquo positivo: ejusmodi autem est præceptum legendi Horas, 171.

ras, respectu eorum qui ad illas tenentur. Imò respectu omnium aliquando recitandi orationem Dominicam atq; etiam Salutationem Angelicam; scilicet introductum partim Christi & Ecclesiæ institutione, partim Christifidelium consuetudine, ut dixi superiori lib. c.8. num. 67. Quia verò non exstat ejusmodi positivum præceptum, vel Christi, vel Ecclesiæ, neque etiam consuetudo de oratione mentali; simpliciter nulla est obligatio orandi mentaliter, nisi quis ad eam teneatur voto vel Religiosus regulà. Quod ipsum constat communi Christi fidelium sensu, & Ecclesiæ consuetudine. Potest quidem per accidens ad superandam tentationem, vel acquirendam gratiam necessariam, esse necessaria, scilicet præcepto divino naturali; consideratio, v.g. quatuor novissimorum, vel justitiæ ac misericordiæ divinæ, vel etiam actus fidei circa alia ejus mysteria, qui mentalis est. Verùm nec omnis interna cogitatio, etsi pia, dicitur oratio: aliàs examen conscientiæ oratio esset: neque iis aut similibus casibus vetamur orare vocaliter.

Itaque ne quidem tunc obligamur ad orationem mentalem, videlicet solam.

172. *Mentalis oratio valdè co[n]sulenda.* Suppono tamen Tertiò, orationem mentalem aliquam valdè esse convenientem, utilem, adeoque consulendam omnibus omninò hominibus, præsertim verò Ecclesiasticis, Religiosis, ac quibuscumque aspirantibus ad aliquam vitæ Christianæ perfectionem. Ratio naturalis est, quia omnes homines ducuntur ratione & consideratione, præsertim in iis quæ spectant salutem animæ, & cultum Dei, magisque abstrahunt à sensibus. Ratio autem & consideratio, attentior, intensior, adeoque efficacior esse solet, cùm solâ mente se continet, nec se effundit in verba ac voces, quibus solet distrahi & turbari. Quare Illustriss. Card. Bellarminus solebat dicere, nō videre se, quâ ratione quis prudenter ac Christianè vitam suam possit instituere, nisi saltem manè quadrantem impendat meditationi. Quæ item causa est, cur oratio mentalis meritò censeatur perfectior ac melior vocali, scilicet communiter, ut utraque fieri consuevit; quamvis ceteris paribus, scilicet etiam oratione mentali æquè perfectâ, melior sit vocalis, quæ illam includit, & insuper elocutionem: nam plus & perfectius est servire Deo, seu orare animo & corpore, mente & linguâ, quàm animo & mente solâ.

Ceterùm, quia oratio mentalis, tam utilis est ad profectū spiritualem, ac quodāmodo necessaria ad perfectionem, non immeritò qui ad illam aspirant, soliciti sunt de modo illam bene instituendi: qui ut paucis explicetur,

175. *Oratio mentalis alia meditatio, alia contemplatio.*

Observa Primò, duplicem esse orationem mentalem; ordinariam, & acquisitam; extraordinariam, & potiùs infusam. Prior procedit ab habitibus infusis, atque etiam auxiliis gratiæ ordinariis. Posterior præterea à donis Spiritûs sancti, & singularibus Dei auxiliis. Prior solet dici meditatio: posterior contemplatio. Hoc tamen non est ita intelligendum, ut meditatio excludat omnem contemplationem, & contemplatio omnem meditationem; sed ita, ut meditatio dicatur sumptâ denominatione à majori parte, quæ potissimùm sita est in propriâ meditatione ac discursu; contemplatio autem, quæ potissimùm sita est in simplici rei intuitione, absque discursu. Aliàs solent conjungi & à se invicem juvari duæ illæ orationes. Quare etiam S.P.N. spiritualia sua exercitia nunc meditationes vocat, nunc contemplationes. Ob eamdem causam, etsi contemplatio potissimùm conveniat perfectis in viâ unitivâ, non est tamen dubium, quin sæpiùs exerceatur ab incipientibus in viâ purgativâ, ac præsertim proficientibus in illuminativâ; ut & meditatio à perfectis in viâ unitivâ.

Sæpè utraque conjuncta.

Utrumque hunc orandi modum videtur explicare Ecclesiasticus cap. 39. *Cor suum tradet ad vigilandum diluculò ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur; aperiet os suum in oratione, & pro delictis deprecabitur.* Quibus verbis describit priorem modum orandi seu meditationem, quâ homo ipse excitat & tradit cor suum ad considerandas res divinas, constituendo se in conspectu ac præsentiâ Dei, ad quod aptissimum est tempus matutinum. Verbis, *aperiet os suum*, significat meditationi utiliter etiam immisceri orationem vocalem; cùm videlicet spiritus jam corde collectus se prodit quasi naturaliter ac suâ sponte, & diffundit in voces; quod quia ordinariè contingit sub finem meditationis, S. P. N. meditationes suas solet concludere colloquio. Addit Ecclesiasticus: *Si enim Dominus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum:* quibus explicat posteriorem modum orandi, seu contemplationem non tam ab humanâ diligentiâ quàm Domini voluntate pendentem; quamvis, ut etiam Ecclesiasticus indicat, priori soleat subjungi. Quibus conforme est, ut etiam docet D. Thomas 2.2. quæst. 180. art. 3. quòd meditatio, uti & lectio, aliæque operationes intellectûs disponant ac tendant ad contemplationem ut finem: meditatio enim est veritatis quędam inquisitio; contemplatio veritatis jam inventæ intuitio.

174. *Contemplatio ordinariè sibi conjunctos habet actus duos volũtatis.*

Observa tamen Secũdò, quamvis, ut ipsum nomen satis indicat, omnis contemplatio sit actus intellectûs, seu quædam intellectualis visio; quatenus tamen considera-

tur

tur à mysticis, estque actus & usus Theologiæ mysticæ, atque etiam oratio, habere adjunctum actum voluntatis, eumque duplicem. Unum se priorem, à quo procedit; saltem dispositivè, & à quo participat rationem actûs moralis, liberi & meritorii, scilicet ordinariè: nec enim ago hîc de raptu, ac contemplatione infusâ absq; præviâ dispositione, adeoque necessariâ, nec secundùm se meritoriâ. Alterum, se posteriorem, qui ab ipso procedit, priore perfectior; nec enim hæc contemplatio est sicca speculatio, sed sapida bonitatis divinæ, aliusque attributi intuitio. Quare etiam sapientia, primum donum Spiritûs sancti, à quo etiam, ut causâ, procedit contemplatio, sic dicta est, quasi sapida scientia. Quæ optimè explicat D. Thomas cit. art. 1. & 7. ubi ad 1. addit, ex Gregorio hom. 14. in Ezech. quòd, cùm quis ipsum, quẽ amat, viderit, in amorem ipsius ampliùs ignescit: & hæc, ait, est ultima perfectio contemplativæ vitæ; scilicet ut non solùm ipsa veritas videatur, sed etiam ut ametur. Atque hęc ipsa est optima pars, Christo teste, quam elegit sibi Maria. Hujus contemplationis assignari solent varii gradus à scriptoribus ac Theologis mysticis. Tantùm hîc explicabo aliquos magis in Scripturâ & Sanctorũ experientiâ fundatos, & ad quos liceat aliquatenus aspirare, etiam meditantibus.

Gradus contemplationis.

Primus sit, oratio, seu contemplatio, præsentiæ Dei, quæ innititur, vel ipsa est actus fidei, quo Deus adeoque Sanctissima Trinitas creditur certissimè, & videtur, licèt obscurè, semper, ubique, & in omnibus præsens; non tantùm secundùm potentiam, ac providentiam; sed substantiam & essentiam suam. *In ipso enim*, ait Apostolus Actor. 17. *vivimus, movemur & sumus.* Quâ item fide & oratione Moyses, ut ait idem Apostolus ad Hebr. 11. *invisibilem tamquam videns sustinuit.* Valdè hanc orationem, seu cogitationem præsentiæ Dei, Societati nostræ commẽdavit S.P.N. quia est verè fundamentum omnis mentalis orationis, & omni loco, occupatione & conversatione exerceri potest; scilicet *in omnibus creaturis eum agnoscendo, & amando, & omnes in eo:* quæ sunt ejusdem verba. 175.

Primus, contemplatio præsentia Dei.

Secundò, huic maximè gradui innititur secundus, qui dicitur oratio collectionis: quòd eâ potentiæ animæ sese colligant, & conspirent ad excipiendum ac venerandum Deum præsentem: quo modo acus se convertunt ad præsentem magnetem, & apes undique cingunt stipantque suum regem. Quòd si Deus ita agnoscatur præsens in ipsâ animâ, eadem collectio simul est secessus ad inferiora, seu fundum animæ, ut loquitur Taulerus. Atque hæc potest dici spiritualis animæ solitudo, de quâ Oseas c. 2. 176.

Secundus, oratio collectionis.

Ducam

Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus. & infrà: *Sponsabo te mihi in fide.* Tanta aliquando est hæc potentiarum animæ collectio, attentio, actuumque intensio, ut sequatur earumdem suspensio, & impotentia exercendi tunc functiones alias: quia nimirum anima tanta quanta est Deo contemplando & amando occupata est, ut omnes suas vires, quippe finitas, in eo quasi exhauriat, nec servet, quas aliis impendat. Ita contingit impensè orantes nil tunc audire, nec sentire, imò abstinere ab omni operatione sensuum externorum. Quâ ratione probabilius est, suppositâ gratiâ perfectæ contemplationis, connaturaliter ex illà sequi posse ecstasim, ut sentit D. Thomas 2. 2. quæst. 175. art. 2. quod confirmatur quotidianâ etiam naturali experientiâ, quâ videmus uni negotio valdè intentos, nil vel vix attendere ad alia.

Unde etiam apparet, non semper ecstasim esse signum perfectioris contemplationis: potest enim ea contingere simul ob naturalem dispositionem, & ingenii imbecillitatem, non valentis ad multa attendere, ad quæ alii ingeniosiores attendere poterunt, etsi æquè vel magis Deo conjuncti cognitione, & amore: ut aliqui inebriantur modico, aliqui non nisi copioso vino. Neque inde sequitur, sic contemplantes etiam abstinere ab operatione sensuum internorum, (quamvis & hoc aliquando contingat) quàm vocant aliqui contemplationem puram; cujusmodi scientia & contemplatio per modum habitûs convenit Christo, atque etiam B. Virgini; per modum actûs pluribus aliis. Potest autem id fieri vel per species infusas, vel etiam per acquisitas antè sensibus externis.

Tertiò, hinc sequitur oratio quietis, quæ, ut dixi lib. 2. cap. 11. num. 114. est delectatio & actus voluntatis; sed per modum passionis quasi resultans ex alio voluntatis actu, præsertim amoris, ac supponit actum intellectûs etiam præsentem. Quare multò verius est, ut ibidem dixi, neque voluntatem, quod clarius est, neque etiam intellectum umquam ab omni actu cessare: aliàs non perficeretur, sed destrueretur contemplatio. Quomodo enim intellectus contemplatur si nihil agat, aut videat, sed otietur? Quod eâdem ratione verum est de spirituali ebrietate & somno, huc spectantibus, juxta ibidem dicta. Verum tamen est, quod etiam docet D. Thomas 1. 2. qu. 27. art. 2. ad 2. voluntatem perfectiùs amare, quàm intellectus intelligat, speciatim hujusmodi orandi modo. Quo sensu intelligi potest illud mysticorum: *Voluntas intrat, ubi intellectus foris stat.* Quiescit hac ratione anima tota in Deo, tamquam centro suo, qui eamdem lactat, juxta illud Oseæ citati: *Lactabo eam.* De

177. *Tertius, oratio quietis.*

De eâdem quiete & dulcedine ait sponsa Cant. 2. *Sub umbrâ illius, quem desideraveram, sedi, & fructus illius dulcis gutturi meo.* Sedet, dum intento in unum contemplationis oculo quiescit, nec discurrit per varia.

178. *Quartus visio Dei in caligine.* Quartò, dicitur etiam contemplatione videri Deus in caligine, & tenebris: juxta illud 3. Reg. 8. *Dominus dixit ut inhabitaret in nebulâ.* Et Psal. 17. *Et posuit tenebras latibulum suum.* Quod non potest intelligi de tenebris, id est, privatione omnis cognitionis ac visionis, ex parte subjecti contemplantis: quomodo enim videret absque visione? sed ex parte objecti Dei, quem videt à se videri plenè aut comprehendi non posse, adeoque ignorari potiùs, quàm videri. Quo sensu Dionysius cap. 1. Theolog. mysticæ, hortatur Timotheum, ut ignotè cognoscat, seu tendat in Deum. Simili modo & sensu videt mare, qui illud contemplatur ex littore, scilicet immensum, sed non immensè. Eadem cognitio dicitur negativa, quia negantur aut transcenduntur eâ de Deo omnia creata, eorumque species, quæcumque intellectui objiciuntur, ut docet Dionysius citatus. Ita dicitur Deus infinitus, incomprehensibilis, ineffabilis, &c. vel superelemẽtissimus, superpulcherrimus, &c. Simili modo statuarius solâ ablatione & præcisione è ligno facit pulcherrimam statuam. Quare idem Dionysius cap. sequ. caliginem illam dicit lucidissimam; & hoc non videre, & non scire, est veraciter videre & scire. Imò & Paulus eam lucem vocat, sed inaccessibilem.

Quintò, similiter explicatur oratio, quæ dicitur silentii: quia scilicet anima magnitudinem Dei incomprehẽsibilem stupet, dicitq; cum Ieremiâ cap. 1. *A, A, A, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum*; vel bonitatem adeò amat, ut præ amoris vehementiâ vix intelligere aut loqui posset, ideoque sileat, aut proferat dimidiata tantùm verba cum sponsâ: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ejusmodi silentio animæ contemplatrici dicitur: *Audi filia, & vide, obliviscere populum tuum,* &c. Ita discipulus faciliùs & tamen utiliùs audit magistrum docentem & explicantem, quàm ipse secum studet aut argumentatur. Argumentatur & discurrit anima, cùm meditatur. Audit ipsum Spiritum sanctum docentem, cùm silentio contemplatur. 179. *Quintus oratio silentii.*

Sextus, & ultimus, & perfectissimus, gradus contemplationis est oratio unionis, quâ Deus animam volentem, seque ipsam tradentem arctissimè sibi copulat, vnit, imò quodammodo in se transformat; ejus voluntatem transmutat in suam; ita ut ipsa voluntas propria quodammodo annihiletur, transformetur, & absorbeatur. Planè juxta Apostolum, qui post similem unionem ac trãsformationem 180. *Sextus, oratio unionis.*

 verè

verè de se dixit: *Vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Christus*. Idemque de se potest dicere anima, postquam ad hunc orationis gradum pertigerit; vivit ipsa per naturam, non tamē ipsa: quia per gratiā vivit potiùs in ipsâ Christus. Eodē sensu idem Apostolus: *Qui adhæret Deo*, quod fit potissimùm hujusmodi oratione, ac unione, *unus spiritus est cum eo*. Si matrimonium carnale duos facit unam carnem, teste eodem Apostolo; quid ni potiùs matrimonium spirituale inter Christum, & animam sanctam, (quod quodammodo hâc oratione consummatur) faciat unum cum eo spiritum? Quibus præterea conformis est alia doctrina ejusdem Apostoli, & Sanctorum, quòd quisque debeat exuere veterem hominem, seipsum, seu voluntatem propriam; & induere novum, id est, Christum, ac voluntatem divinam. Simili modo in naturalibus gutta aquæ transformatur & absorbetur à vino, cui immiscetur; ferrum candens ignescit, ut unum quid, imò totum videatur ignis; & cibus convertitur in substantiam aliti, seu comedentis. Addunt aliqui, sicut surculus induit ac imbibit naturam arboris, cui inseritur: sed quia contrarium probat experientia, aliter fieri debet hæc comparatio; ita videlicet, ut arbori ac trunco comparetur natura & anima nostra; surculus sit divinitas seu gratia, quæ illi inserta, suæ efficit consortem naturæ, ut surculus succum arboris convertit in suum.

Unde etiam apparet, effectum hujus orationis esse ferè eumdem cum effectu primario Sacratissimi Sacramenti; nisi quòd hic sit ex opere operato, ille ex opere operantis: utriusque enim est unio, imò transformatio quædam animæ in Christum, ut cibus convertitur in substantiam comedentis: ad quod significandum institutum est Sacratissimum Sacramentum sub speciebus panis & vini. Neque tantùm hujus orationis, sed totius Theologiæ mysticæ ultimus effectus & finis est hæc unio, potissimùm cōveniens perfectis in unione unitivâ. Multa & magna dicunt de eâ mystici, sed vix possunt majora quàm nunc dixi ex Scripturâ.

181. *In contēplatione peculiariter exerceantur virtutes theologicæ.*

Ex dictis de hisce orationis gradibus collige, peculiariter iis exerceri tres virtutes theologicas: sexto, caritatis, quæ tendit in Deum, quatenus absolutè ac sibi bonum: tertio, spei, quæ tendit in Deum, ut nobis bonum, ac jucundum: reliquis fidei, scilicet peculiariter & directè: aliàs singulis gradibus cōcomitanter possunt & solent exerceri omnes tres, præter virtutem religionis, quæ peculiariter exercetur secundo. Quare non est dubium, quin non tantùm absque scrupulo iis vacare liceat, sed insuper id sit valdè meritorium, utile ad perfectionem, imò & mortifica-

catio-

cationem, ut patet ex gradu ultimo. Quare omnes fateri debent, contemplationem esse perfectissimam speciem orationis, & ex dictis lib.2.cap.12. satis constat, quietem & spiritualem gaudium, quod ex illâ solet profluere, esse valdè utile ad perfectionem.

182. *Dispositio necessaria pro contẽplatione.* Adverte tamen Primò, quod monent omnes, ad eam neminem debere aspirare, nisi præviâ dispositione, atque etiam oratione quâdam, & instinctu divino; secùs ad illam aspirans, perinde faceret, ac famulus assidens domini mensæ, cui jussus erat servire. *Dominus* IESVS, ait Blosius de Consolat. pusillan. cap. 28. *Rex regum non omnes ad hoc eligit aut admittit, ut in hoc exilio secum mensæ assideant; hoc est, ut in fruitione & quiete sanctæ contemplationis pleniùs delicientur, sed multos constituit, velut ministros, qui ante mensam suam stent, sibiq; inserviant.*

Quare optima ad contemplationem dispositio est humilitas, quâ te putes dono contemplationis indignum. *Præparatio ad cõtemplationem remota, mortificatio passionum, & puritas cõscientia.* Præparatio autem duplex est, remota, & proxima. Remota est mortificatio passionum, & puritas conscientiæ, juxta illud Christi: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Impossibile,* ait Cassian. collat. 14. cap. 14. *namque est immundam animam, quantâlibet desudaverit lectionis instantiâ, adipisci scientiam spiritalem: nemo enim in vas fœtidum atque corruptum, unguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut pretiosi quidquam liquoris infundit.* Ratio est, tum supernaturalis, quia aliàs anima non meretur donum contemplationis; tum naturalis, quia vivaces passiones naturaliter reddunt animum inquietum, & ineptum ad quidvis attentè considerandum aut contemplandum. Quare antequam veniatur ad viam unitivam, imò & illuminativam, oportet transire purgativam, quæ sita est potissimùm in extirpatione vitiorum, ac mortificatione passionum, ut illuminativa in quâdam radicatione, ac confirmatione virtutum; & unitiva in perfectione earumdem, præsertim caritatis. Primæ viæ potissimùm convenit meditatio de quatuor novissimis ac peccatis: secundæ de vitâ Christi ac virtutibus: tertiæ contemplatio de Deo. Quibus conformia docet Cassian. collat. 1. cap. 15. de contemplatione Dei, & probat ex illo Exodi 33. *Non enim videbit me homo, & vivet; Scilicet,* ait, *mundo huic affectibusq; terrenis.* Quamquam verus & litteralis eorum verborum sensus est, quòd nemo in mortali hâc vitâ contempletur, seu videat divinam essentiam; scilicet clarè, ut est in se.

Proxima dispositio est meditatio, qualem scilicet suis Exercitiis (quæ Sedes Apostolica definivit esse pietate ac sanctitate plena, & ad spiritualem profectum valdè utilia) præscripsit S.P.N. quâ convenietissimo & perfectissimo mo- 183. *Præparatio proxima est meditatio.*

do anima Deo vacat, tribus suis potentiis, memoriâ, intellectu & voluntate. Atque hæc causa est, cur S. P. N. etsi præditus tam insigni dono orationis ac contemplationis, aliter non docuerit nos contemplationem, quàm duabus illis viis seu dispositionibus. Iis enim præmissis, à Deo solo reliquum pendet, an animam velit ad illam elevare, nec ne. Quare contemplationis donum, præsertim per modum habitûs, recensetur inter gratias gratis datas, ut donum prophetiæ ac miraculorum; qualia aliquando dantur imperfectioribus, negantur perfectioribus.

184. *Redeundũ ad meditationem cũ deficit contẽplatio.* Adverte Secundò, evectis ad hunc gradum, seu præditis dono contemplationis, diligẽter cavenda esse aliqua. Primò, ne quasi dedignentur aut graventur, reverti ad meditationem, cùm deficit lumen contemplationis: nec enim solet illud, aut simplex actus contemplationis, durare diu, ob naturalem inconstantiam ingenii humani, cui solet accommodari gratia. Quod ipsum D. Thomas 2. 2. quæst. 181. art. 4. ad 3. docet ex Gregorio hom. 5. in Ezech. scilicet animum ab immensitate divinæ celsitudinis repulsum, in seipsum relabi, eamque quasi furtim tantùm, & per transitum videre. *Rara hora, parva mora,* ait Bernardus. Aliàs exponunt se periculo inutilis otii. Ita nautæ quiescunt flante & favente vento, sed remigant illo cessante.

Quamquam juxta antè dicta, contemplatio sæpè latiùs sumitur, & vocatur, quæ verè est meditatio, sed facilis, nec operosa aut vaga. Quare sæpiùs piæ animæ meditantur, dum putantur contemplari.

Secundò, cavendum iis est, ne negligant nominatim meditari aut cogitare de humanitate aut passione Christi, aut Sacramento Eucharistiæ: qui fuit inter reliquos, error Begardorum & Beginarum, qui refertur & damnatur Clement. *Ad nostrum*, de hæreticis; *Asserentes*, ait Pontifex, *quòd esset imperfectionis eisdem, si à puritate & altitudine suæ contemplationis tantùm descenderent, quòd circa ministerium aut Sacramentum Eucharistiæ, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent*. Longè alio spiritu ipse Apostolus arbitrabatur se nihil scire, nisi Christum, & hunc crucifixum. 185. *Meditandum contẽplativis etiam est de humanitate Christi, passione, Sacramẽtis, &c.*

Tertiò, cavendum iis est, ne prætextu sublimioris contemplationis negligant etiam conciones, orationes omnes vocales, præsertim orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, lectionem libri spiritualis. Quod vergeret ad errorem Illuminatorum, ut constat ex aliquibus ipsorum erroneis propositionibus relatis libr. 3. cap. 1. concl. 2. Nam illæ & similes functiones non impediunt, sed juvant contemplationem suo tempore exercendam. Quæ tamen aut simi- 186. *Non sunt illis negligendæ conciones, orationes vocales, &c.*

similia, si contingant, vitia sunt non veræ contemplationis, sed contemplantium, ut ebrietas non vini, sed ebriorum.

CAPVT XV.

De scrupulis circa distractiones inter orandum, ac spirituales desolationes.

187. CAssian.collat.9.cap.2. *Omnis,* inquit, *Monachi*, eademque est ratio de quovis aspirante ad perfectionem, *finis cordisq; perfectio ad jugem atque indisruptam orationis perseverantiam tendit, &, quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis, ac perpetuam nititur puritatem*. Quo major est intellectûs humani infirmitas, & miserior conditio, quòd absque distractione & evagatione mentis orare non posit. Pulchrè eam ingenii cordisque nostri inconstantiam explicat August. in Psal.85. his verbis: *Attendat & videat, quanta aguntur in corde humano, quemadmodum ipsæ plerumque orationes impediuntur vanis cogitationibus; ita ut vix stet cor ad Deum suum; & vult se tenere ut stet, & quodammodo fugit à se, nec invenit cancellos, quibus se includat, aut obices quosdam, quibus retineat avolationes suas, & vagos quosdam motus, sed stet jucundari à Deo suo. Vix est, ut occurrat talis oratio inter multas orationes: diceret unusquisque sibi contingere, & alteri non contingere, nisi inveniremus in Scripturis Dei David orantem quodam in loco,* scilicet 2.Reg.7. *& dicentem: Quoniam inveni Domine cor meum, ut orarem ad te. Invenire se dixit cor suum, quasi soleret ab eo fugere, & ille sequi quasi fugitivum, & non posse comprehendere, & clamare ad Dominum: Quoniam cor meũ dereliquit me*. Hæc August. Quare Abbas Agathon rogatus quidnam esset inter omnia virtutum opera difficillimum, respondit nil esse tam arduum atque difficile, atque orare; Deum scilicet attentè & devotè, absque distractionẽ. Ratio est, non tantùm naturalis ingenii humani, atque etiam voluntatis inconstantia, sed & dæmonis tentatio. *Cùm,* ait Cassian. lib.2.cap.10. *inimicus noster sit nobis semper infestus, tunc maximè assistit infestior, cùm contra se nos offerre preces Domino videt, cogitationibus seu diversis humoribus excitatis abducere mentem nostram à supplicationis intentione festinans, & per hoc eam tepefacere à cœpto fervore contendens.* Quibus simul indicat modum duplicem, quo dæmon id facere potest & solet, videlicet vel objiciendo peregrinas species ac phantasmata, vel excitando humores.

Miseria hominum est in oratione in distractionibus evagari.

Nota, triplici de causâ orantibus esse scrupulo distractiones, quòd putentur vel peccata mortália, vel venialia, vel saltem impedimenta fructûs orationis ac perfectionis. Tribus hisce scrupulis conabor afferre remediũ vel moderationẽ, tribus sequẽtibus conclus.

188. *Distractio summum mortalis est in oratione præceptâ: imò probabiliter numquam.*

Dico itaque Primò: Distractio numquam est mortalis nisi in oratione præceptâ, cùm est causa violationis præcepti; imò probabile est eam solam numquam esse mortalem. Prima pars est communis, & facilè probatur: quia etsi sit aliqua in Deum irreverentia, voluntariè inter orandum distrahi, ut dicam sequenti conclus. ea tamen sola non potest esse mortalis; tum quia secundùm se ea res parva est; tum quia nimis connaturalis, & quodammodo necessaria, est evagatio naturæ nostræ; cui etsi non sit impossibile quovis temporis puncto evitare distractionem, est tamen longiusculo tempore: uti possumus vitare peccata venialia singula, non tamen longiori tempore omnia. Quare si distractio sola esset peccatum mortale, necessariò omnes, etiam justi, imò & perfecti, peccarent aliquando mortaliter, contra Trident.

Unde sequitur, distractionem non posse esse mortalem in oratione vel voluntariâ, vel etiam præceptâ, nisi causet violationem, vel impediat expletionem præcepti, ejusque obligantis sub mortali, v.g. recitandi Horas, & audiendi Sacrum. Ad hoc autem duo requiruntur: Primò, ut sit notabilis, seu duret notabili parte Horarum, vel Sacri. Secundò, ut sit deliberata, ac perfectè voluntaria, & quidem quatenus notabilis: si enim imperfectè tantùm cognita ac voluntaria, hoc ex capite fiet venialis, etsi aliàs mortalis. Ceterùm tota conclusio nititur & sequitur ex dictis cap.13. tum prima pars, quòd juxta communiorem sententiam Ecclesia utroque illo præcepto præcipiat veram ac internam orationem atque auditionem, quam tollit distractio, etsi sola ac interna: tum etiam secunda pars, quia, ut ibidem addidi, probabile est non præcipi internam, sed tantùm externam orationem, ac præsentiam, cui non repugnat distractio interna, quantumvis diuturna & voluntaria. Itaque hoc non obstante, explebitur præceptum recitandi Horas & audiendi Sacrum, juxta probabilem hanc sententiam, atque adeò cessabit causa, quâ distractio esset mortalis.

Adverte tamen, etiam juxta hãc sententiam, adhibendam esse ex præcepto positivo, ut orationem, ita devotionem externam: scilicet compositionem externam corporis, dum Officium cantatur, & Sacrum auditur; neque tunc licitas fabulas, aliasque occupationes, cum verâ & internâ devotione incompossibiles. Aliàs non tantùm peccaretur venialiter contra præceptum naturale, ac reverentiam Deo debitam, sed & mortaliter contra præceptum positivum. 189.

190. *Distractio volũtaria in orationibus volũtariis est venialis.*

Dico Secundò: Distractio voluntaria etiam in orationibus voluntariis est peccatum veniale. & hæc est communis; quamvis videatur

deatur dissentire Gabriel lect. 62. in Canonem litt. I. de orationibus voluntariis.

Probatur Primò, ex Scripturâ, quæ satis indicat id aliquo modo malum, & indecens esse. Malach. I. *Si offeratis cæcum ad immolandum, nónne malum est; & si offeratis claudum & languidum, nónne malum est? offer illud duci tuo, si placuerit, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* Quibus satis indicatur malum esse, quidvis Deo offerre imperfectum ac mutilum, idq; tacitè probatur à fortiori: quia etiam dux seu princeps terrenus ægrè ferret tale quid sibi offerri. Imperfecta autem & mutila est oratio distracta, si orationis nomen meretur. Esse autem peccatum hoc contra reverentiam sibi debitam, significatur verbis præcedentibus: *Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Quare etiam Deus apud Isaiam cap. 29. queritur de ejusmodi oratione, & injuriâ: *Populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me; cor autem ejus longè est à me.*

Probatur Secundò, ex Augustino, qui paulò post verba jam allegata, subjungit: *Quis enim est, fratres mei, homo, cum quo si amicus ejus cœperit colloqui, & noluerit ille respondere collocutioni ejus, & viderit eum averti à se, & aliud loqui ad alium, quis hoc ferat? aut si fortè interpellas judicem, & constituas eum loco, ut te audiat, & subitò cùm ad eum loqueris, dimittas eum, & incipias fabulari cum amico tuo, quando te tolerat? Et tolerat Deus tot corda peccantium, & diversas res cogitantium, omitto dicere & noxias, omitto dicere aliquando perversas & inimicas Deo: ipsas superfluas cogitare, injuria est ejus cum quo loqui cœperas. Oratio tua locutio est ad Deum: quando legis, Deus tibi loquitur: quando oras, cum Deo loqueris.* Quibus apertè Augustinus docet, distractionem inter orandum esse injuriam erga Deum, quæ non potest committi sine peccato. addit tamen: *Sed quid? desperandum est de genere humano, & dicendum est, jam ad damnationem pertinere omnem hominem, cui surrepserit aliqua cogitatio oranti, & interruperit orationem ipsius? si hoc dixerimus, fratres, quæ spes remaneat, non video. Porrò quia est aliqua spes ad Deum, quia est magna ejus misericordia, dicamus ei: Iucunda animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi: & quomodo eam levavi? quomodo potui, quomodo tu vires dedisti, quomodo eam fugientem apprehendere valui, & excidit tibi.* Introducit deinde loquentem Deum: *Quia quotiescumque ante me stetisti, tanta vana & superflua cogitasti, & vix mihi fixam & stabilem cogitationem fudisti.* Subjungit: *Quia tu suavis es, Domine, & mitis, tolerans me: ex ægritudine defluo; cura, & stabo; confirma, & securus ero; donec autem facias, toleras me; quia tu suavis es, Domine, & mitis.* Quibus nihilominus excusat distractiones, quòd tamquam defe-

ctus veniales, & quodammodo nobis necessarii divinâ misericordiâ tolerentur, facileque remittantur, planè juxta conclusionem.

191. Probatur Tertiò, ratione Augustini indicatâ à Scripturâ: quia per se apparet indecens & indignum majestate divinâ, velle & exteriùs profiteri te cum eâ agere orando, & absque causâ ab eâ te avertere, animumque distrahere, seu labiis eam orare, corde autem longè evagari. Quod à fortiori constat ex modo agendi inter sese hominum.

Confirmatur: quia quicumque facit ac suscipit aliquod officium munusque, etiamsi voluntariè, debet illo bene fungi, cum debitis circumstantiis: exempli causâ, si hospitem ex caritate excipias, debes secundùm ejus conditionem; si Advocatus gratis patrocinetur pauperi, non potest hujus causam negligere: ergo multò magis si velis agere cum Deo, oratione etsi voluntariâ, debes cum eo agere, quatenus potes, ut decet tantam majestatem.

Unde apparet, bene consistere hæc duo, quòd ne quidem venialiter pecces omittendo totam orationem, pecces tamen inter orandum te distrahendo. Cessat tamen ea ratio, ideoque nullum est peccatum, si recites aliquas preces solo animo tradendi eas memoriæ: quia hîc non est intentio & voluntas orandi, ideoque hæc non est oratio, aut colloquium cum Deo, sed exercitatio memoriæ.

Dixi tamen in conclusione, *voluntaria*: quia involuntaria nullum est peccatum, imò moraliter non interrumpit orationem, quæ nihilominus fit cum attentione, vel intentione orandi virtuali; quatenus intentione orandi primò inchoata est, ejusque vi pergunt vel recitari verba, vel durat compositio ac devotio exterior: quo modo in simili Gersonis pergit quis peregrinari ad D. Iacobum, etsi in itinere sæpissimè de hâc itineris causâ & termino nil cogitet. Quæ sunt conformia dictis lib. 1. cap. 18. de unitate actûs moralis.

Distractio involuntaria nec peccatum est, nec orationem interrumpit.

Adverte præterea Primò, ad hoc requiri, ne quis tempore orationis sciens & volens aliud tunc agat cogitetque, etsi expresè non velit ab oratione cessare: quia eo ipso nihilominùs id vult interpretativè. Itaque simul atque advertit se distractum, debet redire ad institutum, vel orationem interrumpit, & peccat venialiter. 192.

Quid faciendum distracto?

Adverte Secundò, valdè consultum esse ad impediendas distractiones, ante orationem præparare animam suam, & removere propinquas earum occasiones, v.g. secedere ad locum secretiorem, extra tumultum & strepitum, quod ordinariè tantùm est consilii, aliquando tamen præcepti; ut, cùm occasio esset & prævideretur tam propinqua, ut moraliter impossibile

bile sit vitare frequentes distractiones.

193. *Desolatio & distractio involuntaria potiùs promovet, quàm impediat profectū.* Dico Tertiò: Desolatio spiritualis ac distractio involuntaria patienter tolerata, non impedit fructum orationis, aut profectum spiritûs, sed ad utrumque conducit; sæpiùs utilior quàm sensibilis consolatio. Est communis & certa doctrina Sanctorum, ac scriptorum piorum. Satis clarè eam docet, imò & probat S.P.N. Ignatius regulâ 9. ad spiritus dignoscendos, quâ affert tres præcipuas desolationis causas. *Tres desolationis causæ.* *Prima*, ait, *quia propter nostram in spiritualibus studiis, seu exercitiis tepiditatem atque acediam consolatione divinâ meritò privamur. Secunda, ut probemur quinam simus, & quomodo in Dei servitium & honorem, absque præsente quodam consolationum donorumque spiritualium stipendio nos impendamus. Tertia, ut certi planè simus nostrarum virium non esse, vel acquirere, vel retinere fervorem devotionis, vehementiam amoris, abundantiam lacrymarum, aut aliam quamlibet internam consolationem; sed omnia hæc gratuita esse dona. Quæ si vendicemus nobis ut propria; superbiæ & vanæ gloriæ crimen non sine salutis gravi periculo incursuri sumus.* Quibus verbis, quia clara sunt, nihil addo: quòd autem desolatio ob omnes vel singulas illas causas utilis sit, satis item clarum est; ut magis constabit ex probatione.

Blosius in Conclavi animæ fidelis, seu Monili spirituali cap. 10. eam probat auctoritate ipsius Christi, qui dixit B. Gertrudi: *Quando ego alicui do gratiam; hæc in illo operatur, sicut saluti ejus magis congruit: quibusdam enim utilius est diversis gravaminibus in præsenti vitâ exerceri, quàm magnam dulcedinem & consolationem percipere. Ideoque ipsis gratia mea convertitur in amaritudinem tribulationum & afflictionum, quibus magis ac magis promovetur illorum salus, & exornantur animæ ipsorum secundùm optimum beneplacitum cordis mei.* Quibus apertè desolatio attribuitur gratiæ, scilicet patienter tolerata, & dicitur aliquibus utilior ad salutem, quàm dulcedo & consolatio: quod ex sententiâ suâ repetit Scriniolo spirituali cap. 7. epist. ad amicum: *Illa*, inquit, *mentis instabilitas, quâ se inter orandum affligi dicit, innumeris Dei servis communis est: non est quòd hinc nimis expavescat. Si enim invitus mente distrahitur, & rationabiliter facit quod in se est, ut sit attentus; oratio ipsius in ejusmodi distractione humiliter fusa sæpè utilior ac fructuosior est, quàm si cum magnâ cordis attentione perageretur.* Quibus dicitur ipsa quoque oratio, etsi distracta, sæpè esse utilior, quàm attenta. Eadem doctrina bene & practicè traditur & explicatur dialogo, quem idem auctor refert ex Taulero inter patrem & filium spiritualem, de Consolat. pusillanimium c. 23. §. 2. quem hîc ascribo in gratiam scrupulosorum: *Plerique aliquâ molestiâ gravati ita mihi dicere con-*

consueverunt: Pater malè mecum agitur; diversis enim afflictionibus multoq; mærore perturbor: & ego rectè cum eis agi pronuntio. Tum illi non ajunt, Domine, sed meâ culpâ id actum est. Ad quod rursus ego: Sive tuâ culpâ id actum est, sive non, crede ipsam afflictionis crucem à Deo tibi impositam; eidemq; gratias agens, sustine, & resigna teipsum. Rursum illi: Sed magnâ intus ariditate, obscuritateq; contabesco. quibus ego: Feras animo, dilecte fili, patienter, & meliùs tecum agetur, quàm si in magnâ multâq; sensibili devotione versareris. Quibus non habeo quod addam. Id tantùm notandum, rectè iis addi etiam hæc vera esse, etiamsi desolatio inflicta esset tamquam pœna ob aliquod peccatum seu defectum: quia tunc etiam expedit animæ sic pro eo satisfacere vel satispati: quare dolere quidem deberet de peccato, sed gaudere de pœnâ. Idem ex professo docet Gerson de Consolat. Theologiæ lib. 4. prosâ 3. ubi addit, Begardos aliosque devotos deceptos fuisse spiritualis dulcedinis cupiditate. *Gustas igitur, ait, hanc suavitatem? utere cum humilitate & gratiarum actione. gustu cares? fer in patientiâ & mansuetudine.* Addit prudenter, quòd aliquando dæmon abutatur naturali bono teneri cordis, ut in mulieribus & hæreticis; sicut contrà sæpiùs eodem utitur Deus per gratiam, ut magis incalescat spiritualis devotio. Idem docet de remediis contra pusillanimitatem; ubi rectè addit modum, quo dæmon solet incautos tirones, & inexpertos fallaciarum spiritualium, per sensibiles consolationes decipere; nimirum non afficiendo immediatè portionem seu partem animæ superiorem, quod non potest, sed inferiorem, fovendo eam & corpus multâ tranquillitate, & voluptate fictâ & sophisticâ: quia videlicet verè non provenit à Deo ac pio motu, ut creditur, sed à dæmone, ejusque fallaciâ.

Probatur deinde & explicatur conclusio: quia Primò, distractio, eo ipso quo involuntaria, non est peccatum, eademque est ratio de desolatione, quatenus ab illâ distinguitur, sita in subtractione peculiaris cujusdam luminis, ac gratiæ divinæ: quæ, ut secundùm se à libertate nostrâ non pendet, ita nec potest nobis esse voluntaria. 194.

Bona proveniens ex involuntariâ distractione, & desolatione.

Secundò, utraque patienter tolerata includit actum virtutis patientiæ, imò ordinariè fidei, ut de quibusvis tentationibus, seu probationibus, docet Jacobus cap. 1. atque insuper spei, ut Paulus ad Rom. 5. quo ex capite fit meritoria, atque etiam oratio efficax, quatenus est petitio.

Tertiò, occasio est ac causa, practicæ & experimentalis cujusdam cognitionis sui ipsius; cùm homo desolatus ac destitutus auxilio Dei non omni, sed speciali aliquo, experitur & sentit quid sine eo possit: ut explicat S.P.N. Quare insu-

insuper frænum quoddam est, quo anima cohibetur, ne sibi nimis fidat, & se nimis liberè diffundat & effundat in vana; & calcar, quo excitatur, ut recurrat ad Deum, cujus auxilio se videt adeò indigere.

Quartò, est etiam quædam satisfactio vel satispassio pro defectibus, ut idem indicat. Quare sæpè à Deo immittitur ad animam ab iis expurgandam. Non est autem dubium, quin sit melius & optabilius nunc puniri & purgari, privatione alicujus lucis & consolationis, quàm postea longiori fortè tempore visionis & gaudii beatifici; ut nil dicam de pœnâ sensûs & ignis purgatorii. Itaque ob has aliasque causas non impedit, sed promovet bonum ac profectum spiritualem, atque etiam speciatim fructum & finem orationis.

Confirmatur: quia sensibilis devotio, ut dixi lib. 2. cap. 11. num. 112. uti non est essentialis ac vera devotio, sed tantùm accidentalis, ex illâ per modum passionis resultans: ita secundùm se non est meritoria, in quo convenit cum desolatione ac distractione; sed tantùm solet esse occasio, cur intensiùs, quò lubentiùs exerceatur virtus. Cui bono haud dubiè possunt æquivalere, imò prævalere commoda desolationis jam explicata. An autem alicui hîc & nunc omnibus consideratis magis conveniat consolatio vel desolatio, paternæ Dei providentiæ cōmittendum est.

Petes, an expediat desiderare & petere à Deo desolationem vel consolationem spiritualem? suppono licere absque peccato alterutram petere ob varias causas, & utriusque commoda, quibus putes alterutram tibi convenientiorem. Dubium ergo tantùm est, utrùm expediat, sitque perfectius ac tutius? 195. *Utrùm expediat petere cōsolationē, an desolationem?*

Nota utramque esse duplicem, juxta dicta cap. jam citato: vel rationalem, ac purè spiritualem, in animæ parte superiori: vel sensibilem, ac simul corporalē, in animæ parte inferiori. Potest omninò in unâ parte esse desolatio, & non in alterâ, vel cōtrà; imò potest in unâ esse desolatio, & quidē magna; in alterâ in eodem tēpore consolatio etiam magna. Ita Christus tam beatus fuit, quàm nunc est, non tantùm divinitate, sed humanitate, id est, superiori animæ parte, quando inferiori tristis fuit anima ejus usque ad mortem; & extremè desolatus, dixit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Respondeo nunc desiderandam, procurandam, & petendam à Deo esse consolationem partis superioris, & quietem conscientiæ; fugiendam verò desolationem & scrupulos illi contrarios, qui infestant & turbant partem animæ superiorem, idque ob causas eorumque incommoda allata cap. 3. consolationem verò, vel desolationem sensibilem in parte animæ inferiori ordinariè

nec desiderandam ac petendam, neque fugiendam esse; sed perfectius esse Deo committere, utram immittere vel permittere velit, prout hîc & nunc tali animæ convenientius vel utilius judicaverit.

Dixi, *Ordinariè*: quia aliquando etiam judicio Confessarii, aut aliunde constare poterit, alterutram magis huic vel illi convenire, quam tunc expediet desiderare determinatè, & à Deo petere. Sæpiùs tamen expedit petere & desiderare consolationem, non tantùm, quia semper oportet exercere actus virtutum, veramque devotionem, unde illa solet profluere etiam in partem animæ inferiorem; sed quia quisque infirmitatis suæ conscius debet potiùs judicare sibi ad perseverantiam in bono necessariam, vel utiliorem esse illam quasi illecebram virtutis, consolationem etiam sensibilem. Ob eamdem causam non expedit ordinariè desiderare, & petere à Deo tentationes. Imò Dominus ipse docuit nos orare, *Et ne nos inducas in tentationem.*

196. Addo tamen, postquam constat de voluntate Dei immittentis vel permittentis desolationes, ut & tentationes, perfectius ac tutius esse nō petere aut velle iis liberari; sed totum divinæ voluntati & providentiæ committere, juxta dicta lib. 2. cap. 10. Imò de iis gaudere, quòd vel sic voluntas Dei in nobis adimpleatur, nosque simus similes Christo patienti, juxta illud 1. Petri 4. *Communicantes Christi paßionibus gaudete.* & Pauli 2. ad Cor. 12. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis.* & Iacob. 1. *Omne gaudium existimate, fratres, cùm in varias tentationes incideritis.* Quibus casibus gaudium & consolatio est in parte animæ superiori, dolor ac desolatio in inferiori.

CAPUT XVI.

De scrupulis circa fidem ac cogitationes blasphemas, & inhonestas, eorumq; remediis.

TRiplices distingui possunt scrupuli contra fidem: Primò, contra ipsum Deum, ejusque providentiam. Secundò, contra veram fidem ac religionem capessendam & eligendam. Tertiò, contra fidem prudenter electam, scilicet Catholicam, ejusque mysteria. Quò etiam spectant cogitationes blasphemæ, quibus Deus objicitur scrupuloso tamquam crudelis & injustus, aliæque à dæmone, vel aliunde obtrusæ; quasi audires aliquem dicentem, vel ipse diceres: Nega, vel, nego Deum, trado me dæmoni. Quibus addo, quia idem est remedium, cogitationes impuras. 197.

198. Primò igitur, contra primos scrupulos remedium afferre possunt dicta de Deo, ejusque existentiâ ac providentiâ libr. 1. cap. 1. ex communi consensu, non tantùm Chri-

Remediū pro tentationibus cōtra existentiā & providentiam Dei.

Sensus nationum omnium. Christianorum, vel philosophorum, sed omnium nationum etiam infidelium, adeoque totius generis humani; cui Deus ipse hunc sensum atque sui notitiam impressit, atque insculpsit; adeò ut non tantùm fidei, sed naturæ lumine certissimum & manifestissimum sit Deum esse, & mundum divinâ providentiâ regere; peccatis supplicia, bonis autem operibus reddere præmia. Quod ipsum ipsius etiam conscientiæ, vel synteresis, infallibili testimonio confirmatur.

In dubio hic tutior via eligenda. Addo hîc, etsi illa res non esset tam certa & evidens, sed dubia, juxta axioma & principium lumine item naturæ notum, ac dicta libr. 4. in dubio eligendam esse viam tutiorem, scilicet agnoscendo & colendo Deum: quæ notitia cultusque fons est & fundamentum omnium virtutum, nulli periculo obnoxium. Contrà verò Dei ignorantia, seu atheismus, origo & occasio omnium vitiorum; certissimo periculo obnoxia justissimæ & gravissimæ vindictæ, à Deo æternùm infligendæ.

Confirmatur illud axioma alio, quòd etiam in dubio melior sit conditio possidentis: atqui Deus est in possessione majestatis, cultusque divini apud omnes gentes: ergo illo non potest à quoquam spoliari, nisi immani scelere & injuriâ.

Remediū pro verâ fide eligēdâ nota Ecclesiæ. Secundò, contra secundos scrupulos remedium peti debet ex notis Ecclesiæ, scilicet veræ, quæ non differunt à notis veræ fidei: ubi enim vera Ecclesia, ibi vera fides, & contrà, juxta dicta lib.1. cap.25. Dubitanti enim de fide illæ inprimis proponendæ sunt: quia singula veræ fidei mysteria illi probare infinitum esset, vel etiam impossibile; cùm aliqua ex illis rationem & captum humanum superent. Postquam autem veram fidem & Ecclesiam ex suis notis deprehenderit, facilè inducetur, ut credat implicitè, vel explicitè, omnia quæ ab illâ proponentur. Notæ autem illæ paucis redigi possunt ad decem.

Notæ veræ Ecclesiæ decem. Prima, sanctitas Christi. Prima est, sapientia & sanctitas primi veræ ac Catholicæ fidei auctoris Christi, quam testantur historici, etiam infideles. Constat eumdem fecisse opera & miracula, quæ nemo alius fecit; resuscitasse mortuos, & illuminasse cæcos, idque ad probandam divinitatem suam; atque adeò fuisse Deum-hominē, qualis auctor omninò decuit veram fidem, ne quidquam eâ proponeretur, nisi certissimū. Spectat hæc nota potissimùm infideles & Judæos; quamquam applicari etjam potest hæreticis, quorum patriarchæ nec Christo fuerunt ullo modo similes, neque ab eo possunt hausisse doctrinam suam ob rationes jam indicandas.

Secunda est, integritas, puritas & perfectio doctrinæ Catholicæ. Est enim ea aptissima excitandis hominibus ad bona opera, propo- 199.

Secunda, sanctitas doctrinæ.

sitâ spe æterni præmii, deterrendis autem à peccatis proposito metu æterni supplicii. Clarum etiam est, nullam sectam tam exactè docere hominem, quî se gerere debeat erga Deum, proximos, & seipsum: nec quidquam habet contra, sed aliquid supra rationem naturalem. Aliæ autem sectæ docent multa absurda, & rectæ rationi contraria, v.g. Calvinistæ de Deo, cum longè majorem partem hominum creare, ut æternùm torqueat: ne tamen absque prætextu justitiæ id faciat, eos necessitare & impellere ad peccata. de hominibus verò, quòd careant libertate benè vel malè agendi: quòd solâ fide justificentur: quòd omnia eorum opera peccata sint, ut dixi libr. 2. cap 14. Nec refert quòd Status Hollandiæ aliquos tam abominandæ doctrinæ articulos damnarint: quia supersunt multi alii damnandi, & pauci illud decretum ac definitionem admiserunt, eò quòd non putetur profecta à Spiritu sancto, ejusque assistentiâ nusquam promissâ Statibus.

200. *Tertia, fidei propagatio.* Tertia, mirabilis fidei Catholicę propagatio: *Domuit*, ut ait Augustinus, *Christus orbem non ferro, sed ligno; nec voluptatum licentia, sed vitæ asperitate*. Quòd Turcismus tam latè se diffuderit, mirum non est, quia nil sapit, nisi carnem & sanguinem; adeò ut etiam post hanc vitam homines in cælo constituat tamquam in lupanari: neque id factum est vi verbi divini, sed crudelis belli. Quòd verò pauperes piscatores Christum prædicantes, & hunc crucifixum, solâ verbi virtute totum mundū Crucifixo subjecerint, tantùm potest esse virtutis divinæ. Hæc quoque nota cōdemnat hæreticos prædicantes potiùs carnem & sanguinem, quàm Christum, cùm rejiciunt opera pœnitentiæ, vota, castitatem, & leges Ecclesiasticas. Deinde & illi nituntur non vi verbi divini, sed armis & actibus politicis, imò religione utuntur tamquam instrumento propagandi status, neque convertunt ad fidem infideles, sed more suo pervertunt fideles. Præterea angustis adhuc limitibus se continent, si cum Catholicis comparentur, quorum fides re & nomine Catholica totum jam mundum ferè peragravit, per vastissimas utriusque Indiæ regiones, nec umquam æquè, ut hoc sæculo, diffusa fuit: nimirum ut, sicut Christus prædixit, ante diem judicii vera fides prædicetur omnibus gentibus.

201. *Quarta, miracula.* Quarta, potestas miraculorum, quæ nota etiam certa est: quia Deus non potest miraculis testari & probare falsam religionem. Imò ad ejus providentiam spectat, non permittere, ut homines decipiantur tam apparentibus miraculis; cùm præsertim Christus ipse miraculis se probaverit Messiam & Deum. Esse verò etiamnum in Ecclesiâ illam potestatem, satis constat

ſtat miraculis, quæ fiunt Laureti, & hoc noſtro Belgio Hallis, Sichemii, totque aliis locis, idque ad confirmandos fidei articulos, qui maximè ab hæreticis impugnantur, cultum B. Virginis ac Sanctorum, & præſentiam Chriſti in Euchariſtiâ: quod ſingularis eſt Dei providentiæ.

202. *Quinta, Martyrũ fortitudo.*
Quinta, Martyrum plurimorum fortitudo, qui ſuo ſanguine fidei Catholicæ ſubſcripſerunt, & inaudita tormenta fortiſsimè pertulerunt; quæ non potuiſſent vano fine, & abſque ſingulari Dei gratiâ, præſertim teneræ virgines & pueri. Exempla hodieque nobis ſuppeditat Japonia, quibus ſimilia non reperies extra Eccleſiam.

203. *Sexta, ſanctitas morum.*
Sexta, morum ſanctitas, quam Catholici omnes profitentur, multi perfectè ſecuti ſunt, non tantùm pietate, ſed & ſapientiâ clari. Baſilius, Chryſoſtomus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Damaſcenus, Bernardus, & nunc multi ſequuntur, cùm exemplo Apoſtolorum, relictis omnibus, ſequuntur Chriſtum, divitiis omnibus [illegible]rentes voluntariam paupertatem; cujuſmodi etiam exempla extra Eccleſiam Catholicam non reperies, ſcilicet tam illuſtria & frequentia.

204. *Septima, unio Catholicorũ inter ſe, & cum capite.*
Septima, Catholicorum inter ſeſe & cum ſuo capite Chriſti Vicario conſenſio in fidei articulis, in quibus maximè diſſentiunt hæretici.

205. *Octava, prædictiones.*
Octava, Prophetarum à tanto jam tempore prædictio præcipuorum fidei noſtræ myſteriorum: quòd Virgo pareret; quòd Chriſtus pateretur; imò quòd omni loco in gentibus offerretur Deo oblatio munda, ſcilicet incruentum Miſſæ ſacrificium. Quod meritò ex Malachiæ cap. 1. probat Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. Neque hæc nota convenit hæreticis, quibus nec conceſſum eſt donum illud prophetiæ, ſicut etiamnum Catholicis, ut conſtat ex vitâ multorum Sanctorum; nec ab illis offertur mundum illud ſacrificium, neque ullum aliud contra jus ac morem omnium gentium, planè conformem lumini naturæ, quòd Deus colendus ſit ſacrificio.

206. *Nona, ſucceſsio Pontificum.*
Nona, numquam interrupta fidei Catholicæ traditio facta quaſi per manus virorum ſanctiſsimorum, ſibi invicem continuò ſuccedentium, Pontificum inprimis Romanorum, quorum à Petri, imò Chriſti tempore in hunc uſque diem durat & oſtenditur continuata ſeries. Aliorum item virorum Apoſtolicorum, Dionyſii Areopagitæ, Polycarpi, Ignatii, aliorumque ipſis hactenus ſuccedentium. Hæretici non poſſunt ſuam fidem deducere, niſi à Luthero omnium parente, vel avo; quem quis ſeriò credat tum demum Dei ſpiritu afflatum fuiſſe, cùm violato caſtitatis voto cœpit eſſe totus carnalis? Certè inter illum

lum Lutheri ſpiritum & carnem magna fuit ſympathia; quamvis, ſi Scripturæ & Patribus credimus, inter ſpiritum & carnem ſit ſumma antipathia & pugna. Huc etjam ſpectat miſsio Prædicatorum: Catholicos ex jam dictis conſtat eſſe ordinatos, & miſſos legitimè à Superioribus ac Præceſſoribus ſuis, poteſtate acceptâ tandem ab ipſo Christo. At verò, ut argumentatur Apoſtolus ad Rom. 10. Lutherus, Calvinus, aliiq; quomodo prædicarunt, ſi non fuerint miſsi? aut quis eos miſit?

207. *Decima, comparatio fidei Catholicæ cũ quâvis ſectâ in his notis.* Decima & ultima nota agnoſcetur ex comparatione fidei Catholicę & cujuſvis ſectæ ſecundùm notas jam indicatas. Si enim illæ aliæque applicentur, hinc fidei Catholicæ, inde cuivis alteri ſectæ; facilè apparebit illam præditam eſſe certis & evidentibus ſignis veræ & divinæ fidei; hanc verò falſi & humani commenti. Quia tamen, ut ſapienter monuit Ariſtoteles, ſtultum eſt in omni re quærere demonſtrationes quaſi mathematicas, ſufficit illud appareat morali judicio & evidentiâ. Quare non deſunt hoc tempore perſpicaciores, vel hæretici, vel politici, vel athei, qui fateantur apud Catholicos eſſe, ſi uſpiam terrarum ſit vera fides: atqui uſpiam eſt unius veri Dei una & vera religio, quod vel naturali lumine, & conſcientiæ teſtimonio probatur: ergo apud Catholicos.

Fuſiùs & luculentiùs has aliaſque notas proponunt Bellarm. aliique, qui tractant controverſias, ac Leſſius de Capeſſendâ fide. Ego hîc illas concludo & confirmo verbis Auguſtini contra Epiſtolam Manichęi, quam vocat fundamentum, cap. 4. *Multa ſunt alia quæ in Eccleſiæ Catholicæ gremio me juſtiſsimè teneant: tenet conſenſio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata; tenet ab ipsâ ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſsio ſacerdotum; tenet poſtremò ipſum Catholicum nomen, quod non ſine causâ inter tam multas hæreſes, ſic illa Eccleſia ſola obtinuit, ut, cùm omnes hæretici dici ſe Catholicos velint, quærenti tamen peregrino alicui ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere. Iſta ergo tot & tanta Chriſtiani nominis cariſsima vincula rectè hominem tenent credentem in Catholicâ Eccleſiâ; etiamſi propter noſtræ intelligentiæ tarditatem, vel vitæ meritum veritas nondum ſe apertiſsimè oſtendat. Apud vos autem, ubi nihil horum eſt quod me invitet ac teneat, ſola perſonat veritatis pollicitatio.*

Adverte, quamvis juxta ſententiam D. Thomæ 2.2. quæſt. 1. art. 4. ad 2. & communem Theologorum, evidens ſit prudenter notas fidei Catholicæ conſideranti, ejus myſte- 208. *Iudicium credibilitatis de notis fidei ſupernaturale eſt in ſubſtâtiâ.*

mysteria secundùm rectam rationem esse credibilia; illudque judicium credibilitatis possit esse naturale, (cùm omnes notæ naturaliter cognosci possint) illud tamen ipsum esse supernaturale, & quidem secundùm substantiam elicitum sicut oportet, ut loquuntur Patres ac Concilia, scilicet ad salutem ac supernaturalem volitionem, actumque credendi seu conversionem ad fidem.

209. *Oratio adhibēda ad fidem obtinendam.* Unde sequitur Primò, etsi dictę notæ tam claræ sint, ut attentè ac maturè eas expendens, & examinans rejicere non possit fidem Catholicam, iis insignitam, absque remorsu conscientiæ; illarum tamen considerationi omninò addēdum esse remedium & subsidium orationis, non tantùm ut divinâ luce ac gratiâ illustretur intellectus, ad meliùs eas perspiciendas; sed etiam, ut iis perspectis formetur judicium credibilitatis supernaturale, quale oportet ad salutem ac conversionem. Quæ sunt conformia dictis libro super. cap. 10. in fine: quòd in negotio tanti momenti quo agitur de æternitate ac salute animæ, opus sit diligentiâ majore quàm humanâ & naturali, scilicet precibus iisque assiduis, aliisque exercitiis virtutum eo fine obeundis.

Sequitur Secundò, deliberantem de fide eligendâ, nullo modo debere rejicere, tamquam scrupulum, conscientiæ remorsum, si eam ex notis suis agnitam rejiciat; non est ille scrupulus, sed justa ac prudens conscientiæ monitio & condemnatio, nisi acquiescat. Contrà verò scrupulus est omninò rejiciendus, qui dubitantem ac deliberantem de fide cohibet vel à consideratione notarum, vel post considerationem & judicium credibilitatis, ab electione & professione veræ fidei jam agnitæ.

Tertiò, contra scrupulos tertii generis Catholicorum adversus veram fidem, quam profitentur, ejusque mysteria, remedii loco cogitandum Primò, illos sæpè sitos esse in solâ apprehensione falsitatis, aut incertitudinis fidei, vel alicujus mysterii, juxta dicta cap. 10. absque periculo ullius peccati contra fidem, nedum hæreseos. Terret nihilominùs apprehensio ista scrupulosos quasi esset judicium; putantes se judicare falsa, quæ ne quidem possent, etsi vellent. Quod clarius est de cogitationibus blasphemiæ. Secundò, cōsiderandum, juxta dicta cap. 1. lib. 4. dubium de fide negativè ac suspensivè, neque hæreticum esse, neque ordinariè peccatorem, etsi utrimque occurrant rationes dubitandi, quibus scrupulosi turbari solent, perinde ac si positivè dubitarent, imò discrederent. Tertiò, notandum, sæpè etiam dubitari positivè, imò discredi, sed ex infirmitate animi, non deliberatione absque peccato hæreseos, ut bene docet Sa v. *Hæresis,* 210. *Remedia pro tentationibus contra fidem veram, quā quis profitetur.*

num. 1. Quia ad hæresim non tantùm requiritur actus discredendi in intellectu, sed pertinacia in voluntate, quæ prærequirit deliberationem, eamque plenam, sufficientem ad peccatum mortale. Itaque qui semiplenâ deliberatione dubitat, vel discredit, peccat venialiter contra fidem peccato ejusdem speciei, non tamen hæresi, quâ fides amittitur, & incurruntur pœnæ hæreseos. Quartò, addendum est ex dictis cap. 4. super. libr. nullam ignorantiam, etsi mortalem, esse vel compati hæresim, nisi sit affectata, quæ voluntarium non minuat, sed potiùs augeat, & includat contemptum etiam Ecclesiæ. Hæc enim hæresim compatitur, ut pertinaciam. Aliàs ignorantiâ vincibili & mortaliter culpabili potest peccari contra fidem, atque mortaliter, etsi citra hæresim, ut jam dixi in simili.

211. *Contra multas hujusmodi tentationes utilissimum est cõtemnere, non positivè resistere.*

Denique ex dictis collige, optimum remedium scrupulorum tertii atque etiam primi generis, esse scrupulorum contemptum; ita ut agas contra illos seu resistas negativè, non positivè: juxta dicta cap. 4. concl. 3. id est, nullâ eorum habitâ ratione opus inchoatum prosequaris, perinde ac si dedignareris audire vel videre, quæ tibi dicuntur, vel ostenduntur.

Ratio est, quia reverâ in iis nec peccatum est, nec periculum peccati, imò magnum meritum; cùm tantùm sint apprehensiones, vel si aliquando judicia, sunt indeliberata. Nam ipse angor & horror peccati certum indicium est imperfecti, imò sæpè nullius consensûs; cujus minus periculum est, quo cogitationes sunt abominabiliores. quod item verum est de cogitationibus impuris. Imò & ipsa aliquando delectatio, ac sensibilis complacentia, imperfectè vel omninò indeliberata est: quòd si tamen pro humanâ fragilitate immisceatur peccatum veniale, illi prævalere solet meritum conatûs resistendi. *Idem usu venit in cogitationibus impuris.*

Deinde si non contemnantur, sed actibus reflexis expendantur, ac resistatur iis positivè contra illos disputando; Primò, saltem turbant conscientiam, mentem distrahunt, & efficiunt ut opus inchoatum, v. g. oratio, fiat minùs perfectè & attentè, quod solum diabolus solet istiusmodi scrupulis intendere. Secundò, eâ ratione non expugnatur aut minuitur, sed sæpè augetur tentatio: nam omninò illas tentationes aut cogitationes impedire, sæpè non magis est possibile, quàm cohibere ventum ne flet, aut allatrantem catellum ne latret. Imò hic magis allatrabit, quo magis positivè resistendo eum iritabis; & ventum senties molestiorem, si positivè illi obnitaris.

Itaque ne turbentur scrupulosi, vel quicumque pii, istiusmodi cogitationibus, sed pacatâ conscientiâ pergant in bono opere, quasi

illæ

illæ nil ad se attinerent, sciantque nil illis subesse mali; imò potiùs signa esse, quòd placeant Deo opera sua, quæ adeò displicent dæmoni, ut, dum ea impedire non potest, conetur saltem turbare. Ita egit cum Sanctissimis quibusque, imò ipso Christo, cui ausus fuit proponere rem omnium maximè abominandam, ut procidens adoraret se: scilicet ut Deus diabolum. Ita ferè Gerson variis locis de Remediis contra pusillanimitatem de diversis diaboli tentationibus, alphabeto 7. & de Meditatione, consideratione 16. Corduba lib. 3. qu. 14. post initium. Reginaldus de prudentiâ Confessarii c. 11. initio.

212. *Remedia alia subinde scrupulosis usurpanda.*

Addo tamen cum iisdem; Primò, tollendas esse occasiones ejusmodi procellarum, si quæ dentur otio, negligentiâ, aliâve ratione. Secundò, si locus permittat, nec turbandum sit bonum opus inchoatum, expedire aliquando, tentatus se muniat signo crucis; suspiret ad Christum, aut B. Virginem; invocet Angelum Custodem, aut Patronum; & in honorem mysterii aut virtutis oppugnatæ genu flectat, aliúdve pietatis opus faciat. Tertiò, non esse necessarium ea confiteri, neque consultum, nisi genericè, nisi Confessario discreto, cui pœnitentis conscientia perspecta sit.

CAPVT XVII.

De scrupulis circa motus inhonestos, pollutionem, ac consensu requisito ad illorum malitiam.

HI etiam scrupuli frequentes sunt, & importuni: quare præteriri non possunt, quin aliquod iis adhibeatur remedium. Breviter tamen, ne vel solâ tractatione tam lubricæ materiæ officium puritati conscientiæ, dum illi maximè consultum volo. 213.

Motus inhonesti absque libertate non sunt peccata.

Suppono hîc Primò, motus illos peccata non esse, independenter à nostrâ libertate, contra nostri temporis hæreticos, qui putant illos infici, ut ferè opera nostra omnia, à remanente in nobis peccato originali, juxta dicta libr. 2. cap. 14. quibus licet alio fundamento nimis favent è Catholicis Henricus & Cajetanus. Definit id Trid. sess. 5. decreto de peccato originali; dum docet manere in baptizatis concupiscentiam, & fomitem, ad agonem non consentientibus, imò prodesse legitimè certantibus ad coronam; adeoque propriè peccatum in renatis non esse, etsi peccatum aliquando vocetur, quòd ex peccato sit, scilicet originali, & ad peccatum inclinet. Quibus non tantùm damnatur nostri temporis hæresis, sed dictorum Auctorum error: quia si juxta Henricum maneret peccati deformitas in iis mo-

tibus, per eam ipsam nocerent; præterquam quòd illa manere non possit sine reatu peccati, aliàs peccatum tantùm raderetur, nec imputaretur. quod ibidem damnat Concilium. Si autem appetitui sensitivo competeret intrinseca aliqua libertas juxta Cajetanum, ratione illius motûs essent peccata, saltem venialia, & nocerent, sive voluntas consentiret, sive non. Optimè Augustinus libr. 5. contra Iulianum cap. 4. *Alioqui*, ait, *frustra dictum est: Post concupiscentias tuas non eas; si jam quisque reus est, quòd tumultuantes & ad mala trahentes sentit eas*, &c. Et libr. de Duabus animabus contra Manichæum cap. 11. ubi, cùm ostendisset omne peccatum voluntatis, esse ei liberum; subdit: *Nónne ista cantant & in montibus pastores, & in theatris Poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magistri in scholis, & Antistites in locis sacris, & in orbe terrarum genus humanum?*

214. *Dantur in nobis plurimi motus primò primi absque peccato.* Suppono Secundò, juxta communem sententiam, saltem recentiorum, contra aliquos antiquiores dari in nobis plurimos motus primò, ut ajunt, primos, à nostrâ voluntate ac libertate nullo modo pendentes; adeoque nullo modo peccata, ne quidem venialia. Quod item probatur ex Trident. cit. Aliàs semper nocerent, neque umquam iis resisteretur sine peccato. Idem constat ex illo Iacobi 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem.* Loquitur autem de tentatione etiam carnis, seu istis motibus: nam subdit, *Vnusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ.* Beatus esse non potest, qui peccat. Optimè iterum Augustinus 1. de Civitate Dei cap. 25. *Quòd si illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem, quasi lege suâ movetur, quanto magis absque culpâ est in corpore dormientis?* Libr. 3. de Lib. arbitr. cap. 25. *Voluntatem non allicit ad faciendum quodlibet, nisi aliquod visum: quid autē quisq; sumat, vel respuat, est in potestate: sed quo viso tāgatur, nulla potestas est.* Ubi de motibus ortis ex cogitatione docet, eos esse in potestate nostrâ sumere vel respuere, scilicet consentiendo, vel dissentiendo: non tamen iis tangi, id est, moveri. Quibus etjam indicat rationem; quia nec sunt in potestate nostrâ causæ illorum motuum, vel mutatio ac calefactio corporis; vel primæ de re quâvis cogitationes, quæ ingeruntur per sensus externos auditum, visum, aut etiam per species à dæmone objectas. Neque iis positis, in potestate nostrâ est iis non tangi aut moveri, quod nimis probat experientia, etiam in viris sanctissimis. Verum tamen est faciliùs reprimi illos motus, qui oriuntur ex apprehensione rei præsertim absentis, quàm ex corporis commotione.

Addo Primò, ex dictis libr. 2. cap. 17. & lib. 5. cap. 6. nullos motus 215.
esse

esse peccata, nisi præcognitos aliquo modo sub ratione mali. Aliàs enim liberi non sunt, quatenus mali.

Quando sint secùdò primi, & peccata venialia? Secundò, ex dictis hoc libro cap. 9. concl. 1. cognitionem illam debere esse deliberatam perfectè; aliàs motus erunt secundò primi, nec peccata mortalia, sed tantùm venialia. Quòd si vir timoratæ conscientiæ dubitet an perfectè consenserit, potest probabiliter credere se non consensisse, multò magis scrupulosus.

216. *Delectatio morosa mortale peccatum est.* Suppono Tertiò, delectationem morosam, qualis dicitur non à morâ temporis, sed morâ seu negligentiâ resistendi, cujus capax est etiam instans, quamvis sine affectu exsequendi, hujúsve periculo, esse peccatum mortale, si videlicet fuerit de objecto graviter malo, & præcesserit perfecta deliberatio. Est communis sententia Doctorum. Ratio eadem est de delectatione, quæ de aliis volitionibus. Omnibus enim voluntatis actibus est commune specificari ab objecto, uti physicè, ita moraliter: juxta dicta lib. 2. cap. 5. Omnes enim sunt quædam tendentiæ in objectum; quòd si sumatur genericè, illæ nec bonæ intelliguntur, nec malæ, sed ad utrumque indifferentes: si verò illud determinetur ad bonum, illæ fiunt bonæ; si ad malum, malæ. Si ergo hoc fuerit graviter malum, scilicet objectivè, illæ erunt graviter seu mortaliter malæ, scilicet formaliter, juxta dicta cap. illo 5. & 6. & illud Oseæ 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.* Quæ eâdem ratione vera sunt de delectatione, quâ de aliis volitionibus, etiam inefficacibus: nec solum de delectatione sensibili appetitûs sensitivi accedente consensu voluntatis, sed etiam hujus delectatione rationali.

Præterea universim à naturâ permissa tantùm ac destinata videtur ejusmodi delectatio, tamquam dispositio ad generationem ac multiplicationem speciei, scilicet in statu matrimonii, cui, ejusque fini, aliàs multùm derogaretur. Quod tamen intelligendum est de delectatione venereâ cum spirituũ commotione; non solâ sensuali, quæ percipitur ex solâ rei conformitate cũ sensu tactûs, qualis percipi solet ex tactu serici, aut floris.

Nota tamen, probabilius, vel admodum probabile esse, quod docent multi, Angelus, & Sa v. *Luxuria*, Azor libr. 4. cap. 6. quæst. 3. Vasquez 1. 2. disp. 112. Lessius lib. 4. cap. 3. num. 123. aliique, delectationes de objecto malo malas non esse, nisi versentur circa illud, quatenus malum est, seu quatenus malitiam proximè fundat. In quo differunt delectatio, aliæque volitiones, quòd hæ tẽdant in objectum, opusque prout mandandum exsecutioni, ideoque comprehendant circumstantias, sine quibus mandari exsecutioni, aut existere ne- 217. *Delectatio mala tãtùm est, cùm versatur circa objectũ quatenus malum.*

 quit;

quit; delectatio verò simpliciter versetur circa objectum, abstrahendo ab exsecutione; ideoque sit tantùm affectio erga illud, quatenus expresè id attingit: quę ipsa est ratio hujus sententiæ.

218. *Delectatio de modo, aut artificio rei malæ non est peccatum.*

Unde deducuntur varii casus, quibus illa magis explicatur. Primò, si delectatio tantùm sit de modo, fortitudine, vel artificio, quo v.g. furtum committitur, tauri agitantur, etsi illicitè, inimicus occiditur, ea nullum erit peccatum; quod docet Granadus 1.2. controvers.6. tract.4. disp.5. num.3. citans Cajetanum, Sylvestrum, Valentiam aliosque, qui bene num.4. distinguit inter objecta ita intrinsecè mala, ut nullâ ratione ab iis separari possit malitia, ut odium Dei, peccatum contra naturam, & similia; & alia non ita extrinsecè mala, quin malitia ab iis separari possit, saltem Dei potentiâ, v.g. ab acceptione rei alienæ, homicidio; si ille permittat, aut jubeat. Additque ex Adriano quodlib.10. art.2. delectationem de prioribus objectis semper esse malam, etiam conditionatam, secùs quàm de posterioribus. Conformis illi est doctrina D. Thomæ 1.2. quæst.74. art.8. quòd licita sit, imò honesta esse possit, delectatio de cogitatione ac cognitione rei turpis; quia videlicet ea multùm differt à delectatione de re turpi ejúsve turpitudine; ut & delectatio de ejus artificio & ingenio.

Objecta quædam sunt, à quibus malitia ne per Deũ quidem separari potest.

219. *Delectatio de copulâ cum cõjugatâ, quando tantũ fornicationis malitiam cõtineat?*

Secundò, si quis delectetur de copulâ cogitatâ cum conjugatâ vel Moniali, non quatenus tali, sed quatenus feminâ; ea delectatio contrahet malitiam non adulterii, aut sacrilegii, sed unicam fornicationis: quia videlicet quatenus circa illam versatur, abstrahit ab injuriâ marito, vel Deo factâ, tantumque attingit materiam intemperiei contra castitatem.

Unde sequitur, in confessione non debere explicari circumstantiam illam personæ, quòd fuerit conjugata vel Monialis; quæ haud dubiè explicari deberet, si vel peccatum opere consummatum fuisset, vel fuisset consensus ac voluntas consummandi.

220. *Quam malitiam contineat delectatio de furto in templo cõmisso?*

Tertiò, delectatur quis de furto in templo patrato, quatenus scilicet hoc sibi fuit utile, non quatenus injurium loco sacro, delectatio sortietur malitiam injustitiæ: quia versatur circa objectum, quatenus hanc fundat, non autem sacrilegii. Simili ratione nullum esset peccatum delectari de pollutione secutâ præcisè, quatenus esset causa sanitatis, vel liberationis à tentatione. Quamquam tutius est & castius, ut & usitatius, delectari de bono tantùm ejus effectu, non simul de ipsâ pollutione.

Item delectatio de pollutione ut causâ sanitatis?

221. *De verbis obscænis, simul contumeliosis?*

Quartò, qui delectatur de verbis obscænis simul alteri contumeliosis, peccat contra castitatem, non justitiam: quia verba illa, quatenus delectant, fundant proximè tur-

turpitudinem luxuriæ, non injustitiæ. Quòd si objectum delectationis, quà tale, nullam malitiam fundaret, vel tantùm venialem, ea vel nullum peccatum esset, vel tantùm veniale. Exempli causâ, si delecteris verbis facetis, quia faceta sunt, non quia contumeliosa; vel nullo modo peccas, si non excedatur modus; vel tantùm venialiter ac leviter, si is excedatur.

222. *De re tantùm illicitâ ob legem positivam?*

Quintò, hinc constat à fortiori, non esse illicitum delectari de re illicitâ extrinsecè ob positivam legem, v.g. de comestione die jejunii, non quatenus prohibita est, sed quatenus reficit comedentem. Similiter sacerdos potest gaudere de administratione Sacramenti, ubi hoc administrari non potest, nimirum quatenus ea utilis esset sumenti. Quibus præmissis,

Quando mortale sit dare causam motibus impudicis?

Dico Primò: Videtur probabilius, vel saltem probabile, & securum in praxi, quod docent graves Doctores, D. Antoninus, p.2.tit.6. cap.5. Angelus v. *Pollutio*, Sylvester ibidem cit. Navarr. in Summâ c.16. num.8. Lopez p.1. cap.74. Lessius cit. à num.99. Sanchez de Matrim. lib.9. disp.45. num.13. Salas in 1.2. D. Thomæ, qui addit ita sentire plures alios nominatim de pollutione; idem saltem ut probabile docet Tannerus 1.2. disp. 4. qu. 8. dub.6. num.126. nimirum numquam esse mortale dare causam istis motibus, nisi ea sit proxima, & quasi per se in illos influat: quia ad illos suâ naturâ ordinata est, nec ad aliud necessaria, quales causæ sunt cogitatio, tactus, & visus valdè impudica. Quibus similia docet Granadus cit. disp.6. *Re, inquit, diligenter consideratâ & collatâ cum viris doctis & timoratis*, & Diana tract.1. miscellan. resolut.31.

Probatur: quia ex unâ parte motus ejusmodi adeò sunt naturales, ut ipsâ potiùs naturâ ac naturali complexione sequi videantur, quàm ex causâ remotâ. Quare certum est omnibus, libertatem & consensum in causâ, qualis sufficit ad alia peccata, v.g. homicidium, furtum, &c. non sufficere, ut illi peccata sint; aliàs abstinendum esset à pluribus virtutum operibus, non tantùm licitis & honestis; sed sæpè necessariis, v.g. auditione confessionum, allocutione feminarum, studio casuum spectantium ad materiam veneream, quibus & similibus constat solere motus illos excitari. Ex alterâ verò parte æquè certum est, illicitum esse consentire illis, ac dare causam proximam: qui enim hanc vult & adhibet, eo ipso meritò censetur per modum unius velle effectum proximè ex illâ secutum. Quæ intelligenda sunt extra statum matrimonii, quo non est illicitum illos velle & intendere etiã directè, scilicet tamquam dispositiones ad matrimonii usum, modò absit periculum pollutionis. Itaque non potest assignari melior regula, quâ 223.

dicti

dicti motus liciti sunt, vel illiciti, quàm conclusio, quâ non debet censeri illos velle, qui vult causam tantùm eorum remotam; debet autem, qui vult causam proximam ad aliud non necessariam.

224. *In particularibus materiis conclusio explicatur.* Unde sequitur Primò, etsi quis mortali peccato se inebriet, prævidens periculum motuum, aut etjam pollutionis secuturæ, ratione hujus non peccare mortaliter, sed venialiter; nisi directè intenderet motus inhonestos: quo casu non tantùm in causâ, sed in se voliti essent.

Secundò, idem dicendum de eo, qui veniali vel mortali peccato, nimio cibo se replet, calida comedit, aut vinum bibit, eodem periculo. quod ipsum præter alios docet Navarr. cit.

Tertiò, ob eamdem causam mortaliter non peccat, qui ductus curiositate veniali librum non satis castum legit prævidens idem periculum. Eademque esset ratio, si leviter feminam aspiceret, alloqueretur, tangeret, etsi hoc sit peccatum veniale in materiâ luxuriæ, ut docet Granadus cit. num. 12. citans alios.

Quartò, neque mortaliter, neque venialiter peccat nuntius, veredarius, vel quivis, qui eodem periculo equitat: quia videlicet & equitatio causa remota est, & ob aliam justam causam fieri potest, aut debet. Idem dic de similibus.

Dixi tamen in conclusione, & postea, non esse peccatum mortale: quia saltem est veniale dare temerè absque justâ causâ causam, etiam remotam, tam indecentibus motibus, quæ haud dubiè est aliqua indecentia.

Addo tamen Primò, cum Granado cit. num. 9. causam justam non debere esse necessariam, aut valdè urgētem, sed sufficere quamvis alio fine honestam, ut jam indicavi. Ita licitus est mutuus & usitatus fratrum complexus, amica salutatio, & allocutio, moderata refectio, deambulatio, commodus inter dormiendum situs corporis, equitatio, quamvis nec necessaria sint, & prævideatur inde periculum non tantùm motuum, sed pollutionis. Expedit tamen ejusmodi occasionibus obfirmare castum animum, eumque munire forti proposito Deum nullo modo offendendi, atque ita procedere quidem prudenter & circumspectè, non tamen anxiè & scrupulosè. 225. *Quæ causa justa sit, ad excusandū motus inhonestos à peccato?*

Addo Secundò, ne quidem ad peccatum veniale sufficere quodvis remotum periculum ejusmodi motuum, nisi sit morale, ita ut probabiliter putentur secuturi; aliàs multa opera ex se honesta, & plurima indifferentia, hoc nomine fierent venialiter mala; ac pleraque ex se venialia, inficerentur novo peccato veniali, v.g. quivis in cibo potuque excessus, quælibet in dicendo agendoque libertas, quæ & similia

milia omni periculo dictorum motuum non solent carere. Quare aliàs aperiretur ostium infinitis scrupulis de peccatis saltem venialibus.

226. *In motibus abesse debet consensus, aliàs mortale peccatum est.* Adverte tamen Primò, in his & similibus eventibus debere semper abesse periculum consensûs; aliàs ratione hujus peccaretur mortaliter. Idque non excusante parvitate materiæ, vel objecti, vel ipsius delectationis, modò adsit consensus perfectè deliberatus. Quæ sententia in Societate nostrâ definita est, tamquam ad puritatem morum practicè omninò necessaria, saltem ob periculum majus, & moralem impossibilitatem distinguendi materiam parvam à magnâ; etsi hoc decretum laxiùs explicet Tannerus à num. 108. de delectatione tantùm deliberatè intentâ, seu studiosè quæsitâ.

Unde sequitur Primò, faciliùs peccari mortaliter dando occasionem dictis motibus secuturis in vigiliâ, quâ solet esse periculum consensûs, quàm in somno, etiam pollutioni; quia tunc cessat illud periculum.

Sequitur Secundò, quia spectatâ hominum fragilitate sæpiùs solet esse periculum consentiendi motibus, præsertim vehementibus, ac magnæ commotioni spirituum, sæpiùs à mortali excusari non posse, qui actionibus non necessariis huic periculo se exponunt.

227. Adverte Secundò, etiam causas proximas adhiberi posse in magnâ necessitate, v.g. medendi causâ. quare addidi in conclusione: *Nec ad aliud necessaria*, quia tunc necessitas excusat, ne indirectè censeatur quis consentire aut velle dictos motus, etsi causam proximam adhibeat, ex quâ sequuntur.

Adverte tamen Tertiò, juxta communem sententiam, peccatum mortale esse, idque intrinsecè ac semper, sic directè procurare pollutionem: juxta Apost. 1. ad Corinth. 6. *Neque molles regnum Dei possidebunt.* Mollities est pollutio; quia natura destinavit semen tantùm ad generationem, ac multiplicationem speciei; ideoque meritò naturali lege ac dictamine conscientiæ, nisi saltem corruptum sit, prohibuit omnem ejus administrationem nisi ad illum finem; cui ac statui matrimonii aliàs multum derogaretur, ut à fortiori constat ex jam dictis de delectatione. Quæ ipsa est ratio disparitatis inter effusionem seminis, & abscissionem membri aliquando licitam ad vitæ cõservationem: præterquam quòd Medici testentur pollutionem ad hunc finem numquam esse necessariam: quia arte medicâ licet & potest procurari, & desiderari resolutio seminis, aliàs nocituri, in sanguinem, aliúmve humorem. Meritò Toletus lib. 5. Instruct. cap. 13. addit hoc peccatum, quantumvis turpe & magnum, esse difficillimæ emendationis (quia semper 228. *Peccatum semper mortale est procurata pollutio.*

occasio hominibus in promptu est) & adeò universale, ut maxima damnatorum pars eo infecta sit. Remedium vix ait esse aliud, quàm frequentem confessionem factam eidem Confessario.

229. *Ad malitiam mortalem motuum inhonestiorũ sufficit consensus interpretativus.*

Dico Secundò: Ad malitiam mortalem inhonestorum motuum sufficit consensus voluntatis interpretativus, quo videlicet post perfectam advertentiam illos permittit negativè, nec volendo eos, nec nolendo positivè. Indicat hoc D. Thomas cit. art. 6. docetque ibi Vasquez Sylvest. v. *Delectatio*, qu. 2. Valent. 1. 2. disp. 6. quæst. 4. punct. 3. qui addit hanc opinionem communiter, & meritò esse receptam, contra Bonaventuram, Cajetanum & Cordubam, quos citat & sequitur Granadus cit. disp. ult.

Probatur Primò, ratione indicatâ à D. Thomâ, quia ad voluntatem ac partem animæ superiorem spectat, quasi ex naturali officio, directio appetitûs & partis inferioris: ergo voluntas non tantùm tenetur non consentire præcepto negativo, sed & reprimere illos motus appetitûs sensitivi præcepto affirmativo. Quemadmodum si potentia motiva in brachio posset ab appetitu solo applicari ad occidendum hominem; voluntas haud dubiè teneretur non solùm non positivè consentire in homicidium, sed & illam applicationem positivo imperio impedire. Similiter Gubernator, cui ex officio incumbit gubernare politicam rempublicam, adeoque impedire furta, non solùm peccat furando, sed etiam permittendo sibi subdito furari, cùm id potest impedire. Ita ergo voluntas reipublicæ hujus internæ gubernatrix peccabit, non tantùm consentiendo positivè, sed etiam permittendo potentiarum sibi subditarum peccata, cùm potest impedire.

Confirmatur: quia motus isti secundùm se objectivè mali sunt, & quidem mortaliter: nam saltem positivè illos velle, peccatum est mortale, etiam juxta contrariam sententiam: ergo quandocumque deliberatè erunt voluntarii, etsi interpretativè, erunt peccata mortalia.

Probatur consequentia à pari in omnibus aliis, v. g. in homicidio, de quo jam dixi. Ita etiam, quia objectivè mortaliter malum est occidere seipsum, non solùm est mortale occidere positivè seipsum, sed & id permittere negativè, v. g. non cedendo domui ruituræ.

Dices: Omnes debent admittere disparitatem inter hosce motus, 230.
aliaque peccata, ut constat ex præced. conclusione; aliàs, ut his, ita illis, illicitum esset dare causam etiã remotam; ergo nec hîc admittenda est paritas.

Respondeo, negando consequentiam: quia naturali necessitate, ideoque dispensatione, motus à communi conditione aliorum pec-

peccatorum eximi debuerunt, ne omitterentur plurima opera aliàs honesta, imò necessaria, ut dixi. At verò nulla est necessitas interpretativi hujus consensûs: quia illi repelli possunt absque omissione ullius operis honesti, aut necessarii; itaque ob rationem nunc allatam debent.

231. Probatur Secundò conclusio: quia contraria sententia non tantùm est falsa speculativè ob rationem allatam, sed etiam practicè inutilis: quia dum homo non reprimit motum inordinatum appetitûs, quem advertit, numquam est certus se positivè voluntate non consentire: sicut enim dum apprehendit objectum aliquod sensibile, operatur quidem mente & imaginatione, ipse tamen non discernit duplicem apprehensionem, alteram intellectivam, alteram sensitivam: ita etiam dum movetur in objectum delectabile, præsertim deliberatè, nequit discernere duplicem motum, alterum voluntatis, alterum appetitûs; ergo saltem semper erit dubius de positivo consensu, adeoque peccato mortali, quod proinde debebit explicari in confessione. Imò Vasquez putat numquam omninò appetitum delectari præsertim deliberatè, quin & positivè delectetur voluntas.

Confirmatur: quia insuper, qui ejusmodi motum non reprimit, cùm potest, non erit securus à periculo consentiendi positivè: tum quia delectatio appetitûs, præsertim deliberatè permissa, maximè allicit voluntatem: tum quia illa ipsa existimatio, quòd quis tam propinquâ occasione non sit consensurus, videtur habere admixtum aliquid temeritatis & arrogantiæ; ideoque non mereri gratiam, quâ non consentiat.

Quare aliqui Juniores apud Granadum citatum, aliàs contrariæ sententiæ, fatentur ad evitandum illud periculum positivi consensûs, voluntatem debere saltem elicere displicentiam aliquam motuum appetitûs. Verùm hâc solâ voluntas nec satis expedit se periculo jam indicato, neque satisfacit officio suo indicato probat. primâ.

Petes, an viduæ liceat delectari de copulâ præteritâ, & soluto de futurâ in matrimonio? Variè de eo loquuntur Doctores. 232. *An viduæ liceat delectari de copulâ præteritâ*

Respondeo breviter juxta communiorem & tutiorem sentētiam, negativè: tum quia appetitus saltem communiter fertur in rem ut præsentem, utrique autem copula præsens peccatum esset, quæ ratio etiam valet de sponso: tum quia, ut antè etiam dixi, universaliter videntur ejusmodi delectationes prohibitæ extra matrimonium. Addo, quemvis, ac præsertim sponsum, licitè delectari præsenti spe futuri matrimonii.

CAPUT XVIII.

De scrupulis frequentioribus circa contractus, horumque obligatione in foro conscientiæ, & externo.

233. NEque hi præteriri omninò debent, cùm agimus de præcipuis maximeque obviis scrupulis. Quia verò nimis longum & ab instituto nostro alienum esset, hîc agere de singulis contractuum speciebus, ferè illos tantùm attingemus, qui spectant contractus in genere, adeoque frequentiùs occurrunt, quàm circa quasvis eorum species.

Definitio contractus. Suppono Primò, à Jurisperitis ac Ulpiano l. 19. ff. de verborum obligat. contractum definiri, *Ultrò citroque obligationem*, Græcè dicitur συνάλλαγμα. quæ tamen descriptio laxior est per proprietatem, ex contractu resultantem: ideò enim obligaris, quia contraxisti. Quare contractus strictè est *consensus mutuus*, scilicet congruè explicatus, *commutandi*, Græcè τῦ συναλλάττειν, id est, latè sumpto vocabulo, quodvis onus utrimque subeundi, & quasi commutandi: unde nascitur reciproca obligatio; scilicet vel naturalis in foro conscientiæ; vel civilis, aut canonica in foro externo; vel utraque in utroque foro, juxta dicta lib. 1. cap. 21. not. 2.

Quâ ratione contractus distinguitur à pacto, quod est plurium in idem consensus, l. 1. §. 2. ff. de pactis, etsi non sequatur mutua plurium, sed unius tantùm obligatio, qualis est donatio, promissio, & testamentum: quales dici possent semicontractus, etsi sæpiùs etiam dicantur contractus, l. 17. C. de fide instrumentorum, & alibi. Eòdem reducuntur quasi cõtractus, negotiorum gestio, officiũ tutoris, &c. Quibus etsi non interveniat, rationabiliter tamen præsumitur cõsensus mutuus.

Adverte tamen, obligationem latiùs patere, quàm contractum: nec enim nascitur ex solo contractu, etsi latiùs sumpto, prout comprehendit & semicontractum; sed etiam ex delicto, seu injustâ acceptione, atque ex re acceptâ. Ex quibus tribus radicibus nascitur nominatim obligatio restituendi.

Suppono Secundò, contractus variè dividi. Primò, in nominatos, qui habẽt speciale nomen; & innominatos, qui tali nomine carent; qualis sunt, Do ut des; Do ut facias; Facio ut des; Facio ut facias, l. 5. ff de præscriptis. Addo ex communi mente Doctorum, Primò, ad factum hîc reducendum non factum; tãquam negationem ad affirmationem; unde si dicas, Do tibi equum, ut desistas; censetur contractus, Do ut facias. 234. *Divisio contractuum. Prima in nominatos & innominatos.*

Secundò, contractus cõpositos ex variis simplicibus reducẽdos ad simplices, ex quibus constant, & juxta illos dijudicandos.

Unde

235. *Contractus triplex, ut vocant, licitus.* Unde obiter collige, licitum esse, qui aliquibus scrupulo fuit, contractum, quem vocant triplicem, quo Primò, ineas societatem cum mercatore dando illi certam pecuniæ summam; is verò conferat operam suam in eâ impendendâ: Secundò, cum illo ineas contractum assecurationis, quo in se suscipiat periculum sortis. Tertiò, ille à te emat certo pretio incertum lucrum. Tres hi simplices contractus liciti sunt, ut fatentur Sotus aliique, si fiant cum diversis, imò & successivè cum eodem; ut fatetur Cajetanus: ergo etiam liciti erunt, si misceantur, quamvis eodem tempore, & cum eodem, ut bene ostẽdit Lessius cap. 25. dub. 3. juxta sententiam nunc saltem cõmuniorem: nec enim potest esse illicitum miscere aut cõjungere plures contractus licitos, juxta regulam nunc traditam. In idem recidit, si totum hoc comprehendas uno contractu innominato mixto: Do & facio, ut des & facias; vel simili formulâ.

Tertiò, addo, in dubio censendos esse contractus innominatos, & hos judicandos juxta nominatos, quibus sunt conformiores, l. 1. & 2. iisdem.

Quartò, ex innominatis sequi statim obligationem naturalem in conscientia (etsi Rebellus contrarium dicat probabile) non tamen civilem, nisi vestiantur & confirmentur alterius partis adimpletione, juramento, aut simili ratione. Nominati, si suo modo perfecti sunt, dicuntur vestiti, pariuntque obligationem & actionem, etiam civilem.

236. *Secunda divisio in contractus bonæ fidei, & stricti juris.* Secundò, dividuntur contractus in bonę fidei, id est, largę obligationis, ac interpretationis ex æquo & bono prudenti judici relinquendæ; & stricti juris, id est, obligationis, & interpretationis strictæ, præcisè ex ipsis verbis desumendæ. Illi sunt, ex quibus oriũtur actiones bonæ fidei, quæ numerantur 17. §. *Actionum*, Instit. de actionibus, ex empto, vendito, locato, conducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi, pro socio, tutelæ, commodati, pignoratitiâ, familiæ erciscundæ, quæ competit heredibus circa divisionem familiæ defuncti, communi dividundo, quæ de æstimato proponitur; cùm ego tibi dedi rem æstimatam, quam ipsam ejusque pretium debeas restituere, concesso tibi incremento pretii, quo fortè illam alienaveris; & ea quæ competit ex permutatione, scilicet strictè sumptâ pro innominato contractu. Item petitio hereditatis, & actio dotis exigendæ, aut repetendę post dissolutum matrimonium. Itaque omnes illi contractus sunt bonæ fidei: reliqui omnes contractus aut quasi, vel semicontractus stricti juris, ut mutuum, feudum, donatio; item juramentum, dispensatio, &c.

237. Adverte, hanc divisionem contractuum receptam jure foroque civili, quo contractibus bonæ fidei, tamquam magis necessariis & usitatis, data sunt ampliora privilegia latioris interpretationis pro arbitrio judicis, juxta Covarr. reg. *Possessor*, p. 2. §. 6. à num. 4. & Filiucium tract. 33. cap. 1. num. 11. qui rectè hinc infert, idem extendendum ad jus forumque Ecclesiasticum: nam in similibus, de quibus Jus Canonicum nil diversum statuit, standum est Jure civili, etiam foro Ecclesiastico, cap. 1. de novi operis nuntiatione.

Addunt aliqui, idem dicendum de jure foroque conscientiæ: nam recta ratio & conscientia dictat, si quis fidem violet in contractu, v. g. venditionis recepto pretio, eam obligationem esse tam amplæ interpretationis, ut is teneatur compensare damna emptori inde secuta. Secùs dicendum apparet de donatore, ut colligitur ex l. 22. ff. de donationibus; quòd indignum sit, ut suæ donationis pœnam donator patiatur. Eâdem de causâ juxta communem sententiam, contractuum stricti juris obligatio communiter non extenditur ad casus inexspectatos; si videlicet superveniat nova difficultas, quam si prævidisses, non donasses; secùs quàm contractuum bonæ fidei.

238. Verùm etsi hæc vera sint de donationibus aliisque contractibus gratuitis, nec utrimque onerosis, quibus tantùm propriè convenit ratio allata; non video tamen in foro conscientiæ disparitatem inter alios contractus utrimque onerosos, sive bonæ fidei, sive stricti juris. Adde, etiam donationes principum, & donationes seu legata ad pias causas, latè interpretanda esse, l. 3. ff. de constitut. Princip. l. 38. §. 2. ff. de auro & argento.

Tertiò, utilis item ad praxim est divisio contractuum factorum in gratiam tui solius, vel solius alterius, vel utriusque. Ex primis teneris restituere ob culpam etiam levissimam, cap. unico de commodato. Ex secundis tantùm ob dolum. §. *Item is*, Instit. quibus modis re contrah. obligatio. Ex tertiis ob culpam levem, & quamlibet majorem, §. *Creditor*, iisdem. Hujusmodi autem sunt plerique contractus, excepto commodato ac mutuo, quod solet esse primi generis; mandato ac deposito, quod secundi. Quæ obligationis diversitas ex diversis contractibus juxta communiorem ac veriorem sententiam valet etiam foro conscientiæ, non tantùm externo, ob naturalem æquitatem, & exigentiam eorumdem. 239. *Divisio tertia cōtractuū in gratiam tui, alterius, vel utriusque.*

Nota insuper, aliquos contractus perfici ac consummari consensu, alios verbis, alios traditione, alios scripturâ; qui discernendi sunt regulâ Bartoli: scilicet ex ipso nomine, quod si consensum significet, illi perficiuntur consensu; si tradi- 240. *Qui contractus consensu, qui verbis, qui traditione perficiantur?*

traditionem, traditione; & sic de ceteris.

Consensum autem significant emptio, venditio, locatio, conductio, societas, seu contractus societatis, & mandatum. Verba stipulationis, quibus stipulans conceptis verbis petat, & promissor continuò acceptando respondeat. §. 1. Instit. de verb. obligat. Priores fieri possunt inter absentes per epistolam, vel nuntium, §. *Consensu*, Instit. de obligat. ex consensu; non posteriores, §. *Item verborum*, Instit. de inutil. stipulat. Traditionem, seu rem ipsam significant donatio, mutuum, commodatum, depositum, & permutatio. Itaque primi consummantur consensu; secundi verbis; ultimi traditione. Refert autem etiam ad praxim externam, quomodo, & quando consummentur: quia tantùm sunt obnoxii, v. g. gabellis, aliisque oneribus, loco & tempore quibus consummantur. Quòd si contrahentes expresè suspendant suum consensum usque ad scripturam; constat contractum consummandum scripturâ; quod nominatim dici solet de emphyteusi.

241. *An in Belgio valeat sine scripturâ contractus de florenis ampliùs trecentis?*

Petes, an nostro Belgio scripturâ non perficiatur quivis contractus, quo quidvis alienetur, supra valorem trecentorum florenorum, propter constitutionem Albertinam editam anno 1611. 12. Julii, ordinatione 19. quâ statutum est, ne testamento, aut quovis alio contractu quidquam supra dictam summam alienetur, nisi adhibitâ scripturâ à contrahentibus, subsignandâ coram Notariis, aliisque personis publicis, quæ sola admittatur à judicibus?

Respondeo, hanc constitutionem tantùm procedere de obligatione & foro civili, non autem de obligatione & foro conscientiæ: hoc itaque foro adeoque verè perficitur ejusmodi etiam contractus sine scripturâ, etsi sine hâc ad evitandas multas lites, aliasque causas, in foro externo non habeatur aut admittatur tamquam validus. Quod item constat ex consuetudine exigendi & standi juramento de contractu aliter inito. Imò inter mercatores, à quibus dicta constitutio recepta non est, valent etiam foro externo ejusmodi contractus absque scripturâ, & juramento.

Simili ratione, voluntates ultimæ absque septem testibus, aliisque juris solemnitatibus, saltem legata & fideicommissa probabiliùs perficiuntur, & valent naturaliter foro & jure conscientiæ; etsi non civiliter foro externo, l. 32. C. de fideicomm. l. 2. iisdem, §. ultimo Instit. de fideicommissariis heredit. Valent tamen etiam foro Ecclesiastico, quo, ut jure naturali, vel gentium, requiruntur duo testes, non ut valeant, sed ut probentur. Cap. *Relatum*, 1. de testamentis, cui ferè conforme est

jus

jus & consuetudo Belgica.

Quibus præmissis, subjiciam aliquot regulas universales contra scrupulos de contractibus.

242. *Regula contractuũ prima. Nuda pacta, & innominati cõtractus obligãt in foro conscietia & Canonico, nõ civili.* Prima sit: Nuda pacta, ut etiam contractus innominati, obligant in foro conscientiæ, atque etiam Canonico, cap. 1. de pactis: pacta quantumcumque nuda, servanda sunt, non tamen ordinariè civili, l. *Iuris gentium*, ff. de pactis: Igitur nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem; nisi videlicet vestiantur scripturâ, stipulatione, juramento, alterius partis adimpletione, seu traditione, aut alio modo, scilicet ad evitandas lites.

Adverte tamen Primò, inter mercatores obligare etiam foro externo, etsi nuda: quod praxi receptum est, & docet ex aliis Rebellus p. 2. lib. 1. quæst. 3. sect. 1. in fine ob exuberantem fidem iis necessariam. Secundò, eodem foro habere alios effectus, de quibus l. citatâ. Primò, pariunt exceptionem contra exigentem à te debitum; Secundò, impediunt soluti repetitionem; Tertiò, tribuunt jus retinendi pignus; Quartò, pariunt obligationem civilem, si accedat fidejussor; denique dant facultatem compensandi foro conscientiæ.

243. *Secunda, Cõtractus multi etiã nominati validi sunt foro conscientia, licet non civili.* Secunda regula: Dantur plures contractus, etiam nominati, validi jure foroque conscientiæ, etsi non civili: quibus scilicet jus non assistit quidem, sed nec resistit, ut dixi libr. 1. cap. 21. concl. 3. cujusmodi præter testamenta, ac fideicommissa, ac legata non solennia, jam dicta; Primò, sunt (juxta communiorem Jurisperitorum sententiam) contractus pupillorum ac minorennium, initi absque auctoritate tutorum ac curatorum: quamvis probabilior, ipsique juri conformior videatur multorum, præsertim Theologorum, sententia, utrorumque contractus foro conscientiæ irritos esse, neque obligationem naturalem parere, §. *Nunc admonendi sumus*, Instit. quibus alienare licet, l. 59. ff. de obligationib. l. 41. ff. de cõdictione indebiti. Quæ leges agunt quidem de pupillis, sed his pares hîc esse minores communiter supponitur à Doctoribus, juxta l. 3. C. de in integrum restitut. minorum, & l. 16. ff. de minoribus. Leges quæ videntur contrariæ, explicari possunt vel de naturali obligatione ex re acceptâ, aut damno illato non solo contractu, aut tantùm remuneratoriâ. Secundò, similiter filiusfamilias quamdiu est sub patriâ potestate repetenti mutuum pecuniarium, acceptum absque consensu patris, potest opponere exceptionem Senatusconsulti Macedoniani, adeoque non tenetur foro externo civiliter illud reddere; etsi probabiliùs teneatur naturaliter foro conscientiæ.

Tertia: Similis nostro Belgio est ordinatio 29. Albertina citat. 244. *Tertia, quâ Albertina*

Lex in Belgio lata quâ decennio præscribitur contra rescissiones contractuum, an valeat in foro conscientiæ?

quâ contra quaslibet contractuum rescissiones, & actiones fundatas super læsione quantacumque, ex dolo, metu & vi præscribitur decennio, postquam contractus initi sunt, vel cessavit juris aut facti impedimentum instituendi actionem. Posset videri hæc vera præscriptio etiam pro foro conscientiæ, tantumque ejus tempus, quod jure communi quoad plerasque actiones esset triginta annorum, redactum ad decem. Verùm & hæc ordinatio tantùm spectat forum externum, quo post decennium actiones ejusmodi admitti non debeant, etsi validæ foro conscientiæ interno. Primò, quia vera præscriptio, sive civilis, sive canonica, non procedit, nisi bonâ fide. Quod Innocentius III. probat verbis Apostoli: *Omne quod non est ex fide*, id est, dictamine rectæ conscientiæ sensu suprà explicato, *peccatum est*, cap. ult. de præscript. qui autem dolum, metum, aut vim adhibuit, caret ejusmodi bonâ fide. Secundò, quia eodem sensu contra similes actiones præscribitur Jure civili, idque breviori tempore: v.g. contra actionem de dolo, biennio, l.ult. C.de dolo malo.

Circa quos & similes contractus adverte, etsi nec potestas civilis, neque etiam Ecclesiastica possit exstinguere ipsam legem, & obligationem conscientiæ; posse tamen quasi subtrahere materiam irritando hos vel illos contractus: quo ferè modo Ecclesia subtraxit materiam Sacramento matrimonii, dum irritavit contractum clandestinum. Quo posito, etiã lumine naturæ ac dictamine conscientiæ constat, non sequi ullam obligationem, neque actionem, scilicet ex contractu invalido.

Quarta regula: Probabiliùs, vel saltem probabiliter, contractus valent foro conscientiæ, antequam foro civili ratificentur per requisitas solemnitates, quales v.g. sunt, ut celebrentur certis verbis, loco & tempore, coram certo numero testium, per tres tractatus, &c. quod antè dixi de testamento. Idem dic de electionibus, præsentationibus, collationibus officiorum aut beneficiorum. Ita Lessius cap.17.num.79. Ratio est, vel quia hæc est mens legum, dictas solemnitates requirentium tantùm pro foro externo, quo solo contractus sine illis censeantur invalidi: vel quia, ut dicunt alii, eo tantùm sensu ac mitigatione receptæ sunt. Certè communi hominum sensu praxique durum videtur, ut qui rem ab altero sciente & volente accepit, teneatur in conscientiâ eam reddere, quia non certo loco aut ritu eam accepit, idque antequam à judice exigatur. 245.

Quarta, Cõtractus valent in foro conscientiæ ante juris solemnitates.

Quinta: Probabile est, quandocumque contractus invalidus fuit defectu sufficientis consensûs alterutrius, vel utriusque partis, propter impedimentum aliquod diri- 246.

Quinta, Pars inscia defectûs, ob quem contractus

mens,

fuit invalidus, revalidare cum potest per voluntatem in eo persistendi.

mens, eam etsi defectûs insciam, illum ratificare defectu cessante per consensum, vel signum voluntatis in eo persistendi. Exempli causâ, in matrimonio, si alter conjugum metu gravi, vel omninò fictè contraxerit, sufficere, ut deinde affectu maritali conjugem cognoscat, ut suum. Quòd si intervenerit impedimentum dirimens, vel ex parte unius, ut servitus; vel defectus ætatis requisitæ; vel ex parte utriusque consanguinitas intra gradum prohibitum; sufficere deinde consensum quovis signo expressum se invicem pro conjugibus habendi, unius, si ab unius tantùm parte fuerit impedimentum; vel utriusque, si impedimentum fuerit à parte utriusque; scilicet post obtentam dispensationem. De metu & simulatione est satis communis; de aliis impedimentis est item plurium auctorum, quos citat, non sequitur Sanchez libr. 2. de Matrimonio disp. 36. num. 2. Angeli, Tabienæ, Supplementi Gabrielis, Cajetani, Soti, Lopez, Henriquez, qui addit multos Compluti & Salmanticæ consultos idem tenuisse. Ratio est partim practica ad evitanda gravissima incommoda sæpè secutura, nisi contractus sic ratificari possint; partim speculativa, quia juri naturali & positivo satis conforme, consensus ejusmodi, per accidens ab initio invalidos faciliùs ratificari per posteriores, quàm si nulli fuissent. Dixi tamen *probabile*,

Quomodo in matrimonio id locum habeat?

quia contrarium est probabilius, uti tutius; ideoque servandum in praxi, nisi urgeat grave incommodum, aut necessitas.

Sexta regula sit eadem de contractibus, quæ item sexta allata fuit de legibus, earumque sensu cap. 12. ex Gersone: scilicet in dubiis, bonorum virorum vitam debere esse regulam vivendi; quoniam illi præsumuntur in rebus agendis habere rectum judicium. Valet hæc peculiariter de occultioribus quibusdam contractibus, v.g. cambiis ac recambiis, quos solent meliùs intelligere mercatores, qui eos practicè exercent, quàm Doctores, qui speculativè considerant. Quare ut Doctorum auctoritas reddit sententias probabiles, ita ferè in ejusmodi contractibus mercatorum, scilicet notæ probitatis ac prudentiæ; idque ob easdem rationes: quia neque præsumuntur fallere, aut operari contra dictamen conscientiæ suæ, cùm viri probi sint; neque falli, aut non intelligere contractum quem ineunt, cùm sint viri intelligentes. Quod confirmatur cómuni illo dicto: *Cuique in suâ arte credendum*: hæc autem est ars mercatorum. 247.

Sexta, In dubiis bonorum vita regula est contractuum.

Hac ratione Primò, excusari solent varia cambia; inprimis Francofurtense, à multis usitatum, quo campsor plus lucratur, quo diutiùs pecuniâ suâ caret, v.g. quinque vel sex grossos in singulos florenos, si quin- 248.

Hac ratione cambiũ Francofurtense excusatur.

quinque vel ſex menſibus ante nundinas Francofurtenſes; unum, ſi uno; non ob ſolam dilationem temporis, quod eſſet uſurarium, ſed lucra variis tunc modis ceſſantia campſoribus, obvenientia campſariis, ob quas aliaſque cauſas mercatoribus notiores diuturnum cambium, cēſetur virtualiter multiplex.

Quid de cābio Beſuntino? Magis dubium ac ſuſpectum eſt cambium, quod vocant Beſuntinum, vel Placentinum, quo campſarius hîc petit pecuniam ſibi dari, v.g. Placentiæ, etſi verè non numerandam niſi hîc. Secundò, pecuniam ibi emptam revendit campſori, & quia ipſe factorem non habet, factor campſoris Primò, hujus nomine quaſi pecuniam campſario ibi procurat; Secundò, quaſi factor campſarii hujus nomine quaſi accipit, & huc remittit; ut ita, quia totum in ſe periculum ſuſcipit campſor, tam quaſi miſſionis, quàm remiſſionis, eidem duplex lucrum obveniat, cambio & recambio. Quia verò hæc omnia non verè, ſed quaſi fiunt; etiam numeratio pecuniæ Placentiæ, magna hîc eſt ſuſpicio uſuræ. Quare juxta Bullam Pii V. de cambiis, meritò hic contractus præſumeretur uſurarius. Quia tamen hoc etiam cambium dicitur uſitatum à mercatoribus Genuenſibus, & poſſunt abſolutè partiales illi contractus ſeriò, non fictè fieri; non omninò damnatur à Doctoribus. Vide Leſſium cap. 23. dub. 7.

Secundò, ob eamdem regulam, cauſamque, non tam facilè damnandæ, in foro etiam conſcientiæ, ſunt aliquorum locorum & burſarum conſuetudines, quibus mutuantes ultra ſortem recipiunt lucrum ibi taxatum, quod ſolet eſſe quotannis 6. 7. 8. vel 9. pro 100. nec umquam in Belgio poteſt eſſe majus, quàm 12. pro 100. edicto Caroli V. lato Bruxellæ 1540. etſi enim eſſet uſurarium quidquam recipere ratione ſolius mutui, non tamen ratione extrinſecorum mutui verè pretio æſtimabilium; ut lucri ceſſantis, damni emergentis, periculi ſortis amittendæ, vel ægrè recuperandæ; & probabiliter moleſtiæ numerandi pecuniam, ac carentiæ peculiaris affectûs erga eam præſentem. 249. *Quâ ratione mutuantes ultra ſortē recipere lucrū poſſint?*

Septima regula: Dubii contractus, v.g. cambium Placentinum, & ſimiles, ſi faciendi, non ſunt approbandi, ſcilicet extra neceſſitatem; ſi facti, præſertim à probis, non condemnandi. Ita nominatim de cambio Sa num. 7. eſtque eadem ratio de omnibus contractibus. Intelligenda autem eſt regula, quòd expediat eam ſervari, non autem debeat ſub peccato, nominatim prior ejus pars: quia, ut conſtat ex libr. 3. cap. 6. eo ipſo, quo contractus quilibet probabiliter liciti ſunt ac juſti, abſolutè licet illos & inire & ſuadere, adeoque approbare ineundos. Quod ta- 250. *Septima, Cōtractus dubii magis approbandi cū facti, quā cum faciendi.*

tamen non expedit ob varias tricas & pericula injustitiæ materialis, & formalis; præsertim in minùs probis, vel Deum non timentibus, quorum Deus pecunia est; à quibus initi etiam post factum valdè manent suspecti, saltem de affectu injustitiæ. Contrarium ob contrariam rationem dicendum apparet de probis ac Deum timentibus.

251. *Octava, Formula contractuũ variè utiles ad lucrũ licitum reddendũ.*

Octava regula: Refert non tantùm ad lucrum, sed etiam pacem ac securitatem conscientiæ, quâ ratione & formulâ contrahas, seu quem specie contractum ineas. exempli causâ: Primò, si emas censum decennalem 100. flor. florenis 900. post decennium justè lucratus fueris 100. flor. nihil omninò, si tantumdem mutuò dederis ad idem tempus. Secundò, si emas super agro censum fructuarium ad libitum tuum redimibilem; licitè percipies aliquot annis agri fructus, & postea certò pretium; si tamen dares mutuò, accepto agro in pignus, nil fructuum posses percipere, nisi computatorum in sortem. Idem justè lucraberis, si agrum emas cum pacto revendendi, ac deinde revendas. Tertiò, similiter esset usurarium mutuare operario 20. flor. eâ conditione ut eos lucretur pro te laborando. Si tamen tantumdem illi des anticipatâ solutione, absque usurâ & injustitiâ poteris eum cogere, ut pro te laboret. Quartò, si 1000. des ad societatem contractu triplici, justè inde lucraberis supra assecuratum capitale sortè 100. si eamdem summam des illi mutuo, nihil. Quorum & similium ratio est: quia è solo mutuò, quòd res eo commutetur cum re, nil aliud alio titulo accipi potest. Cùm autem fiunt alii contractus, videlicet venditionis, verè res venditur; ergo justè absque scrupulo accipitur ejus pretium, ut suppono, justum, quantumcumque sit.

252. *Nona, Nulla est usura, vel simonia, si ex gratitudine aliquid refundatur.*

Nona sit, contra scrupulos de usurâ ac simoniâ: Non est usurarium aut simoniacum, sed licitum ratione mutui, vel beneficii, aut rei spiritualis, quidvis accipere, non tamquam strictè, sed laxè debitum quasi obligatione remuneratoriâ ex gratitudine, amicitiâ, aliòve titulo. Dixi ratione *mutui, vel beneficii:* nam ratione extrinsecorum pretio æstimabilium licet accipere aliquid, ut strictè debitum.

Colligitur ex plerisque Doctoribus. Ratio est, quia sic, quod tibi datur, non accipis quasi pretium quod requiritur ad malitiam, tum usuræ, quâ res mutuata quasi bis venditur, scilicet re æquivalenti, ipsâque usurâ seu lucro addito; tum simoniæ, quâ res spiritualis, quasi venalis, comparatur cum temporali, tamquam pretio æquivalente. Ob eamdem causam numquam committitur peccatum simoniæ absque contractu: ex quo vide-

videlicet sequatur stricta obligatio, ut nec usuræ sine vero mutuo.

Hac regulâ & ratione sæpè excusantur, tum qui v.g. beneficium alteri resignant spe temporalis commodi, ac muneris; tum qui hoc promittunt, scilicet ex grato ac libero animo, non ex contractu, & strictè debito: facilè tamen in similibus præsumitur usura ac simonia foro externo, imò & interno de laxis conscientiâ, etiam in aliis; secùs quàm de teneris conscientiâ, ac Deum timentibus, ut jam dixi in simili.

CAPVT XIX.

De scrupulis circa præscientiam Dei, ejusq; fundamento.

253. DIcuntur hi scrupuli circa præscientiam Dei, ut & prædestinationem, eodem sensu, quo circa fidem, vel latiùs sumpto vocabulo pro scrupulosâ, id est anxiâ, cogitatione, vel etiam strictè: quia v.g. alicui potest videri peccaminosa cogitatio seu opinio, quòd mysterium præscientiæ ac prædestinationis divinæ pendeat à suo etiam libero arbitrio; idque scrupulosè, quia absque sufficienti fundamento, ut ostendam duobus hisce capitibus.

Cautè in concionibus loquendum de prædestinatione.

Sapientissimè S.P.N. de regulis ut cum Ecclesiâ Catholicâ verè sentiamus, reg. 14. *Advertendum quoque est, quamquam verissimum sit nemini contingere salutem nisi prædestinato; circumspectè tamen super hoc loquendum esse, ne fortè gratiam seu prædestinationem Dei nimis extendentes, liberi arbitrii vires, & operum bonorum merita excludere velle videamur: vel è converso, ne plus æquo hisce tribuentes, illis interim derogemus.* Et reg. 5. *Similem ob causam frequens de prædestinatione sermo habendus non est: si quis incidat nonnumquam, ita temperari decet, ut nulla plebi audienti detur occasio erroris, ac dicẽdi: Si de salute vel damnatione jam definitum est, sive malè, sive bene agam, aliter evenire non potest: unde solent multi opera bona negligere, & alia subsidia salutis.*

Gravissimus certè hic scrupulus est, quo agitur de summâ rei, & impetuntur prima fundamenta & principia vitæ probæ ac Christianæ; nec tantùm hujus, sed omnium propè sæculorum is scrupulus fuit; neque tantùm Catholicorum, sed & hæreticorum & Gentilium. Huc spectabat antiquorum philosophorum disputatio de fato ac providentiâ numinis; item inter Catholicos & Augustinum, ac Pelagianos & Pelagium celeberrima illa controversia de gratiâ ac prædestinatione. Imò post August. hinc nata, imò in eo sita fuit hæresis Prædestinatorum; sic dicta, eò quòd de prædestinatione, & divinâ gratiâ disputantes assererent, nec piè viventibus prodesse bonorum operum laborem, si à Deo ad damnationem præsciti essent; nec impiis obesse; etiamsi improbè

vivetent, si à Deo prædestinati fuissent ad vitam, ut ex Sigeberto his verbis refert Baronius ad annum Domini 490. Eadem disputatio viget hoc tempore; neque tantùm disputant & dissentiunt Catholici ab hæreticis, sed ab hæreticis hæretici; ab Arminianis seu mollibus Calvinistis, Gommaristæ seu Calvinistæ rigidi; imò etiam à Catholicis Catholici: hi tamen intra limites ab Ecclesiâ præfixos.

254. *Optimum circa prædestinationem divinæ se cōmittere volūtati.* Suppono Primò, optimum quidem hujus mali remedium esse, simpliciter se committere voluntati ac providentiæ Dei. Ita refert Thomas à Kempis quemdam in oratione prostratum & dicentem: *O si scirem quòd adhuc perseveraturus essem!* audivisse divinum intus responsum: *Quid si hoc scires, quid facere velles? Fac nunc, quod tunc facere velles, & bene securus eris.* Moxque consolatum & confortatum divinæ se commisisse voluntati, & cessasse anxiam fluctuationem.

Alii addunt perfectiori caritate; Etsi scirem me non perseveraturum, nec prædestinatum, sed reprobatum ac damnandum, eò magis vellem nunc amare & laudare Deum; quia non liceret æternùm. Sed non omnes capiunt verbum hoc, nec possunt cæco modo voluntati divinæ acquiescere, nisi aliquo satisfiat intellectui. Ut igitur tā gravi ac periculoso scrupulo etiam ex ratione remediū aliquod afferā, juxta regulā & moderationem S.P.N. Ignatii, duæ hîc gravissimæ inter Catholicos controversię paucis decidendæ sunt: Quo fundamento Deus cognoscat futura contingentia: & An prædestinatio seu electio ad gloriam fiat ante, vel post prævisa merita, à quibus maximè pendet concordia liberi arbitrii cum gratiâ, præscientiâ ac prædestinatione. Prius disputabo hoc capite, posterius sequ.

Suppono Secundò, contra Aristotelem, (licet aliqui benignè illum explicent) communem Theologorum & Philosophorum sententiam, futura contingentia, etjam singularia, ab æterno esse determinatè vera, vel falsa; atque adeò propositiones illa explicantes. Quod necessariò sequitur ex principio fidei, quòd Deus ea, tamquam determinatè futura, præsciat & prædicat, v.g. Petrus peccabit: nec tantùm per se, sed etiam per Prophetas. Quare juxta cap.5.lib.3. de qualitatibus propositionum, sententia hæc saltem est fidei proxima; & contraria erronea in fide: neque tantùm lumine fidei, sed & rationis, ea veritas est conformior: quia cùm dico, etsi nescius: Petrus peccabit; si hic peccet, eo ipso mea propositio fuerit conformis objecto suo: quod enim aliquando fit, eo ipso fuit antè futurum, ut postea fit præteritum: ergo fuit determinatè vera, si peccet; si verò non peccet, determinatè falsa, ob rationem 255. *Futura contingētia sunt ab æterno determinatè vera, vel falsa.*

tionem contrariam.

256. *Futurorũ contingẽtium veritas fundamentum Deo est præsciẽdi.* Dico jam: Hæc ipsa futurorum contingentium veritas divino intellectui est sufficiens fundamentum certissimè eas prævidendi. Ita plurimi recentiores, à quibus reverâ non dissentiunt antiquiores, etsi requirant aliud fundamentum remotum, causam futurorum, decretum, vel ideam divinam, sensu explicando: neque aliud, sed hoc ipsum docet D. Thomas 1. par. qu. 14. art. 13.

Probatur & explicatur conclusio: eo solo, quo sunt determinatè vera vel falsa, ex parte suâ sunt cognoscibilia, scilicet ab intellectu ex parte suâ satis potenti: atqui intellectus divinus ex parte suâ est satis potens, quia infinitus: ergo ab eo possunt hoc ipso prævideri. Quæ ratio naturali judicio videtur non tantùm probabilis, sed evidens. Similiter juxta communem sententiam, omnipotentia Dei potest, quidquid ex parte suâ non implicat contradictionem, seu est possibile: ergo etiam omniscientia novit quidquid est verum seu scibile, eo tantùm discrimine, quòd Deus non necessariò omnia faciat, uti scit.

Dixi, *prævidendi*, ut indicarem scientiam divinam immediatè & intuitivè respicere futura, tamquam per se cognoscibilia, nullo alio mediante. quo etiam sensu Patres cum D. Thomâ citato dicunt Deo nil esse futurum, sed omnia ab æterno præsentia; scilicet quatenus abstracta à tempore comparantur cum indivisibili æternitate, & divinâ immutabilitate, nominatim in cognoscendo.

Ex quibus solvitur ratio dubitandi: quia ut intellectus divinus quidquam certissimè præsciat ab æterno, non requiritur ulla prævia determinatio, aut necessaria cum causâ connexio, sed sola determinata veritas hoc solo cognoscibilis; nec aliunde causata, quàm ipso libertatis usu nunc, cùm res fit; qui nunc est causa cur ea ab æterno fuerit futura, ideoque cognoscibilis, nec aliter quàm nunc eam faciendo. 257.

Unde collige Primò, cujusmodi Dei decretum prærequiratur ad hanc futuritionem, & præscientiam; non quod versetur circa ipsum actum futurum, ut putant aliqui, sed tantùm circa præexistentiam voluntatis, aliarumque præviarum causarum: nam, ut de præsenti prius est voluntatem, v.g. existere, quàm operari: ita priùs de futuro exstituram, quàm operaturam: ergo etiam Deus (nostro modo concipiendi cum fundamento ex rei naturâ) priùs scit voluntatem exstituram, adeoque decretum suum illam curandi, quàm volitionem. Non quòd illud sit ratio cognoscendi alia, sed universali ratione, quòd Deus ita, eoque ordine sciat res, quo sunt præsentes ac futuræ. 258. *Ad futuritionem actûs, non requiritur præsciẽtia ejusdem.*

Col-

259. *Præsciētia Dei non obest contingentiæ rerum.* Collige Secundò, præscientiam Dei non magis obesse contingentiæ, seu libertati futurorum, quàm si non esset: quia, ut ostendi, non est causativa, sed tantùm intuitiva rei in priori naturæ aliunde futuræ. Quare, ut communiter loquuntur Patres & Doctores, ideò illam præscit, quia futura est, non contrà. Itaque vulgaris ac scrupulosa illa argumentatio: Vel Deus nunc scit me damnandum, vel non: si scit, quidquid agam, damnabor: secùs, si non scit; eâdem ratione fieri posset, si per impossibile Deus nil præsciret, hoc modo: Vel nunc est futurum, ut damner, vel non: si est futurum, quidquid agam, damnabor, &c. Utraque argumentatio inepta est, quia nullam involuit necessitatem, nisi sensûs compositi consequentem ipsum usum libertatis. quasi dicas: Posito quòd liberè velim damnari, seu malè vivere, quidquid agam, damnabor: nec tantùm infallibiliter, sed necessariò; non simpliciter, & in sensu diviso, sed secundùm quid, & in sensu composito. Quibus jam remedium paratum est, ni fallor, satis efficax scrupulo proposito de præscientiâ: restat alter gravior de prædestinatione.

CAPUT XX.

De scrupulis circa prædestinationem, ejusq; causâ?

260. *Quæ cōtroversia de prædestinatione fuerit olim, & jam sit* STatus hujus controversiæ alius fuit inter Augustinum aliosque post ipsum Patres, nominatim Prosperum ac Hilarium, & Pelagianos ac Semipelagianos, quàm nunc sit inter Theologos. Primò, illi disputarunt de meritis & operibus naturalibus, an hæc essent causa prædestinationis. quod affirmabant hæretici, negabant Patres: Theologi autem id ipsum disputant de meritis, & operibus supernaturalibus. Secundò, conformiter hi disputant de electione & prædestinatione completâ ad gloriam; illi de incōpletâ ad fidem ac primā gratiā: hoc enim exigebat hæresis, quam oppugnabant. Pelagiani enim putabant sine verâ Christi gratiâ etiam ipsam gloriam, adeòque ad hanc electionem nos obtinere ac mereri posse operibus naturalibus: Semipelagiani hoc negabant de gloriâ, sed asserebant de fide, ejusque initio ac volitione. Ita illorum & quondam suum errorem refert ipse de Prædestin. Sanctorum cap. 1. & 3. lib. 1. Retract. cap. 24. & Prosper ac Hilarius epistolis ad August.

Nota duas quasi regulas, ad mentem dictorum Patrum perspiciendam planè necessarias. Prima est, paria esse: nos mereri seu causam dare ex parte nostrâ fidei, gloriæ, vel alius doni; & ad illa prędestinationis seu electionis. Quod clarè deducitur ex Patribus, loco citato, aliisque disputantibus contra dictos hæreticos: aliàs ex eo, quòd Semipelagiani dicerent nos fidem 261. *Nota ad intelligendū sensum Patrum de prædestinatione.*

fidem mereri, seu acquirere operibus nostris, ac naturalibus, malè Patres inferrent, secundùm illos electionem fieri ex meritis: posset enim electio ad fidem esse gratuita, etsi fides acquireretur operibus. Quo sensu Augustin. de Prædestinat. cap. 10. *Inter gratiam,* ait, *& prædestinationem hoc tantùm interest; quòd prædestinatio, est gratiæ præparatio, gratia verò est ipsa donatio:* quasi dicat, aliàs eadem est de utrâque ratio in hac controversiâ. Quare illo ipso libro, quem inscripsit non de Fide, sed Prædestinatione, non tam probat gratis obtineri prædestinationem, quàm fidem. Et libro sequ. quem inscribit non de prædestinatione, sed Bono perseverantiæ, æquè vel magis ait de prædestinatione. Quo item sensu cùm Scholastici disputant de causâ prædestinationis, non disputant de hâc secundùm entitatem suam, sed effectum, seu liberam ad hunc habitudinem; supponentes eamdem esse rationem de effectu, ipsâque prædestinatione.

262. Secunda regula, æquè certa & necessaria, est primæ conformis; quòd cùm aliquid dicitur donum Dei, scilicet gratuitum, neque dari secundùm merita nostra, sive, ut more Scholastico loquar, non dari ejus causam ex parte nostrâ; non excludi opera fidei ac gratiæ, sed solius naturæ, seu liberi arbitrii. August. de Gratia & lib. arbit. c. 6. *Si enim merita nostra sic intelligerent,* scilicet Pelagiani, *ut & ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia,* quam videlicet proximè retulit: vitam æternam meritis nostris præcedentibus reddi. *Quoniam verò merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipsis hominem habere dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus: Quis enim te discernit?* Idem æquè clarè docet cap. 8. Et ne quis dicat illum hoc scripsisse post pelagianismum quidem, sed ante semipelagianismum; idem post hunc docet epist. 105. ubi præter alia ante medium: *Cùm Deus coronat merita nostra, nil aliud coronat, quàm munera sua.* Et epist. 106. post initium: *Nec dicat sibi, Si ex fide, quomodo gratis? non dicat ista homo fidelis, quia cùm dixerit: Ut merear justificationem, habeo fidem; respondetur ei, Quid enim habes quod non accepisti? cùm ergo fides impetrat justificationem, non gratiam Dei, aliquid meriti præcedit humani; sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici; comitante, non ducente; pedissequâ, non præviâ voluntate.* Nimirum, quæ duceret iretque prævia gratiæ, si juxta Semipelagianos ex se haberet fidem, aut conatum naturalem, cui gratia redderetur. Quas regulas quia non notarunt, non est mirum plures Augustinum explicasse sensu ab ejus mente alienissimo.

263. Ex quibus colligo, & dico Primo: Prædestinatio ad fidē, ac primum gratiæ auxilium, non fit ex ullis meritis; seu non datur ejus cau- *Prædestinatio ad primam gratiā nō datur ex meritis.*

causa meritum de condigno, vel congruo, nec dispositio ex parte nostrà. Quo item sensu non datur causa prædestinationis totius, seu omnium ejus effectuum; ut bene docet D. Thomas 1. part. quæst. 23. art. 5. Driedo de Concordiâ liberi arbitrii p. 1. sæpiùs, aliique. Ratio est, quia vel illud meritum esset naturale, ut volebant Semipelagiani, & sic gratia subjiceretur naturæ, fieretque quasi pedissequa voluntatis nostræ, contra Augustinum, & Concilia Arausic. & Milevitanum: quod per se apparet indignum & inordinatum; cùm inter actus naturales & dona supernaturalia, eorumque prædestinationem nulla sit proportio: vel esset supernaturale, & hoc comprehenditur sub prædestinatione, ejusque effectu, ut argumentatur D. Thomas; ergo non potest eam mereri, aut cum eâ comparari, tamquam quid distinctum.

264. *Merita Christi præcedunt prædestinationem nostri totalem.*

Dico Secundò: Prædestinationis nostri, & quidem totius, datur causa ex parte Christi; seu, nos non sumus prædestinati ad fidem, gratiam, vel gloriam ante prævisa merita Christi. Est ferè communis sententia.

Probatur ex Apost. ad Ephes. 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cælestibus, in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in caritate: qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per* IESUM *Christum.* Particula *in* idem significat quod *per.* Itaque *in* seu *per* Christum habemus omnem benedictionem spiritualem; ergo prædestinationem totius benedictionis, & ædificii spiritualis fundamentũ. Quod ipsum exprimit Apostolus verbis posterioribus, cùm addit, Deum in, & per Christum nos elegisse, & prædestinasse.

Accedit ratio Theologica, tum à posteriori & absurdo: quia aliàs Christus est tantùm exsecutor decretorum, & prædestinationis divinæ, non illius ac gratiæ auctor: tum à priori, quâ evertitur fundamentum contrariæ sententiæ: quia ex mente Augustini & Patrum, prædestinatio non est facta ante, sed post prævisum peccatum originale, quo universum genus humanum factum est quasi massa damnata, à quâ electi prædestinatione & gratiâ Christi liberantur, & secernuntur: ut sæpè Augustinus, nominatim c. 14. de Bono perseverantiæ, definiens prędestinationẽ; & de Corrept. & gratiâ cap. 7. *Non enim sunt à massâ illâ perditionis præscientiâ Dei & prædestinatione discreti.* Neque ante hanc massam fuit ullus usus gratiæ Christi, ut docet August. cit. cap. 11. Imò juxta ejusdem & Patrum communem veramque sententiam, si Adam non peccasset, itaque genus humanum in illam massam non incidisset; Christus in hunc mundum non venisset, neque

neque fuisset à Deo decreta ejus incarnatio.

265. *Christus nec Adamo primam gratiam, nec Angelis gratiam aut gloriam est meritus.* Hinc tamen collige, juxta communiorem sententiam Doctorum, præsertim antiquorum, meritis Christi, neque Adamum & Evam fuisse prędestinatos, incompletè ad primam gratiam & justitiam originalem, quam consecuti sunt antè, seu independenter à decreto Incarnationis, sed tantùm completè ad gloriam: Angelos verò nec ad gratiam, nec ad gloriam; quia utramque boni consecuti, ante lapsum primorum parentum, adeoque independenter à decreto incarnationis; sicuti mali ante ipsos lapsi & damnati sunt; nominatim Lucifer, qui illos ad peccatum induxit. Quod item confirmatur ratione Theologicâ: quia Christus nullis quidquam est meritus, nisi pro quibus mortuus est: omne enim ejus meritum morte fuit consummatum: atqui non fuit passus & mortuus pro Angelis. quod juxta communem fidelium, & Patrum sensum docet Augustinus Enchiridii cap. 61. *Non enim*, ait, *pro Angelis mortuus est*: ergo illis nil fuit meritus, neque gratiam, neque prædestinationem.

266. *Difficultas, an prædestinatio ad gloriam ex meritis nostris fiat.* Quibus præmissis, superest pręcipua difficultas de electione & prædestinatione ad gloriam, & meritis nostris; scilicet supernaturalibus gratiæ, quæ simul sunt Dei ac Christi munera. Mitto hîc errorem Origenis damnatum Concilio Lateranensi sess. 8. & Clement. unicâ de Summâ Trinit. quòd prædestinatio & reprobatio fiat secundùm merita non hujus, sed alterius vitæ, quâ animæ vixerint nescio in quibus corpusculis, ex quibus migrarunt in alia corpora, scilicet juxta Pythagoricam μετεμψύχωσιν. Item Pelagianorum & Semipelagianorum jam indicatum, & Prædestinatorum extremè illi oppositum relatum ex Baronio: qui ex eodem illo fundamento inferebant alia absurdissima, ut colligitur ex epistolâ Fausti approbatâ à Concilio Arelatensi, ad Lucidum presbyterum, & hujus responsione relatis ab eodem: verè non dari liberum arbitrium, & illos qui perierunt, non potuisse salvari; adeoque non habuisse auxilium sufficiens. Quò meritò reducitur hæresis nostri temporis Lutherana & Calviniana, in plerisque cum illâ consentiens, imò pejùs sentiens de reprobatione, seu prædestinatione ad æternum supplicium ante prævisa merita; ad quod ipsi Prædestinati tantùm dicebant reprobos præscitos, non prædestinatos. Præterea multorum Catholicorum, præsertim recentiorum, opinio est, non tantùm aliquos, B. Virginem, Joannem Baptistam, & Apostolos, ut putavit Catharinus; sed omnes, qui salvantur independenter, seu ante prævisum ullum meritum, electos seu prędestinatos esse ad gloriam, imò & certum hu-

jus gradum. Quam sententiam Deique decretum recentiores mitigant prævia scientia conditionata vel conditionalium, qua Deus antequam prædestinet, præsciat actus & media, quibus salutem liberè consequi possint, non absolutè, sed conditionatè, si his vel illis circumstantiis daretur hæc vel illa gratia; ita ut actus non sint ratio motiva, aut causa prædestinationis, sed conditio sine quâ non: neque certitudo prædestinationis tantùm innitatur decreto divino, ne officiat libertati, sed quasi radicaliter dictæ scientiæ. quæ sententia negari non potest quin sit valdè probabilis.

267. *Probabilius nulli prædestinantur ad gloriam, nisi ex prævisis meritis.*

Dico tamen Tertiò: Probabilius est nullos prædestinari aut eligi ad gloriam ante prævisa absolutè merita, sicuti nulli reprobantur ad pœnam, nisi post prævisa peccata. Unde sequitur, prædestinationis completæ ad gloriam dari causam, ex parte non tantùm Christi, sed & prædestinatorum, v.g. horum merita, si videlicet sint adulti; si parvuli, pro meritis est baptismus: quare & hi prædestinantur ad gratiam, antequam ad gloriam.

Videtur reverà communior Doctorum, saltem antiquorum, satis clarè D. Thomæ art. illo 5. in 1. dist. 41. art. 3. & in catena aureà in cap. 8. ad Rom. Pluribus eam in scholis probavi, nunc paucis. Vide præter alios Lessium de Prædestinatione, & novissimè Præpositum in 1. p. quæst. 23. art. 8. dub. 8. qui clarè & solidè eam explicant probantque.

Probatur Primò, ex Scripturâ & Patribus. Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare,* &c. *Probatur ex Scripturis.* Nota particulam *enim*, quæ significat opera misericordiæ esse causam præparationis, seu prædestinationis, & possessionis regni, juxta communem Christi-fidelium & Patrum sensum, primam regulam, & rationem: quia aliàs multum detrahitur vi & merito operum, si tantùm iis obtineatur possessio regni jam aliunde prædestinati. Clariùs id significatur verbis Apostoli 1. Corinth 2. desumptis ex Isaiâ 64. *Oculus non vidit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*: aut, *Quæ præparasti exspectantibus te*, ut est apud Isaiam: quibus dilectio & exspectatio exprimitur, ut causa præparationis. Præterea ne eodem hoc capite sumatur æquivocè vox, *Paratum est*; debet eodem sensu intelligi de regno, & igne æterno: atqui hic non est paratus solo Dei beneplacito, sed propter opera: ergo & illud. Quare eodem sensu sumitur eadem vox ab eodem Euangel. cap. 20. *Sedere ad dextram meam, & sinistram meam, non est meum dare vobis; sed quibus paratum est à Patre meo.*

Sic verba hæc explicant Patres. 268.
Cyrillus libr. 10. Thesauri cap. 5.

Non

Non est meum dare supremum honorem vobis petentibus, qui reservatus est in præscientiâ Patris illis, quos excessus certandi commendaverit. Epiphanius hæresi 69. *Hoc vult ostendere, quòd non juxta personarum acceptionem res ista fiat, sed pro dignitate.* Et infrà: *Si laboraveritis, erit vobis præparatum à Patre meo.* Clarissimè etiam Ambrosius libr. 5. de Fide ad Gratianum cap. 3. *Non est meum qui justitiam servo, non gratiam: denique ad Patrem referens addidit: Quibus paratum est; ut ostenderet Patrem quoque non petitionibus deferre solere, sed meritis: quia Deus personarum acceptor non est. Unde & Apostolus ait: Quos præscivit & prædestinavit: non enim antè prædestinavit, quàm præscivit; sed quorum merita præscivit, eorum merita prædestinavit.*

Recurrunt hîc aliqui ad duplicem præparationem, unam ante, alteram post prævisa opera, etiam æternam, de quâ agant Patres citati; scilicet secundùm duplicem ordinem intentionis & exsecutionis: sed hæc speculatio repugnat dictæ regulæ. Secundò, menti & rationi Patrum: quia primâ & gratuitâ præparatione fieret nihilominus Deus acceptor personarum; verbaque ipsa satis indicant negari omnem præparationem, & prædestinationem gratuitam. Tertiò, etiam Aristoteli & Philosophis, qui admittunt quidem duplicem ordinem intentionis & exsecutionis; sed illum in voluntate, hunc à parte rei: quo sensu, quod primum est in intentione, est ultimum in exsecutione, non autem utrumque in voluntate seu mente.

Secundò, probatur ex verbis Apost. ad Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui*, id est, quos præscivit credentes, diligentes, Christo similes in tribulatione, & ita gloriam merentes; eos & prædestinavit ad gloriam, & perfectã cum Christo conformitatem. Quo modo hunc locum clarè explicant præter Ambrosium citatum communiter Patres Augustino antiquiores Origenes, Athanasius, Cyrillus, Oecumenius, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, aliique. 269.

Quomodo Deus omnes velit salvos fieri?

Tertiò, probatur ex illo 1. ad Timoth. 2. *Qui omnes homines vult salvos fieri*: quibus non significatur sola complacentia, sed voluntas ex parte Dei efficax, & sincera erga salutem omnium: quare vi illius, omnibus datur auxilium sufficiẽs, & electis efficax, etsi ex parte nostrâ sit conditionata, si videlicet nos velimus. Quo modo eam explicant Damascenus lib. 2. de Fide cap. 29. Chrysost. homil. 1. in epist. ad Ephes. qui eam vocat desiderium flagrans. Imò Augustinus de Spiritu & litt. cap. 33. etsi alibi aliter. Quòd si Deus juxta contrariam sententiam paucissimos tantùm eligat pro suo beneplacito ad gloriam & salutem, reliquis omni-

bus nullâ ab ipsis datâ occasione præteritis (quos tamen certissimè scit eo ipso non salvandos, imò nec posse salvari, selectione illâ positâ) certè intelligi non potest, quo pacto sincerè velit salvare omnes. Quo modo hospes qui tantùm parasset locum pro primo, non posset sincerè velle & invitare plures.

Denique probatur ex omnibus Scripturæ locis, quibus vita æterna dicitur corona justitiæ, merces, bravium, ac præmium; quibus titulis implicat, Deum illam dare, vel velle dare; uti & infligere mortem æternam in pœnam, nisi ex meritis. Quare communiter Patres dicunt, electionem ad gloriam fieri ex meritis, sicut reprobationem ad pœnam. Hieronymus in cap.1. Isaiæ, & epist. ad Hedibiam quæst. 10. Chrysost. hom. 80. in Matth. Hilarius in Psalm.64. Damascenus contra Manichæos: aliique.

270. *Probatur conclusio ex Augustino.* Probatur deinde singulariter ex Augustino, cujus apud omnes in hac præsertim controversiâ summa est auctoritas. Primò, quia non est credibile illum dissensisse à reliquis Patribus jam citatis, quos pro sua sententia citat de Bono perseverantiæ cap.18.19. & 20. quamvis de Prædest. Sanctorum cap.14. dicat eos non habuisse necessitatem in tam difficili quæstione versari, ideoque breviter quid sentirent attigisse, scilicet de gratiâ, de quâ ipsi negotium erat cum Pelagianis, non de gloriâ. Atque ita optimè illum cum aliis Patribus conciliant, nostramque docent duo Belgii nostri & Universitatis Lovaniensis lumina, Driedo citatus, 2.p. cap.31. & Ruardus Tapper. dictæ Universitatis Cancellarius, in Explicatione articulorum Venerandæ facultatis Sacræ Theologiæ art.7. circa medium: quòd scilicet illi agant de prædestinatione completâ, seu electione ad gloriam, quæ fit ex meritis; ille vero de prædestinatione incompletâ seu electione ad fidem, quæ fit gratis. Secundò, satis intelligitur mens Augustini ex duabus illis regulis; Primâ quidem, quòd gloria prædestinetur, uti datur ex meritis; Secundâ, quòd gratiæ ac dono Dei gratuito non repugnent ex ejus mente merita supernaturalia gratiæ; qualia prærequirimus ad prædestinationem. Quare nil aliud requirit à Pelagio de Gratiâ Christi c. 47. & epist. 46. petit sua scripta sic intelligi; *Ut*, inquit, *neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium sic defendatis; ut à Dei gratiâ separetis.* Aliàs vult & illud defendi, non tantùm gratiam. *Si*, addit præclarè, *non est Dei gratia, quomodo salvat mundum? & si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?* Notent hoc hæretici.

Denique idem probatur ex ipsâ definitione prædestinationis hac occasione notandâ, receptâ ab omnibus, & traditâ ab Augustino de *Prædestinationis definitio, & natura ex D. August.*

de Bono perseverantiæ, cap. 14. *Prædestinatio*, ait, *nil est aliud, quàm præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*. Nota verba: *Nil est aliud*: particula *præ* juxta communem ferè sententiam significat prioritatem quasi temporis, non naturæ; seu æternitatem, non independentiam, æquè in prædestinatione, ac præscientiâ, juxta Apost. cit. ad Ephes. 1. & alibi. Præscientia hîc est absoluta, quia hoc significat nomen præscientię simpliciter; itaque sumitur ab Augustino toto illo libro & alibi: ut nimirum idem sit præscientia, quod prævisio; seu, ut loquuntur Scholastici, scientia visionis, non simplicis intelligentiæ, aut conditionalis; quia versatur circa absolutè futura. Præparatio hîc non est temporalis, sed æterna, id est, voluntas dandi. Addo hunc actum voluntatis principaliùs significari prædestinatione, quàm illum intellectus: tum quia destinare est potiùs voluntatis; tum quia præscientia nititur præparatione, non contrà: ideò enim præscit Deus sua munera, quia vult conferre: quod indicat ipse August. cap. 10. de Prædest *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus*. Beneficiorum nomine comprehenduntur omnia auxilia, etiam præcedentia justificationem, gratiæ excitantis, cooperantis, comitantis, sanctificantis; imò habitus omnes infusi, & mediantibus his actus boni, quos etiam complectitur cap. 17. Postrema verba significant liberationem à massâ damnationis, seu perditionis & peccatis, præsertim originali, ut constat ex verbis proximè sequentibus.

271. *Prædestinatio immediatè versatur circa media, mediatè dirigit hominem ad finem.*

Ex quibus constat Primò, prædestinationem, ut providentiam, cujus illa est nobilissima species, non versari proximè circa finem, sive gloriam; sed media seu gratiam: imò esse quasi transmissionem, ac destinationem immediatè mediorum, mediatè hominum ad finem gloriæ. Quo in Augustino nil clarius, idemque docet D. Thomas 1. p. quæst. 23. art. 1. de prædestinatione, & quæst. 22. art. 1. de providentiâ; definiens esse rationem ordinandorum in finem. Itaque juxta August. & D. Thomam, ac naturam prædestinationis, implicat contradictionem, illam priùs versari, seu homines priùs prædestinari ad finem gloriæ, quàm media gratiæ, ut volunt adversarii; sicut implicat motu locali priùs perveniri ad terminum, quàm transiri medium. Inverteretur enim sic essentialis ordo prædestinationis, & inchoaretur à fine, qui debet inchoari à mediis.

Tantùm adverte, quod satis clarum est, idem esse, Deum hominem transmittere, seu hominem prædestinare per media gratiæ bonorumque operum, scilicet absolutè prævisa; & pòst, vel ex prævisis

visis meritis, ac gratiæ auxiliis.

Constat Secundò, ne quidem ullos eligi priùs ad gloriam, quàm gratiam: quia juxta mentem Augustini idem actus voluntatis divinæ, quatenus absolutè versatur circa media, est præparatio; quatenus ea præparantur uni prę altero, est electio: adeò ut non detur alia æterna electio, quàm quæ comprehenditur definitione prædestinationis. *Quomodo*, inquit cap. 18. de Prædest. Sanctorum, *eligeret eos, qui nondum erant, nisi prædestinando? elegit ergo prædestinans nos.* Quo sensu de electione agit passim alibi, imò magis inculcat prædestinationem gratuitam, quàm electionem, nominatim dicto libro de Prædest.

272. Ex quibus collige ulteriùs, Primò, nec Augustino notam, nec necessariam esse actuum prædefinitionem, distinctam à dicta prædestinatione, seu præparatione.

Propositum quid significet? Collige Secundò, neque propositum esse distinctum ab electione, & actibus jam dictis, & versari proximè circa media, non finem. Quamvis plerique putent illud significare voluntatem conferendi gloriam ante, vel post prævisa merita.

Probatur id Primò, ex Apost. ad Rom. 8. Unde Augustinus vocat *Vocationem*: & ad Ephes. 1. *Prædestinationem secundùm propositum*; ubi Apostolus satis clarè agit de voluntate conferendi gratiam.

Secundò, ex ipso Augustino ad Simplicianum jam citando, ubi expresè sic explicat Apostolum ad Rom. 9. *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret. Propositum*, inquit, *justificationis*. Itaque eadem Dei voluntas præparativa gratiæ efficacis, quatenus est gratuita, & omninò libera, vocatur propositum. Quod significat Apostol. ad Ephes. 1. κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, *secundùm beneplacitum voluntatis ejus.* Quæ phrasis Apostoli, & August. apta erat ad significandum contra Pelagianos & Semipelagianos, vocationem & prædestinationem fieri gratis, ex Dei proposito, seu beneplacito, non ex meritis.

Adverte tamen prædestinationem, electionem, & propositum simpliciter sumpta modo loquendi August. atque etiam Apostoli ad Rom. 8. jam etiam recepto, extendere se ad omnia beneficia, & media gratiæ efficacis usque ad finem gloriæ. Quod item indicat Augustinus definitione explicatâ, & tantùm probatur ex cap. 7. de Correptione & gratiâ, & 8. de Bono perseverantię. Nusquam autem dicit, vel indicat Augustinus electionem, propositum, vel prædestinationem gloriæ immediatè; sed tantũ mediantibus beneficiis gratiæ Dei, adeoque meritis nostris. Quare miratus sæpè fui, tam multos contrariam sententiã Augustino tribuere, idque tam certò.

Pro-

273. Probatur deinde conclusio non tantùm ex principiis, sed expressis ejus verbis, ad Simplicianum qu. 2. *Non ergo secundùm electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio, id est, non quia invenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideò manet propositum justificationis ipsius: sed quia illud manet, ut justificet credentes, ideò invenit opera, quæ jam eligat ad regnum cælorum. Nam nisi esset electio, non essent electi, nec rectè diceretur: Quis accusabit adversus electos Dei? non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio. Nemo enim eligitur nisi jam distans ab eo qui rejicitur. Unde quod dictum est: Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video, quomodo sit dictum, nisi præscientiâ.* Quibus, quia agit de electione ad gloriam, non gratiam, clarissimè conformiter aliis Patribus docet, eam non fieri, nisi post inventa ac prævisa opera & justificationem, seu eorumdem præscientiam, rejicitque omnem aliam electionem: quare frustra aliqui eum explicant de aliâ electione intentionis. Neque umquam hæc retractavit, ut dicunt alii, sed confirmavit, citavitque nō uno sed quatuor locis, de Prædest. cap. 4. ubi addit se scripsisse illa jam Episcopum victrice Dei gratiâ, de Bono perseverantiæ, cap. 20. 21. & 2. Retract. cap. 1. Idem docet de Verbis Domini in Matth. serm. 7. absque controversiâ suo; ubi electionem ad gloriam dicit esse secundùm Dei gratiam, & electorum justitiam: quia videlicet hæc nititur operibus gratiæ. *Ego*, addit de Deo, *illos elegi, quia vidi mentes eorum de me præsumentes.*

274. Denique probatur conclusio ex D. Prospero & D. Fulgentio, atque adeò ipso August. quem magistrum illos constat exactè fuisse secutos. Prosper 2. de Vocatione Gētium præter alia: *Frustra dicitur, quòd ratio operandi non sit de electis, cùm etiam ad hoc operentur, ut electi sint*, scilicet ad gloriam. Ad objectiones Vincentianas resp. 12. *Quia præsciti sunt, casuri non sunt prædestinati: essent autem prædestinati, si essent reversuri.* Quibus docet Primò, reprobationis non tantùm positivæ, sed & negativæ, causam esse casum reproborum: quod repetit ad Capitula Gallorum resp. 7. & sententiâ 7. Secundò, posse nos efficere ut prædestinemur, scilicet ad gloriam. Fulgentius 1. de Prædest. ad Monimum cap. 22. ubi terminis Scholasticis docet, præparationem justificationis esse in Sanctis causam prædestinationis divinæ, scilicet ad gloriam. & cap. 24. *Ostensurus itaque Deus, quid reddendum præsciverit, & quid donandum; prædestinavit illos ad supplicium, quos à se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros: & prædestinavit ad regnum, quos præscivit misericordiæ prævenientis auxilio redituros.* Quæ planè significant reditum, seu bona opera esse causam prædestinationis, seu electionis ad

Probatur conclusio ex DD. Prospero & Fulgentio.

gloriam; sicuti discessus seu mala opera prædestinationis, seu reprobationis ad pœnam. Sufficient hæc, ni fallor, ad eximendum multis scrupulum, ne dissentiant ab Augustino, si nobiscum sentiant.

275. *Quæ incommoda sequatur, si prædestinatio fiat independenter à meritis.* Probatur Tertiò, conclusio ratione. Primò, quia eo ipso, quo aliqui ante prævisa merita prædestinati & electi sunt ad gloriam, reliqui omnes essent reprobati, non tantùm negativè, sed positivè ab eâ exclusi, saltem æquivalenter & interpretativè; quod & repugnat immensæ Dei caritati, nec consistit cum sincerâ ejus voluntate salvandi omnes.

Probatur illa sequela, quia Deus contrariâ sententiâ, ideò tot elegit ad tantam gloriam, ut compleret regnum Sanctorum secundùm eam mensuram & proportionem, quam mente concepit; adeò ut, si vel unus salvaretur præterea, illa turbaretur: quemadmodum si quis ad exstruendum certæ mensuræ palatium, seligeret certo numero & situ lapides: vel ad certæ magnitudinis mensam invitaret tantùm hospites, quot illa caperet, eo ipso cēseretur rejicere omnes reliquos, & lapides & hospites.

Unde sequeretur ulteriùs, primam causam, cur tam pauci salventur; esse non hominum fragilitatem & malitiam: sed prædestinationem Dei suâ sponte, (nullâ ab aliis datâ occasione) numerum salvandorum ad tam paucos restringentis. quod certè videtur incredibile.

Confirmatur Primò: quia Deus insuper vi suæ prædestinationis videtur debere non tantùm de industriâ seligere gratias congruas & efficaces electis; sed etiam congruas & inefficaces reprobis: ne videlicet salvi fiant, itaque numerum salvandorum à se prædestinatum excedant, ordinemque turbent. Aliàs cur nemo è tanto numero reproborum salvatur? Ita, si quis princeps donaret omnibus suis domesticis nummos aureos, reliquis omnibus argenteos, nemo dubitaret, quin seligeret, non tantùm illis aureos, sed his argenteos: aliàs cur nemo horum acciperet nisi argenteum? Juxta nostram sententiam in promptu est ratio; quia nemo est, vel agnoscitur reprobus à numero salvandorum discretus, nisi prævisâ ejus malitiâ, & finali impœnitentiâ, quâ ipse gratias inefficaces reddidit. 276.

Probatur Secundò: quia reprobi, etsi tantùm negativè, ne quidem videntur posse salvari, atque adeò nec habere liberum arbitrium; nec verè sufficiens ad salutem, quod dicebant Prædestinati, dicuntque nostri temporis hæretici. Quia non possunt salvari, nisi sint prædestinati, ut clarum est: atqui hoc non est in eorum potestate; quia independens ab omni eorum conatu ac merito, juxta contrariam sententiam: ergo nec illud.

Simi-

Similiter nec prædestinati videntur posse damnari, posito videlicet quòd tales sint: imò hoc implicat contradictionem ob efficaciam & infallibilitatem prædestinationis: atqui nec est in eorum potestate, quin prædestinati sint & maneant: ergo nec ut damnentur. Nostrâ sententiâ cessat hæc tota difficultas, certè gravissima, (quia de re tanti momenti:) quia cùm prædestinatio non fiat, nisi post prævisa merita usumque libertatis; quilibet nunc potest efficere, ne, vel ut sit prædestinatus; uti juxta dicta super. capite, ne, vel ut sit præscitus, quod significant Patres proximè citati. Quo item sensu bene potest explicari illud antiquorum Doctorum: *Si non es prædestinatus, fac ut prædestineris*: scilicet in priori naturæ, antequam sis prædestinatus: nam verè non minùs potes jam efficere, ut sis prædestinatus ab æterno, quàm si prædestinatio non tantùm naturâ, sed & tempore sequeretur usum libertatis tuæ, ideoque nunc inciperet: quia infinita & æterna Dei scientia, ac prædestinatio ad gloriam, quæ illi innititur, non magis afficit usum libertatis tuæ, quem natura sequitur, ac si non esset ab æterno. Quod solum posset sufficere ad eximendum scrupulum circa prædestinationē.

277. *Contraria sententia videtur extinguere* Probatur Tertiò: quia contraria sententia videtur exstinguere piam fidelium solicitudinem zelumque, faciendi bonis operibus certam suam salutem, ut monet D.Petrus. Secundò, augendi coronam, & proficiendi in spiritu. Tertiò, etiam convertendi animas. *curæ proficiendi, zeloq; animarum.* Nam si independenter ab operibus & curâ tuâ, certissima sit tua prædestinatio, adeoque salus; nullo tu opere, curâ, metuque facies illam certiorem: &, si etiam corona eodem modo ac decreto determinata sit, ut & sanctitas; frustra, imò contra Dei decretum ac providentiam videris laborare, ut utramque augeas. Præterea, si omni tuâ industriâ & labore non sis effecturus, ut unus salvetur, aliàs certissimè non salvandus, vi prædestinationis; vel ne unus damnetur, aliàs non damnandus, frustra videris zelosus, ut plures in cælum mittas, & ab inferno liberes. Nostra verò sententia aptissima est ad excitandum ejusmodi studium, zelumque, & excutiendam negligentiam ac torporem: quia Deus in nobis aliisque nullum terminum statuit rerum ejusmodi, nisi quem priùs nosipsi nostro fervore vel tepore. Quare semper ipse consulit, excitat, & hortatur ad perfectiora, & nos verè possumus restringere, vel ampliare terminum, v.g. obtinendo majorem coronam, quàm aliàs decernenda erat; plures mittendo in cælum, quàm aliàs ivissent, juxta communem Patrum ac fidelium sensum, dictumque Augustini ab omnibus receptum: *Si Stephanus non orasset,*

Ecclesia Paulum non habuisset.

278. Probatur Quartò, evertendo simul præcipuam ac ferè unicam rationem contrariæ sententiæ; ordinatè volens ac providens, qui non statuit dare finem seu præmium, nisi propter merita; nec decernit illum absolutè, & efficaciter finem, nisi post hæc prævisa: ut videre est in humanis, principe proponente certantibus præmium; patrefamilias conducente operarios, &c. atqui Deus non statuit dare finem seu præmium gloriæ, nisi propter merita, ut certum est Catholicis: ergo. Major non tantùm probatur ex majori convenientiâ, ut decretum dandi conformetur dationi; sed etiam ex naturâ & vi meriti, quæ in eo sita est, ut moraliter causet, non supponat decretum absolutum & efficax conferendi præmium, & hoc mediante collationem. Quare videtur implicare, velle dare prĕmium, non nisi propter merita; & illud velle dare efficaciter ante merita prævisa.

Si Deus det gloriā ob merita; illam non decernit absolutè nisi post hæc prævisa.

Dixi, *absolutum & efficax*, omnibus spectatis, etiam ex parte aliorum: quia Deus ante prævisa merita ex parte suâ efficaciter, atque etiam absolutè, vult omnes salvos fieri, & pervenire ad finem, ut jam dixi; conditionatè tamen ex parte nostrâ: atque illa voluntas & intentio sufficit, ut efficaciter quasi imperet, procuretque media gratiæ ad dictum finem. ceterùm contraria sententia videtur enervare vim meritorum, quæ in eo sita est iuxta sensum Christi fidelium, ut iis obtineatur aliquid novi, scilicet aliàs non obtinendum. Saltem hoc videtur exigere sincerus ac liberalis modus agendi nobiscum divinæ bonitatis. Aliàs quid ni possimus dici mereri uno actu intentionem dandi, secundo voluntatem exsequendi, tertio ipsam exsecutionem, & quarto etiam rei substantiam?

Ubi notanda differentia inter media finem moraliter & physicè causantia: hæc enim cùm causent finem immediatè, potest præcedere absoluta voluntas finis; secùs quàm causantia tantùm moraliter. Quæ etiam causa est, cur propter media causantia physicè, non dicatur decerni finis, v.g. sanitas propter medicamenta; propter media autem causantia moraliter dicatur decerni, v.g. gloria æterna propter merita, ut ex Scripturâ & Patribus certum est.

Differētia inter media physicè & moraliter causantia.

Quod attinet ad duplicem ordinem intentionis & exsecutionis, præcipuum refugium contrariæ sententiæ: Primò, ille nec huic materiæ bene applicatur, ut ex dictis constat, ac regulâ illâ primâ. Secundò, neque in aliis duplex constitui debet in voluntate ac mente ordinantis; sed unus, scilicet intentionis, consultationis, seu, ut loquitur Aristoteles, resolutionis in mente; alter exsecutionis, seu, ut loquitur

Ordo duplex intētionis & exsecutionis nō satisfacit.

quitur Aristoteles, generationis à parte rei extra mentem. quo sensu verissimum est, quod primum est in intentione, seu primò intenditur, v.g. sanitas, esse ultimum in exsecutione. Quare nova illa speculatio duplicis ordinis in mente divinâ, non tantùm Patribus, sed antiquis etiam Philosophis ac Theologis ignota, reddit magis suspectam contrariam sententiam; præterquam quòd arguat imperfectionem volitionum divinarum, quasi una non sufficeret circa idem objectum, præsertim efficax & absoluta.

279. Probatur ultimò: quia adversarii dum volunt ab hæresi Pelagianâ quàm longissimè recedere; nimis propè ad illam quoque videntur accedere; & dum gratiam omninò supra naturam extollere, cum hâc confundere. Nam putant Deum decrevisse electis gloriam non tantùm priùs, quàm gratiam; sed etiam priùs, vel saltem simul cum existentiâ & creatione, eo ipso simul præordinatâ ad gloriam absolutè intentam. Nam primò, intendit glorificare, & hoc ipso creare: quo modo preterquam quòd confundantur diversa instantia; ipsa natura, creatio & existentia, ut ipsi fatentur, fit effectus prædestinationis. Unde sequitur secundùm Augustinum esse gratiam: quia, ut constat etiam ex definitione prædestinationis, & docet expresè cap.10. de Prædest. nil aliud est effectus prædestinationis quàm gratia, & beneficia reipsâ donata; scilicet vi & causalitate prædestinationis, seu æternæ præparationis. Naturam autem esse gratiam, idem epist. 95. & 105. rejicit tamquam fallaciam Pelagii; & apertè falsum est, quia gratia debet esse supernaturalis.

Sententia contraria, dum vult recedere, accedere ad sententiam Pelagii videtur.

280. Ex dictis non est difficile respondere ad argumenta contrariæ sententiæ: nec tantùm ex ratione petita, sed Scripturâ & Patribus, nominatim Augustino.

Ex Scripturâ objici solent illa ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti*, &c. Ad Rom. 9. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, scilicet *cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali*. Actor. 13. *Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam*, quæ postrema etiam valdè contra nos urget Calvinus.

Ad quæ & similia Respondeo, eodem ferè modo juxta dicta: vel agi iis de electione ad gloriam post prævisa merita, etiam æternâ, (ut ferè Patres Augustino antiquiores) quo sensu necessariò intelligenda sunt illa ad Rom. 9. Si de gloriâ, aliàs cum hæreticis dicendum esset, etiam Esau odio habitum, ac positivè reprobatum ad pœnam ante prævisa merita. Vel agi de electione & prædestinatione ad fidem ac gratiam, quo modo ea explicat Augustinus conformiùs instituto suo, atque etiam

Loca Scripturæ opponi solita explicantur.

menti verbisque Scripturæ; præsertim ad Ephes. 1. de verbis ad Rom. 9. Addo Primò, illis agi de dilectione odioque circa bona & mala temporalia; nec tantùm de personis Iacob & Esau, sed & posteris Israelitis & Idumæis; ut constat Malachiæ 1. unde ea sumpta sunt, ac verbis proximè sequentibus: *Et posui montes ejus in solitudinem*, &c. Secundò, hâc allegoriâ Apostolum ostendere, etiam Christianos, etsi Gentiles, qui spiritualiter sunt posteri Iacob, secundùm fidem gratis fuisse justificatos; secùs quàm omnes non credentes, etsi Judæos, qui spiritualiter sunt posteri Esau. Similiter verisimilius est Actor. 13. agi de præordinatis, Græcè τεταγμένοις, id est, dispositis, scilicet tunc, per fidem ad gratiam, iisque mediantibus etiam præordinatis, seu præparatis ad vitam æternam.

281. Dices, Si ita se habet negotium prædestinationis, unusque eligatur ad gloriam propter bona opera, alter propter mala destinetur ad pœnam; frustra ad Rom. 11. exclamat admirabundus Apostolus, & cum eo Augustinus: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*, &c.

In quo D. Paulus miretur altitudinem scientiæ Dei.

Respondeo conformiter etiam dictis, non mirari Apostolum, cur unus eligatur ad gloriam, alter reprobetur ad pœnam; sed cur unus ad fidem, præ altero relicto in incredulitate; præsertim Gentiles præ Judæis, ut manifestum est ex discursu totius illius capitis. Quare retorqueo argumentum, quia juxta contrariam sententiam frustra hoc miratur & exclamat Apostolus, & toties cum illo Augustinus. Ratio enim clara est: quia unus præ altero fuit electus ad gloriam: quæ causa cùm cesset nostrâ sententiâ, arcanius & mirabilius manet illud mysterium, veraque causa.

Addo eâdem, imò majori ratione mirandum esse, cur unus fidelis & justus præ altero eligatur singulari beneficio ad gloriam; quasi virtualiter, id est, accipiat gratias congruas & efficaces, quibus scientiâ conditionatâ scitur perseveraturus. Quare August. cap. 8. de Bono perseverantiæ prius refert ad inscrutabilia Dei judicia, posterius ad inscrutabiliora.

Ex dictis hoc cap. collige, hanc sententiam non esse tantùm aptiorem ad excitandam voluntatem, pacandam conscientiam, & vitandos eâ de re scrupulos, sanè periculosos; sed conformiorem Scripturæ, Patribus, nominatim Augustino, & rationi; atque adeò probabiliorem, non tantùm practicè, sed & speculativè. 282.

Præterea collige, totum prædestinationis mysterium ordinemque redigi posse ad octo instantia, quorum singula minutiùs in plura dividi solent. Primò, decrevit ab æterno Deus condere hoc universum, & in eo hominem. Secundò, voluit 283.

Ordo decretorum Dei in prædestinatione.

voluit eum constituere in statu innocentiæ, ac justitiæ originalis, ideoque ad illam prædestinavit protoplastos: in quo statu si perseverassent, nemo non erat consecuturus finem creationis suæ, æternam gloriam. Tertiò, tam suavem providentiæ suæ cursum, tamque felicem humanæ naturæ statum, vidit eversum peccato originali, eoque ipso genus humanum aspersum, & quasi confusum massâ quadam perditionis; nisi scilicet singulari privilegio aliquem vel aliquam ab illâ diverteret, ut B. Virginem. Quartò, sic dilexit genus humanum, ut ad illud è tam misero statu redimendum prædestinaverit unigenitum suum, seu hujus incarnationem, passionem, mortem, needum tamen ejus circumstantias. Quintò, ejus meritis addixit omnibus auxilium sufficiens, quale peteretur status naturæ lapsæ. Sextò, propiùs inchoãs prædestinationem singulorum, simulque dispensans thesaurum meritorum Christi, unicuique præparavit auxilia sua, aliquibus efficacia, aliis tantùm sufficientia; singulari simul benevolentiâ, & inscrutabili judicio. Hinc licet etiam, missis aliis instantibus, præterquam primo, inchoare prædestinationem Angelorum, per similem gratiæ præparationem; etsi illâ non fuerint discreti è massâ perditionis, in quam non inciderant; iisdem conveniunt duo sequentia. Septimò, præscivit Deus, qui suâ gratiâ bene usuri essent, qui malè. Octavò igitur, benignissimus Pater, sed simul justissimus judex, hos reprobavit ad æternam pœnam, illos elegit ad æternam gloriam.

CAPVT XXI.

De scrupulis circa aliqua habentia speciem superstitionis, & apparitiones.

SVperstitio, de quâ D. Thomas 2.2.quæst.92. est vitium oppositum religioni per excessum; nec aliud quàm vitiosus cultus veri, vel falsi numinis. Quare D. Thom. art.2. ejus species assignat, indebitum veri Dei cultum juxta priorem partem definitionis; & idololatriam, divinationem, ac varia observationum genera (quò item reducitur magia) juxta posteriorem partem. Agunt de his fusè Lessius de Jure & justitia à cap. 43. Sanchez de Præcept. lib.2. à c.37. Hallus de Conscientiâ scrupulosâ lib.3.cap.35. ex Gersone variis locis, aliique. Ego tantùm annotabo aliqua, circa quæ solent esse frequentiores scrupuli. 284. *Quid superstitio?*

Primò, indebitus Dei cultus duplex est, superfluus, vel falsus. Ad superfluum cultum spectat omissio vel mutatio ceremoniarum, v.g. Missæ: ut si fiat crux, dicatur *Gloria*, aut *Credo*, vel addantur alia præter morem Ecclesiæ: ut si studiosè apponantur tot candelæ, non plures, istius *In superfluo cultu quando sit peccatũ?*

istius coloris, non alius. Hæc non solent esse, nisi venialia: quia non cedunt in gravem fidei injuriam & contemptum. Imò pia intentio potest ea excusare ab omni peccato, ut si quis apponat tot candelas in honorem tot Sanctorum suorum patronorum. Quâ ratione nulla hîc est superstitio, nisi putetur subesse illi numero aliud mysterium.

Quid falsus cultus Dei? semper est mortalis. Ad falsum spectant ceremoniæ nunc Judaicæ, falsa miracula, reliquiæ, vel falsi vel ficti Sancti; qualia proinde exponere colenda, ex genere suo est peccatum mortale; à quo non excusat ulla pia intentio, ex communi Doctorum sententiâ: sunt enim mendacia valdè perniciosa, & cedentia in gravem fidei injuriam & contemptum.

285. *Idololatria quid sit?* Secundò, idololatria, de quâ D. Thomas quæst. 94. nil aliud est, quàm, ut vox sonat, latria, id est, suprema adoratio & cultus, idoli, id est, rei cujuslibet, vel veræ, vel fictæ, tamquam Dei, quæ non est Deus. Quare cultus veri Dei, etsi superstitiosus, non est idololatria: ut satis clarum est contra nostri temporis hæreticos. Aliàs Judæi essent idololatræ. Ceterùm gravissimum omnium peccatorum est contra religionem, intrinsecè malum, nec ullo umquam casu aut causâ licitum.

286. *Quid divinatio?* Tertiò, divinatio, de quâ D. Thomas quæst. 95. est rerum occultarum, quarum notitia Deo propria est, prædictio per invocationem dæmonis. Hæc autem Primò, fit explicitè, ut per necromantiam, id est, suscitationem mortuorum; apparitionem ipsius dæmonis in figuris, vel assumptis corporibus; per exta animalium, elementa, aut somnia, per quæ videlicet quis intendat à dæmone doceri. *Explicita divinatio quando fiat?*

Adverte tamen, absque superstitione & scrupulo fidem aliquando haberi, scilicet probabilem, somniis, vel profectis à causis naturalibus, v. g. humoribus: quà ratione medici ex somniis colligunt corporis constitutionem, & humorem prædominantem; vel immissis à Deo Angelóve bono; cujus signum est secuta conscientiæ quies, & monitio seu excitatio ad bonum. Contrariis signis deprehenditur eorum auctor esse dæmon. *Divinatio per somnia quàdo licita?*

Unde sequitur, peccatum esse eâ expresse intentione se ad somnum componere, ut somniis revelentur occulta: nam ita velles doceri à dæmone vel explicitè, vel saltem implicitè.

Secundò, fit invocatio dæmonis implicitè, idque per signa vana, etsi quis expresse eam non intendat, imò expresse intendat contrarium; si videlicet nihilominus iis fides adhibeatur, quibus nulla potest inesse vis, nisi ope dæmonis. Ita divinat, qui conjicit aut vult scire verum per taxillos, aleas, cantus aut garritus avium, astra, lineamenta 287. *Quæ divinatio implicita?*

menta manuum, occursum funeris, sternutationem, sortes, aut similia.

288. *Divinatio, ut sit mala, plus debet indicare, quàm possit naturaliter.*

Advertte Primò, ad divinationem necessarium esse, ut certius vel plus ex his signis colligatur, quàm naturaliter significatur: nam non est omninò illicita astrologia naturalis, quâ non prædicuntur futura contingentia, sed naturales inclinationes. Quamquam etiam circa has illa est valdè fallax; non tantùm, quia difficile scitu est præcisè punctum cæli, cui nativitas respondet; sed quia inclinationes concursu aliarum causarum impediuntur. Simili ratione non est omninò illicita nobis chiromantia, pars physiognomiæ, nisi ex illâ prædicantur non tantùm inclinationes, sed eventus liberi, matrimonium, paupertas, vel divitiæ. Quare peccant, qui præbent manus inspiciendas, ut præsciant bonam vel malam fortunam suam, idque mortaliter, si fides illis adhibeatur; si tantùm curiositatis alicujus, ut fieri solet, vel joci causâ, tantùm peccant venialiter.

289. *Quæ sor-[illegible]*

Advertte Secundò, sortes esse, vel divisorias, ad rem controversam inter plures dividendam; vel consultorias, ad inquirẽdum consilium divinum in re dubiâ; vel divinatorias, ad cognoscenda occulta. Primæ de se sunt licitæ, si consentiant partes, ut controversia forte transigatur, absque alio mysterio, eadem ratione, quâ licitus est contractus sortium. Secundæ item licitæ aliquo casu, quo non suppeteret humanum consilium: quod certius est, si accedat divina aliqua conspiratio, ut contigit in electione Saulis, & Matthiæ. Tertiæ sunt omnino illicitæ, quare prohibitæ cap. 1. de sortilegiis, & alibi.

290. *Divinatio per dæmonem mortalis est, etiam implicita.*

Advertte Tertiò, divinationem etiam per implicitam dæmonis invocationem esse peccatum ex genere suo mortale; nec excusare materiæ parvitatem, si seriò fiat: quia seriò invocare dæmonem, apparet per se valdè grave: cui tamen non obstat, quòd, non ob parvitatem materiæ, sed imperfectionem actûs, peccatum veniale sit timere ne eveniat, quod, v.g. quis somniavit; seu fidem adhibere tenuem ac dubiam ejusmodi signis, ut bene Sanchez lib. 2. cap. 40. num. 15. Bonacina tom. 2. disp. 3. quæst. 5. puncto 3. num. 18. Eadem est ratio de vanâ observatione jam explicandâ. Certum præterea est, in omnibus ejusmodi sæpè à peccato excusare simplicitatem, & ignorantiam invincibilem.

291. *Quid observatio vana?*

Quartò, vana observatio, de quâ D. Thomas quæst. 96. est abusus rei ad finem, ad quem nec à Deo, nec naturâ vim habet. Sub abusu comprehendo conjecturam è re desumptam.

Triplex est. Prima, ars notoria.

Est autem triplex. Primò, ars notoria, quæ est conatus & credulitas obtinendi scientias infusas per me-

media inania, v.g. certas preces, jejunia, inspectiones figurarum, vel prolationes verborum.

Secunda, observãtia eventuum. Secundò, observantia evẽtuum, quæ est conjectura eventuum futurorum è re quâpiam: v.g. die Lunæ occursu leporis, aut funeris.

Tertia, observãtia sanitatum. Tertiò, observatio sanitatũ, quâ adhibentur aliqua media, signa, verba, res naturales, aut ceremoniæ ad obtinendam sanitatem, curationem morborum, vel depellenda alia pericula. Huc spectant projectio imaginis in flumen, ut pluat: obligatio vel applicatio medicamenti facta ensi, ligno, aliísve instrumento, ut curetur absens: conatus concludendi dæmonem certo annulo aut vase, scilicet ut in promptu sit ejus auxilium: Alta, ut vocant, nomina vel characteres, quibus munitus quis confidit se non occidendum aut vulnerandum. Item reliquiæ, imagines, signa crucis, preces, quibus certò cõfidat se sanandum, & evitaturum periculum; idque quamvis adjungantur medicinis habentibus quidem aliquam, sed incertam vim curandi. Magis apparebit in ejusmodi superstitio, si fiat vis in certo numero aut quantitate precum, signorum crucis, aut candelarum, quasi aliàs non prodessent.

292. *Non differt multũ à tentatione Dei.* Non videtur hæc superstitio multùm differre à tentatione Dei, de quâ D. Thomas quæst. 97. estque dictum vel factum, quo absque sufficienti causâ sumitur experimentum alicujus ex attributis Dei, v.g. bonitatis aut providentiæ: si in testimonium innocentiæ tuæ in ignẽ te conjicias; aut fretus auxilio Dei velis jejunare totâ Quadragesimâ abstinendo ab omni cibo potuque; vel alium provoces ad duellum more olim usitato, sed prohibito c. 1. & 2. de purgatione vulgari, quo adfertur exemplum falsò accusati furti, qui duello, quo se purgare voluerat, occisus est; quamvis sæpiùs Deus miraculo legatur favisse innocentiæ & simplicitati, teste Delrio lib. 4. de Magiâ cap. 4. Eâdem ratione susceptum duellum prohibetur can. *Monomachiam*, 2. quæst. 4. ubi additur ratio, quòd hoc sit tentare Deum; & deinde omne duellum à Trid. sess. 25. cap. 15. variisque Pontificibus sub gravissimis pœnis. Verùm etsi in actu exteriori vix sæpè differant Dei tentatio, & observatio, multùm differunt internâ hominis constitutione, & intentione: nam observatio, ut divinatio, supponit pactum cum dæmone, saltem implicitũ, virtute cujus absolutè putatur effectus secuturus, in quo sita est ejus malitia. At verò tentatio Dei nititur auxilio solius Dei, quo non putatur absolutè, sed speratur, etsi temerè, effectus secuturus; atque in eo sita est ejus malitia, quòd nimis leviter & familiariter cum Deo agatur, sperando extraordinarium ab eo auxilium, cùm oporteret uti auxiliis ordinariis, qui est defe-

defectus reverentiæ erga Deum. Quare à D.Thomâ accensetur defectibus contra religionem per defectum.

293. Adverte tamen Primò, aliquando in ejusmodi cessare peccatum, ac periculum tentationis, observationis, vel etiam divinationis, fide ac dono miraculorum, & peculiari Dei revelatione ac instinctu, quo constat Sanctos fuisse impulsos ad facienda admiranda, sed nobis non imitanda.

Signa quædã observationis nõ superstitiosa.

Adverte Secundò, absque notâ superstitionis signa aliqua observationis relata, etiam certo numero, adhiberi posse, cum spe non quidem certâ, sed probabili, finem iis intentum obtinendi, non à dæmone, sed à Deo ac Sanctis. Ita non est dubium, quin licitum & pium sit gestare collo appensas reliquias, & recitare quovis fine quinquies *Pater* & *Ave* in honorem quinque vulnerum Christi; servare octavam, vel etiam novenam, potiùs quàm septenam, v. g. in honorem novem chororum Angelicorum, similive motivo: celebrare item triginta Sacra, quæ dicuntur S. Gregorii, eò quòd hic tot diebus curarit orari pro defunctis. Simili ratione nulli superstitionis periculo obnoxium est, aliquam specialem gratiam spiritualem, vel corporalem, ab uno potiùs Sancto petere & sperare, quàm alio; & ab eodem, v.g. B. Virgine, uno potiùs loco, ut Sichemii, quàm alio, ut bene Hallus citat. ex Gersone, imò & Augustino epist. 137. ad Clerum & plebem Hipponensem, cujus verba sunt: *Ubique quidem Deus est, verumtamen ad ista, quæ visibiliter nota sunt, quis potest ejus consilium perscrutari, quare in aliis hæc miracula fiant, in aliis non fiant?* Probat id certis miraculis factis Nolæ potiùs & Mediolani, quàm alibi: planè secũdùm communem Christi fidelium sensum & praxin.

Ex dictis etiam collige, non esse omninò illicitam & improbandam piorum ac simplicium consuetudinem, colligendi herbas festo S. Joannis Baptistæ; eodem vel alio festo secandi jumentis venam; eadem jumenta novies circumducendi circum templum S. Antonii; ex primâ pecuniâ oblatâ crucifixo in die parasceues comparandi annulum ad sanandum contractionem nervorum, aliúmve morbum. Quæ & similia superstitiosa essent, si tribueretur vis causis illis naturalibus; non tamen, si supernaturalibus, meritis ac precibus Sanctorum; aut si fiant in honorem Dei, ut communiter Doctores. Qui tamen prudenter monent, ejusmodi consuetudines abrogandas esse, si facilè abrogari possint, eò quòd sapiant superstitionem; si non possint, non esse damnandas, sed simplices docendos, ut ea faciant bonâ intentione. 294.

Quintò, magia superstitiosa est operatio mirabilium, auxilio dæmonis, 295.

Magia quid sit?

monis, scilicet per signa ab eodem instituta, ideoque efficacia; ut magia naturalis, quæ vitium non est, etsi sæpè suspecta, per causas virtutesque naturales & occultas.

Licet tollere signũ maleficii. Tria circa illa notanda: Primò, etsi intrinsecè illicitum sit novo maleficio destruere maleficium, illúdve petere; non esse tamen illicitum, imò necessarium, destruere signum maleficii, v.g. sublatione nodorum, aliorúmve ligaminum, ut bene ostendit Lessius cap. 44. dubit. 6. aliique communiter. Ratio est, quia, etsi, ut omnis dæmonis invocatio intrinsecè illicita est, ita omne maleficium illam necessariò includens; destructio tamen signi non est novum maleficium, imò maleficii & invocationis, pactique cum dæmone rescissio. Suppono enim, ut cesset nocumentum è maleficio secutum, non esse opus novo favore aut actione dæmonis, sed tantùm cessatione nocendi.

In apparitionibus corporum cõmuniter dæmones, non homines apparent. Secundò, notandum, magos aut dæmones, etsi possint tantùm torquere animas à corporibus separatas ac damnatas, non autem corporibus restituere, aut mortuos ab inferis resuscitare; posse tamen ipsos dæmones corpora sibi formare & assumere, atque in illis apparere. Quare spectra illa quæ ad invocationem magorum apparent, dæmones sunt, non homines quos repræsentant.

296. *Aliquãdo Dei permissu redeunt ipsæ animæ.* Tertiò, sæpiùs tamen permissu ac dispositione non dæmonis, sed Dei, redire spiritus seu animas defunctorum, idque figurâ assumpti corporis. Quo item modo Sauli apparuit Samuel 1. Reg. 28. Dei non dæmonis potentiâ. Varia autem indicia, quibus apparitio hæc spirituum dignosci possit, affert Lessius dubit. 3. num. 25. *Signa quibus apparitiones hæ discernendæ.* Præcipuum est causa apparitionis, & apparentium petitio: si enim bono aliquo fine petant bona opera, nullis superstitionibus mixta; non est facilè credendum id fieri agente diabolo.

Quare rectè monent Gerson, & Hallus; si v.g. parens defunctus appareat filio, petens tot & tales Missas, eleëmosynas, aut peregrinationes, expedire ea curentur; non quidem firmâ & pertinaci credulitate, quòd necessaria sint; sed probabili spe, quòd sint profutura.

297. *Signa ad discernendas apparitiones Christi & Sanctorũ, ac dæmonis.* Ex quibus etiam collige Primò, iisdem ferè signis & eâdem circumspectione dignoscendos & colendos Sanctos, ipsumq; Christum subinde apparentem; qui illo insuper signo discernẽdi sunt, juxta regulas S. Patris Nostri, ad pleniorem spirituum discretionem, si leniter, placidè atque suaviter, sicut aquæ stilla in spongiam illabens, animam piam, sibique conformem afficiant, eamque relinquant quietam & promptam ad exercitia virtutum. Contrà verò malus spiritus duriter, implacidè & violenter eamdem solet afficere, sicut imber

imber decidens in petram; saltem in fine, eamque relinquere turbatam, & pigram ad bona opera, itaque prodi serpentinâ suâ caudâ. Aliâ ratione, imò ferè contrariâ, ab utroque spiritu bono & malo, solet affici anima peccatrix, præsertim initio.

298. *In apparitionibus Christus & ipsi Sancti, nō Angelorum loco cōparent.*

Collige Secundò, dum sic Sancti vel Christus apparent, ipsos apparere, non aliquem spiritum Angelúmve eorum loco. Ita cum Lessio cit. supponunt ipsum Samuelem apparuisse, qui putant id factum operâ Dei: quod multò conformius est Scripturæ, tum loco citato, tum Ecclesiastici 45. quo dicitur Samuel jam mortuus prophetasse. Idem de ipso Christo apparente Paulo docet D. Thomas 3. p. quæst. 57. art. 6. ad 3. satisque indicat ipse Apostolus 1. Corint. 15. dicens eum sibi visum: quod explicat Ananias Act. 9. verbo *Apparuit*, scilicet ipse Christus. Imò ne hoc negaret D. Thomas, concessit Christum tantisper reliquisse cælum, quod tamen non fuit necessarium, ut dicam postea. Unde à pari idem dicendum de eodem apparente Petro etiam post ascensionem, quando illi fugienti occurrit, dixitque se iterum Romam tendere, ut crucifigeretur. Quare immeritò Tyræus, etsi concedat ipsum Christum apparuisse Paulo, negat Petro, de quo idipsum iis verbis testantur Ambrosius epist. 32. contra Auxentium, Gregorius in 4. Psal. pœnitent. Egesippus, Abdias, aliique juxta sensum fidelium ac traditionem. Stephano etiam Christum apparuisse, ac visum fuisse ipse testatur Actor. 7. estque communis sensus Patrum & Interpretum, qui hoc supponunt, tantumque disputant, quâ ratione ipse Christus ab oculo Stephani videri potuerit, etsi hoc etiam neget Tyræus. Preterea D. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 16. de Tarsillâ: *Ipse*, inquit, *apparere solet auctor & retributor vitæ*. Et hom. 39. super Euang. ac ex ipso Baronius, testatur Martyrium Monachum sub specie miserandi lepresi Christum humeris gestasse, nec onus sensisse; additque rationem: *Quomodo enim pondus sentire poterat, qui portantem portabat?* Imò Guitmundus è Monacho Benedictino Archiepiscopus libr. 2. de Sacramento sub initium, hinc probat Christum realiter esse sub specie corrupti seu alterati panis: *Sicut Martyrio deformi*, inquit, *horrendâq; specie apparuit*. Ipsi quoque Gregorio Christum sic apparuisse, exceptum fuisse hospitio & mensâ, narrat in ejus Vitâ Joannes Diaconus.

Ex quibus apparet, idem dicendum esse de apparitione tum ipsius Christi factâ aliis Sanctis, tum aliorum Sanctorum, B. Virginis, D. Joannis Baptistæ, aliorumque factâ diversis. Aliàs non videntur ejusmodi apparitiones salvari posse absque fictione & dece- 299.

 ptione

ptione eorum quibus fiunt, quos satis certum est eos adorasse, coluisse, atque egisse tamquam cum ipsismet. Ita deciperetur, qui putans ipsum se principem alloqui, ageret cum ejus legato. Eademque est ratio de animabus defunctis; alioquin falsum est redire spiritus. Ea tantùm est differentia inter Christum, B. Virginem, & alios necdum gloriosos corpore; quòd hi, ut Samuel, ex vicino aëre sibi forment assumantque corpus, Christus autem & B. Virgo appareant suo naturali corpore.

Confirmatur: quia conformiter dictis lib. 5. cap. 2. concl. 2. saltem indignum est Deo & Sanctis præbere particularem occasionem errandi, imò & moralis superstitionis, cultusque indebiti; idque illis, quibus apparent, ut illuminentur, & singulariter glorificentur.

300. Dices, Deus in antiquo testamento non decepit Moysen, cui tamen constat ex Scripturâ sæpissimè apparuisse, & locutum fuisse per Angelum; ergo nec jam Christus decipit eos, quibus similiter apparet, & loquitur.

Respondeo, negando consequentiam: tum quia juxta dicenda cap. ult. concl. 1. clarum fuit Moysi aliisque, Deum immensum omninoque spiritualem non fuisse id quod cernebatur & percipiebatur, tamquam affectum corporeis illis accidentibus: alia omninò est ratio de Christo & Sanctis, qui & significantur connaturalibus sibi accidentibus, cùm apparent non tantùm præsentes, sed hoc ipsum esse quod apparet, quod nemo dixerit de Deo. Tum quia Deus ubique & in omnibus præsens, etiam in specie illâ Moysi objectâ coràm conveniri & adorari potuit, secùs quàm Christus & Sancti longissimè dissiti ab iis, quibus apparent, nisi ipsimet appareant.

Denique ex dictis sequitur, cùm prudenter vera ac divina creditur apparitio, absque scrupulo & superstitione adorari & coli præsentes, cultu videlicet singulis convenienti, Christum λατρείᾳ, B. Virginem ὑπερδουλίᾳ, alios Sanctos δουλίᾳ. quod falsum est in contrariâ sententiâ, quamvis juxta regulam jam indicandam spectet ad excitandam pietatem, & dignitatem revelationum & apparitionum. Hæc obiter de apparitionibus dicta sunt, quia connexa antè dictis hoc cap. & dicendis capite ult. 301.

Adverte præterea, absque scrupulo & superstitione à fidelibus coli Sanctos, id est cælesti gloriâ donatos, privato quidem cultu quoslibet, qui prudenter tales creduntur; publico, non nisi beatificatos, vel canonizatos, aut diplomate, ut nunc fit, Pontificio, aut consensu, ut olim, Ecclesiæ: quales item censentur quotquot recensentur Martyrologio Romano, ut bene notavit Granadus controversiâ 1. de fide disp. 3. sect. 3. nu. 14. 302. *Qui Sancti & quo cultu colendi.*

sci-

ſcilicet in ordine ad cultum peculiarem canonizatis, erectionem in eorum honorem altarium,& oblationem ſacrificiorum. Sancti item vel Beati cenſentur conſenſu Eccleſiæ,tacitè conſentiente Pontifice,qui jam olim tales habiti & culti ſunt, ſcientiâ ac tolerantiâ Sedis Apoſtolicæ,vel Ordinarii;quorum cultui nil detractum voluit decretum Cardinalium congregationis S. Inquiſitionis anno 1625. Ejuſmodi etiam noſtro Belgio ſunt Pipinus dictus Landenſis, ſeu ſenior, cui poſt Deum Brabantia videtur debere ſuam converſionem ad fidem factam ſæculo poſt Chriſtum ſexcenteſimo. Iduberga, ſive Itta, ejus uxor; Begga eorum filia, ſoror S. Gertrudis: Carolus Bonus Comes Flandriæ, Liduina, Gertrudis ab Ooſten, aliique, de quorum ſanctitate ſatis conſtat antiquâ traditione, ſcriptiſque olim hiſtoriis ac vitis. Nimis certè ſcrupuloſi vel negligentes videmur Belgæ in cultu noſtratium Sanctorum,qui non eſt illis indebitus,ſed debitus.Quare non eſt ſuperſtitio per exceſſum illos colere, ſed quædam irreligioſitas per defectum non colere.

Notanda hîc etiam eſt, & practicè ſervanda, regula conformis octavæ cap.12.deſumptæ ex Driedone & Auguſtino: ut ſcilicet quæ conſuetudine alióve probabili fundamento nituntur, & conducunt ad excitandam pietatem ac devotionem fidelium, non improbentur & negligantur, ſed laudentur & exerceantur.Ejus quoque generis videtur quæſtio à viris doctis nuper mota, an S.Begga ſit fundatrix Beginarum. Opinio affirmans ſaltem eſt probabilis, & haud dubiè aptior ad excitandam devotionem, præſertim Beginarum, non colentium aliam fundatricem aut fundatorem: ergo præ contrariâ laudanda eſt, & practicè tenenda; cùm præſertim non tantùm ſit probabilis, ſed omninò probabilior, ut oſtendit V. D. Ioſephus Geldolphus à Riickel, Abbas S. Gertrudis, in annotationibus ad Vitam S. Beggæ, & apud illum Clariſſimus Puteanus in appendice §. 45.

CAPUT XXII.

De ſcrupulis circa veritatem ſanguinis Chriſti relicti in terris è ſacroſanctâ Paſſione.

POteram hîc, & ferè ſtatueram 303.
ponere calamum, & imponere finem operi; quòd ſatis videatur diſputatum de ſcrupulis, ſatiſque remediorum pręcipuis adhibitum: ſingulis enim ſingularia remedia applicari non poſſunt, niſi tota hîc explicetur Theologia. Verùm illud meditanti unus occurrit hactenus intactus de veritate cultuque ſanguinis Chriſti relicti in terris è ſacratiſſimâ Paſſione, vel Sacramento. Quem ne tacitus abſque remedio

dio prætermittam, tacitè me monere, suoque jure exigere videtur, tum civitas Brugensis, ut multis aliis, ita hoc etiam nomine dignissima, quòd longè divinissimo thesauro pretiosissimi sanguinis è Passione à Christo relicti ditata sit, ubi ultimam huic operi manum admoveo: tum etiam Boxtella, patria mea, singulari item Dei favore dotata, ac celebrata eximiis reliquiis Christi sanguinis, sed relicti è Sacramento.

Quibus addo nobilissimas Belgii civitates Bruxellam, Lovanium, Antverpiam, Gandavum, quibus etiam sacratissimus Christi sanguis, imò & caro, vel olim cultus fuit, vel etiamnum colitur, ut jam paucis referam. Nescio quid divini favoris ac privilegii, præ reliquis provinciis, hoc in genere consecutæ sint nostra Brabantia ac Flandria.

304. *Sanguis Christi à quo, & quando Brugas delatus.*

Primò igitur, Comes Flandriæ Theodoricus Elsatius anno 1148. Brugas, jam tum celeberrimam urbem, Hierosolymis detulit, donavitque notabilem partem sacrosancti cruoris Christi, (sibi donati à Rege Hierosolymitano Balduino, Antistitis & principum consensu, ob res fortiter & feliciter gestas) & abstersi è cruento Christi corpore, cùm de cruce fuit depositum, ut testantur Meyerus in Annalibus Flandriæ lib. 5. Molanus de Natalibus Sanctorum Belgii, pluresque alii, & constat ex monumentis ac traditione ecclesiæ S. Basilii, quam dictus Comes securissimo urbis loco exstruxit, tamquam asylum tanto thesauro. Etjamnum is visitur rutilo & vivido sanguinis, etsi condensati, colore, & laudabili ac constanti à Brugensibus pietate colitur; præsertim 3. Maii, festo inventionis S. Crucis, Brugis dicto *Sacrosancti sanguinis*, quo circumfertur solemnissimâ processione, ut tantæ populi pietati satisfiat. Ostenditur singulis diebus Veneris, quibus solet ebullire, quod testatur ipse Pontifex Clemens V. bulla infrà citandâ, quâ illum ejusque cultum approbat; etsi cessarit ab anno 1309. occulto Dei judicio. Taceo plurima miracula, & concursum exterorum Prælatorum & principum ad illum venerandum.

Secundò, anno 1380. Boxtellæ, per negligentiam cujusdam Sacerdotis Missam celebrantis in Collegiatâ D. Petri ecclesiâ, sanguis Christi, qui de vino albo fuerat consecratus, in colore rubeo, & formâ ac apparentiâ veri sanguinis super corporali effusus fuit, ac apparuit evidenter, prout etiam testes super hoc debitè examinati sunt confessi. Quæ sunt ipsa verba Pilei Cardinalis S. Praxedis, auctoritate Apostolicâ cultum & ostensionem dicti corporalis, *Sanguine*, inquit, *Christi rubricati*, approbantis. Iisdem ferè verbis earumdem reliquiarum cultum confirmavit Geor-

305. *Sanguis è Ss. Sacramento Boxtellæ asservatus.*

Georgius ab Austriâ, Episcopus Leodiensis, cujus Diœceseos fuit Boxtella. Ubi tam sacræ reliquiæ vicinis provinciis celebres, dictæ vulgò, *sacer sanguis*, ostendi solent, & circumferri solenni processione, summo hominum è variis provinciis concursu, Dominicâ Sanctissimæ Trinitatis: quâ item publicè narrari & proponi solent miracula plurima, & maxima, quæ quotannis contigerunt. De iis Augustinus Wichmans in Brabantiâ Marianâ lib. 3. cap. 21. in fine: *Permanent enim in hodiernum usque diem Dominici sanguinis notæ: quæ tantâ in veneratione etiam à remotissimis populis sunt habitæ, ut ausim dicere, vix ullum alium locum totam per Campaniam, nedum Brabantiam, religiosâ peregrinorum visitatione, (festo maximè Sanctissimæ Trinitatis) magis solitum frequentari, idq; ob miracula quæ infinita ibidem noscuntur patrata.*

306. *Historia Sacramēti miraculosi Bruxellis.* Tertiò, Bruxellis anno 1369. ipso die parasceues, cùm Judæi indignè tractarent sacras hostias furtim sublatas, imò & cultris ac pugionibus confoderent, effluxit ex illis copiosus sanguis, ob quod crimen sacrilegi vivi combusti sunt à Wenceslao Brabantiæ Duce, omnesque Judæi è Brabantiâ expulsi. Quæ testantur Matth. Prior Augustin. Rosvveydus illum citans, aliique ex Archivis Belgii. Hostiæ solenniter relatæ sunt ad templum S. Gudilæ, quo tres etiamnum servantur, & coluntur suo adhuc colore ac specie; adeò ut meritò credatur sub iis manere Christus sacramentaliter, etsi jam nullum in iis appareat vestigium sanguinis: de quo, ut & Gandensi, de quo jam dicam, quid sentiendum, infrà num. 363. indicabo. Circumferuntur valdè solenni processione Dominicâ ante festum Magdalenæ, dictæ vulgò *Sacramentum miraculorum.*

Quartò, anno 1374. Middelburgi Zelandiæ, quidam indignè 307. *Hostia sacra Middelburgi cōversa in carnem.* percepturus sacram hostiam, sensit eam mutatam in carnem: quam cùm vellet mandere, expressit tres guttas sanguinis; novo miraculo orbatus oculis, donec deinde conversus eosdem recepit cum Sacratissimo Sacramento. Sacerdos advertens prius miraculum conversam hostiam ex ejus ore deposuit in calicem, ac deinde detulit Coloniam ad Archiepiscopum, cui tunc suberat Middelburgum. Unde media ejus pars miraculosè item divisa cum unâ guttâ sanguinis, (quæ hodieque servatur & visitur vivido colore) lata est Lovanium ad templum PP. Augustinianorum, ut testantur auctores & Archiva jam citata, & Erardus Wiinheym in Sacrario Agrippinę ante medium, qui addit novum miraculum, referendum in fine libri. Ibidem hactenus colitur solenni etiam processione primâ Dominicâ post Octavam Sacratissimi Sacramenti.

308. *Sacrū Domini præputium Antverpiam delatum.* Quintò, narrat Rosvveydus in historia Belgicâ ex Belgii Archivis & Chronico Brabantiæ ad annum 1114. paulò post mortem Godefridi Buillonii I. Regis Hierosolymitani, ejus Sacellanum Antverpiensem, Antverpiam templo B. Virginis misisse sacrosanctum Domini præputium. Ex quo, spectante Archiepiscopo Cameracensi, fluxere tres guttæ sanguinis, quo miraculo exemptus fuit illi scrupulus ac dubium de veritate tantarum reliquiarum.

309. *Gandavi V. Sacramentum sanguinolentum apparuit.* Sextò, Gandavi anno 1354. ut refert ad illum annum Rosvveydus post alios, cùm è templo Patrum Augustinianorum ciborium abstulissent fures, & Sacrosanctam hostiam terræ infodissent; illam imò & terram sanguinolentam deprehendit opilio; quinimò ante hunc venerabundę novo miraculo oves. Solenni illa processione ad templum relata est, & loco, quo miraculum contigerat, ædificatum sacellum, quod hodieque *sacri sanguinis* appellatur, variis miraculis ornatum ac depictum. In ejusdem honorem instituta est, quæ hactenus apud dictos Patres viget Sodalitas, & Dominicâ infra Octavam Sacratiss. Sacramenti quotannis fit solennis processio.

Circa Hallas sanguis ex sacrâ hostiâ defluxit. Septimò, in Hannoniâ, loco dicto Sylva-Isaci, non procul ab Hallis, sacerdos inter sacrificandum advertit è particulâ hostiæ in substratum corporale fluentem sanguinem: quod miraculum & veritatem, cultumque etiamnum durantem dicti sanguinis, præmisso examine probavit Petrus de Aliaco Doctor, Cardinalis & Episcopus Cameracensis, auctoritate Apostolicâ. imò & miraculis Deus ipse puniens eos, qui negabant illum coli debere, vel esse verum Christi sanguinem; ut ex manuscriptis Rubeæ Vallis testatur Rosvveydus cit. ad annum 1405. Augustinus Wichmans citatus c. 48. (qui ex Auberto Miræo in Fast. Belgic. 8. Septembris addit alia hujusmodi corporalia Christi sanguine delibuta asservari magnâ religione Darocæ in Arragoniâ) & relatio dicti miraculi impressa Montibus Hannoniæ, anno 1628. ex Archivis monasterii Sylvæ-Isaci, in quo dictas reliquias etiamnum religiosè asservant Canonici Regulares S. Augustini.

310. *Circa Osnaburgum ad Rollēse monasteriū miraculosa caro & sāguis ex hostiis apparuit.* Octavò, non procul à Belgio nostro è monasterio ac templo Rollensi, distante sesquihorâ Osnaburgo, ante annos circiter trecentos fur, præter alia, abstulit pyxidem sacram cum hostiis: quas, ubi deprehendit, urgente conscienciâ projecit in vicinum templo dumetū. Proximo festo rustici euntes ad templum vident in eo ardentia duo lumina, imò propè etiam ipsam pyxidem tribus culmis gramineis, sive frumētariis, insistentem. miraculo indicato Monialibus, ac deinde clero, hic instituit processionem,

ſionem, quâ illam referat ad templum: ſed apertâ pyxide apparent in eâ quinque boli carnis ſanguini innatantes. Concilio habito ſtatuitur, ut pientiſſimus ſacerdos Sacrum faciat, dictaſque hoſtias ad priſtinam formam reverſas, quod ut fieret interim orabatur, ritè ſumeret. Sumpſit, ſed ſimul viatici loco, tertio pòſt die defunctus. Servantur etiamnum ibidem corporalia ſanguine tincta cum pyxide, & coluntur maximâ hominum etjam hæreticorum & miraculorum frequentiâ. Illud ſingulare eſt, quòd feſto SS. Philippi & Iacobi, annuâ proceſſione & ingenti multitudine conculcatum frumentum mox reſurgat fertilius, ideoque optent ruſtici ſuum conculcari. Ita Coloniâ mihi ſcripſit è Societate noſtrâ Sacerdos, & ipſe miraculosè ſanatus voto viſitandi dictas reliquias, addens ſe illa habere ex antiquiſſimis tabulis ſæpiùs à ſe lectis. Confirmantur eadē à famâ publicâ, etiam per Belgium.

Ex dictis ſatis conſtat, non inutilem nec importunam fore noſtro Belgio diſputationem, non de nomine aut lanâ caprinâ; ſed vero Chriſti ſanguine: quâ remedium adhibeatur non infrequenti, locis præſertim nominatis, ſcrupulo, an extra Sacratiſſimum Sacramentum ſervetur in terris, colique debeat verus Chriſti ſanguis, quòd conſtat plures ab ejus cultu deterreri, vel ſaltem turbari. Eademque eſt ratio de nobiliſſimis aliis Europæ, imò mundi civitatibus, Româ, Pariſiis, Venetiis, Treviris, Mantuâ, aliiſque, ut jam dicam. Neque tantùm Belgii, ſed totius mundi intereſt, ſervetúrne in mundo diviniſſimum illud mundi pretium. Quia verò dubium eſt de ſanguine Chriſti in terris relicto è ſacroſanctis, tum paſſione, tum Sacramento, ut ex dictis conſtat, atque illæ quæſtiones connexæ ſint; priùs agam de relicto è paſſione, de quo videtur res certior, deinde de relicto è Sacramento.

Sententiæ de ſanguine Chriſti in terris è paſſione relicto.

De ſanguine relicto è paſſione quatuor ſunt ſententiæ

Prima: Chriſtum reſurgentem omnem ſanguinem paſſione fuſum reſumpſiſſe, nec quidquam nobis reliquiſſe. Ita videtur ſentire ipſe D. Thomas 3. p. quęſt. 54. art. 2. ad 3. & quodlib. 5. art. 5. quem eo ſenſu ſequuntur antiquiores Thomiſtæ, & è recentioribus Suarez in 3. p. tom. 2. diſp. 47. ſect. 3. etſi ſub finem putet probabile unam vel aliam guttam nobis relictam.

Secunda huic oppoſita eſt, Chriſtum non reſumpſiſſe omnem ſanguinem, ſed aliquantum in terris reliquiſſe. Ita Vaſquez in 3. p. tom. 1. diſp. 36. cap. 8. aliique: Suarez diſp. 47. ſect. 3. ſaltem id minùs putat inconveniens de unâ vel aliâ guttâ.

Tertia diſtinguit inter ſanguinem nutrimentalem, id eſt, humorem adhuc crudum, needum ſpe-

ctantem ad veritatem naturæ, ac in terris relictum, & integralem seu vitalem spectantem ad veritatem naturæ. Ita Cajetanus in art. 2. D. Thomæ citatum, & Sylv. Rosæ aureæ tract. 3. quæst. 31. quos ferè sequuntur recentiores Thomistæ.

Quarta, Christum resumpsisse omnem sanguinem, & nihilominus aliquantulum in terris reliquisse, scilicet replicatum. Quam priusquam explicem,

311. *Exponitur tota ratio nutritionis humanæ, & concoctionis sanguinea.* Nota ex sententiâ medicorum totum negotium digestionis & nutritionis naturalis. Primò, alimenta in ventriculum trajecta ab eo quasi triturantur, & convertuntur in chylum, dispositionem quamdam mediam inter cibum & quatuor humores. Secundò, primam hanc concoctionem perpessa transmittuntur ad hepar, ab hoc transmutanda in perfectos humores, præsertim sanguinem. Tertiò, hinc sanguis derivatur vel per venas, quarum radix est hepar, & dicitur venalis; vel per arterias quarum radix est cor, & dicitur arterialis. Uterque est ejusdem speciei, sed posterior purior. Verùm, quia sanguis est animalibus sanguineis ultimum alimentum, teste etiam Aristotele de Partibus animal. cap. 3. alias subit mutationes & dispositiones, antequam formam membrorum in quæ convertitur. Earum quatuor, quibus respondent quatuor humiditates, assignari solent ex Avicennâ, quas videtur referre D. Thomas in 4. d. 44. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 3. Prima, humiditas, definitur humor in extremitatibus exilium venarum, qui loco, non specie differt à reliquo sanguine. Secunda, dicitur ros, quòd more roris per membra dispersus sit. Videtur is medius inter sanguinem & carnem, ut chylus inter cibum & sanguinem. Tertia dicitur cambium, quæ est adeps & caro tenera. Quarta gluten, quod, ut ait D. Thomas, pervenit ad perfectionem à naturâ intentam, estque incorporatum membris, quæ eo quodammodo connectuntur. Imò non videtur aliud, quàm vividus eorumdem succus. Quare addit D. Thomas hunc humorem resurrecturum, ut alia membra, secùs quàm chylum, rorem, cambium; quia videlicet & hi humores statu tam perfecto mutabuntur in formas perfectas, ad quas in hac vitâ sunt quædam dispositiones, chylus in sanguinem, ros ac cambium in carnem.

Ex quibus collige Primò, casu aliquo eximium Theologum Suarez in 3. p. tom. 1. d. 15. sect. 7. errasse medicè, cùm rorem & cambium dicit esse substantias medias, non inter sanguinem & carnem, sed cibum & sanguinem; non tamen theologicè: quia nihilominus verisimilius est quod addit, medias illas substantias non fuisse assumptas à Verbo, quatenus videlicet mediæ, 312.

diæ, & à carne & ſanguine diſtinctæ ſunt: quia non ſpectant ad integritatem corporis, nec ſunt reſurrecturæ, ut neque chylus.

313. Collige Secundò, etiam theologicè erraſſe Cajetan. & Sylveſtrū citatos, diſtinguentes inter ſanguinem nutrimentalem & integralem: non omnis ſanguis, ſi verè eſt ſanguis, integrat corpus humanum, ſive in venis, ſive in arteriis, ſive ſpiſſior, ſive tenuior; quare totus à Verbo aſſumptus eſt, eádemque ratione poſt reſurrectionem debuit reſumi. Si non ſit verè ſanguis, ſed v.g. chylus, ergo falſum eſt quod tamen ipſi docent, Chriſtum reliquiſſe in terris ſanguinem. Præterea incredibile eſt ſanguinem, qui v.g. fluxit è latere Chriſti, & ſervatus fuit, vel non fuiſſe verum ſanguinem, vel non ſpectaſſe ad integritatem corporis. D. Thomas quodlib. cit. quem citant, non dicit, quod illi, nullum ſanguinem nutrimentalem, ſed non omnem ſpectare ad veritatem naturæ, ſcilicet generatum è cibis ſuperfluis. Quâ ratione dici poſſet non improbabiliter, Chriſtum paulò ante paſſionem, v. g. in cœnâ, paulò liberaliùs cœnaſſe, ut haberet plus ſanguinis pro nobis fundendi, ac relinquendi. Quibus præmiſſis,

314. *Christus aliquantū ſanguinis in terris reliquit.* Dico Primò: Chriſtus reſurgens reliquit in terris aliquantum ſanguinis inter patiendum fuſi. Ita etiam Cajet. & Sylveſter citati, etſi malo fundamento, & communiùs recentiores Thomiſtæ, Major in 3.d.37.quæſt.25. §.4. & ult. & in 4. diſt.11. quæſt.1. ſub finem. In eamdem ſaltem magis propendet Gabriel l.50. littera B. in Canonem Miſſæ, ubi dicit præputium, & ſanguinem Chriſti in eccleſiâ Lateranenſi Urbis Romæ dici contineri, & feſto Paſchæ populo proponi adorandum. Abſolutè concluſionē docet Supplementum Gabrielis in 4. diſt.44. in fine quæſt.1. Rupertus de Liceo Epiſcopus Acquinenſis ſerm. Quadrageſimali 71. & iiſdē ferè verbis Pelbartus ſerm.8. de reſurrectione feriâ 2. *In pleriſque*, ait, *locis ſolenniſſimis oſtenditur verus Chriſti ſanguis: nam in capellâ Regis Franciæ eſt de ſanguine Chriſti, & de ſpineâ coronâ ſanguine tinctâ, & eſt alia ſpina cum ſanguine Recanati.* Idem abſolutè docet Vaſquez cit. Valent.3. p.diſp.1. quæſt.5. puncto 1. Franciſcus Collius de Sanguine Chriſti lib.5. diſp.8. cap.1. addens nunc eſſe communem omnium. Et nominatim de ſanguine Brugenſi Coſterus meditat. de Paſſione Domini 49. Idem toto ferè libro de pretioſiſſimo ſanguine Salvatoris noſtri, qui Brugis ſervatur, noviſſimè luculentè docet Petrus du Fay. Videtur ſatis certa, ac fidei ſi non proxima, ſaltem propinqua, ſeu valdè conformis, ob argumenta nunc afferenda.

Probatur Primò, ex perpetuâ

Ecclesiæ traditione, ex quâ desumitur firmum inter Catholicos argumentum, & Christi fidelium sensu, pluribus locis Christi sanguinem, ut verum, colentium. Pleraque enim passionis Christi instrumenta credi, exhiberi, & coli solent, tamquam imbuta ejus sanguine; scilicet eodem, quo aspersa fuerunt tempore passionis. Ita de Paulâ in ejusdem epitaphio D. Hieron *Ostendebatur*, inquit, *columna infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus.* Nicephorus lib. 1. cap. 30. *Sanguinemq́; & aquam è latere ejus, quasi adhuc viventis recèns profluentem, religiosè simul & admodum honorificè vasculo exceperunt*; scilicet mater IESV, & quem hic diligebat discipulus, paulò antè nominati. Quis dubitet quin tam pretiosas & caras Domini sui reliquias asservarint, aliisque ostenderint, ac reliquerint? De Magdalenâ item traditione receptum est, collegisse sub cruce terram sanguinolentam. *Nullus*, inquit Sylvest. cit. *sanæ mentis & fidei videtur mihi posse ambigere quin verè Magdalena sic fecerit.* Idem alibi testatur, se in antro ejus pœnitentis apud S. Maximinum vidisse ampullam vitream plenam terrâ illâ sanguinolentâ, & audivisse ut certum, quòd die parasceues soleat ebullire. Præterea se collegisse, & servasse terram sanguine Christi tinctam, ipsa Magdalena affirmavit apparens Carolo regi Siciliæ, teste eodem Sylvestro. Nec tantùm Magdalena, sed ipsa B. Virgo testata est Romæ esse sanguinem illum benedictum, qui remansit in vulneribus Christi, quando depositus fuit de cruce, teste S. Brigittâ lib. 6. Revelat. cap. 112. Onuphrius quoque de septem ecclesiis urbis Romæ, partim ex Joanne Diacono, partim ex antiquâ tabulâ factâ sub Nicolao IV. meminit duarum ampullarum sanguinis Christi servatarum in ecclesia Lateranensi. Romæ insuper visuntur gradus lapidei gradatim sibi substituti, dictæ nunc vulgò *Scalæ sanctæ*, eò Hierosolymis advecti, per quos Salvator jam flagellatus & coronatus ex domo Pilati descendit, tinxitque suo sanguine; in quibus, ut & ipse testari possum testis oculatus, etjamnum apparent notæ abrasi à Christi fidelibus sanguinis. Servatur præterea Romæ in D. Petri sudarium Veronicæ tinctum sanguine Christi. Nec tantùm Roma tanto thesauro dotata & ornata est, sed plura alia loca.

Loca plura in quibus verus Christi sanguis asservatur.

Secundò, igitur Mantua, de quâ 315.
Baronius ad initiũ anni 804. Perlatum est, ait, ad Imperatorem, scilicet Carolum Magnum, æstate præteritâ Christi sanguinem in Mantuâ civitate fuisse repertum. Propter hoc misit ad Papam, scilicet Leonem III. petens, ut hujus famæ veritatem inquireret, quæ refert ex Annalibus Francorum. addit verbis & sensu suo: *Ceterùm*

quod

quod ad sanguinem Christi attinet, re multùm examinatâ, scilicet ab ipso Pontifice præsente, *inventus est, & comprobatus ille fuisse, qui ex Christi corpore fluxit tempore passionis ejus: non antè ille, qui Beryti ex sacrâ Crucifixi imagine fluxerat: de quâ veritate exstare dicuntur sacra diplomata Romanorum Pontificum, ut de his non sit ampliùs dubitandum.* Imò ante illum testatur Platina, & pòst Bzovius ad eumdem annum. Historiam collecti à Longino, eò lati, inventi, & à Pontificibus, Imperatoribus & Regibus visitati in templo S. Andreæ, dicti sanguinis narrat etiam Collius cit. cap. 2.

316. Tertiò, eodem teste etiam Venetiis die Parasceues ostenditur duplex Christi sanguinis portio; altera naturalis veri sanguinis, è Christi saucio corpore, dicta *pretiosa*; altera miraculosa ex percussâ imagine.

Quartò, Taurini servatur sacra Christi sindon, vero ejusdem sanguine insignita & depicta; ut testantur varii, & indicant sindones, quæ ad illius similitudinem expressæ servantur passim. Quod efficaciter probatur non tantùm auctoritate Paleoti Archiepiscopi Bononiensis, de Christi stigmatibus, ac sindone cap. 20. num. 21. & Mallonii in dictum caput; sed duorum Pontificum ab hoc citatorum. Verba ejus sunt: *Hanc quoque responsionis subtilitatem*, quòd scilicet manserint Christi sanguinis accidentia, non ipse sanguis, *rejiciemus ex apertâ summorum Pontificum determinatione, quòd in sacrosanctâ sindone Christi verus inest sanguis Christi. Nam Iulius II. in bullâ approbationis sacræ sindonis dicit: In quâ sindone, prout idem Xystus prædecessor noster in quodam tractatu, quem composuit de ipso sanguine, affirmat, ipsius IESV Christi verus sanguis & imago conspiciuntur.* Et infrà: *In quâ reliquia humanitatis Christi, quam divinitas sibi copulaverat, videlicet ipsius veri sanguinis, manifestè conspiciuntur. Approbat etiam tam ipse Iulius II. quàm Xystus IV. Officiũ sacræ sindonis, in quo sæpè sæpiusq; dicitur, ibi verum esse Christi sanguinem.* Hæc Mallonius. Qui rectè ibidem rejicit distinctionem sanguinis vitalis, & nutrimentalis; quasi hic, nec à Verbo assumptus, nec à Christo reassumptus fuerit, sed in terris relictus: quia Pontifices dicunt, sanguinem relictum in sindone esse illum, quo redempti sumus; ideoque coli & adorari debere. quod non potest dici, nisi de sanguine assumpto. Ceterùm verba Pontificum tam clara sunt, ut non egeant explicatione. Quamvis autem Xystus tractatum illum scripserit, ut privatus Doctor; ejus tamen verba Iulius, imò uterque Officium sacræ sindonis approbat, tamquam Pontifex.

Quintò, Treviris servatur Christi tunica inconsutilis eodem sanguine, ut dicitur, purpurata. Certius 317.

tius est, ibidem in Abbatiâ S. Martini, servari sanguinem Christi, uti constat impresso hac de re libello anno 1509. Coloniæ. In quo primò refertur testimonium Nicolai de Cusà Card. tit. S. Petri ad vincula, tunc Legati à latere, asserentis se non vidisse pretiosiores reliquias, quàm in dicti Abbatiâ. *Quia*, verba sunt libelli, *ibidem vidisset partem veri sanguinis Domini nostri* IESV *Christi coagulati in cruce, pro redemptione generis humani salubriter effusi, adhuc ligno sanctæ crucis adhærentis, & oculariter apparentis.*

Etiamnum eo modo apparet, ita ut facilè à ligno discerni & abradi possit, idque naturali colore nonnihil infuscato, ut mecum coràm viderunt graves è Societate nostrâ Patres. Exiguam item particulam inde decerptam vidimus in Abbatiâ dictâ Munsteriensi Luxemburgi. *Præterea Abbates dicti Monasterii metuentes quorumdam curiosorum pertinaciam*, inquit auctor, *non verentium asserere Christum nil de præfato sanguine in terris reliquisse, ad tempus dissimularunt; donec in manus eorum venisset quidam tractatus Sixti Papæ, quem tempore Cardinalatus sui ex commissione Sanctissimi Patris & Domini nostri Pii Papæ confecit, qui multis rationibus probat, & plures Doctores allegat*, &c. Quibus verbis non potest agi nisi de Pio II. qui anno 1461. hanc controversiam declaravit Brevi citando, & Xysto IV. qui secundus ab illo, successit in Pontificatum Paulo II. anno 1471. Itaque Xystus IV. non tantùm huic sententiæ subscripsit, sed pro eâ scripsit librum. Tanti viri auctoritas eodem teste effecit, ut dicti Monasterii Abbas ab Archipræsule impetraret Indulgentias Christi sanguinem visitantibus, idque consultis super hac re aliis Prælatis, & Sacræ Theologiæ Professoribus. Eorum itaque sententiis auditis, Breve editum anno 1502. cujus præter alia hæc sunt verba: *Cùm à tanto tempore, cujus initii memoria non exstet, in ecclesiâ vestrâ, ut piè creditur, quædam portiuncula pretiosissimi sanguinis Dei nostri* IESV *Christi unà cum quadam particulâ ejusdem Dominici ligni, cui portiuncula ipsa sanguinis adhæret, devotè honorificeque conservata, à Christi fidelibus venerari, iisdemque ostendi solita fuerit*, &c. Idem iisdem ferè verbis confirmarunt plures Archipræsules. Refertur eodem libello pars Theologici tractatûs ad Paulum II. per Cardin. S. Petri ad vincula, quo etiam probatur cõclusio.

Unde constat, in eamdem sententiam conspirasse duos Cardinales, & ex iis unum Pontificem, tot Archipræsules, Abbates, aliosque Prælatos, & Theologos.

Sextò & ultimò, ut taceam loca alia, de quibus res minùs certa est, negari non potest, quin in Belgio nostro, Brugis servetur pretiosissimus ac sacratissimus Christi Domini 318. *Probatur, quòd sanguis qui Brugis asservatur, sit verè Christi.*

Domini nostri sanguis: quæ sunt verba ipsius Pontificis jam citandi; de quo id clarè præter alios senserunt Guilielmus Episcopus Anconitanus Suffraganeus Tornacensis, & Joannes Episcopus Armacanus, ipsorum litteris ibidem servatis. Ille vocat *pretiosissimum sanguinem ipsius Domini nostri* IESV *Christi*; hic *sacrosanctum ac pretiosum sanguinem Domini nostri* IESV *Christi*. vide dicta num. 304.

319\. *Pontificū decreta quòd sanguis Christi in terris remanserit.* Probatur Secundò, conclusio auctoritate Pontificum. Primò, Pii II. cujus Breve refertur libello citato, & à Sylvest. Ruperto de Lyceo, & Pelbarto citatis; verba ejus sunt præter alia: *Licet à tanto tempore, cujus initii memoria non existit, in ecclesiâ dictæ domus*, scilicet Rupellensis, Ordinis Fratrum Minorum Xantonensis Diœceseos, *ut piè creditur, quædam portiuncula pretiosissimi sanguinis Domini nostri* IESV *Christi in ligno crucis pro redemptione humani generis salubriter effusi, ac inibi ab eodem tempore & citrà, ab eisdem Christi fidelibus venerari consueta exhibeatur; nonnulli tamen, curiosi plus quàm oportet, sapere satagentes, quo spiritu nescitur, publicè ac privatim asserere non verentes, quòd nil de præfato sanguine remansit in terris, fideles ipsos à piâ istorum devotione retrahere conantur.* Et post pauca: *Nos igitur attendentes quòd veritati fidei nullatenus repugnat, affirmare Redemptorem nostrum de sanguine præfato ob ipsius passionis memoriam aliquam partem in terris reliquisse; ac propterea devotionem fidelium plurium conservari, & scandalis ipsis, quantum in nobis est, obviare cupientes, per Apostolica scripta mandamus*, scilicet ut curetur, *Ne*, inquit, *dictos fideles ab omni piâ eorum devotione, quam hactenus gesserunt ob præfatam sanguinis portiunculam, quoquo modo retrahere præsumant.* Clariùs Clemens V. suâ bullâ, quam ipsam, non tantùm authenticam copiam, videre ac legere mihi licuit, datam Avenione Kalendis Iunii, Pontificatûs ejus anno V. fideliter servatam in archivo urbis Brugensis: *Decretum Clementis V. circa sanguinē Christi Brugis asservatum.* *Attendentes*, ait Pontifex, *quòd in ecclesiâ S. Basilii de Brugis, quam ineffabilis altitudo providentiæ, recti censurâ judicii, cælesti pariter & terrenâ prærogativâ sublimavit, honoris & miraculorum assiduitate decoravit, existit non modica quantitas sacratissimi sanguinis, pretiosissimi corporis, humani generis Redemptoris Domini nostri* IESV *Christi: qui per omnes dies hebdomadæ, die Veneris dumtaxat exceptâ, quasi quamdam in modum lapidis duritiem repræsentat: die verò prædictâ, ut plurimum horâ sextâ liquescit, guttatimq; distillat. Quo miraculo Deus ipse videtur veritatem sanguinis Christi approbasse.* Nota verba Pontificis, *Non modica quantitas*, contra scrupulum aliquorum, qui non audent terris concedere, nisi fortè guttulam unam, vel alteram. Subdit: *Sanguinem ipsum, in ejusdem sanguinis honoris & reverentiæ plenitudinē deferentes.*

Nota, *Plenitudinem*: quo significatur honor debitus vero Christi sanguini. Et infrà: *Pretio sanguinis prædicti redemptis.* Et: *Fuso pro eis sanguini*. Iterum: *Ecclesiam ipsam ipse, cujus licet immeriti vices in terris gerimus, voluit proprii sanguinis splendore fulgere.* Non loquitur hîc Pontifex ex sententiâ aliorum, nec dicit tantùm credi, sed ex propriâ scientiâ affirmat, quòd Brugis existat *non modica quantitas sacratissimi sanguinis, pretiosissimi corporis, cujus pretio redempti sumus, pro nobis fusi, proprii Christi.* Quibus nil potuit dici clarius. Quare infrà omnes excitans, imò jubens illius cultum, & visitationem dictæ ecclesiæ: *Vniversitatem vestram,* inquit, *rogamus, monemus, & hortamur attentè, in remissionem peccaminum vobis injungentes, quatenus ad ecclesiam ipsam imploraturi à Domino, intervenientibus sanguinis ejusdem suffragiis, veniam delictorum in humilitate spiritûs accedatis.* Nota verba, *Injungentes*: quod est jubentis, & *sanguinis suffragiis*, quibus significatur ejus virtus, verbis tam claris & efficacibus, quibus septies sanguinem nominat. Addit Indulgentias, quas etiam eodem motivo, ac loco concesserunt Innocentius & Alexander IV. Clemens VI. Paulus V. Vrbanus VIII. Vel ergo servatur in terris, nominatim Brugis, Christi sanguis, vel Pontifices ipsi errant ac decipiunt Christi fideles: hoc dici non potest, nisi temerè: ergo nec illud negari.

Ex quibus apparet, censurâ dignam esse censurâ Turrecrematæ in cap. *Irritat*, de consecrat. dist. 2. vel apud illum Joannis de Poliaco, conclusionem damnantis erroris contra fidem. 320.

Apparet Secundò, Pium II. probare regulam illam capitis præcedentis de sequendâ opinione magis piâ, etsi tantùm probabili. Inprimis ipse illam sequitur suo Brevi, jubetque ut sequantur alii, præsertim ii, quibus mandat ejus exsecutionem. Quo ipso juxta dicta libr. 3. de conscientiâ probabili, jubet practicè sequi opinionem hanc probabilem, vetatque sequi contrariam: quòd scilicet nil sanguinis sui Christus in terris reliquerit, etsi eam aliter non damnet.

Opinio negans relictum aliquid sanguinis Dominici in terris, an digna censurâ?

Apparet Tertiò, contrariam opinionem, quòd nil sanguinis Christus in terris reliquerit, mereri notam aliquam, saltem si publicè prædicetur, vel affirmetur, propositionis scandalosæ. Quod indicat idem Pontifex volens eo Brevi obviare scandalis, scilicet natis ex assertione contrariæ sententiæ: neque negari potest, quin pluribus locis, quibus Christi sanguis colitur, Christi fideles scandalizarẽtur, & à suâ erga illum devotione, quam Pontifex dictus aliique conati sunt augere, retraherentur assertione contrariæ sentẽtiæ: quam graviori censurâ quasi vergentem ad hæresim afficit Cardin. S. Petri ad

ad vincula, citatus etiam à Collio cap. 5.

Apparet Quartò, nostram saltem sententiam non tantùm practicè illo sensu, sed & speculativè eo ipso esse multò probabiliorem; imò satis certam esse: quia non est credibile tot & tam nobiles Ecclesias tot jam annis continuò errare, & in errore à tot Pontificibus, Episcopis, aliisque Prælatis, imò Deo ipso, revelationibus & tot miraculis, confirmari in cultu sanguinis Christi, tamquam verè talis, qui verè talis non est. Communis & certa est Theologorum sententia, Summum Pontificem non posse errare, etiam in decretis morum, inducendo Christi fideles ad peccatum, aut abusum intolerabilem: quod certè videretur facere, hortans, monens, imò & injungens, aliisque modis inducens ad idololatriam, seu cultum sacratissimi sanguinis Christi, ubi is non existeret, perinde ac si Sanctum canonizaret, & colendum proponeret, qui verè sanctus non esset. Imò ob hanc rationem contraria sententia videtur mereri graviorem notam temeritatis, vel erroris, quod confirmatur jam dicendis.

32. *Præputium Domini in terris relictum.*

Probatur Tertiò, conclusio à pari, imò fortiori: quia Christus reliquit in terris præputium, haud dubiè partem integralem sui corporis: quod admittunt etiam illi, qui negant conclusionem; & revelatum quoque fuit à B. Virgine, S. Brigittæ citatæ; cujus veritatem & inventionem, cùm furto esset ablatum, Deus ipse probavit nube, stellis, flammis, tonitru ac fulgure, teste Toleto in cap. 2. Lucæ annotat. 31. Servatur Romæ loco dicto, *Sancta Sanctorum*. Cum quo conciliari fortè potest, quod antè retuli ex aliis, Antverpiæ illud, id est aliquam ejus particulam servatam fuisse: quo modo conciliari debet lis de iisdem reliquiis, quæ variis locis coluntur. Saltem satis certum creditur Romæ illud servari: ergo multò credibilius est Christum reliquisse aliquantum sanguinis tam liberaliter fusi.

Probatur Quartò, conclusio ratione: quia, ut ex dictis constat, & sensu potuit constare, instrumenta passionis post Christi mortem fuerunt tincta ejus sanguine, nec desierunt esse post Christi resurrectionem; quod sensu item potuisset deprehendi, si Christus resurgens suo illa sanguine privasset. Quo modo etiam vasculum B. Virginis, & ampulla Magdalenæ fuissent evacuata sanguine; sancta sindon & sudarium desiissent esse rubra, quod fuisset certum signum resurrectionis; & haud dubiè plures advertissent, atque aliquis scripsisset: nec enim tam evidens miraculum & argumentum resurrectionis debuisset celari. Contrarium autem constat ex dictis, scilicet ea omnia, vel pleraque, mansisse post resurrectionem, qualia

erant antè, atque adeò Christum resurgentem non spoliasse ea suo sanguine.

Denique probatur ratione à priori, quæ ex dictis colligitur, nec est alia, quàm inexhausta Christi caritas, & voluntas, quâ nobis, qui sensu maximè ducimur, voluit, præter tot alia, relinquere tã sensibile pignus, & signum extremæ illius caritatis atque passionis.

522. *Sanguis ipse Christi relictus, non ejus loco materia rubra.* Ex dictis collige Primò, ipsummet in terris servari Christi sanguinem, non ejus loco substantiam aliquam rubram, seu non tantùm materiam, sed & formam sanguinis; contra aliquos recentiores. Primò, constat nominari à Pontificibus, & à fidelibus coli verum Christi sanguinem, non substantiam aliam rubram. Materia sanguinis imbuta alienâ formâ fuisset, sed jam verè non esset sanguis: nec enim potest esse sanguis sine formâ sanguinis, ut nec homo sine formâ hominis, animâ rationali. Ubi suppono, quod in philosophiâ certum est, accidentia non migrare de subjecto in subjectum, atque adeò nihil tingi potuisse colore, nisi simul substantiâ sanguinis ipsi adhærescente.

Verius est dari in corporibus formas partiales, præsertim sanguinis. Secundò, debile est fundamentum physicum contrariæ sententiæ: quia dantur formæ partiales, scilicet partium corporis organizati, multoque magis sanguinis, quæ nec sunt, nec pendent ab unâ totali; adeò ut illæ adeoque compositum iis constitutum, v. g. sanguis maneat idem, sive cum illâ conjunctum, sive separatum. Nec enim videtur credibile, totum corpus, dum anima decedit, sanguinemque dum continuò funditur, subitò invadi novâ substantiali formâ, cujus non potest assignari causa efficiens; nec potuerunt tantillo tempore introduci dispositiones; quæque nullo signo se prodit, nec ullo sensu percipitur.

Nec tantùm physicè, sed & theologicè, ea sententia verior est; non tantùm ob rationes allatas, sed ad explicanda gravissima fidei nostræ mysteria, nominatim Incarnationis, ac passionis. Si enim corpus humanum non sit præditum eâdem formâ mortuum ac vivum, eadem caro & corpus Christi non prodiit ex Virgine, pependit in cruce, est in cælo, in Eucharistiâ, quod jacuit in sepulchro; neque corpora erunt in cælo gloriosa, quæ jacuerunt in sepulchro; neque Christi fideles pro reliquiis colunt ipsas partes, quibus constiterunt corpora Sanctorum: ut jam dixi de sanguine Christi, qui etiam non mansit idem in triduo effusus, qui fuerat in Christi corpore; quia videlicet interim subjectus alii formæ cadaveris, certè indignæ unione hypostaticâ, quâ tamen Verbo uniri & assumi debuisset, juxta dicenda.

523. Dices, Esto manserit idem sanguis toto triduo, & aliquamdiu post

post resurrectionem, non videtur tamen credibile eumdem mansisse non mutatâ formâ tot jam seculis.

Quomodo sanguis tot seculis durare potuerit? Respondeo esse omninò id credibile, non tantùm ob rationes extrinsecas allatas, sed etiam intrinsecas: quia universaliter substantiæ diutissimè durant, si non exponantur agentibus contrariis, & qualitatibus corruptivis; ut constat non tantùm de ferro, sed ligno, nominatim crucis, ossibus, atque etiam carne ac pelle exsiccatâ, nominatim membranâ præputii Christi. Eademque ferè est ratio de sanguine concreto & sicco, non humido & fluxo. Quo item modo diutissimè durat atramētum chartæ impressum, & oleum panno infusum. Neque magis ejusmodi substantiæ debent mutare speciem, quàm aqua cùm congelatur, vel pilus dum canescit, aut vultus cùm infuscatur.

324. Unde apparet, cùm Antverpiæ fluxit sanguis è Christi præputio, non debuisse illum produci, sed tantùm concretum in venulis colliquescere; quod fuit non tantùm aptius ad probandam veritatem tantarum reliquiarum, sed & facilius.

Liberaliter satis Christi sanguis terris relictus. Ex dictis collige Secundò, Christum satis liberaliter nobis suum sanguinem reliquisse, non tantùm unam atque alteram guttam, ut nimis scrupulosè dicunt aliqui: quia, ut ostendi, sat multis locis ille servatur & colitur. Quod omniaque argumenta jam allata confirmantur dicendis cap. ult. à pari, imò fortiori; ac nominatim miraculis, quibus Deus ipse Christi fidelium illum sensum ac credulitatem fovit, ac confirmavit variis locis. quod certè juxta contrariam sententiam non potuisset facere, nisi quâdam deceptione & inductione ad quamdam idololatriam, ut ibi dicam à num. 362.

Sed hinc nascitur difficultas hîc præcipua: quia quantum in terris relinquitur, tantum corpori Christi glorioso detrahitur; non videtur autem tam multum detrahi posse, absque ejusdem imperfectione, & quadam injuriâ. 325.

An aliquid detractum corpori glorioso ob relictum in terris sanguinem? Respondent Primò, aliqui corpus gloriosum non egere tanto sanguine, quanto mortale: quare neque nostra corpora resurrectura cum tanto sanguine, quanto nunc prædita sunt: sed hoc non videtur verum de corpore nunc bene constituto & temperato, quale Christi fuit perfectissimâ, ut ait D. Thomas, ætate, quâ passus est: quod ad sui perfectionem naturalem requirit (ut cum D. Thomâ supponunt medici, videturque satis clarum ratione physicâ) mensuram sanguinis, in quo maximè vita sita est, certam, adeoque eamdem in terrâ ac cælo. Nec refert, quòd hîc corpus nutriri debeat, & sanguis in illud converti, non ibi: quia hoc nimium probaret, si quidquam; vide-

 licet

licet nullo sanguine ibi opus fore, cùm hîc omnis, nullus ibi, in aliud convertendus sit. Requiritur ergo, ut dixi, etiam per se ad perfectionem & integritatem corporis certa mensura sanguinis, ubique eadem. Fateor ob eam rationem non fore opus in cælo rore, ut nec chylo, qui per se non requiruntur ad corporis perfectionem; sed de illis non est quæstio. Unde sequitur, quod supponunt plerique cum D. Thomâ, Christum tantum sanguinis habuisse resurgentem, quantum habuit ante passionem, ejusque effusionem; idque præcisè usque ad ultimam guttam, ne quidquam deesset ad perfectissimam temperiem. Quare vix est minor hîc difficultas de unâ vel pauculis quàm multis guttis. Præterea nemo negarit, quin ad perfectionem corporis gloriosi requiratur præputium: quod tamen constat in terris relictum.

326. Respondet Secundò, Collius cap.3. tantum sanguinis, quantum ex dictis colligitur in terris relictum, sine dubio excedere copiam ejus, qui citra imperfectionem immortalis corporis illi subtrahi potest. Quare admittit sanguinem Mantuanum verum esse. De alibi servato suspendit judicium, ne offendat eorum animos, qui inveteratam, ait, de cruore mentem nullâ ratione exuere cogitant. Indicat tamen eum fluxisse non è Christi corpore, sed imagine: sed certè hoc non est solvere, sed succumbere difficultati. Quid ergo dicet de servato Romæ, & ipso etiam teste à B. Virgine revelato, ut vero Christi sanguine? Quid de servato Treviris tot testimoniis confirmato? Quid denique de eo quem ipse Pontifex Pius V. suo Brevi comprobavit? Quid de Brugensi, ab ipsis etiam Pontificibus tam clarè confirmato? Certè illum non omisisset, si audivisset bullam Clementis. Quid de sudario ac sindone, in qua testibus Pontificibus ipsius Christi verus sanguis manifestè conspicitur? Quid de collecto ab ipsâ B. Virgine & Magdalenâ, ac servato apud S. Maximinum? clarum est nil illius sanguinis fluxisse ex imagine, sed totum ex ipsissimo Christi corpore.

Respondeo ergo, salvo meliori judicio, & dico Secundò, Probabilius videtur Christum resurgentem, nihilominus totum sanguinem tempore passionis fusum resumpsisse, nimirum replicato eo quem in terris reliquit. Ita expressè Supplementum Gabrielis, & Major citatus sub finem, qui de hac responsione, etsi alteram præmittat, Hoc, inquit, modo omnia meliùs salvantur. 327. *Sanguis in terris relictus verisimilius est replicatus.*

Probatur Primò: quia ipsa conclusio absque appendice non tantùm est Innocentii III. Pontificis libr. 4. de Sacro altaris mysterio c.30. sed etiam tam clarè D. Thomæ, ut mirum sit Thomistas aliter

eum

eum explicare. Art. illo 2. *Dicēdum*, inquit, *quòd totus sanguis, qui de corpore Christi fluxit, cùm ad veritatem humanæ naturæ pertineat, in corpore Christi resurrexisse*: addit in corpore, *Integraliter absque omni diminutione*; quod ipsum quodlib. cit. quo item addit vocem, *totus*, directè probat tribus rationibus. Itaque contra Cajet. Sylvestr. aliosque licet Themistas, clarè sentit D. Thomas, totum sanguinem in passione fusum, primò, spectasse ad veritatem naturæ juxta antè dicta; secundò, ideò totum resurrexisse. Quibus, quæso, verbis potuisset id clariùs exprimere?

328. Videntur respondere, totum sanguinem resurrexisse totalitate formæ, non materiæ. sed hisce, ut fit, terminis videtur involui res aliàs clara. Peto, quid significet totalitas formæ? an tantùm speciem sanguinis? sic posset dici manere totus sanguis, etsi unica gutta maneret; quia in illa significatur species tota: quòd videtur ridiculum. Vel significat totalitatem sanguinis, quà sanguinis, secundùm certam formam & quantitatem, quâ pertinet ad integritatem corporis, sive constet ex hâc vel illâ materiâ, quæ item in Christo fluxa fuit & mutabilis; quod tantùm alibi docet D. Thomas: & hoc ipsum dico, scilicet Christum resumpsisse totum sanguinem secundùm illam quantitatem, quâ spectat ad integritatem corporis, eratque in illius corpore ante passionem nullâ ne guttulâ omissâ: aliàs aliquid, etsi exiguum, deesset ad ejus integritatem ac perfectionem. Quamvis verò materia sanguinis etiam in Christo mutabilis fuit, quamdiu servivit nutritioni; cessante tamen hâc causâ, post ejus effusionem ac mortem Christi mutari illa non debuit, ut neque post resurrectionem. Quare idem non tantùm specie, sed numero sanguis resumptus fuit, qui effusus. Quod etiam probant rationes jam afferendæ; non negavit tamē D. Thomas, verum Christi sanguinem relictum in terris, quia quodl. cit. in fine art. 5. concedit eum fortè fluxisse aliàs ex corpore Christi: quod etsi minùs verisimile, ideò videtur dixisse ne illud negaret. Tantùm ergo supposuit contra appendicem, sanguinem naturali suâ specie, ne quidem potentiâ Dei posse replicari, seu esse pluribus locis. Contrarium suppono juxta communem aliorum Doctorum sententiam.

Ubi suppono & alteram, non quidem ut necessariam, sed commodiorem: id quod pluribus locis fit præsens, non debere reproduci, sed tantùm quasi adduci, vel poni etiam alibi per novum ubi: quo ipso potest etiam dici replicari, seu posse supernaturaliter idem simul poni diversis locis, quo modo naturaliter idem corpus ponitur successivè diversis locis & temporibus, & anima atque Angelus secundùm 329. *Idem potest poni in duobus locis per positionem novi ubi.*

cundùm eamdem substantiam, eodem substantiali influxu, sunt præsentes diversis locis partialibus, v. g. anima in capite, & in pede.

Nec refert Primò, quòd naturaliter, non nisi locis continuis: quia satis clarum videtur id suppleri posse supernaturaliter: v.g. absolutâ Dei potentiâ animam eodem quo antè influxu conservari posse in capite & pedibus, etsi non in medio. Imò videtur implicare ut eadem substantia, cùm casu nostro Christi corpus, ab eâdem causâ Deo reproducatur novo substantiali influxu, qui veriùs ab ipso termino, qui hîc est idem Christi corpus, non distinguitur saltem respectu Dei, à quo ille dependet essentialiter, adeoque seipso.

Ad transsubstātiationem in Eucharistiâ sufficit corpus Christi in locū substantiæ panis succedere.

Neque refert Secundò, quòd admittenda hîc sit trāssubstantiatio: quia hujus formalis terminus corpus ac sanguis Christi, tantùm sub iisdem speciebus debet succedere alteri substantiæ pani; quod potest facere, etsi non producatur; sufficit produci terminum totalem ipsum Sacramentum. Ita ipsius generationis divinæ Verbi terminus formalis est essentia divina non producta, sed communicata. Quam sententiam docui in scholis, ut veriorem, conformiorem non tantùm Scoto, sed & D. Thomæ, Magistro, aliisque antiquis Doctoribus; & commodiorem ad explicandum Eucharistiæ Sacramentum, cùm aliud non colligatur ex verbis Christi, neque sine necessitate multiplicanda sint miracula, & reddenda difficiliora fidei mysteria.

Sanguis Christi in terris manere potuit per ubi superadditum.

Quibus suppositis, non admitto hîc tantum miraculum: quia tantum sanguini relinquendo debuit semel dari duplex ubi, utrumque corporeum, quod minus est, quàm si alterum esset spirituale, ut fit quotidie in Sacramento Eucharistiæ. Nimis scrupulosi videntur hîc plures, ut in negotio tanti momenti recurrant ad Deum, ejusque peculiare auxilium, ad quem etiam philosophi multò leviori de causâ recurrunt, v. g. ut res determinetur ad individuum, ut producantur ranæ, iisque viliores vermes, scilicet ne accidens producat substantiam; & non licebit nobis, ne committantur tot superstitiones, colendo tot locis Christi verum sanguinem, ubi sanguis non est? cùm præsertim constet non esse miraculum hoc inusitatum circa corpus & sanguinem Christi, saltem in Sacratissimo Sacramento.

Probatur Secundò, conclusio 330.
argumento D. Thomæ quodl. citato. *Si enim*, inquit, *sanctorum Martyrum illæ partes, in quibus paßionem pro Christo sustinuerunt, quemdam privilegiatum fulgorem in resurrectione habent, ut August. dicit 21. de Civit. Dei, ergo multò magis sanguis Christi, quē pro salute humani generis effudit,*

ad

ad gloriosam resurrectionem reparatus est. Quod argumentum certè optimum, valet etiam de quâvis sanguinis guttâ & præputio; quod, & satis multum sanguinis etsi pro nobis fusi, adeoque præcipui instrumenti redemptionis nostræ, non tantùm privilegiato fulgore, sed communi gloriâ corporis beati privant adversarii; cùm volunt illud idem numero, non resumptum à Christo resurgente, sed suppletum nescio quâ aliâ materiâ: præterquam quòd & ipsi recurrant sic ad miraculum majus nostro. Quæ enim & unde illa materia? Suarez putat ex illâ supplectionem factam, quæ aliquando corpori unita fuit; sed per continuam nutritionem resoluta: sed hæc jam subierat alias formas, & constituebat alia composita, quibus Christus debuit eam subtrahere, ut sibi redderet, majori cursûs naturalis interturbatione: propterea debuit in illâ materiâ producere novam formam; nos tantùm dicimus illum produxisse novum ubi, in eodem sanguine, sed paulò copiosiori. Quo semel facto, non est opus alio miraculo, sed omnia relinquuntur cursui naturali. Deinde, si decuerit eamdem materiam corpori glorioso restitui, multò magis formam sanguinis & præputii, quæ determinatè corpus integravit, magisq; primariò à Verbo assumpta, & salutis nostræ fuit instrumentum.

Confirmatur: quia aliàs Christus perfectè & completè non resurrexisset: quia non secundùm omnem sui partem, scilicet relictum in terris sanguinem. quod item argumentum est D. Thomæ art. illo 2. *Alioquin*, inquit, *non fuisset perfecta resurrectio, si non fuisset reparatum, quidquid per mortem ceciderat.*

Probatur nunc appendix conclusionis, Primò: quia, ut jam constat, debuit Christus totum sanguinem & præputium resumere, & nihilominus manserunt instrumenta passionis, aliaque à Christi fidelibus piè asservata vero Christi sanguine imbuta, ut item jam constat: ergo necessariò sanguis illis relictus fuit replicatus. Atque ita consulitur, tum integritati corporis Christi; tum devotioni fidelium; tum dignitati sanguinis, etjam relicti in terris: qui etsi non hîc in lipsanothecis, idem tamen numero gloriosus est in cælo, ac corpore Christi, tanto nobis & hîc venerabilior. Quæ confirmantur dicendis cap. 24. Præterquam quòd illud sit aptissimum & efficacissimum signum immensæ caritatis Christi, cui ostendendæ non sufficit fusus sanguis, nisi replicatus. 331. *Ostenditur sanguinem asservatũ esse replicatum.*

Probatur Secundò: quia non videtur certum, nil dicti sanguinis aut periisse, quod de præputio Antverpiæ aliquando servato putant aliqui, & reverâ dicunt, qui putant formam sanguinis desiisse; aut saltem

tem periturum; imò certò peribit cum aliis in fine mundi. Omninò autem videtur absurdum tam pretiosum ipsius Dei sanguinem, non tantùm excludi à peculiari gloriâ, quod pro absurdo habuit D.Thomas. sed in communi rerum vulgarium conditione perire. Cessat hoc periculum nostrâ sententiâ, quâ, etsi in terris desineret, simpliciter tamen idem maneret, scilicet in cœlis, ut Christus ipse cùm desinit sub speciebus Eucharistiæ.

Ex quibus clarè sequitur, eumdem Christi sanguinem, qui in terris specie naturali ac visibili servatur, esse etiam in Sacramento Eucharistiæ sub speciebus sacramentalibus: quia constat eumdem esse in Sacramento, qui est in cœlo: atqui ille idem qui in terris servatur, est etiam in cœlo, ut jam ostendi.

His scriptis, dignatus est mihi ostendere Maximilianus à Gandavo, de Villain Episcopus Tornacensis, cùm pro suâ pietate sacratissimum sanguinem Brugis viseret anno 1634. manuscriptum certè eruditum Joannis Boucher Sacræ Theologiæ Doctoris Sorbonici, Canonici Tornacens. viri eloquentiâ & doctrinâ noti, compositum mandato Serenissimi Principis Alberti, cùm is easdem sacras reliquias invisisset anno 1597. quo hanc difficultatem eodem planè modo componit per replicationem, quem miratur alios non vidisse, vel expressisse.

Objicies auctoritatem D. Athanasii sermone de passione imaginis Domini nostri IESV Christi, & refertur Synodo VII. act. 4. qui postquam narravit mirabilem illam historiam ex percussâ Beryti Christi imagine fusi, & ad varias Ecclesias missi sanguinis, subdit: *Hic est sanguis ille Dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur, nec esse aliter æstimandum est à verè Catholicis præter id, quod scribitur à nobis, quasi ex carne & sanguine Christi aliquid possit in mundo reperiri, nisi illud, quod in arâ altaris per manus sacerdotum quotidie offertur.* Multis scrupulum injicit tanta auctoritas, ob quā etiam D. Thom. cit. ad 3. ita sentit de sanguine in quibusdam Ecclesiis servato, & aliqui movent eumdem scrupulum de sanguine Brugensi. 332.

Respondeo tamen, etsi vera sit illa historia, esse tamen clarè apocrypha & falsa illa verba, quæ proinde non merentur explicationem: Primò, quia apertè repugnant traditioni & decretis Præsulum ac Pontificum citatis, nisi dicas ne quidem illos fuisse verè Catholicos. Secundò, quia adduntur illis æquè falsa alia, nominatim de ædificatione templorum, quasi tunc cœptâ. Tertiò, auctor illius sermonis non potest fuisse D. Athanasius, qui floruit quadringentis annis ante dictam Synodum habitam anno 787. quando recenter debet contigisse dicta historia, cujus narratio, quia rei inauditæ antè, elicuit

Satisfit loco objecto ex Athanasio.

elicuit lacrymas Patribus congregatis. Nec ejus antè invenitur mentio, etsi postea celeberrimæ. Quartò, perlegi ejus historiæ editionem Græcam duplicem valdè antiquam: in neutrâ sunt verba objecta, quare eadem, ut apocrypha, rejicit Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, addens non haberi in codice Græco Concilii Niceni II. quo nomine etiam vocatur dicta Synodus VII. & Baronius ad annum 787. dicit historiam illam in vulgatâ editione habere admixta apocrypha; refertque illam puram sine iis verbis. Idem dicit facitque Binius tom.3. Conciliorum. Satis itaque certum est, hanc auctoritatem quæ multis scrupulum injecit, nullius esse momenti, adeoque non officere certitudini conclusionis primæ.

Ex quibus omnibus manifestum est, conclusionem pari ferè certitudine extendendam esse, nominatim ad sanguinem Brugensem, ut & Mantuanum; adeoque nullum superesse morale dubium, aut probabile fundamẽtum scrupuli, quin tamquam verus Christi sanguis coli possit, imò debeat. Quis autem huic cultus debitus sit, explicabo cap. sequenti.

CAPUT XXIII.

De scrupulis circa cultum dicti sanguinis, hujusq; unione cum Verbo.

AB hîc unione pendet quàm maximè dignitas, adeoque cultus sanguini debitus: quare de utroque disputandum hoc capite, & quidem primò, de unione; postea de cultu. Suppono contra Durandum, communem certamque sententiam, quòd in Incarnatione Verbum immediatè sanguinem assumpserit, ut carnem; ita ut non minùs sanguis, quàm caro, atque etiam ossa, ejus subsistentiâ subsistat: quia, ut sæpè D. Thomas, sanguis spectat ad veritatem naturæ, & integritatem corporis, adeoque humanitatis, tamquã pars integralis: quare, nisi sanguis, non fuisset assumpta integra humanitas. Eadem est ratio de tribus aliis humoribus sanguini immixtis, atrâ, & flavâ bile, & phlegmate, quos etiam Patres comprehendunt sub sanguine, ut hunc sub humanitate. 333.

Sanguis immediatè à Verbo assumptus.

Dico Primò: Etsi totus sanguis Christi manserit Verbo unitus triduo mortis, non mansit tamen probabiliter relictus in terris post resurrectionem. Tota est jam communis Theologorum. Prior pars valdè olim disputata fuit inter Doctores Dominicanos & Franciscanos, his negantibus, illis affirmantibus, 334.

Sanguis effusus in triduo mortis mansit Verbo unitus; nõ tamẽ probabiliter relictus postea in terris.

tibus, triduo sanguinem mansisse unitum; adeò ut hæc controversia Brevi Pontificio à Pio II. componi debuerit, quo utrique parti prohibetur cẽsura & damnatio alterius.

Probatur Primò, ex Scripturâ ad Hebr. 9. *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi?* Et 1. Petr. 1. *Scientes quòd nõ corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi.* Quæ loca citat Clemens VI. Extrav. *Unigenitus*, de pœnitent. & remiss. additque: *Non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani suffecisset, sed copiosè velut quoddam profluvium noscitur effudisse.* Verba, *Propter unionem*, omninò significant, sanguinem habuisse vim sanctificandi & redimendi, ratione non tantùm acceptionis Dei, quæ potuisset convenire sanguini hircorum. Quamvis ergo omnis Christi actio, adeoque fusio sanguinis, quia personæ infinitæ, sit dignitatis & valoris infiniti; præterea tamen sanguis ex parte sui, & objecti sortitus fuit dignitatem infinitam, ratione ejusdem unionis, quatenus pretium oblatum & persolutum. Fuit autem pretium solutum, quatenus fusus: ergo fusus non debuit illam dignitatem ejusque fundamẽtum unionem amittere: sic enim amisisset illam tunc præcisè, cùm eâ maximè opus fuit.

Unde apparet, hanc sententiam satis certam, & omninò veriorem esse. Imò non desunt qui dicant, etsi non satis probent, definitam esse. Quæ ratio etiam valet de sanguine postea relicto in terris, scilicet pro triduo.

Probatur Secundò, ratione, 335.
quia antequam funderetur, erat unitus Verbo: nec Scriptura nec Patres dicunt fuisse separatum; imò indicant contrarium; tum modis loquendi jam allatis; tum quia universim dicunt mansisse unitam humanitatem Christi, cujus sanguis manebat pars, quasi potentia paulò pòst corpori restituenda.

Neque ideò in triduo dicendum erat: Sanguis fusus est Deus, eâdem ratione qua id non dicitur de unito corpore, vel carne: quia unio hypostatica non fundat communionem idiomatum, nisi inter duas integras substantias, supposita, seu hypostases.

Probatur jam posterior pars: 336.
quia de sanguine relicto in terris post resurrectionem cessant rationes allatæ, quia & pretium redemptionis plenè antè persolutũ fuit, & sanguis desiit esse pars etiam potentiâ corporis, cui numquam est restituendus, prout replicatus in terris. Addidi tamen in conclusione *Probabiliter*, propter conclusionem ultimam.

337. *Sanguis Christi relictus magnâ veneratione colendus.* Dico Secundò: Sanguis Christi relictus in terris colendus est eximiâ quadam veneratione, tamquam reliquiæ omniũ divinissimæ ac pretiosissimæ. Est cõmunis Catholicorum, & sequitur ex jam dictis. A fortiori definita est à plurimis Conciliis, Synodo VII. seu Nicenâ II. Lateranensi sub Innocentio III. Carthaginensi V. Braccarensi, Moguntino, aliisque, quibus probatus est in genere cultus reliquiarum contra hæreticos λειψανομάχες, cum quibus etiam damnati fuerunt nostri temporis hæretici, antequam fuere.

Probatur Primò, ex verbis Scriptur. & Apostolorum citatis, præsertim D. Petri, à quo nominatim sanguis Christi dicitur pretiosus, Græcè τίμιος, quæ vox etjam significat honorandus, venerabilis. Imò posset dici ὑπερτίμιος, supervenerabilis præ omnibus aliis reliquiis, ob rationem nunc afferendam. Gregorius item Nazianz. orat. 1. in Julianum, paulò ante medium in illum invehitur, quòd etiam sanguinem Christi, putà relictum in terris, contempsisset. *Non victimas*, ait, *pro Christo cæsas reveritus es; non ipsum Christi sanguinem.* Et paulò pòst: *Quorum vel sola corpora idem possunt, quod animæ sanctæ, sive manibus contrectentur, sive honorentur: quorum vel solæ sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa idem possunt, quod corpora. Hæc non colis, sed contemnis & aspernaris, qui Herculis rogum admiraris?* Quâ item ratione dici potest guttam sanguinis Christi idem posse, quod Christum: scilicet moraliter, quia honor illius in ipsum Christum remuneratorem redundat.

Probatur Secundò, ratione, ex universali principio lumine natu- 338. *Unde dignitas in sanguine?*
ræ noto, omniumque gentium usu recepto: quòd persona venerabilis morali communicatione talia efficiat omnia, quæ se attingunt, idque prout persona fuerit magis vel minùs digna, aliaque magis vel minùs eam attingunt: cùm ergo persona Christi sit infinitè digna, & sanguis illam proximè contingat ut ejus pars, imò & ab illâ seu Verbo assumptus fuerit, imò maneat, quatenus idem est in cælo; negari non potest, quin summâ quâdam veneratione dignus sit, quâ non tractetur nisi singulari decentiâ ac reverentiâ. Juxta alterum principium æquè certum clarumque: *Sancta sanctè tractanda sunt*, sanctissima ergo sanctissimè. Quæ ratio eamdem dignitatem ac venerabilitatem probat convenire sacro præputio, præ omnibus aliis reliquiis. Verùm singularis omninò etiã præ præputio sanguinis prærogativa est, esse lytrũ seu pretium redempti mundi, juxta dicta præced. conclusione, & communem Christi fidelium sensum. *Sanguis in cultu, sacro præputio prævalet.*

Cujus ratio ulterior afferri potest, quòd, cùm Christus circumcisus fuit, justo Sanctissimæ Trinita- 339.

tis decreto necdum fuerit tempus consummandi, vel acceptandi pretium redemptionis mundi, ut fuit cùm sanguine ejus fuso, & Christo moriente, totum consummatum est. Quare etiam Verbum debuit mansisse unitum sanguini aliquanto post fusionem, ut dixi, secùs quàm præputio post circumcisionem. Itaque sicut Christus redemit mundum potiùs morte, quàm circumcisione: ita potiùs suo sanguine in passione fuso, quàm præputio.

Unde sequitur, quod dixi in conclus. Christi sanguinem eo sensu esse reliquias omnium omninò pretiosissimas & venerabilissimas etiàm præ præputio. Nolo hîc fusiùs aut peculiariter probare cultum sanguinis Christi hæreticis nostri temporis: tum quia illis etiam deberent sufficere rationes allatæ, ex quibus satis constat, hanc non esse superstitionem, aut cultum indebitum, sed non cultum esse impietatem & fraudationem cultûs debiti sanguini, adeoque ipsi Christo: tum quia non possum credere ipsos fore tam in Christum ejusque sanguinem impios & inhumanos, ut nullo hunc honore dignum censeant, si credant aliquem in terris superesse: quod ipsum satis probatum est. Sanctorum aliorum reliquias mirum non est illos contemnere, qui ne quidem Sanctos ipsos colendos existimant, secùs quàm Sanctum Sanctorum Christum.

Dico Tertiò: Non meretur tamen sanguis probabiliter, ratione sui, latriam seu propriam adorationem, nisi indistinctam ab adoratione Christi, cujus apprehendatur ut pars. 340. *Sanguis non meretur latriā distinctā ab adoratione Christi.*

Prior pars constat ex posteriori parte conclus. primæ, quia à Verbo dimissus est in terris: ergo non potest jam illum cultum mereri ratione assumptionis hypostaticæ, secùs quàm triduo mortis. Certius est non mereri cultū ratione sui, cū sit creatura, eaque expers rationis.

Posterior pars conclusionis probatur & explicatur eadem ratione, quà adoratio imaginum Synodo VII. cit. act. 1. & 4. quà citatur Leontius Episcopus, ut etiam à Damasceno orat. 3. de imaginibus: *Ego*, inquit Leontius dialogo inter judicem & Christianum, *imaginem Christi adorans, non lignorum aut colorum naturam adoro: absit, sed inanimatum characterem Christi: hunc enim cùm habeam, per ipsum Christum me tenere & adorare mihi videor. quemadmodum enim Iacob accipiens à filiis suis vestem sanguine conspersam Ioseph, cum lacrymis eam osculatus est, suisq; oculis circumposuit; non ipsam vestem diligendo, aut honorando, hoc fecit; sed per eam arbitratus est se Ioseph osculari, & in manibus habere.* Et infrà: *Tu verò cùm me criminaris, quòd ut Deum lignum crucis adoro; quid est quamobrem non vertis in crimen Iacob adorantem in summitate baculi Ioseph*

Sanè

Sanè manifestum est, quòd lignum non adoravit, sed per lignum Ioseph, quemadmodum nos per crucem Christum. Optimum est hoc argumentum, etiam auctoritate Scripturæ contra hæreticos: quia constat virgam Joseph fuisse figuram crucis; & vestimentum cruentum Joseph, sanguinis, sindonis, aliorumque instrumentorum passionis Christi; quid ni ergo liceat similiter, ac deceat Christianos, in cruce, aliisque instrumentis passionis, præsertim sanguinis, sistere præsentem, osculari & adorare ipsum Christum? Imò hoc à tanto tempore suo nos exemplo docuit & hortatus est sanctissimus Patriarcha.

341. Probatur deinde, & explicatur ratione: quia etsi colentes Christi sanguinem, (eademq; est ratio de aliis reliquiis) sæpè sistamus animum contenti solâ veneratione; sæpiùs tamen hoc quasi gradu altiùs ascendimus ad ipsum Christum, quem contingit refertque; ita, ut sicut Jacob in veste, ita nos in sanguine ipsum Christum intellectu apprehendamus adoremusque. Quo ipso etiam adoramus vel coadoramus sanguinem, ut ejus partem.

Ubi adverte aliquam differentiam inter reliquias & imagines: quòd in illis v.g. sanguine, Christus apprehendatur præsens, ut in sui parte; hæ verò apprehendantur, non ut partes, sed ipsa prototypa. Quo ferè modo etiam hæretici Deum cùm adorant, velint, nolint, imaginantur sibi imagine quadam internâ, quam aptè Catholici dirigunt & conformant externæ.

Dico ultimò: Non est tamen improbabile, etiam post resurrectionem Verbum mansisse unitum hypostaticè sanguini relicto in terris, ideoque huic deberi cultum latriæ, etiam ratione sui absolutè, non tantùm ratione totius humanitatis respectivè. Hoc expresè docet Valent. 3. parte disp. 1. qu. 5. puncto 1. etsi non probet; & dicunt probabile Rupertus de Liceo serm. illo 71. ac Pelbartus serm. 8. Idem indicat Major cit. num. 327. *Vix, ait, sufficienter docetur, an ille sanguis fuerit à Verbo dimissus, etsi communiùs putetur.* Idem supponit Boucher citatus. 342.

Non improbabile est post resurrectionem, sanguinem relictum unitum mansisse Verbo.

Quis illi cultus debitus?

Suppono posteriorem conclusionis partem sequi ex priori: quod item colligitur ex proximè dictis: quia sanguinem esse unitum hypostaticè Verbo, est esse unitum cum illo suppositum: quæ autem non differunt supposito, non debēt distingui aut separari cultu, sed eodem simul adorari; aliàs neque fuisset illi debitus in triduo, nec deberetur humanitati Christi. Idem ergo cultus, qui Verbo, debetur etiam sanguini assumpto ratione sui, id est, etsi nō apprehēdatur ut pars Christi reliquæ humanitati conjuncta, sive, etsi nō colatur ac adoretur simul Christus.

Unde

343. Unde apparet, cultum hunc sanguinis esse distinctum à cultu humanitatis, non tamen à cultu ipsius Verbi. Nec refert, quòd non ideò sanguis debeat dici Deus, quia id spectat modum loquendi: aliàs conveniunt illi omnia physica & moralia, ac si diceretur Deus. Quare si non esset pars, ab eâdem unione denominaretur Deus, eodem fundamento, quo v.g. lapis, cui Verbum sic uniretur. Imò aliqui non putant absurdum, sanguinem sic unitum dici Deum, scilicet per cõmunicationem idiomatum, quo modo cum Augustino intelligunt de Christo, ejusque sanguine ad litteram illud Psalmi, *Sicut aqua effusus sum.*

An sanguis sic unitus dici possit Deus?

344. Probatur ergo prior pars. Primò: quia constat Verbum cum eodem illo sanguine unitum fuisse, idque in terris, nec ullâ auctoritate & efficaci ratione constat fuisse separatum: ergo non debet spoliari quasi possessione tam nobilis unionis. Antecedens de auctoritate constat: quia nulla affertur. De ratione probatur: quia, etsi cesset ratio unionis peculiaris triduo, ut dixi; est tamen alia sufficiens, ne tam arcta unio dissolvatur postquam facta est: Primò, dignitas sanguinis; Secundò, fructus spiritualis noster, & devotio liberè illum colendi & adorandi absque omni scrupulo, & periculo superstitionis, cui Christus tanto dono maximè voluit consultum. Certè Christi fideles videntur sæpiùs illum colere etiam latriâ, ratione sui absolutè, non respectivè ratione totius humanitatis Christi, à quâ sciunt illum reverà esse separatum.

Confirmatur Primò, axiomate ab omnibus recepto: *Quod Verbum semel assumpsit, numquam dimisit*: cui conforme est illud: *Sine pœnitentiâ sunt dona Dei*: atqui sanguinem illum semel Verbum assumpsit: ergo. Itaque positivo argumento insuper constat quòd sanguis numquam à Verbo fuerit separatus. Scio illud axioma solere explicari de partibus integris, totâ carne ac sanguine; cùm omnes fateantur dimitti à Verbo partes materiæ, vi caloris naturalis continuò resolutas in mortali corpore Christi, uti nostro. Sed hæc responsio non satisfacit. Primò, quia absque causâ limitat verba, sensúmque dicti axiomatis. Secundò, quia eadem ratio, quæ de aliquibus partibus, probat de omnibus, quæ spectant ad veritatem & integritatem naturæ, ut spectat quævis sanguinis pars. Quoad partes illas materiæ non propriè dimittuntur ab ipso Verbo, sed vi caloris naturalis illi subtrahuntur cùm pereunt, adeò ut sine novo miraculo conservari non possent; secùs omninò quàm sanguis à corpore separatus, qui manet.

Confirmatur Secundò, à pari: non minor est unio hypostatica, quàm Eucharistica: atqui hâc Chri-

Christus manet unitus sacramentaliter speciebus, quamdiu manent juxta communem sententiam: ergo & illâ Verbum sanguini, quamdiu hic manet, cùm præsertim Verbum nihilominùs maneat in omnibus, etiam sanguine, intimè præsens, secùs quàm Christi humanitas.

Probatur præterea conclusio: quia in multorum sententiâ idem numero sanguis non potest uno loco manere Verbo unitus, in altero manere non unitus; cùm unio sit quid sanguini intrinsecum abstrahens à loco: cùm ergo idem numero sanguis maneat unitus in cælis, debebit etiam manere unitus in terris.

345. *Præputiū & sanguis ejus in circumcisione, non dimissus à Verbo.*

Ex quibus sequitur, idem dicendum de præputio, ac sanguine Christi fuso in circumcisione: quod ipsum videtur conformius sensui fidelium, videlicet non magis in circumcisione, quàm passione sanguinem simul à Verbo fuisse separatum, cùm à corpore: si tamen separatus à Verbo non fuerit, non est ratio de eo dicendi cur & quando postea.

Denique his rationibus additur regula sæpiùs tradita, quòd deligenda sit & sequenda opinio magis pia, si probabilis: atqui hæc saltem est probabilis ob rationes dictas, estque magis pia: quia haud dubiè spectat ad summam dignitatem cultumque absque scrupulo sanguinis in terris relicti, ad excitandam erga illum devotionem fidelium: ergo sequenda.

Ex quibus videtur sequi, hanc sententiam esse probabiliorem contrariâ, saltem practicè, imò & speculativè à principiis intrinsecis rationum, etsi altera prævaleat principiis extrinsecis auctoritatum. De eximiâ tantarum reliquiarum dignitate cultuque vide dicenda in fine capitis ultimi, quibus hæc confirmantur.

Nulla indecentia quòd sanguis Christi maneat hîc accidentibus obnoxius.

Unus tamen videtur superesse scrupulus, quædā indignitas & indecentia, quòd particula sanguinis, vel etiam carnis attrectabilis variisque accidentibus obnoxia, maneat unita Verbo hypostaticè. Sed Primò, potest hoc argumentum retorqueri; quia potiùs indignum Christi sanguine, & indecens videtur manere privatum dignissimâ illâ unione. Secundò, verè id non est indecens ob rationes afferendas cap. citato. Tertiò, si esset quid indecentiæ, cessaret ratione replicationis, quâ particula eadem omninò in cælo gloriosa apparet, etsi non in terris: quemadmodum etiam ipsa Christi humanitas hîc latens sub speciebus sacramentalibus.

CAPUT XXIV.

De scrupulis circa veritatem, cultumq; apparentis in Sacramento Eucharistiæ Christi carnis, & præsertim sanguinis.

346. SOlet hic sanguis dici, quia verè est, miraculosus, quatenus naturali specie contra communem cursum rerum, Deique providentiam apparens & ostensus, secùs quàm relictus è passione. D. Thomas 3.p.quæst.76.art.8. duplici ratione hujusmodi apparitiones explicat: Primò, per solam immutationem oculorum, nullam ipsius Sacramenti, aut specierum sacramentalium; Secundò, per immutationem specierum, ita ut hæ verè recipiant figuram rei apparentis. Primo modo explicat apparitiones uni atque alteri tantùm factas. Secundo factas omnibus, & per longum tempus. Quam sentētiam communiter amplectuntur Thomistæ, ibique interpretes, etsi obnoxiam gravibus difficultatibus; quare valdè inter sese dissentiunt in eâ explicandâ, ut postea indicabo.

Apparitiones has sanguinis quomodo D. Thomas explicet

Suppono hisce etiam apparitionibus applicanda esse dicta cap.21. ac prudenter divinas à diabolicis discernendas, signis ibidem indicatis num.296. Quare hæc tantùm disputo de divinis.

Nota Primò, aliud esse quærere an & quamdiu Christus maneat in ejusmodi mutationibus sacramentaliter, seu modo spirituali & indivisibili; aliud, an ille, vel illud ipsum quod apparet, sit verè Christus, sit caro vel sanguis, existens modo naturali & extenso, quo apparet, non spirituali & indivisibili. Quod attinet ad prius, communis sententia est tam diu manere Christum sacramentaliter sub speciebus panis & vini, quamdiu ipsæ manent; quam hîc non disputo, sed suppono. Quoad posterius, illud item extra controversiam est, Christum ejusque partem sic apparentem non debere, imò nec posse sumi: quia id fieret repugnante naturâ, & contra finem ejusmodi apparitionum à Deo intentum, qui est ut per illas probetur veritas præsentiæ Christi, ejusque carnis & sanguinis, non comedentibus, sed spectantibus. 347.

Quid Sacerdoti faciendū, si sanguis in hostia appareat?

Quare putant aliqui, iis casibus jure divino debere consecrari novam hostiam, aut vinum quod sumatur. Alii tamen veriùs & communiùs docent Christum eo facto cum illâ lege dispensare, cùm præsertim ipsum sacrificium peractum sit consecratione; adeoque non manere præceptum novæ consecrationis, sed ut summum consilium.

Nota Secundò, quod bene advertit Coninck, Christum secundùm unam sui replicationem in 348.

Qua ratione Christi

hoc

Sanguis manere possit in Sacramēto apparitio: in hoc Sacramento, uti desinere, ita posse se extendere localiter, idque quasi tantùm permittendo resultantiam naturalis modi ac passionis sui corporis, etsi secundùm alias replicationes maneat sacramentaliter & localiter inextensus.

Addo, idem eâdem ratione dicendum esse de parte aliquâ corporis, seu carnis & sanguinis Christi, non ita ut ille secundùm aliquam sui replicationem maneat sacramentaliter mutilus, carens aliquâ sui parte; sed ita, ut secundùm aliquam saltem replicationem desinens, & quasi hinc discedens, aliquid sui relinquat ad consolationem ac confirmationem fidelium, ut reliquit discessurus ex hoc mundo. Ad quod non est opus voluntate quidquam adducendi, vel producendi, sed tantùm relinquendi, quod ibi erat. Neque oportet hîc imaginari violentam aliquam compartium divulsionem, aut sanguinis è venis fluxum: quia tantùm, reliquo Christi corpore aliunde hîc desinente, remaneret & naturaliter extenderetur una particula, aliàs quoque desitura: simili ferè modo non avelluntur violentè corporis nostri partes, cū aliquæ aliis remanentibus actione caloris naturalis continuò absumuntur. Imò sicut anima continuò desinit informare aliquas sic absumptas partes; ita de facto Christus subesse aliquibus specierū particulis continuò pereuntibus.

Nota Tertiò, dupliciter aliqua posse apparere. Primò, purè repræsentativè ac similitudinariè, quasi res gestæ, vel gerendæ repræsentarentur; vel secundùm se, vel secundùm aliquam similitudinem actione, vel comœdiâ. Secundo modo realiter, quando is vel id quod apparet, secundùm naturalem suam figuram & accidentia, nec aliunde ex circumstantiis constat agi figuratè aut repræsentativè. Quo etjam sensu ab omnibus distingui debent duo modi loquendi Scripturæ, quibus unum de alio affirmatur, vel repræsentativè, ut v.g. cùm dicitur: *Septem boves sunt septem anni*; *semen est verbum Dei*; vel realiter, ut cùm Christus dicit: *Hoc est corpus meum*: vel D. Joannes: *Deus erat Verbum*: &: *Verbum caro factum est*. 349. *Apparitio alia repræsentativa, alia realis.*

Dico Primò: Quando aliquid hoc Sacramento apparet primo modo, non apparet verè & realiter. Est communis & clara, ac probatur ex similibus phrasibus, ac parabolis sacræ Scripturæ, v.g. quibus narratur historia de filio prodigo, quæ etsi narretur quasi contigisset, verè tamen non contigit, ut explicat August. libro 2. Quæstionum euangelic. cap ult. Quando ergo simile quid simili modo repræsentatur, non debet verè esse, vel fuisse. Neque hîc est ulla deceptio, aut mendacium: quia ex intentione, communique sensu iis signis utentium aut percipientium, non signi- 350. *Si apparitio fiat repræsētativè, nihil apparet verè & realiter.*

 ficant

ficant ea veram rei significatæ existentiam, aut præsentiam. Quo sensu rectè Augustinus cit. etiam à D.Thomâ docet, quòd, cùm fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non sit mendacium, sed figura veritatis, scilicet fictione, signisque illis significatæ; v.g. conversionis peccatoris significatæ reditu filii prodigi; & misericordiæ Dei significatæ humanitate patris eum excipientis. Ita sine deceptione omnique mendacio exhiberetur comœdia de filio prodigo. Eademque omninò est ratio, si alicui Sancto vel Prophetæ per visionem aut apparitionem ostenderetur. Simili causâ dixi lib.5. cap.19. num. 188. passim licere restrictiones aut amphibologias obvias, secùs quàm occultas. Ejusmodi fuit apparitio, quam ex Metaphraste refert præter alios Bozius libr. 14. cap 7. de Signis Ecclesiæ: quòd scilicet Eremita in fide hæsitans viderit, dum sacerdos hostiam frangeret, Angelum gladio sacrificantem, & secantem carnem pueri. Quare bene addit Bozius id actum per similitudinem quamdam, ut veritas adumbraretur; qui longè aliter loquitur de aliis apparitionibus, juxta conclus. sequentem. Eadem est ratio, si fluat sanguis ex hostiâ vel imagine percussâ, aut pugione confossâ, quasi apertis vulnere venis Christi: quia clarum est eum sic esse modò invulnerabilem, ideoq; id tantùm exhiberi ad significandam gravitatem istius peccati, similem illi quo Christus verè vulneraretur. Quod item verisimilius videtur, ut dicam paulò pòst, de sanguine, qui fluxit ex hostiis Bruxellensibus & Gandensibus, ut suprà retuli. Simili modo S. Brigitta in manibus Neomystæ die Pentecostes vidit agnum, & in agno faciem hominis illum inflammantem, audivitque vocem, visionis juxta jam dicta interpretem, quòd Spiritus S. similiter inflammasset & descendisset in Apostolos.

Ex quibus collige, ejusmodi apparitiones fieri alterutro duorum modorum à D.Thomâ assignatorum. Primò, quidem scilicet per solam sensuum, aut potiùs imaginationis mutationem; quando fiunt in spiritu, seu ecstasi, multoque magis somno. Quo modo pleræque revelationes factę sunt Prophetis; imò & Apocalypsis Joanni, qui cap.1. testatur se tunc fuisse in spiritu seu ecstasi, vel altissimâ contemplatione. Quare non est verisimile, quod tamen asserit Rupertus, illum verè vidisse ipsum Christum: quod & ipse satis indicat, cùm ait se vidisse non Filium hominis, sed similem Filio hominis. Secundo modo, scilicet per specierum, vel potiùs solius corporis vicini mutationem fiunt, saltem sæpiùs, cùm similia apparent extra ecstasim. Quo modo vidit Spiritum sanctum, quasi columbam descendentem, è cælo Baptista, Joan. 1.

351. *Quâ ratione fiat hæc apparitio?*

Joan. 1. quod ipsum significatur voce, *Quasi*. Item variarum rerum specie Deus apparuit Moysi, & Judæis. Ubi clarum est nec columbam fuisse Spiritum sanctum, nec rem illam Deum, cujus specie Deus apparebat. Potuisset quidem absolutâ suâ potentiâ Deus res istiusmodi assumere hypostaticè, quo facto columba, v.g. fuisset Spiritus sanctus; sed clarissimum est, hoc nec factum esse, nec à Scripturâ, aut ejusmodi apparitione significari.

352. *Probabilius aliquando ipsum Christum realiter in Sacramento apparere.*

Dico Secundò: Probabilius, vel saltem probabile, videtur ipsum Christum, ejusque carnem aut sanguinem verè & realiter secundùm naturalem figuram, & extensionem in Sacramento Eucharistiæ apparere; scilicet quando apparet secundo illo modo. Ita expresse Alexander de Hales 4.p.quæst.53. memb.4. art.3. & Gabriel lect.51. in Canonem; nec obiter sed fusè relatâ & refutatâ contrariâ sententiâ; quamvis prudenter & modestè, ut exigit res tam sancta & arcana, à Dei voluntate pendens. *Imitandus est mihi*, ait Gabriel, & ego cum ipso, *Doctor irrefragabilis Alexander, Qui nihil*, inquit, *desiniendo, vel asserendo dico, sed salvâ sententiâ meliori tantùm opinando*. Ex quibus aliisque clarum est, utrumque hoc opinari. Idem utroque loco docet Major cit.num.314. & Palacius apud Suarez in dict. art. sect.2. & multi alii citandi probatione 2. Eamdem sententiam publicè docui Lovanii, Præfecto studiorum P. Lessio, & collegâ P. Coninck, qui ambo privatim à me consulti censuerunt illam probabilem. Quod attinet ad D. Thomam, & ipse pro conclusione citat quosdam, nec aliis verbis eam rejicit, quàm: *Sed hoc videtur esse inconveniens*. Cujusmodi verbis cùm utitur, etiam Thomistæ putant sibi non esse illicitum ab eo recedere, nominatim Sylvest. in quæst. discussâ cap.22. de sanguine relicto è passione; præterquam quòd plerique non admittant fundamentalem ejus rationem: *Quia*, inquit, *corpus Christi non potest in propriâ specie videri, nisi in uno loco*. quod intelligit etiam de potentiâ Dei absolutâ. Quod autem addit nefas esse sentire de Christo, secundùm propriam speciem reservari in pyxide, intelligit, ut verba sonant, de ipso Christo, ejusque parte cum reliquo corpore conjunctâ, de quâ tantùm procedit altera ejus ratio: non autem de parte carnis aut sanguinis separatâ, de quâ nusquam conclusionem negat. Aliàs esset etiam nefas id sentire de sanguine Christi relicto è passione, quod ipsum est nefas dicere vel sentire. Quare non magis nos ab illo dissentimus, quàm alii qui profitentur se illum sequi, ut magis constabit paulò pòst.

Probatur Primò, à sensu contrario ex primâ conclus. & dictis

cap.21.num.298.ac communi sensu Patrum, imò Apostolorum, adeoque Ecclesiæ: quòd universaliter ejusmodi apparitiones Christi, eâdemque ratione B. Virginis, aliorumque sint veræ ac reales, non tantùm similitudinariæ ac figuratæ. Quod ob rationes afferendas potiori jure dicendum est de factis in Sacratissimo Sacramento; de quibus speciatim id ostenditur, simulque probatur auctoritate Patrum, Pontificum & Doctorum eas sic explicantium, & communi Christi fidelium sensu, easdem sic recipientium.

Probatur ex dictis Pontificũ, Patrũ, & Doctorũ.

353. *Sacerdos Christum in hostiâ amplexus.*

Primò, Paschasius Abbas lib. de Corpore & sanguine Domini, cap. 14. narrat cuidam sacerdoti, qui id rogaverat, dixisse Angelum: *Adest præsens corporeo vestitus amictu, quem sacra Puerpera gessit. Tum Venerabilis Presbyter vidit super aram Patris filium puerum, quem Simeon infantem portare suis ulnis promeruerat. Cui Angelus inquit, quia Christum videre placuit, quem priùs sub specie panis verbis mysticis sacrare solebas, nunc oculis conspice, manibus attrecta. Tum sacerdos cælesti munere fretus, quod dictu mirum est, ulnis trementibus puerum accepit, & pectus proprium pectori Christi junxit. Deinde profusus in amplexum, dat oscula Deo, & suis labiis pressit pia labia Christi. Quibus ita exactis, præclara Dei membra restituit in verticem altaris, & replerit cælesti pabulo Christi mensam.* Tum rursus *homo prostratus, deprecatus est Deum ut dignaretur ipse iterum verti in pristinam speciem: qui expletâ oratione, surgens à terrâ, invenit corpus Christi in formam remeasse priorem.* Quis dubitet, quin & venerabilis ille Sacerdos putarit illum ipsum esse Christum, quem vidit, amplexus & osculatus est, illumque ut præsentem adoraverit, & id senserit, & significarit Paschasius hisce verbis? Fatetur hoc etiam de apparitionibus ipsius Christi Coninck, secùs quàm carnis vel sanguinis: sed præterquam quòd sit eadem de iis ratio,

Secundò, ostenditur de carne. Ipse Gregorius Magnus, teste Joanne Diacono in ejus Vitâ lib. 2. cap. 41. cùm hostiam esset porrecturus incredulæ mulieri, ut illam in fide confirmaret, cum totâ plebe oravit, & post paululum surgens, particulam panis, quam super altare posuerat, carnem factam reperit. Quo signo credente feminâ, rursus post orationem, carnis frustum in panis primordia reformavit. Quod miraculum quia negabant Berengariani, egregiè propugnat Guitmundus libr. 3. de Sacramento, ante medium, addens Gregorium portionem Dominici corporis in specie veræ carnis, quasi digiti auricularis ostendisse. Si id quod apparuit, non fuit vera caro, sed tantùm ejus signum, præsertim in oculo, quomodo panis caro factus est, & caro in primordia panis reformata? Quomodo item

354. *Gregorio Magno orante, hostia in carnem versa.*

item Gregorius ostendit portionem Dominici corporis, idque in specie veræ carnis? In contrariâ sententiâ, quia apparitio non diu duravit, dicendum esset, nil eorum factum fuisse, sed tantùm visum fuisse fieri mutatione factâ circa oculos spectantium, nullâ circa Sacramentum. Similem conversionem Sacramenti in carnem retuli cap.22.num.308. factam Middelburgi nostro Belgio, eâ differentiâ, quòd hæc etiamnum religiosè servetur colaturque Lovanii.

355. Tertiò, carnis simul ac sanguinis memorabilem apparitionem & miraculum refert Guitmundus cit. lib.2. post initium: *Quod*, ait, *mihi magister meus, vir eximius, sine dubitatione credendus, Lanfrancus se puero in Italia factum esse narravit: nam cùm Presbyter quidam Missam celebrans, inventam super altare veram carnem, & verum in calice sanguinem secundùm propriam carnis & sanguinis speciem sumere trepidaret, rem protinus suo Episcopo, consilium quæsiturus, aperuit. Episcopus autem, cum multis Coëpiscopis ad hoc convocatis, calicem illum cum eâdem carne & sanguine Domini diligenter opertum, ac sigillatum, in medio altaris inclusit, pro summis reliquiis perpetuò reservandum.* Nota verba: *Veram carnem, verum sanguinem; propriam speciem carnis & sanguinis Domini.* quibus nil clarius dici potest pro nostrâ sententiâ.

Apparitio carnis & sanguinis in Italia facta, è Guitmundo & Lanfranco.

356. Adverte Primò, satis inde colligi etiam Episcopum & Coëpiscopos, atque adeò Concilium quoddam eidem sententiæ subscripsisse, ne dicam definivisse, præter Guitmundum & Lanfrancum Archiepiscopum, qui & ipse eamdem clarissimè tradit lib. de Sacramento ante medium, his verbis: *Nec defuere quibusdam dubitantibus digna miracula, quibus rerum visibilium atque corruptibilium ablatis tegumentis, sicuti reverà est, apparet corporalibus oculis caro Christi, & sanguis.* Æquè clarè idipsum docet Algerus, è Canonico Leodiensi Cluniacensis Monachus, libr.1. de Sacramento cap.13. agens de miraculis, quibus Deus dignatus est mysterii Eucharistici secreta revelare: *Quæ nimirum*, ait, *facta esse non ignorabit, quisquis studiosiùs sanctorum Patrum gesta legerit, quæ testantur Sacramentum corporis & sanguinis Christi, ablatâ panis & vini specie, carnem & sanguinem naturali suâ specie, sicut esse solet, exhibuisse.* Iterum infrà: *Item cùm carnem & sanguinem suum naturali suâ specie fidelibus suis revelare dignatus est.* Neque hæc verba egent explicatione. Nota verba, *naturali suâ specie* secundò repetita; &, *sicut esse solet.*

Adverte Secundò, Paschasium, Lanfrancum, Guitmundum, & Algerum esse maximæ auctoritatis, 357.
præsertim in hâc materiâ; tum quia fuerunt viri sanctissimi; tum quia ab annis 500. primi hæresim Sacramentariorum magnâ Eccle-

siæ

siæ approbatione refutarunt, & mysterium Eucharistiæ, aliaque eò spectantia, accuratè explicarunt; adeò ut Petrus Abbas Cluniacensis, vir item sanctissimus ac doctissimus, de tribus ultimis dicat, primum de hoc Sacramento benè, plenè, perfectè; sequentem meliùs, pleniùs, perfectiùs; ultimum optimè, plenissimè, perfectissimè, disseruisse. Quâ de causâ retuli ipsa eorum verba minùs aliàs obvia; quæ, puto, si expendissent Scholastici, non conspirassent in contrariam sententiam.

Confirmatur. Ut expresè testantur acta Concilii Romæ coacti contra Berengarium, ipse in hoc Sacramento figuram tantùm conabatur adstruere, adeoque verba Scripturæ de eodem explicabat per figuras & signa, ut modò Sacramentarii: ergo non est ullo modo credibile Patres citatos, ut istas explicationes modosque loquendi refutarent, iisdem fuisse usos, per veram carnem & sanguinem Domini intelligendo eorum signa; quo modo non confutassent, sed confirmassent dictam hæresim. Potuissent enim olim Berengariani, & nunc Calvinistæ, omnia illa miracula recipere ad confirmandam suam hæresim; & dicere Deum ipsum testari modum Christi existendi in Sacramento, ut sui signo ac figurâ, figuratis istis miraculis; adeoque non esse verè & realiter in Sacramento corpus & sanguinem Christi, etsi ejus corpus & sanguis ab ipso Christo & Patribus dicatur; sicuti non est reverà corpus & sanguis Christi, quod circa illud apparet, etsi videatur.

Unde apparet, Berengarium, cùm negavit ejusmodi miracula, ideò negasse ne Catholicis cogeretur concedere, ibi verè & realiter apparere, adeoque existere corpus & sanguinem; & morientem contrario sensu ea admisisse, quando, ut referunt auctores citati, dixit: *Nos sanè credimus post benedictionem Ecclesiasticam illa mysteria esse verè corpus & sanguinem Salvatoris; adducti & veteri Ecclesiæ auctoritate, & multis noviter ostensis miraculis.*

Quartò, de sanguine, Onuphrius in Platinâ in vitâ Vrbani IV. narrat quemdam Sacerdotem post consecrationem de veritate mysterii dubitasse, additque: *Vnde statim dictu & auditu mirum, ex sanctißimâ quam manibus tenebat, hostiâ, vivus sanguis manare cœpit, & totam mappam, quam corporale vocant, tinxit: quo miraculo attonitus Pontifex Vrbanus IV. corporale primùm ad se, ab Episcopo loci cum processione Vrbem-veterem transferri voluit, & illud solennitate institutâ in Ecclesiâ Vrbe-vetanâ recondidit.* Quæ omnia ex ejusdem Pontificis bullâ, quæ adhuc exstat, intelliguntur. Unde constat eadem, quæ ab ipso, narrari bullâ Pontificis, quam ego non vidi. Nota hîc verba, *vivus sanguis:* ergo non erant tantùm species sanguinis,

358. *Apparitio sanguinis Vrbe-vetani teste Onuphrio.*

guinis, vel in oculo, vel in hostiâ. Secundò; *manans è vivo corpore*, non aëre. Addit Onuphrius, & ex ipso alii, hoc vulgatissimum esse, eamque fuisse occasionem quâ Pontifex per totam Ecclesiam instituit festum Vener. Sacramenti, atque illius successorem Nicolaum IV. 25. annis pòst, anno Domini 1290. maximâ solennitate, & hominum, Episcoporum, Cardinalium concursu, post amplissimas Indulgentias sanctum corporale posuisse in magnificentissimo templo in dictâ civitate hoc fine ædificato, cujus ipse Pontifex primum lapidem posuit.

Occasio instituti festi corporis Christi.

Simile omninò miraculum contigit in nostro Belgio ac Brabantiâ Boxtellæ, ubi etiam servatur simile corporale, eo tantùm discrimine, quòd in hoc ex calice, in illud ex hostiâ sanguis manarit: quod item à Pontifice Vrbano VI. vel ejus auctoritate Cardinali, præterquam ab Episcopo, approbatum fuit, ut retuli num. 305. qui vocant corporale illud sanguine Domini rubricatum, dicuntq; sanguinem, qui consecratus fuit, effusum fuisse, & apparuisse evidenter: atqui, qui consecratus fuit, fuit verus Christi sanguis: ergo etiam qui fusus apparuit, & hactenus servatur.

Boxtellæ apparitio sanguinis facta.

359. Quintò, similes apparitiones simili sensu narrant plures alii. Thomas Cantipratanus Ordinis S. Dominici, S. Theologiæ Doctor, & Episcopus Suffraganeus testatur se Duaci in tẽplo S. Amati circa miraculosum Sacramentum, vidisse faciem, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, spineam habentem in capite coronam, & duas guttas sanguinis de fronte per faciem descendentes. Mox igitur subdit: *Genibus flexis cum lacrymis adoravi*, scilicet illum eumdem quem videbat. Polydorus lib. 8. historiæ narrat Eduardum Regem Angliæ inter Missarum solennia vidisse Christum benedicentem, & similiter adorasse. Abrahamus Bzovius ad annum 1199. §. 42. & sequenti, narrat hostiam sacram apud Augustam Rhætiæ in veram carnis sanguinisque substantiam fuisse mutatam. Secundò, Augustæ Vindelicorum in carnem, quasi venulis quibusdam constrictam. Denique Bozius de Signis Ecclesię lib. 1. cap. 7. aliique afferunt plures ejusmodi apparitiones, & omninò supponunt, ipsum Christum apparere, ejúsve carnem vel sanguinem, quem proinde simpliciter vocant divinum, vel Christi.

Apparitio Christi Duaci exhibita.

Apparitiones à variis relatæ.

Ex quibus satis manifestum videtur, hosce auctores, imò Pontifices, Cardinales, Episcopos, Patresque citatos, imò Christi fideles communiter, nominatim eos quibus apparitiones factæ sunt, eas intellexisse, explicasse & recepisse sensu conclusionis. Certè sola signa sanguinis Christi, vel sanguis aliunde adductus, vel productus, non videtur dignus tanto cultu, solenni- 360.

Sensus fideliũ pro apparitione vera carnis, & sanguinis.

tate & honore, quanto Christi fideles, imò ipsi Pontifices dictum sanguinem, vel corporalia eo tincta digna censuerunt. Illorum autem consensus videtur opponi posse sententiæ Scholasticorum, qui cæco quodam modo sequuntur opinionem D. Thomæ, etsi, quod plerique fatentur, fundamento infirmo nixam, nec totam.

Sanguis quia miraculosus, non tanto honore dignus; quanto sanguis Christi.

Nec sufficit quòd sint signa, vel sanguis miraculosus, si non sit ipsius Christi: quia non ideò res sit secundùm se digna cultu ac veneratione, quia miraculosa: aliàs licuisset v. g. colere serpentem, in quem erat miraculosè conversa virga Moysis. Quare etiam minimè censeretur dignus ejusmodi cultu lapis, in quem, ut aliqui dicunt, hostia esset conversa, quamvis aliquâ religione servari posset, ut vestigium aliquod hostiæ, vel corporis Christi in ipsum conversi.

Eâdem ratione communi Christi fidelium sensu, non est tam venerabilis sanguis, qui fluxit ex imagine Christi, etsi æquè vel magis miraculosè, quàm qui manavit ex ipso Christi corpore, quamvis & ille coli possit, ut signum aliquod Christi sanguinis. Quare nec ab Athanasio citato suprà dicitur is sanguis Christi, aut Dominicus, etsi hoc nomine vocetur apocryphâ appendice. Ratio disparitatis ulterior est, quòd hic non fuerit adhibitus ad probandam veritatem sanguinis in imagine præsentis, ideoque verus esse non debuerit, secùs quàm sanguis Sacramentalis.

Distinguunt item aliqui inter 361.

Diversitas personæ, in quâ apparet Christus, non arguit ipsum aliquando nõ realiter apparere.

apparitionem Christi, ut pulchri viri vel pueri, qualem putant reverà apparere, secùs, quàm patiẽtem vel sanguinolentum, quòd talis verè modò non sit, ideòque non vitetur sic periculum simulationis ac deceptionis. Verùm eadem est ratio utrarumque apparitionum; imò potiùs ac sæpiùs constat Christum apparuisse posteriori modo, ut patientem, v. g. D. Petro, Cantipratano, aliisque, vel ejus tantùm carnem & sanguinem. Neque valet ratio disparitatis: tum quia Christus ne quidem jam est puer, qualis apparuit Paschasio: tum quia juxta piorum sensum, intentionem Christi, ac conclus. primam non sic apparet, qualis jam est, sed qualis aliquando fuerit. Constat enim, jam verè non esse puerum, nec patientem, sed fuisse, quod sufficit ad veritatem ac sinceritatem apparitionum. Similiter absque simulatione ac deceptione apparuit discipulis, ut peregrinus; Magdalenæ, ut hortulanus: quia postquam illis constitit esse ipsum Christum, satis constitit verè non esse peregrinum, aut hortulanum, sed tantùm assumptam illam figuram, ut se accommodaret loco, personis, aliisque circumstantiis. Sicut autem fuissent illi decepti, si Christus ipse non adfuisset, sed ejus loco alius; ita etiam juxta conclusionem

sionem deciperentur Christi fideles, si circa Sacramentum Eucharistiæ non appareret ipse Christus, ejusque caro & sanguis, sed tantùm ejus figura & signum.

362. *Incommoda, quæ sequuntur ex sententiâ negante realem Christi apparitionem.*

Probatur jam Secundò, conclusio rationibus jam indicatis. Primò, quia, ut ex dictis constat, aliàs non videtur negari posse, quin Christus simulatè egerit, & Christi fideles decepti sint, seu inducti in errorem, ab ipso Christo, idque speciali quasi concursu, seu industriâ, imò miraculo; quod quàm ipso sit indignum, ne dicam impossibile, constat ex dictis lib.5. cap.2.

Secundò, quia aliàs ejusmodi miraculis & apparitionibus Deus veritatem realis præsentiæ ac corporis sui sub Sacramento probasset per quamdam falsitatem, seu solam ejusdem apparentiam, quæ nec est congrua, nec efficax probatio, imò retorqueri posset, ut dixi, contra Catholicam doctrinam, ac realem Christi præsentiam. Quare rectè Alensis: *Si*, ait, *crederetur esse caro bovis, numquam propter hoc crederetur veritas ipsius Sacramenti; nec credi deberet; aliàs credulitas proveniret potiùs ex ostensione falsitatis, quàm veritatis.*

Confirmatur Primò, ex ipso D. Thomâ 3.p. quæst. 57. art.6. ad 3. ubi inde etiam probat, Christum realiter Paulo apparuisse, ut confirmaret resurrectionis fidem: *Quæ quidem visio*, inquit, *veritatem resurrectionis non probaret; nisi verum Christi corpus visum fuisset ab eo.* Atqui eâdem planè, imò potiùs majori, ratione in casu nostro visio non probaret veritatem præsentiæ corporis Christi, nisi verum corpus, caro, aut sanguis videatur. Quare planè puto D. Thomam sententiam nostram docturum fuisse, nisi putasset impossibilem: cujus item signum est, quòd in ejusmodi apparitionibus semper admittat Christi præsentiam Sacramentalem ac spiritualem, qualem putat possibilem, secùs quàm recentiores: scilicet ob eamdem illam rationem, quæ tamen planè salvari non potest, nisi etiam Christus, ejusque caro & sanguis ibi videatur; non tantùm sit, juxta dicta, & sensum Christi fidelium; qui veritatem Sacramenti colligunt non ex eo quod latet, sed quod apparet: hoc autem nihilominus esset tantùm signum, non ipse Christus, ejusque sanguis. Itaque recurrit hîc argumentum factum. Ceterùm D. Thomas cit. expresse addit, non derogari dignitati Christi, si ex peculiari dispensatione quandoque è cælo ad terram descendat, scilicet ejusmodi apparitionibus: quod satis certũ est fecisse etiam cùm occurrit matri suæ assumendæ in cælum: multò clarius est non derogari ejusdem dignitati sententiâ nostrâ, quâ sic apparet in terris, ut non ideò relinquat cælos.

Confirmatur Secundò: quia inter præstigias ac fascinationes,

& vera miracula communiter à Patribus & Doctoribus affertur discrimen: quòd illæ phantasticâ imagine oculis illudant, hæc non sint imaginaria, sed realia: quo modo signa magorum & Moysis distinguit nominatim Petrus Cluniacensis libro de Sacramento ante medium, ut sic contra hæreticos ostendat, quæ Deus in hoc Sacramento operatur, vera esse & realia. Unde item satis constat, eum non dissensisse ab Algero aliisque, quos adeò laudat.

363. *In apparitione nō reali Deus ad idololatriam induceret.* Probatur Tertiò, ac non tantùm suadetur, sed persuadetur conclusio, ut loquitur Gabriel: quia aliàs Deus non tantùm deciperet, sed incitaret ad idololatriam, quæ committeretur, ait, dum homines miraculo inducti in adorationem, tamquam veri corporis & sanguinis Christi, procumberent. Hoc autem apparet planè absurdum etiam de idololatriâ materiali, vel quavis superstitione cultûs indebiti. Quare adverte, firmius esse hoc aliaque argumenta, & certiorem conclusionem, cùm v. g. sanguis proponitur populo adorandus, præsertim permanenter: secùs si ostendatur brevi tantùm tempore, præsertim manente, quæ adoretur, hostiâ. Atque ita verisimilius videtur, non fuisse verum Christi sanguinem, quo etiam terra aspersa fuit Gandavi, neque illum qui copiosè fluxit ex hostiis Bruxellæ, ut retuli cap. 21. quibus jam nulla apparet sanguinis nota. Utrobique ergo, juxta primam conclusionem, apparuit sanguis similitudinariè ad significandam peccati gravitatem.

Probatur ultimò: quia, ut jam ostendi, hæc sententia non tantùm apparet conformior communi Christi fidelium sensui, ac pietati, veritati Sacratissimi Sacramenti, & sub eo corporis Christi, sincero modo agendi Christi, dignitati ac fini apparitionum; sed insuper minus miraculum admittit, quàm contraria: quia juxta illam Christus, ejusque caro aut sanguis, qui antè ibi erat modo indivisibili & supernaturali, tantùm incipit ibi existere, adeoque apparere modo extenso & naturali, ablatis tegumentis specierum sensibilium, ut loquuntur Patres citati, scilicet per resultantiam quamdam naturalem passionis antè supernaturaliter impeditæ: quod non tam videtur novum miraculum, quàm desitio antiqui. Replicatio enim ad id necessaria non fit de novo, sed supponitur facta. Vide not. 2. *Commoda orta ex reali Christi apparitione.*

Contraria sententia vel est impossibilis, vel pluribus eget miraculis, quod ostenditur de variis modis eam explicandi. Primò, aliqui admittunt cum D. Thomâ Christum esse sacramentaliter sub figurâ apparente, quam tantùm subierint dimensiones, seu quantitas panis vel sanguinis, aliaque accidentia manentia, quod saltem ordinariè contingere docet Sua- 364. *Varii Thomistarum modi explicandi Christi apparitionem non realē improbātur.*

rez;

rez; & semper Collius de sanguine Christi cap.10. ubi dicit in ejusmodi apparitionibus, scilicet sanguinis, numquam desiderari verum Christi sanguinem. In quo tamen non video, quî consistat quod docet cap. 6. verâ & propriâ sanguinis à Deo de novo producti naturâ non vacare liquorem, qui è Sacramento defluit, & diu servatur; nisi admittat sub iisdem accidentibus esse sanguinem hunc novum & Christi. quod repugnat communi Theologorum sensui, & accedit ad impanationem Lutheri, conjungentis Christum cum substantia panis, vel vini, sub hujus speciebus. Ceterùm quî concipi, vel fieri potest, ut manentes dimentiones exiguæ hostiæ, solâ immutatione reliquorum accidentium, subeant figuram hominis, vel sanguinis ex eâ fluentis? Quis dicat corporale illud Urbis-veteris tinctum esse accidentibus panis? non possunt ita distrahi, mutari & alterari accidentia panis, nisi sub iisdem desinat Christus sacramentaliter; qui juxta communem sententiam non manet sub iis diutiùs, quàm mansisset panis: hic autem non maneret sub accidentibus hominis vel sanguinis. Faciliùs formam sanguinis suscipere possunt accidentia vini; sed ne quidem sub his maneret is sacramentaliter, in corporali v.g. servato Boxtellæ: quia materia hujus Sacramenti est tantùm vinum, ut & panis usualis, quale non est vinum sic exsiccatum; aliàs contra commune judicium sub accidentibus vini, præsertim rubri, consecrati inspersis casu corporali maneret diutissimè Christus sacramentaliter.

Secundò ergo, alii recentiores admittunt produci subitò ex aëre vicino vel novum integrum corpus, vel substantiam, aut sanguinem affinem. Sed hoc, etsi possibile, videtur etiam majus miraculum, quàm nos admittimus. Quin potiùs dicunt adduci ex loco aliquo vicino, v.g. verum sanguinem, vitulinum aut humanum, qualis deprehenditur sensu & experientiâ, qui non erit minùs venerabilis humore recèns producto. Deinde isti apertè recedunt à sententiâ ac mente D.Thomæ, imò & Christi fidelium, dum negant manere verum Christi corpus & sanguinem. 365.

Tertiò, antiquiores ergo Thomistæ, ne hoc negent, dicunt Christum manere sacramentaliter sub novis accidentibus carnis vel sanguinis, in quæ panis & vini accidentia conversa sint. Sed novũ hoc erit miraculum; Primò, alia accidentia, quàm panis & vini, manere sine subjecto; Secundò, sub iis manere Christum. Quod attinet ad species Sacramentales, neque de iis est peculiaris difficultas in nostrâ sententiâ: quia totaliter aut partialiter vel manent, adeoque sub iis Christus, etsi occultentur, quod videtur contingere cùm apparitio- 366.

brevis est: vel, quod item facile est, ita alterantur ut esse desinant, adeoque sub iis Christus; quod videtur contingere cùm mutantur, seu in earum locum succedit caro & sanguis permanens.

Confirmantur hæc omnia regulâ illâ à Pontificibus servatâ, de sanguine Christi relicto è passione, ut dixi cap.22. num.320. eademque omninò est ratio de relicto è Sacramento; quòd videlicet tenenda sit sententia magis pia & apta ad excitandam devotionem populi, ut constat, estque probabilis, ut jam probatum est: ergo tenenda & practicè exercenda. Unde sequitur, absque omni scrupulo sanguinem è Sacramento modo explicato relictum coli posse, ut verum Christi sanguinem, non tantùm licitè, sed laudabiliter.

367. Ex dictis hoc & cap.22. non est difficile solvere objectiones, quæ non valent, vel æquè contra præputium ac sanguinem Christi relictum è passione, atque è Sacramento. Una tamen hîc affertur & exaggeratur, quòd indignum sit Christi sanguinem naturali specie posse attrectari, conculcari, comedi, tabescere, denigrari, imò & corrumpi. Quod argumentum non videbitur tam efficax, si cogitemus eodem Ethnicos negasse mysterium Incarnationis, hæreticos Eucharistiæ. Videtur enim indignius, eadem ferè illa concedere de ipso Christo, quàm aliquâ ejus particulâ, non absolutè, sed prout servatur in terris, cùm nihilominùs eadem numero sit gloriosa in cælis. Certè non videtur indignum, illam in terris servari, majorique quodammodo honore affici, hominumque concursu celebrari, quàm ipsum in Sacramento Christum, ut fit.

Respondeo ergo, non esse absurdum, omnia illa sanguini Christi relicto, ac replicato in terris, convenire posse exceptâ corruptione. Imò, quod Patres contra hæreticos dixerunt, Christo convenisse corpus passibile, aliisque ejusmodi accidentibus obnoxium, ut constaret esse verum, humanum, non phantasticum; idem dicere licet v.g. de sanguine ejus nobis relicto. Ita non est dubium, quin præputium, & sanguis relictus è passione, successu temporis mutarint colorem; videmus Christum in totâ suâ œconomiâ, præsertim Sacramento Eucharistiæ, non tam spectasse quid suam majestatem, quàm quid deceret suam erga nos caritatem.

Quibus accidentibus sanguis relictus obnoxius sit.

Dixi tamen, *exceptâ corruptione*: tum quia ad eam requiritur subtractio concursûs substantialis, quę hîc non intervenit, cùm Christi sanguis non desinat simpliciter esse, sed tantùm hîc esse, quomodocumque id fiat, subtracto scilicet tantùm concursu ad hoc Ubi: tum quia videtur spectare ad Dei providentiam ejusmodi miraculis & 368.

appa-

apparitionibus annexam, ut ne quidem permittat Christi sanguinem vel carnem affici nunc accidentibus corruptionis, quod privilegium constat concessum variis Sanctorum corporibus, ac reliquiis. Qui ratione Alensis dicit, carnem, quæ deinde corrumpitur, non apparuisse vero Dei miraculo, sed arte & fraude diabolicâ, scilicet signo & argumento à posteriori. Quo sensu plenissimè de Christi non tantùm corpore, sed quâvis particulâ post resurrectionem intelligi potest illud Psalm.15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Quòd si tamen aliunde constaret de apparitione divinâ, v.g. ex multis miraculis, populi devotione, aliisque signis, ut non constitit de carne, quam corruptam fuisse dicit Alensis; mallem concedere aliquid carnis vel sanguinis Christi subjici ejusmodi accidentibus, quàm publicè tale falsò creditum coli cultu sibi indebito: quia magis dedeceret etiã Deum, hoc permittere, imò miraculo dare causam, quàm illud. Sed hoc neque hactenus contigit, neque deinceps puto continget.

369. *Sanguini & carni è Sacramento apparentibus idem cultus debetur, qui relicto in terris.*

Dico Tertiò: Sanguini apparenti, nobisque relicto è Sacramento, eademque est ratio de carne, idem omninò cultus debetur, qui relicto è passione. Primò, summa quædam veneratio tamquam reliquiis omnium pretiosissimis: Secundò, etiam adoratio propriè dicta, seu latria, indistincta ab adoratione Christi, cujus est pars: Tertiò, non est improbabile, eamdem illi peculiariter ac absolutè deberi, ratione sui & unionis hypostaticæ, remanentis inter illum & Verbum.

Tota conclusio explicata & probata est, cap præcedenti, eâdem operâ de sanguine relicto è Sacramento, quâ de relicto è passione. Est enim eadem ratio de utroque: nec enim ille est minùs verus Christi sanguis, quàm hic: etsi minùs certus. Quia tamen minùs certus est, fateor omnibus consideratis, minùs venerabilem esse, minusque illi debitum cultum sanguini Christi convenientem: quo modo dixi libr.4. leges dubias minùs nec tam gravi cum incommodo obligare, ac certas. Quare hinc confirmantur dicta superioribus capitibus de sanguine relicto è passione, & servato Brugis. Si enim relicto è Sacramento, etsi minùs certo, debetur tantus cultus, quantum dixi, iterumque dicam, quanto magis illi?

370. *Summatim exponitur cultus sanguini Christi in terris, à variis exhibitus.*

Concludo & confirmo hanc utriusque sanguinis dignitatẽ narratis de eo hoc & 22.capp. Primò, ejus cultum cœpit, nosque docuit B.Virgo, Joannes, Magdalena, ac Longinus, qui fusum in passione religiosè collegerunt, nobisque per manus successorum tradiderunt pro dignitate colendum. Servatum Mantuæ venerabundi inviserunt Pontifices, Imperatores, Reges,

ges, & de eo à Leone III. voluit fieri certior Carolus Magnus. Delatum Brugas, ut eximium donum ac præmium, dederunt Theodorico Comiti Flandriæ de terrâ Sanctâ optimè merito, more majorū suorū, rex, Antistes, & princeps Hierosolymitani. Comes templū illi erexit pulcherrimæ civitatis pulcherrimo loco, ubi hactenus maximâ Brugensium pietate visitur coliturque, auctâ plurimorum Pōtificum Indulgentiis. Præcipua itē dignitas & causa tanti cultûs ab omnibus exhibiti sacræ sindoni, est verus Christi sanguis, quo etiamnum insignitur. Relictum è Sacramento Pontifex Vrbanus IV. solenni processione deferri curavit in Vrbemveterem, ejusque occasione per universam Ecclesiam instituit festum Vener. Sacramenti, ejusque successor Nicolaus IV. tantis reliquiis posuit augustissimum templum, cui ipse supposuit primum lapidem, in quo eas collocavit concessis amplissimis Indulgentiis, summo Cardinalium, Episcoporum, omniumque hominum concursu. Similiter servatum Boxtellæ Deus honoravit plurimis & maximis miraculis, & à tot jam annis, homines summo ex aliis quoque provinciis concursu, & veneratione. Coloniæ, ut testatur Erardus suprà citatus, aliæ reliquiæ in templo Patrum Augustinianorum miraculosè venerabundæ carni & sanguini, è Sacratissimo Sacramento relictis primas detulerunt; vel potiùs Deus ipse, reseratis ultrò horum adventu lipsanothecis, primas hisce præ aliis reliquiis deferendas miraculo declaravit. Quare sacro-sanctum sanguinem è Sacramento item relictum, Concilium Episcoporum diligenter opertum ac sigillatum seposuit, *pro summis*, ait Guitmundus citatus, *reliquiis perpetuò reservandum.*

Ad majorem Dei gloriam.



INDEX

INDEX
RERVM MEMORABILIVM
QVÆ HOC LIBRO
CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, alter columnam denotat: Vbi unus tantùm comparet, signum est ad proximè præcedentem referri.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
QUÆ HOC LIBRO
CONTINENTUR.

Prior numerus paginam, alter columnam denotat: Ubi unus tantùm comparet, signum est ad proximè præcedentem referri.

Adorare.

Adulter.

Advocatus.

Æger.

INDEX RERUM.

Com-

De conscientiâ rectâ.

Eadem

in

Horæ Canonicæ.

Horologium.

Hostia Sacra.

Humanitas.

Humilitas.

Jacob.

Idololatria.

Jejunare.

Ignorans.

Ignorantia.

Ino-

Malum

Men-

Peccatum mortale.

Peccatum originale.

Peccata.

Pelagiani.

Præce-

 dissua-

Si-

Valen-

F I N I S.